Dupl°

1 — 2 — 1

2°

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estant. 36
Número 81

3a-4.-6

3-47-13

Dor. Parra

R-11696

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. C. N.

EXVLTABO IN DEO.
IESV MEO.

IHS

del collegio Rl. de Sta.

GASPARIS SANCTII

CENTVMPVTEOLANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI
sacrarum literarum Interpretis,

IN QVATVOR LIBROS REGVM,
& duos Paralipomenon,

COMMENTARII.

NVNC PRIMVM PRODEVNT.

Indicibus cùm Locorum Scripturæ, Regularum, & Prouerbiorum, formarúmque prouerbialium; tum rerum memorabilium illustrati.

De la Libreria del Collegio Mr. y Rl. de Sta. Cruz

Cum Priuilegio Regis.

Dor. Villarrasco

LVGDVNI
SVMPT. IACOBI CARDON ET PETRI CAVELLAT.
M.DC.XXIII.

L19306359

ILL^MO AC REV.^MO D. D.

AVGVSTINO SPINOLÆ

S. R. E. CARDINALI,

GASPAR SANCTIVS è Societate IESV S.

QVÆ infirma sunt, patronos sibi parare solent non infirmos: illa præsertim, quæ hominum aut iniqua iudicia, aut non satis exploratam beneuolentiam reformidant. Exigua, fateor, sunt, quæ nunc molior, CARDIN. AMPLISS. quæ in lucem communem, & in censuram publicam, liberáque iudicia producere, audacis est animi, & minùs cauti, & vigilantis ingenij. Quid tamen aliud facerem? Cùm neque debeam, neque possim satis piè recusare periculum; cùm stet contra illorum præceptum, quorum apud me grauis est authoritas, & diuinæ proxima? Quare neque inscitè, neque audacter feciſſe videor, si cùm ab authore ignoto atque humili, & ab ingenio tenui, tenuis hic labor nullam posset commendationem habere, eam à patroni authoritate & gratia conciliare studeam. Te igitur ex omnibus elegi vnum, cuius apud omnes tantum est gratiæ, vt etiam deriuare possis ad alienos; authoritatis tantum, vt ex ea queant quæ ad te aliquo modo aut pertinent, aut spectant, non parum ponderis & authoritatis accipere. In quam ego cogitationem neque temere sum ingressus, neque adductus tãtùm illorum sermonibus, qui de te Parenteque optimo, déque re Christiana, si quispiam hoc tempore alius, egregiè merito, de Illustrissima antiquissimáque familia, ea prædicant, quæ neque assequi potest, imò neque complecti breui, hoc scribendi genus, quod nec historicum est, nec doctorum hominum reprehensione caret si longius sit; cùm eò sit consilio susceptum, vt patronum sibi atque aram quærat, nõ vt de illius rebus laxiori stylo longam meditetur historiam. Dicant alij, quorum maius

eſt ſeu diuerſo ſcribendi generi aut dedicatum aut aſſuetum ingenium,quàm ſtrenuè, conſtanter atque etiam feliciter pro religione ac fide laboratum ſit à gente Spinola noſtra hac ætate (nam ſuperiorum repetere memoriam longus eſſet labor.) Primùm à Federico Spinola, cuius nomen non poteſt eſſe non gratum, dulcíſque memoria eis,qui illius conatus egregios,generoſóſque ſpiritus ſpectare potuerunt,aut etiam audire. Quemadmodum terra maríque inuectis(quod prodigij ſimile viſum eſt) in Britannicum mare Hiſpanicis triremibus Catholici nominis hoſtes,diu ſæpéque vexauerit,arma contuderit,ſpiritus fregerit, & multo in ſingulos dies maiora promitteret, niſi Hiſpanicis rebus inuida fortuna intercepto victoriarum curſu,ſpem maximarum rerum immaturo tanti Ducis interitu præcidiſſet.In quo ſic virginalis modeſtia atque animi puritas,& viuus catholicæ religionis ardor,cum militari ſpiritu,atque prudentia certabat, vt cùm vtraque laude plurimum excelleret, non ſatis eſſet promptum iudicare vtra harum virtutum ac laudum, cenſeri potuerit in tanto Principe ſuperior. Succeſſit eo in loco ac munere Federico fratri idémque tibi Pater Ambrosivs Venafri tunc,nunc Balbaſium Marchio,pietate atque virtute tam Chriſtiana, quàm bellica fratri quàm ſimillimus. Qui breui qua fuerit in re militari prudentia,qua vigilantia,quo ardore, & nobis qui de tanto Principe egregium aliquid ſuſceptum atque perfectum ſingulis propè momentis audimus, & futuris ſæculis præclara documenta prodidit, & æterna reliquit monumenta, quæ ſi hiſtoricum agerem, amplam ſatis illuſtrémque poterant exhibere materiam. Neque ego laborem recuſarem, ſi modò ſuppeteret ingenij facultas, niſi viderem quid hoc nuncupatorium atque commendatitium negotium requirat, aut damnet. Et planè vbi tantum támque illuſtre ſuppetit argumentum, aut pauca dixiſſe, aut obſcuraſſe breuitate iniuria eſt.Quam non mihi condonarent facilè,qui parentis optimi antiqua geſta, & recentes victorias meminiſſent.Sunt enim ſingularis prudentiæ, quæ in Imperatore prima cenſetur eſſe virtus, & bellicæ virtutis documenta præclara, quæ in acie Belgica quaſi in nobiliſſimo totius orbis theatro, toties edidit. ſiue cùm hoſtium conſilia prudens eluſit, ſiue cùm hoſtiles vires cùm impendere maximè videbantur,terrorémque ineluctabilem oſtendere,aut diſtraxit ſingulari ſolertia,aut reddidit infirmas,aut audaci atque inuicto animo vehementer oppreſſit. Teſtis eſt Oſtenda, quæ cùm diu noſtrorum armis reſtitiſſet,& omni conatu atque artificio bellico putaretur ſuperior, illius tamen aſſiduitate, & vigilantia ſubacta eſt, & licèt diu reluctata, accepit tamen Hiſpanicum iugum, quod à ſuis ceruicibus priùs excuſſerat. Teſtis Antuerpia, cui cùm inſtaret hoſtis,& in anguſtum adduceret,ſubſidio fuit grauiter laboranti,&

exul

exultantem hostem expectatione victoriæ, incredibili celeritate submouit. Testis Oldesalia, Linga, VVachtendunca, Cracauia, Lochemium, Grolla, Resberca, aliáque oppida & loci natura & industria hominum egregiè munita, quæ, licèt ardore magno contranitente hoste, aut expugnauit acriter dimicando, aut eò desperationis adegit, vt manus dederit supplices inimicus, & arcem, quam defendere se posse desperabat, sponte tradiderit. Quid memorem quo animo, qua constantia, qua celeritate cùm postremi Clibiæ ac Iuliæ Reguli interitu res Clibenses, & Iuliacenses turbari viderentur, & motus minari diuturnos, & graues, exercitum conscripsit, Hispanóque Regi plurimas ex ea ditione ciuitates subegit, & mœnibus septas, & arce munitas, in quibus fuere Vesalium vrbs egregia, & ad bellicas commoditates opportuna, Aquisgranum item, vbi Imperatores de more, cum prima corona accipiunt Cæsarei nominis ac dignitatis initia. Neque exitu minus secundo ac celeri disturbauit deleuítque Mulemium, quod prope Coloniam excitabant hæretici, quod nisi maturè fuisset à nostris occupatum excisúmque, magna videbatur tantæ vrbi & Catholicis omnibus allaturum incommoda. Ad extremum quis non admiretur, & eximiis efferat præconiis, quod recens nunc ab eximio Heroë res Catholica beneficium accepit? Palatinatum dico inferiorem magna ex parte tanta felicitate subactum, tanta moderatione atque clementia, ereptum antiquo Domino, & Hispanico subiectum imperio; vt non minus propter ardorem militarem, atque prudentiam timeatur; quàm propter humanitatem ac modestiam ametur ab ipsis etiam hostibus, quibus in suis finibus spectare, atque admirari licuit tantam victoriam cum tanta clementia, spiritum Martium cum tanta morum suauitate; vltricem manum, cui plurimũ ipsa belli fortuna permittebat, cum tanta liberalitate coniunctam. Qui perpetuus ac penè continens victoriarum cursus & Marchionis Belbasium nomen illi peperit nouum, & antiquum Venafri fecit illustrius: retulit enim in illorum Hispaniæ Principũm numerum, qui magni vocantur, & aurei insuper velleris ornauit insignibus qui inter Hispanos eximius est & rarus honor.

Hæc ego quàm breuissimè potui leui manu perstrinxi. Sed quia non deerunt, qui longiori sermone hæc & tuba clariùs resonante prædicent, prudens omitto, & ad te venio Card. Ampliss. & venio timidè, quia cùm nouerim animi tui modestiam, sciámque quàm de te inuitus & verecundè audias, non potest eorum, quæ de te gloriosè fama prædicat, non esse commemoratio grauis. Hoc vnum dico, quod & ego audiui de te sæpius, & reipsa non semel sum expertus, cùm me, quæ tua est humanitas, ad tuum conspectum & sermonem admitteres, qui plurimùm erat de religione, ac

pietate, & de ea eruditione, quam humanæ consignarunt historiæ, aut Scripturarum oracula, aut Sanctorum scripta, aut annales Ecclesiastici prodiderunt; hoc, inquam, vnum dico his omnibus, quibus tui mores & studia ignota non sunt, communem esse de te sensum, à quo neque meus vnquam abhorruit, in ætate videlicet florente adhuc, & quæ his abundaret opibus, quibus libertas alitur & audacia; quæque mores non tam coarctat & corrigit, quàm dissoluit, ac laxat, & in qua tolerare solemus non iniquè aut in viuendo licentiam, aut in ingenio nondum rerum experientia satis instructo rerum ignorantiam, talem in te prudentiam reperiri, quam etiam miraremur in senibus; eruditionem tantam, quantam qui multos post annos consequutus fuerit, censeri posset non ineruditus. Tam denique tum in vultu grauitatem, modestiam, tum in moribus illud religionis, & sanctitatis studium, vt cùm extra religiosorum claustra viuas, religiosorum tamen in morum puritate, in viuendi forma speciem præteferas illustrem sanctitatis. Ad quam modestiam, quod necesse est, tanquam ad domesticum, & viuum exemplar honestæ disciplinæ sic se tota familia studiosè composuit, vt non in splendida, atque copiosa domo aulicos mores (qui non semper solent esse sanctissimi) sed in claustro, seueriorisque disciplinæ schola, religiosos hausisse videantur. Quare cùm tua te merita ad purpuratorum Patrum & Pontificio proximum ordinem extulissent, sic secum viri prudentes neque temerè, neque immeritò cogitabant, dicebántque ornata videri in ætate iuuenili adhuc atque florenti senilem prudentiam, maturum iudicium, eruditionem antiquam, religiosam modestiam, & morum in omni studiorum genere grauitatem: & tandem in AVGVSTINO SPINOLA Cardinali nouo apparere illorum quoddam specimen, qui ex eadem familia quondam eundem obtinuerunt locum, & nomen. Contineo me, quod vix à mea in te obseruantia impetrare possum; quia (quod bona tua pace non silebo) mihi ea de re silentium ita seuerum indixisti, vt quæ à me modò strictim commemorata sunt, timidè, & quia tibi ingrata fore certò scio, dixerim inuitus. Ad hæc omnia quæ in Patrono suo desiderant, qui suis bene laboribus consultum esse student, accedunt alia, quæ à tua in nostram Societatem beneuolentia prolixè nobis omnia pollicentur. Neque enim obscurum est, quàm nostra, & nos à primis annis studiosè cures, constanter tuearis, neque aliter nostra, aut ames, aut adspicias, quàm si idem, quod nos, amplexus esses in nostra Societate viuendi genus. Quam humanitatem & amat plurimum, & facit, vt par est, maximi nostra Societas. Cuius gratæ memoriæ hoc qualecumque est munusculum, licèt re exiguum, & leue, non tamen exiguum esse vult aut leue testimonium, quod ita à tanto patrono præsidium sibi, opémque desiderat,

derat, vt etiam qua poteſt ratione quid tibi debeat ingenuè fateatur. Communem puta hanc eſſe Societatis vocem, non meam ſolius: commune votum, quod ego de tuo in rebus omnibus exitu fortunato concipio: communis eſt omnium in te amor, & obſeruantia, commune ſtudium, quod & multis antea rationibus excitaſti, & nouis quotidie officiis auges, & foues. Faxit vtinam Deus qui te nunc ad purpuratorum Patrum Auguſtum, & ſacrum ordinem excitauit, vt & diu te Eccleſiæ ſuæ, & nobis, boníſque omnibus ſeruet incolumem, & nouis quotidie cœleſtium donorum augeat incrementis. VALE.

Præfatio ad Lectorem.

HABES, amice Lector, in quatuor libros Regum Commentarios, in quibus positum est à me plurimum laboris, & temporis. Vtinam cum aliquo tanti studij atque operæ pretio. Curaui pro mei ingenij tenuitate, ne quid in longo hoc opere maneret obscurum, certè non tentatum. An id, quod secutus sum, assequutus fuerim, iudicabunt alij; ego certè non puto: neque enim plus ingenio meo, ac studio arrogo, quàm quod ab ingenio mediocri, aut etiam infra mediocre sperari potest. Cúmque principio in duos libros Paralipomenon integros edere Commentarios statuissem, postea meliori, vt opinor, consilio quicquid ibi ad historiam implendam, vel illustrandam inueni, ad librorum Regum Commentarios aduocaui, & locis opportunis inserui, vbi licèt in diuerso loco, non tamen diuersum argumentum occurreret. Illa porrò fuerunt, quæ historiæ forent supplemento, aut explicarent, quæ dicta videbantur obscuriùs. Si qua verò commodè in superiorẽ commentationem non videbantur potuisse conferri, illa separata & propria commentatione persecutus sum: quorum indicem copiosum subieci, vt quo Regum loco singulæ partes explicarentur, facilè studiosus lector inueniret. Quo consilio id spectabam, vt historia Regum non maneret obscura, ac mutila, & libri Paralipomenon sua etiam commentatione non carerent. Qui ea cura ac studio sunt expositi, vt integri censeri possint, & iusti commentarij. Hoc tu consilium, amice Lector, boni consule, & in librum Iob alios Commentarios, quos iam penè absolutos habeo, propediem expecta.

CENSVRA

CENSVRA.

COMMENTARIA hæc in quatuor libros Regum, authore Reuerendo admodum Patre Gaſparo Sanctio è ſacra religione Societatis IESV, de mandato ſupremi Senatus à me perlecta, pietate, ſapientia, & eruditione ſunt plena, conſonant enim quàm maximè ſapientiſſimis aliis eiuſdem authoris ſcriptis: tantum abeſt aliquid Sacroſanctæ fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduerſum in illis inuenire. Meritiſſimè igitur in communem omnium vtilitatem in lucem dabuntur. Madriti in conuentu S. Philippi die octaua Auguſti 1622.

FR. L. CABRERA.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. cõceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT, Lugdunenſibus Bibliopolis, vt librum hunc inſcriptum *Gaſparis Sanctij, è Societate IESV Theologi, in quatuor libros Regum, & duos Paralipomenon Commentarij*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 10. Decembris 1622.

I. FORERIVS.

Approbatio Theologorum.

NOS infraſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, lectum à nobis eſſe librum qui inſcribitur: *Gaſparis Sanctij è Societate IESV Theologi, in quatuor libros Regum, & duos Paralipomenon Cõmentarij*, nihilque in eo fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ repugnans animaduerſum; quin opus ipſum ſolida eruditione illuſtre ac vtile. Datum Lugduni 3 Ianuarij 1623.

F. ROBERTVS BERTHELOT Epiſc. Damaſci.

Fr. CLAVDIVS COCHET Dominicanæ familiæ Lugdun. alumnus & Prior.

R.D.D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Gaſparis Sãctij è Societate IESV Theologi, in quatuor libros Regum, & duos Paralipomenon Commentarij*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 22. Martij 1623.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Gasparis Sanctij è Soc. IESV Theologi, in quatuor libros Regum, & duos Paralipomenon Commentarij*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 30. Ianuarij. 1623.

De mandato Regis,

Signatum

LE BOSSV.

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVÆ IN HIS COMMENTARIIS.
EXPLICANTVR.

Prior numerus columnam, posterior marginalem eiusdem columnæ numerum indicat.

Geneſis.

CAP. 35. TERROR Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitatis. 1581.7
40. Auferet Pharao caput tuum. 1352
49. Diuidam eos in Iacob. 443.29
Beniamin lupus rapax. 595.21

Exodi.

16. Quando ſedebamus ſuper ollas. 1035. 10
38. De ſpeculis mulierum. 1060.24

Leuitici.

23. Hæ ſunt ergo feriæ Domini ſanctæ, quas celebrare debetis. 397.22

Numeri.

17. Poſſit exire, & intrare ante eos. 370. 27
20. Locutus eſt ſuper Iordanem. 1035. 10
21. Scopuli torrentis inclinati ſunt. 854. 20

Deuteronomij.

3. Non poſſunt vltra egredi, & ingredi. 370.27
17. Peribit, qui interficietur. 672.13
20. Et videres in numero captiuorum mulierem pulchram. 971.4
28. Sementem multam facies in terra. 627.

Iudicum.

5. Terra mota eſt. 854.20
8. Dominabitur in vos Dominus. 170. 13

Lib. 2. Regum.

1. Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsùm. 1180.10

Lib. 1. Paralipomenon.

4. Qui ſtare fecit ſolem. 1599.24

Lib. 2. Paralipomenon.

29. Impleſtis manus veſtras Domino. 1186. 26

Eſdra.

Omnia regna mundi dedit mihi Deus. 985. 42

Eſther.

6. Imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt. 939.38

Iob.

3. Non computetur in diebus anni. 443. 29
5. Et manus eius areſcent. 78.99
22. Nudos ſpoliaſti. 672.13
30. Quare miſero data eſt lux. 1266
33. Tunc aperit aures virorum. 185

Pſalmi.

10. Dominus in cœlo ſedes eius. 1039.22
21. Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt eum. 184.21
25. Lauabo inter innocentes manus meas. 574.25
28. Vox Domini præparantis ceruos. 108. 16
29. Ad veſperam demorabitur fletus; & ad matutinum lætitia. 1475.19
38. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. 107.12
50. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. 698
67. Etenim non credentes. 196.13
88. Oleo ſancto meo vnxi eum. 196.15
103. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. 1581
106. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. 107.12

Cantica.

4. Sicut greges tonſarum. 1296.22

Prouerbiorum.

18. Pater eſt ſua opera diſſipantis. 833.29
29. Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus. 217.11

Eccleſiaſt.

12. Hoc eſt enim omnis homo. 107.12
47. Quaſi adeps ſeparatus à carne. 957

Sapientiæ.

4. Spuria vitulamina non agent radices. 196.13

Iſaiæ.

5. Veniat conſilium ſancti Iſraël. 47.10
6. Et in manu eius calculus. 196.13
11. In die illa radix Ieſſæ. 1039.22

24. Mole farinam. 672.13
34. Populus, qui habitat in ea. 1039.22
37. Reducam te in viam, per quam venisti. 1180.10
38. De manè vsque ad vesperam finias me. 1475.19
48. Neque ex tunc aperta est auris tua. 185
50. Dominus aperuit mihi aurem. ibid.
Et genas meas vellentibus. 671.9
58. Iuxta me discooperuisti. 695
62. Non vocaberis vltrà derelicta. 708

Ieremiæ.

2. A sæculo confregisti iugum. 31.54
7. Neque assumes pro eo laudem. 1089.39
20. In porta Beniamin superiori. 596
26. Ne ingrediaris domum conuiuij. 1284.69
34. Extendetur super eum mensura. 1606.5
35. Lætitia sempiterna super caput eorum. 1352
38. Viuit Dominus, si occidero te. 281.53

Thren.

1. Mandauit Dominus aduersùs Iacob. 291.12
2. Consurge, lauda in nocte. 1089.39
Tetendit funiculum suum. 1606.5
17. Perdix fouet, quæ non peperit. 1566

Baruch.

4. In verbo sancto gaudentes. 47.10
6. Mulieres circundatæ funibus. 1626

Ezechielis.

16. Iustificasti sorores tuas. 698
24. Nec cibos lugentium comedes. 1284.69
48. Nomen ciuitatis Dominus ibidem. 708

Danielis.

2. Sapientia saturabuntur. 672.13

Malachiæ.

1. Si placuerit ei, aut si susceperit faciem. 291.53

Oseæ.

2. Quasi acerui super sulcos agri. 1383.22

Micheæ.

7. Ponant manum suam super os suum. 1250.15

Habacuc.

2. Qui potum dat amico. 1657.28

Sophoniæ.

1. Visitabo super viros, defixos in fæcibus. 1653

Matthæi.

19. In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. 1559
12. Manducauit Dauid, & dedit eis, qui cũ ipso erant. 406.9
27. Innocens ego sum à sanguine iusti. 574.25
Et petiit corpus Iesu. 831.23

Lucæ.

2. Vt describeretur vniuersus orbis. 985.42
7. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. 976.17
14. Et non odit patrem suum. 698.22
22. Vendat tunicam suam, & emat gladium. 537
24. Accepit panem, & benedixit. 184.21

Actorum.

2. Ab omni natione, quæ sub cœlo est. 985.42
8. Non est tibi pars, neque sors, in sermone isto. 811.2

Epistolæ Pauli ad Romanos.

11. Reliqui mihi septem millia virorum. 1282.62
12. Carbones ignis congeres super caput. 1352

Ad Hebræos.

6. Finis ad confirmationem est iuramentum. 1089.40
12. Proposito sibi gaudio. 1514.29

Apocalypsis.

13. Faciet omnes etiam habere characterem in dextra. 1638.44

FINIS.

INDEX

INDEX REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ.

PRAETERITVM perfectum pro pluſquam perfecto. 66. 64

Externi multa falſa dicunt in Scriptura ſacra. 106.11

Ab aliqua parentum actione nationi alicui nomen impoſitum. 119.22

Nomina iam exoleta in aliquibus conſeruata. 183

Ex Hebræis nominibus compoſitis vna tantùm pars compoſitionis conuerti ſolita. 185. 25

Ex nominibus compoſitis vna pars interdum omittitur. ibid.26

Non vltra, non amplius, & ſimilia, non ſemper aliquid omnino negant. 158.31

Illud negatur futurum, quod minus fit ſæpè, aut non eodem euentu. ibid.32

Vſitatum eſt apud Hebræos particulam cum remotiori ligare. 145.55

In tranſlationibus interdum ſeruatur genus originalis linguæ. 142.48

Interpretes ex duabus ſignificationibus interdum ſumunt minùs propriam. 195.11

Inſtrumenta idem retinent nomen, quod habuerunt antea, quæcũque accedat mutatio, dummodo idem ſit vſus. 197.18

Frequens in Scriptura Paronomaſia. 248. 34

Tunc aliquid dicitur, aut videtur factum, cùm dignum eſt, vt fiat, aut fieri debet. 251. 42

Quod cæptum eſt fieri, factum exiſtimatur. ibid.

Id factum dicitur, quod proximũ eſt, vt fiat. 252. 45. & 390

AEtas non tam ex annis, quàm ex qualitate, aut meritis ſolet computari. 345.27

Genus fœmineum pro neutro, quo carent Hebræi. 373.37

Prouerbia, aut quæ prouerbialem habent formam, non integra ponuntur, ſed eorum pars imperfecta. 392.8

Vt ab aliquo dirum aliquid ſubmoueamus, per Euphemiſmum contrariam vocem adhibemus, aut alienam. 395

Geminatio eiuſdem ſignificationis vocabuli cum epitaſi. 400.30

Id fieri dicitur, quod, vt fiat, lex, atque religio permittit. 407

Id aliquis accepiſſe dicitur, quod non amiſit; & illud dediſſe, quod non abſtulit. 410.23

Participia præteriti pro nominibus in bilis. 423. 14. & 50.17

Actio alicui rei familiaris pro illa ponitur. 60

Quæ inauſpicata ſunt, & vilia, in aliorum ordine, & cenſu numerari non ſolent. 443.29

Vniuerſale ſignum aliquando paucitatem, aut multitudinem ſignificat. 449.2.e

Multa ita proponuntur vt vniuerſaliter intelligi videantur; quæ tamen de vno tantùm genere, aut ordine intelliguntur, aut certè minus latè. 463.51

Quæ breui durarunt tempore, cenſentur non fuiſſe. 465.55

Cùm aliquid certum tempus Scriptura definit, præmittere ſolet dies, quibus ille maior numerus completur. 480.4

Figuræ, & vmbræ, rei figuratæ aliquando nomen ſumunt. 490.16

Scriptura ſacra multa ab aliis dicta narrat, quæ non probat. 501.2. & 1461.21

Nomen aliquando impoſitum ab aliqua voce, qua quis vſus eſt. 600.36

Multa dicuntur ante ſimpliciter, quæ poſtea in vſum prouerbialem abierunt. ibid.37

Non toti ſermones referuntur ab hiſtorico ſacro, ſed eorum ſumma. 639.23

Res nomen aliquando ſumit à fine, aut ab eo, quod ex actione prouenit. 672.13

Currus, & equi pro his, qui curru, & equis vehuntur. 673.17

Participium præſentis interdum paſſiuè ſignificat. 676.2

Id dicitur aliquis feciſſe, quod, vt faceret, cauſſam dedit. 703.36

Nomina multa impoſita, quæ tamen vix audita in Scriptura. 707.49

Sicut nomen idem eſt, quod res, ſic nominor idem eſt quod ſum. ibid.50

Cui vita breuis, cenſetur non natus. 708. 51

Prolepſis in Scriptura frequens. ibid.52

Ex acroſtichis, id eſt, initialibus litteris, vox componi ſolita, quæ multarum inſtar eſt. 764

Res ſignificata pro ſigno. 50.18

Vſque,

Vsque, donec, & similia aliquando terminum includunt, cui præponuntur; aliquãdo excludunt. 628

Nomen quibusdam impositum à loco, in quo fuerunt. 684.28

Malus figura rei bonæ aliquando; & bonus rei malæ. 685.29

Aliquando negatur esse, quod alterius comparatione censetur exiguum. 698

Actio aliqua celebris, & nota pro tempore, ac loco, sumitur, in qua exercetur. 828. 15

Nomen aliquis ab illo accipit, cuius est similis. 833.28

Pro nominibus propriis eorum sæpè adhibitæ significationes. 835

Quod in aliquo genere excellit seorsim, ponitur post communem notam. 847.2

In citandis veteris Testamenti testimoniis non verba numerantur, sed expenduntur sententiæ. 848.3

Multa suis locis relicta & alibi per occasionem narrata. 852.14.& 1463.29

Aliquid interdum ab eo, quod futurum est, nomen accepit. 856.24

Vox futuri temporis aliquando præteritam, aut præsentem significat actionem, si vox præsentis, aut præteriti temporis antecessit. 863. 41

Imperfectorum numerorum ratio haberi non solet.

Magni Patres aliquando memoria lapsi. 790. 19

Plurimæ in Scriptura paronomasiæ. 891.27.& 248.34

De, præ, à, ab, ex, comparationem significant. 889.49

Quando viri aliquid faciunt molle; genus illis fœmineum datur. 901.59

A Deo factum existimatur, quorum occulta est caussa. 915.35

Quæ magna sunt, seorsum ab aliis numerantur. 941.43

Actus secundus pro primo. 982.34

Omnis terra de illa interdum prouincia intelligitur, de qua sermo est. 985.42.1233. 26

Nominatiuus absolutè positus. 1039. 22

Locus aliqua proprietate nobilis suum aliis locis nomen accommodat. 1042.3

Multa sunt, quæ cùm aliquid significent commune, iuxta rerum naturam variè conuertuntur. 1127.39

Masculini, & fœminini generis coniunctione, vniuersitas significatur. 1146.14

In diebus illis, in tempore illo, tunc, & similia, nihil interdum referunt antecedens. 1189.1

Id fieri dicitur, quod faciendum est breui. 1194. 16

Scriptura à vulgari sermonis consuetudine non recedit. 1217.12

Per Prolepsim nomen datur loco, quod multo pòst impositum est. 1118

A sacris scriptoribus non totæ aliorum Conciones, aut verba referuntur, sed eorum summa. 1312.20

Præteritum pro futuro. 1329.20

Res interdum nomen seruat quod paulo antè amisit. 1582.12

Vna vox Hebraica duobus aliquando nominibus exprimitur. 1588.31

Id factum dicitur, quod rerum natura fert, vt fiat. 1594.3.1440.9

Pro nomine proprio sæpè illius explicatio ponitur. 1599.25

Talis aliquis dicitur, qualis ille, cuius exprimit mores. 1365.35

Quomodo concordari possint tempora quæ dissentire videntur. 1375.1

Res nomen retinent, quod habuerant antea, etiam si ratio nominis desit. 1380.14

Rebus accommodatur nomen ex effectis, quæ ex aliqua causa plerunque nascuntur. 1408

Locorum distantiæ temporum interuallis notantur. 1410.17

Quod rariùs fit, aut non successu bono, negatur fuisse. 1422.18

Illis aliqua tribuuntur, quæ magis, & omnino conueniunt in illud, quod eorum caussa fuit. 1450.50

A sacro historico multa omissa sunt, quæ ab aliis per occasionem dicta. 1461.20

Multa Scriptura refert ab aliis dicta quæ non probat. ibid.21

In Bibliis etiam Sixtianis aliqua consultò mutata non sunt, quæ mutari poterant. 1114. 28

Multa in Bibliis, librariorum incuria corrupta. ibid.

Aliquando littera, aut syllabá à librario omittitur propter sequentis similitudinem. ibid. 29

Vox iterata facit, vt scriptor intermedia transiliat incautus. ibid.30

Quando numerus perfectus est, non habetur ratio imperfecti numeri, qui parùm à perfecto deficit, aut illum superat. 1515. 31

In aliquo loco, ac tempore factum dicimus, quod non longè ab illis factum est. 1516. 32

Patres dicuntur omnes maiores, & filij minores, quantuncunque distent ab origine. ibid. 33

Regulæ ad concilianda tempora, quæ variè variis in locis numerantur. 1534.24
Tunc aliquid factum, seu completum dicimus cùm bona ex parte cæptum est fieri. 1543. 19
Significatio nominis pro nomine proprio. 1668.8
Ex dictione composita aliqua pars compositionis aliquando detrahitur. 1669.11
Nomina per prolepsim ante tempus adhiberi solita. 1690.15

FINIS.



INDEX

INDEX PROVERBIORVM PROVERBIALIVMQVE FORMARVM.

NON derelicti duo pariter pro dissipato exercitu. 220.21

Calceamentum pro re vili. 226.4

Capillus pro re exigua, & vili. 291.54

Ab impio impietas. 441.20

Canis mortuus pro re viliſſima. ibid.2.2

Culex pro re nihili. ibid.23

Vſque ad mingentem ad parietem prouerbialis forma. 455.20

Effuſus ſicut aqua, pro nihil eſſe reliquum. 155.22

Caput, aut caput canis, pro re abominabili. 569.8

Sicut vrſa, raptis catulis. 773.4

Coæquare victos terræ, ſtragem indicat magnam. 652.6

Tinnire aures. 76.25

Minimus digitus craſſior eſt dorſo, pro magno exceſſu. 1165.11

Cædere ſcorpionibus pro magna acerbitate. 1166.13

Comedere ſtercora, & bibere vrinam pro magna fame. 1576.38

Dolor parturientis pro vehementi dolore. 1580.4

Reducere aliquem in viam, per quam venit. 1587

Currus, & auriga eius pro magno præſidio. 1356

Accingere lũbos pro celeritate. 1397.20.b

Non ſalutare aliquem in via pro eodem. ibid.21

De mane ad noctem, & ſimilia pro breui tempore. 1475.19

Carduus Libani cedro, & luſcinia cum pica componere, pro impari congreſſu. 1510.16

Conſumere clauſos, & nouiſſimos, ſeu clauſos, & extremos, pro extrema calamitate. 1522.53

FINIS.

IN

IN LIBROS REGVM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

Quis horum librorum Scriptor.

1. *Libri Regũ à variis scripti.*

DE Authore horum Librorum nihil habemus certum ex Scriptura; neque authores, qui variis ducuntur coniecturis, quicquam afferunt, nisi diuinando. Sed illorum plerique in eo consentiunt, quòd non ab vno, sed à pluribus longum illud opus contextum esse putant. Ita sanè Gregorius in Prologo ad lib. 1. Regum, Athanasius in Synopsi, Abulensis super Prologum Hieronymi galeatum q. 59. Est autem communis omnium fermè sententia, à Samuele scriptum esse Librum primum, ad caput vsque 25. vbi de illius agitur interitu. Ab eo loco, vsque ad finem Libri secundi, Nathan, & Gad videntes; id est, Prophetæ Scriptores existimantur. Argumento est illud lib. 1. Paralip. cap. 29. in fine. *Gesta autem Dauid Regis priora, & nouissima scripta sunt in Libro Samuelis videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis, vniuersique regni eius, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, siue in Israël, siue in cunctis regnis terrarum.* Quod diximus de Samuele, docet etiam Isidorus lib. 6. Orig. cap. 2. vbi etiam addit, ab eo loco, in quo desiit Samuel, historiam pertexuisse Regem ipsum Dauid. Cúmque à variis Libri illi conscripti fuerint; redacta tamen illorum scripta dicuntur in ordinem, & eo modo digesta, quem nunc habemus, siue à Ieremia, qui vltimam Regum ætatem consecutus est, siue ab Esdra; qui vt alia plurima, sic etiam Regum Historiam ab aliis acceptam & conseruauit ipse, cùm penè cum Ciuitate, & Templo periisset; & confusam antè, & ex variis scriptis concinnatam, in meliorem ordinem coegit. Neque deest, qui id factum esse putet ab Ezechia Rege, cuius ætas ad Regum penè extrema tempora pertinuit. Scripsisse autem plurima, & ab aliis scripta collegisse docet Sixtus Senensis, lib. 2. Bibliothecæ, verbo *Ezechias*. Qua de re nos etiam aliquid in nostris Commentariis in Isaiam in fine capitis 38. Vide Sixtum Senensem verbo *Samuel*; & Isidorum lib. 2. Orig. c. 2. Ioannem Driedonem de Scriptoribus Ecclesiasticis l. 1. c. 3.

Samuel quæ scripsit ex libris Regũ.

2. *Ieremias, Ezechias, & Esdras quid in Historiam sacram contulerint.*

Ego de Regum gestis, regnorum, aut temporum statu, conuersionéque multiplici, sic censeo, & scriptam anteà, & posteà digestam sacram Historiam. Primùm non puto Regum temporibus, eo saltem in statu, quo res erat Regia cõposita, & inducta publicarum rerum administratio, defuisse, quibus id esset datum negotij, vt quæ diebus singulis Historia viderentur non indigna, Commentariis; id est, posterorum memoriæ commendarent; quod curarunt posterioris memoriæ, quibus mandata fuit publica cura, & communium rerum administratio. Sic sanè Fabianus Papa septem designauit subdiaconos, qui res gestas Martyrum à totidem Notariis scriptas colligerent. Apud Persas id in vsu fuisse satis indicat Persarum Princeps maximus Assuerus: qui acceptũ à Mardochæo beneficium, & in Regium caput Eunuchorum insidias, in Commentarios retulit. Sic autem Esther cap. 2. *Mandatumque est Historiis, & Annalibus traditum coram Rege.* Quæ porrò Historiæ illæ, siue Annales fuerint, explicuit posteà cap. 6. Vbi enim vulgatus habet: *Iussit* (Assuerus) *sibi afferri Historias, & Annales priorum temporum*; Græcè est, γράμματα μνημόσυνα ἡμερῶν. Quod Latinus reddidit: *Literas memoriales dierum.* Hæ verò Literæ sunt, quæ Ephemerides vocantur; id est, singulorum dierum obseruationes, quæ Diaria, siue Commentarij dicuntur. Quales Iulius Cæsar scripsisse proditur; qui Commentarios edidit, in quibus rerum gestarum, memoriæ gratia, capita notauit; & quædam minuta, vt deinde ex illis, cùm à rebus bellicis aliquid esset otij consecutus,

3. *Historia quibus olim commẽdata.*

Ephemerides id est, singulorum dierum Cõmentarij olim vsitati.

4. *Diaria & Commẽtarij.*

Hiſtoriam texeret, ex quibus reſecuiſſet aliqua, quæ fortaſſe hiſtorica ratio, aut leges non requirerent. Idem porrò feciſſe traditur Tiberius Cæſar, de quo Suetonius in eius vita. Ex talibus porrò Commentariis alij materiam aſſumpſerunt, quam ordine hiſtorico poſteritati traderent. Habuiſſe Auguſtum Cæſarem diurnos Commentarios tradit in eius vita Suetonius: Extat apud Lucianum in Demoſthenis encomio colloquium Philipi Macedonis cũ Antipatro, quod ſe deſcripſiſſe dicebat ex Commẽtariis domus Regiæ. Cúmque hoc Principibus aliis familiare fuerit, vt Budęus docet in lege *Abeſſe, Ex quibus cauſ. mator.* vbi aliquot adducit exempla; non eſt veriſimile id ab Hebręorum Regibus omiſſum eſſe. Et quidem crebrò audimus in libris Regum aliquos fuiſſe à Commẽtariis, quod aliquid indicat inſtitutum, ne rerum geſtarum excideret memoria. Quod etiam aut probat, aut indicat titulus præfixus libris Paralipomenon, qui ſic habet דברי הימים *dibre ha iamim:* id eſt, *verba dierum*, quaſi dicas, Diaria, ſeu ſingulorum dierum obſeruationem; vbi minutim notantur plurima, quæ in Hiſtoriis omitti plerumque ſolent. Ideò autem Septuaginta conuerterunt *Paralipomenon*; id eſt, Relictorum; quia in duobus illis libris multa dicuntur, quæ in quatuor Libris Regum omiſſa ſunt, quæ in Commentariis, ſeu Diariis notata fuerant. Quaſi diceret Scriptor ille, ſeu Compilator ſacer: *Iſta quæ dicuntur, ſunt ex illorum numero, quæ omiſſa ſunt ex illis verbis, ſeu geſtis* (nam *verbum* apud Hebræos idem valet, quod *res* ſeu *opus*) *quæ in dibre ha iamim; id eſt, in Ephemeridas, ſeu Commentarios relata ſunt.*

Verba dierum quid.

Paralipomenon cur dictum verba dierum.

5. In tempore Saul non puto aliquem Regi fuiſſe à Commentariis, quia & breui vixit in regno, duobus nimirùm annis, vt in Commentariis noſtris ſuper Acta probauimus, ad illud cap. 13. v. 21. *Dedit illis Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin annis quadraginta.* Et poſteà pluribus ad cap. 13. v. 1. Et illa tempora neque pacata fuerunt, neque à turbationibus, aut periculis vacua; ita vt Rex ille de rerum ſuo tempore geſtarum memoria laborare debuerit. Scripſit tamen Samuel quicquid eſt ad cap. 25. lib. 1. Regum; ſicut Hiſtoriam Iudicum & Ruth communiter ſcripſiſſe traditur.

Tẽpore Saul non fuerunt verba dierũ.

6. Quod attinet ad Dauid, prima illius tempora ſcripſit Samuel; nouiſſima verò Nathan, & Gad, vt conſtat ex lib. 1. Paralip. cap. vltimo in fine. Quis autem Dauidi fuerit à Commentariis; id eſt, qui res aut Regis, aut regni referret in Acta, dubium eſt. Habuiſſe à Commentariis Ioſaphath filium Ahilud, & Saraiam Scribam, habes lib. 2. Reg. cap. 8. in fine. Ad alterum illorũ pertinuiſſe videtur rerum geſtarum in Cõmentariis conſeruare memoriam. Sed hanc ſibi curam à Rege demandatam aſſumpſiſſe videntur duo Prophetæ Gad, & Nathan qui (vt paulò antè diximus) Dauidis geſta nouiſſima, quæ Samuel non potuit, monumentis ipſi prodidiſſe dicuntur. Certè Nathan familiariter viziſſe cùm Dauid, & ipſius conſiliorum fuiſſe conſeium, ipſe indicat lib. 3. Reg. cap. 1. Cùm enim Rex à populari turba ſalutatus eſſet Adonias, dixit, quaſi id ſibi celatum ferret moleſtè: *Nunquid à Domino meo Rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſeruo tuo?*

Rerum à Dauide geſtarum, qui Scriptores.

Poſt Dauidis tempora, Verba dierum; 7.
id eſt, Diaria, ſiue Ephemerides Salomonis ſcripſerunt Nathan, qui eandem operam ſcriptoriam Dauidi parenti nauauerat, & Ahias Silonites, & Addo; de quibus lib. 2. Paralip. cap. 9. *Reliqua operum Salomonis priorum, & nouiſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in viſione quoque Addo videntis contra Ieroboam filium Nabath.* Hæc porrò ſcripta illa eſſe videntur, quæ l. 3. Reg. c. 11. dicuntur: *Liber Verborum dierum Salomonis.* Quod putat Theodoretus q. 37. in l. 3. Reg. & Abul. in l. 3. Reg. c. 11.

Salomonis geſta quis ſcripſit.

De aliis Regibus idem puto eſſe exiſtimandum, tametſi de illis, à quibus eorum Verba dierum, ſiue Ephemerides, aut Diaria ſcripta fuerint, ex Scriptura non conſtet. Hoc certè de Roboam legimus lib. 2. Paral. c. 12. v. 15. quorum opera prima, atque nouiſſima notata dicuntur à Prophetis. *Opera,* inquit, *Roboam prima, & nouiſſima ſcripta ſunt in libro Semeiæ Prophetæ, & Addo videntis, & diligenter expoſita.* Et de Ahia cap. 13. v. 22. *Reliqua autem ſermonum Ahia, viarumque, & operum eius, ſcripta ſunt diligentiſsimè in libro Addo Prophetæ.* Quod autem Oziæ opera, ſiue Verba dierum Iſaias ſcripſerit, habes eodem libro cap. 26. verſ. 22. item Ezechiæ cap. 32. verſ. 32. & Iehu filius Hananan Ioſaphat Regis, ibidem cap. 20. verſ. 34. 8.

Hæc porrò, quæ dicuntur *Verba dierum,* 9.
ſeu ſingulorum dierum obſeruationes; quæ etiam aliquando dicuntur *Libri Regum Iſrael,* ſiue *Iuda,* aliquid eſſe diuerſum à quatuor Libris Regum, quos nunc habemus, & eſt communis Scriptorum conſenſus; & probat Sixtus Senenſis lib. 2. verbo *Regum liber:* adducitque inter alia, quæ eo loco videri poſſunt, illud 2. Paralip. 24. in fine; quod ſic habet: *Porrò filij Ioas, & ſumma pecuniæ, quæ adunata fuerat ſub eo*

Verba dierũ diſtincta à libris Regũ.

&

& instauratio domus Dei, scripta sunt diligentiùs in libro Regum. Et addit: *Quæ certè verba referri nequeunt ad Historiam Regum Canonicis scripturis insertam, in qua tantùm abest, vt ea, quæ præsenti Paralipomenon capite narrantur, fusiùs, & exactiùs referantur; vt nonnulla etiam in ipsa prætermissa sint ex his, quæ in hoc capite vel commemorantur, vel saltem indicantur.*

10. *Quis ex verbis dierum concinnauit Historiam.*

Cùm constet igitur, aut valde sit certè verisimile, Reges Israel, & Iuda habuisse, qui quod singulis diebus dignum videretur publica memoria, in Annales referret; explorandum nobis est, quis ex illis Commentariis ea, quę nunc in libris Regum habemus, historico stylo concinnauerit. Quidam Esdram existimant; quia ille aut restituit plurima, quæ temporum, & bellorum iniuria ex Scriptura sacra perierunt; aut certè quæ dissoluta erant, & ordine planè confuso dissipata, in suum locum, & ordinem redegit. Alij Ieremiam, eo adducti argumento, quòd iisdem penè verbis suam Prophetiam terminauit, quibus Libri Regum finiuntur. Vnde non sine graui fundamento coniectant, ab eodem authore Libros Regum, à quo extremum vaticinij caput, fuisse aut compositos, aut compilatos. Sed si hæc ratio quicquam valet; potiùs ego dicerem ab Isaia quatuor Regum Libros in ordinem illum fuisse digestos. Nam primùm eodem penè modo scripta sunt tria capita lib. 4. Reg. 18. 19. & 20. quo quatuor ex Isaiæ vaticinio, nempe 36. 37. 38. 39. Adde quòd, quemadmodum paulò antè obseruauimus, Isaias scripsisse dicitur gesta Oziæ, 2. Paralip. 26. & Ezechiæ, ibidem 20. 32. Quare hoc opus Historiæ sacræ contexendæ ad suum tempus; id est, ad regnum vsque Manasse, Isaiæ ego potiùs, quàm Ieremiæ tribuerem. Sed quando hîc coniecturis agimus, & per vestigia cæca horum Librorum Authorem indagamus, non putarem illum à vero procul aberrare, qui collectorem putaret Ezechiam Regem, aut eo iubente alios, quibus id negotij Rex ipse mandauit. Si verum est quod dicitur, ab eo fuisse in ordinem digesta, quæ inuenit non tam aptè composita, quàm confusè dispersa plurima Scripturæ loca. Sic sanè habemus Prouerb. 25. v. 1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda.* Hunc etiam nonnulli putant Authorem fuisse libri Iudicum, imò apertè & Librorum Regum. Ita sanè Historia Scholastica in præfatione lib. Iudicum, à qua sumpsit Hugo; quæ tamen in Prologo librorum Regum, Collectorem, aut Compactorem illorum dicit Ieremiam. Quòd si demus

11. *Ezechias quid scripserit.*

ab Isaia, vel Ezechia quatuor hosce libros fuisse compactos, cùm hi duo tantùm ad Manasse regnum vitam produxerint; dicendũ est, quicquid ad finem vsque compactum est, ab alio fuisse elaboratum, à Ieremia puta, vel ab Esdra, aut ab alio quouis, de quo nihil est certum.

PROLEGOMENON II.

De horum Librorum Titulo.

12. *Libri Regũ priores cur dicti Samuelis*

HEbræi duos priores Libros nomine Samuelis inscribunt; cur ita fecerint, videndum nobis est. Quidam putant ab Scriptore habuisse nomen; quia vterque à Samuele conscriptus est: sicut à Gad, & Natham, qui nouissima Dauidis tempora scripturæ mandarunt, sui etiam Libri nomen acceperunt, 1. Paralip. cap. vltimo in fine. *Gesta*, inquit, *Dauid Regis priora, & nouissima scripta sunt in Libro Samuelis videntis, & in Libro Nathã Prophetæ, & in volumine Gad videntis.* Hæc tamen sententia facilè suam sibi falsitatem prodit: duo enim Libri non potuerunt à Samuele componi, cùm in Libri primi 25. capite decesserit. Quare nouissima tempora Dauidis duo alij Prophetæ monumentis mandarunt. Dicti autem sunt libri Samuelis, quia in vtroque aliquid est, quod ad Samuelis nomen, opúsque pertineat. Nam in primo agitur de Sacerdote Heli, in cuius ipse societate vixit; & de Saul, quem regno præfecit Israel: in secundo de Dauid, quem ipse vnxit, & abiecto Saule ad regni gubernacula vocauit. Quare in vtroque Libro est aliquid, quod suum sibi Samuel possit agnoscere.

13. *Cur Libri vocati Regum.*

Latini à materia *Libros* appellant *Regum*; quia de Regum gestis, regnorúmque siue administratione, siue conuersione instituti sunt. Septuaginta *Regnorum* vocant *Libros*; quod non probat Hieronymus; quia non de pluribus regnis, sed de vno Israelitico texitur Historia. Et quidem cùm duo posteriores libri de Israelitico populo iam diuiso, in quo duo iam spectabantur regna, loquantur, quibus aptius erat *Regnorum* nomen, Hebraicè non inscribuntur מלכית *Melachoth*: id est, *Regnorum*; sed מלכים *Melachim*: id est, *Regum*.

PROLEGOMENON III.

Quæ tempora Regum Historia complectatur.

14. *Quot annos cõtinet Historia Regũ.*

LIbri hi Regũ res continent gestas duorum Iudicum Israel, Heli videlicet, & Samuelis; & omnium Regum Israel, &

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Iuda ad illud vsque tempus, in quo exciſſa fuit ab hoſte Chaldæo Hieroſolyma, & Templum exuſtum, & Regium nomen in populo Iudaico ad longum tempus prorſus extinctum. Hæc verò hiſtoria ad annos fermè quingentos, & quadraginta porrigitur, quæ incidet, ſi annos Heli à principio numeres, anno mundi 2900. vt putat Tornielus; & finita eſt in Captiuitate populi, quæ in annum incidit ab orbe condito, eodem authore, 3446. Sixtus Senenſis tom. 2. aliter numerat: putat enim duos priores Libros annos complecti centum & viginti, & omnes ſimul 537. Sed modicum eſt diſcrimen.

PROLEGOMENON IV.

De Scriptore, & Titulo Paralipomenon.

15. *Paralipomenon Libri cur ita vocati.*

QVia quatuor Libris Regum, illa, quæ Paralipomena; id eſt, *derelicta*, vocantur, inſerenda ſunt, ne diminuta, ac manca videatur hiſtoria; ideò de illis etiam nonnihil præmittendum eſt. Et primùm de Titulo. Græci Interpretes *Paralipomenon* reddidere, quaſi dicant; in his Libris illa tradi, quæ in Scriptura ſacra fuerunt omiſſa, & quæ digna videbantur, quorum cognitio ad poſterorum memoriam proderetur. Ducitur autem narratio à Geneſi; id eſt, à prima mundi ætate ad euerſum Tẽplum, & Iudaici populi ſtragem, & exilium. A mundi exordio ad cap. vſque 10. id eſt, ad extrema tempora Saulis ducuntur è ſuperiori ſæculo Paralipomena, in quibus nihil fermè eſt aliud, quàm familiarum ſeries, & ab Adamo vſque Abrahamici, atque Iſraelitici generis propagatio, quæ non ita fuerat in ſuperiorum voluminum ordine digeſta. A capite verò 10. quicquid eſt ad finem vſque reliquum, multa repetit, quæ in Libris Regum tradita; multa, quæ omiſſa; & non pauca, magis quàm anteà fuerant, amplificata.

16. *Familiarũ deſcripta progenies*

De his libris ſentio prorſus idem, quod de Libris Regum; fuiſſe videlicet in ſuperioribus etiam ſæculis Verba dierum, Commentarios, Ephemerides, & curam diligentem, & ſedulam, ne obſcuraretur temporũ obliuione, quos quiſque natales, & poſteros haberet. Quod à tempore Moyſis mihi videtur omninò certum; nam ante illud tempus, quo quiſque natus ordine, ac genere, diuina potiùs reuelatione, quàm priuatis familiarũ Commẽtariis credo fuiſſe Moyſi cognitum. Cùm aute ſatis ac curatè & à Moyſe priùs, qui quinque Libros, ſeu Pentateuchum, & ab aliis Scriptoribus, qui Ioſue, ac Iudicum Hiſtoriam texuerũt, omnia ſcripta fuerint, tantùm familiarum ſeries, quæ magna ex parte prætermiſſa fuerat, in illis libris digerenda fuit. Id igitur habemus ad caput vſque decimum.

17. *Vnde ſumpta quæ ſcripta ſunt in Paralipomenis.*

Scriptor itaque ſacer, quicunque fuit, ex illis Commentariis, quos accepit à Moyſe, & ex aliis, in quibus ſingulorum Regum geſta notabantur, excepit, quæ ad rationem temporum, & populi Iſraelitici memoriam conferre videbantur, omiſſis aliis, quæ quia leuiora erant, quàm vt in publicis, æterniſque monumentis ſeruanda viderentur, ſuperioribus Regum Hiſtoriis, quaſi quoddam ſupplementum adiecit. Id autem ex eo apparet veriſimile, quia in libris Paralipomenon ſæpius audimus, cùm ſingulorum Regum abſoluitur Hiſtoria: *Reliqua autem verborum eius ſcripta ſunt in libro Gad, Addo, Iſaiæ*, &c. aut *in Verbis dierum Regum Iſrael, aut Iuda.* Quaſi Compilator, aut Scriptor ille ſacer dicat, ſumpſiſſe ſe aliquid ex Libris illis, ſeu Commentariis Regum; relicta tamen eſſe nonnulla, quæ ex illis Commentariis, qui ad publicam memoriam in tabulariis Regiis ſeruabãtur, depromi poſſint. Et ideò hi Libri vocari videntur דברי הימים: id eſt, *Verba dierum*, ſeu *Diaria*; quia ex Verbis dierum, ſeu Diariis Regum collecti ſunt. Hæc mihi veroſimilia eſſe videntur, neque quicquam video, quod coniecturam meam valde premat; neque deſunt qui ad hanc cogitationem alludant, aut illam indicent, licèt obſcuriùs aliquantò.

18. De Authore, aut Collectore huius ad Regum Hiſtorias Supplementi, ſeu Relictorum, nihil habemus certum. Sixtus Senenſis l. 1. Biblioth. & Ioannes Driedo l. 1. de Scriptoribus Eccleſ. ex ſententia Rabbi Moſes Kimhi, & Rabbi Salomonis, dicunt illorum Librorum Collectorem Eſdram. Et iterùm Sixtus l. 2. verbo *Paralipomenon* ait ab aliis Ieremiam, ab aliis Eſdram Collectorem exiſtimari. Hæc omnia incerta ſunt, neque ex Scriptura grauis aliqua poteſt coniectura ſumi.

IN LIBRVM I. REGVM
COMMENTARII.

1. IN primo Libro, in quo Samuelis, & Saulis gesta, & Dauidis prima tempora continentur, anni numerantur octoginta, si modò huc referas tẽpus, quo Heli Sacerdos, & Iudex præfuit Israëli; quod fieri omninò debet, cùm hoc vno in loco Heli nomen, & quod illius filiis, atque familiæ acciderit, audiatur. Et quia de hoc Israëlis Iudice hic inducitur historicus sermo, non erit abs re breui narratione complecti, quicquid de illius aut genere, aut vita, tum à sacra Scriptura, tum ab aliis authoribus proditum est.

2. Constat inter omnes, Heli Sacerdotem in administranda Republica successisse Samsoni, illamque quadraginta annos fuisse moderatum: & hoc posterius constat ex lib. 1. Reg. cap. 4. v. 18. In eius porro præfectura tam longa quid acciderit præter illa, quæ hoc libro narrantur in principio, nihil habemus certum.

Heli quando, & quandiu Iudex fuit.

Quidam in hoc tempus referunt historiam, de qua Iudic. cap. 21. vbi propter vim allatam à Gabaitis vxori Leuitæ, penè tota Beniaminica tribus extincta est. Alij in hoc tempus coniiciunt Historiam Ruth, quod minùs quidem est improbabile, cùm tempus id admittat non difficile, cùm Ruth auia fuerit Isai, à quo genitus Dauid; quem Samuel, qui Heli Ducatui proximè successit, vnxit in Regem. Quid præterea in tempus inciderit Heli, ex Scriptura sacra neque coniectando sanè suspicari possumus.

3. Obseruat autem Rupertus lib. 4. cap. 10. de victoria Verbi, Heli inter Iudices numeratum non esse, licèt non minùs quadraginta annis populo præfuerit; quia indignus visus est homo iners, & inglorius, qui inter præclaros populi duces locum obtineret. Quare quo tempore iudicauit Israëlem, nullus dicitur habuisse illius tanti Imperij gubernacula. Putat autem, vt apparet, illius præfecturam in illud tempus incurrisse, in quo propter Gabaitarum nefarium, ac crudele facinus, tribus Benjamin ad internecionem penè redacta est. Sub illud enim tempus dicitur: *In diebus illis, non erat Rex in Israël; sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Quotiescúmque enim talia in Scriptura audiuntur verba, quod accidit non rarò, Sacerdotum, ac Iudicum accusatur vecordia. *Idem namque est*, inquit, *ac si dicat: Qui in diebus istis iudicabat Israël, & si secundùm nomen, personámque aliquis erat; secundùm rem, meritúmque nullus erat.* Et aliquantò post: *Cecidit Heli de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis cerucibus mortuus est. Nimirùm cadendo de sella retrorsum, & fractis ceruicibus, moriendo palam fecit, quod neque sedile, nec coronam auream mereretur habere inter iudices alios.*

Sic quidem Rupertus. Sed licet in Imperij 4.
administratione nimis esset Heli dissolutus, & iners; non tamen ideò nomen illius in Iudicum censu prætermissum est. Eodem enim modo quoties in illo libro, quod frequenter accidit, audimus non esse Regem, aut Iudicem in Israel, dicendum esset, fuisse quidem Regem, aut Iudicem, ignauum tamen, quique non tam Iudex posset, aut Rex, quàm Regis inane quoddam simulachrum vocari. Sed planè Iudicum cap. 17. vers. 6. & 18. vers. 1. & 31. & cap. 21. vers. 25. vbi legimus nullum esse Regem in Israël, vt ex ipsa rerum sub eo tempore gestarum narratione non obscurè colligitur, nullus erat Iudex, qui moderaretur populum, & illum in officio contineret. Neque vllus est, qui dubitet, Iudicum tempore fuisse aliquot interregna, ex quibus orta est in annorum numero tanta confusio, cùm magna pars illius sæculi, in quo reipublicæ cura penes Iudices fuit, quia Iudices aliquando non fuerunt, certo aliorum numero notata non est.

At dices, cur Heli nomen in illorum Iudi- 5.
cum censu non inuenitur, quibus summa rerum commissa fuit? Respondeo, non defuisse causam iustam, & grauem, cur Heli nomen in Iudicum libro non legatur. Nam cùm Samuel, qui libros Iudicum scripsit, vt est communior Interpretum opinio, librum quoque Regum primum esset scripturus, non meminit Heli in priori; quia in posteriori statuerat de illius præfectura, ac vita agere copiosiùs. Quia cùm eo tempore inducta fuisset noua Imperij administrandi ratio, sublato Iudicum, & inducto Regum ad illud vsque tempus penè inaudito nomine; necessarium videbatur ostendere, vnde mutationis illius ductum esset exordium. Vnde etiam sese nobis causa prodit, cur cùm Samuel, & Heli ad Regum tempora, atque ordinem non pertineant; in libris tamen, & monumentis Regum inueniantur: neque enim aliter nosse plenè possemus, cur cum noua administrationis forma Regium nomen, & nouum etiam institutum, & leges essent inuentæ.

Heli cur præteritus in libro Iudicum.

Porrò Heli non solùm administrationi pro- 6.
fanæ, ac publicæ, vt Iudex; sed vt Sacerdos summus rei etiam Sacræ, ac Tabernaculo præfectus erat. Fuit autem primus, qui ex familia Ithamar summum iniit Sacerdotium, cùm ad illud vsque tempus, qui ex genere erant Eleazari, Aaroni parenti in Sacerdotio successissent. Ita Iosephus lib. 5. Antiquit. cap. 12. cuius sen-

Heli iudex, & Sacerdos ex familia Ithamar.

tentiæ Interpretum plerique subscribunt. Ita Abulensis in lib. 3. Reg. cap. 2. q. 30. Theodoretus, Historia Scholastica, Angelomus, & communiter alij. Fuit quidem Aaron Sacerdos summus, & omnium primus, qui certo aliquo, atque legitimo ritu consecratus est. Exod. 21. Leuit. 8. Huic succesſit Eleazar, Num. 20. v. 26. & huic Phinees, Numer. 25. cui Dominus perpetuam concessit Sacerdotij gloriam; & reuerà ad tempus vsque Heli; id est, vsque ad exactam Samsonis præfecturam, ex genere Eleazari primogeniti Aaron (illos excipio, qui propter violatas sacrificij leges perierunt, Leuit. cap. 10.)

Sacerdotiũ eur ablatũ familiæ Eleazari.

Cùm autem post aliquot sæcula Eleazari filij sacrum illud munus obirent negligenter, & res diuina illorũ incuria aliquid quotidie detrimenti caperet, translatum est Sacerdotium ad posteros Ithamar, è quorum numero fuit Heli. Sed cùm Heli suum quoque munus minùs tractaret diligenter, quàm tanti negotij grauitas, atque religio postulabat; ablatum est illius quoque posteritati Sacerdotium à Salomone; & expulso Abiathar, qui ad Adoniam, qui regnare pro Dauide parente cupiebat, declinarat, rediit ad Eleazari genus sacra illa, atque suprema dignitas, assumpto Sadoch, qui rediuiuum in sua familia Sacerdotium primus obtinuit.

7. Quæ fuerint Heli peccata, propter quæ tam est seuerè primùm reprehensus, deinde tam grauiter à Domino mulctatus, dicemus suo loco. An verò propterea sit à Deo in æternum damnatus, dubitant Interpretes. Gregorius lib. 2. cap. 3. & Pastor. p. 2. cap. 6. damnatum esse indicat æterno supplicio. Priori loco ait: *Magnus nobis timor incutitur; quia Heli filiorum culpa damnatur, cuius peccata nulla referuntur. Nam bonis subditis benè viuere ad salutem sufficit; prælatis verò propria vita non sufficit. Valde etenim senex est, qui viuere irreprehensibiliter semper studet. Vnde etiam scriptum est: Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Sed quidam bene viuendo præeminent, qui auctoritatem, quam prælatio exigit, nullam habent. Nam & si ad agenda bona excitare subditos satagunt, tamen contraire delinquentes per zelum rectitudinis erubescunt.* Posteriori verò: *Quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc namque diuina voce ei dicitur: Honorasti filios tuos magis, quàm me.* Eucherius: *Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, quòd eos peccantes minùs seuera animaduersione plectebat. Equidem coërcuit, equidem corripuit; sed lenitate, & mansuetudine patris; non seueritate, & authoritate Pontificis. Qua sententia discant Sacerdotes, quomodò filiorum etiam propter scelera puniantur, quique quamuis sancti sint; culpa tamen subditorum eisdem, si non coërceant, imputetur.* Idem penè Beda. *Adde huc, quod hoc idem non obscurè indicat* cap. *licet Heli*, de Simonia: *Licet Heli summus Sacerdos in se bonus existeret; quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam excepit, dum filiis eius in bello peremptis, ipse de sella corruens fractis ceruicibus expirauit. Ad corrigendos igitur subditorum excessus tanto diligentius debet Prælatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas.* Et Augustinus lib. 17. de Ciuitate, cap. 4. eodem modo reprobatum dicit esse Heli, quo Saul. Sed de Saulis damnatione quis dubitat?

An Heli æterna morte damnatus.

Parentes propter filiorum peccata puniũtur.

8. Neque deest aliquod in Scriptura sacra fundamentum, vnde hæc cogitatio aliquid ponderis, & firmitatis assumat. Primum, quia à viro Dei, ipsius Dei nomine, Heli Sacerdoti peccatum obiicitur, quod nullo modo censeri potest non grauissimum; quia multa passus est à filiis patrari contra pietatem, contra religionem, contra quàm & sanctitas Templi, & sacrificales ritus exigebant. Denique, quia non tam curabat, ne Deus esset, violata tam grauiter, & impudenter lege, violatus, quàm ne filiorum animos seuera aliqua reprehensione corrigeret; in quo filiorum maluit, quàm Domini reuereri faciem. Ad quem ita Propheta legatus à Domino locutus est: *Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quàm me?* Quod si verum esset, quod Historia prodit Scholastica, & alij non pauci, vt tradit Abulensis in 1. cap. Ruth q. 2. (quod tamen ego non inuenio) vsurpasse sibi Heli Sacerdotium summum; cùm tamen ad illum non pertineret, cùm ipse tamdiu retinuerit, neque ab illo se tunc forsitan abdicasset, cùm mortuus fuit: certè cùm tradidisset filio suo Phinees, necessariò dicendum esset, decessisse illum in culpa mortali, atque ideò supplicio addictum esse sempiterno. Accedit, quòd cap. 3. vers. 14. æternum aliquod supplicium audimus. Sic enim Dominus ad Samuelem de Heli: *Idcircò iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.*

9. Sed alij plures illum ab æterna vindicant damnatione. Ita Lyra, & Dionysius, quod etiam placuit Serario: quod mihi quoque semper visum est. Quod, vt sentiam, hæ mihi præsertim rationes persuadent. Primùm, quia vt putat hic Theodoretus quæst. 12. & Abulensis in lib. 1. Reg. cap. 4. quæst. 19. vir fuit eximius, & cuius toti Israëlitico populo fuerat explorata probitas. Cùm enim aliquandiu, Samsone vita, & magistratu defuncto, longum intercessisset interregnum; ad illum communi, vt apparet, conspiratione, suprema illa, publicáque potestas delata est; cùm neque ad illum, neque ad ipsius familiam nisi virtutis ergò pertineret; imò cùm ex Leuitica tribu nullus vnquam ad nomen illud, & munus esset aduocatus. Quod idem credo dicendum de Sacerdotio summo, ad quod ille, contra quàm existimasse nonnullos dicit Abulensis, nisi iubente Deo, aut consentiente, & aduocante populo, nunquam aspirasset. Qui nõ videbatur tamdiu futurus Iudex, & Sacerdos, nisi in illo perspecta foret & vitæ probitas, & in administranda re tam publica, quàm sacra, fides, & integritas. Si quid ab illo peccatum est, tunc planè fuit, cùm ad illam ætatem proiectus, in qua neque rem curare sacram, neque publicam posset. Retinuisse autem extremo illo vitæ suæ tempore antiquam pietatem, & modestiam, multa persuadent, quæ loco nuper adducto probat Theodoretus. Primùm, quia vir tantus senili authoritate grauis, Iudex, & Sacerdos; non tamen despicit pueriles voces,

Heli nõ videtur æterna morte damnatus.

&

& admonitiones, licèt ſuſpicaretur, vt apparet, nihil ſe gratum, & optabile, nihil ad voluptatem auditurum. Imò quia Samuelem puerum inſtructum arbitrabatur à Deo, illum ſeuera adiuratione cogit, vt nihil celet eorum, quæ accepiſſet à Domino, paratus videlicet præſtare, quicquid ſibi ab illo per Samuelem foret iniunctum. Cùm verò ſibi, ſuæque familiæ durum accepiſſet vaticinium, neque queritur, neque moleſtum ſibi accidiſſe ſignificat: ſed tantùm dicit à Domini ſe voluntate pendere, cui liberum eſt de ſe, rebuſque omnibus ſuo arbitratu decernere. *Dominus*, inquit, *eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* Quam aliam à Iob, aut à viro ſanctiſſimo vocem expectares? Deinde cap. 5. verſ. 17. cùm audiſſet cæſum fuiſſe Iſraëlem, & filios duos occiſos à Philiſtæis, tulit hoc moderatè: At cùm captam audiuit arcam Teſtamenti, de ſella cecidit præ dolore, vt apparet, exanimatus; quod argumentum eſt nihil habuiſſe pietate, ac religione charius, quæ plus habuit in Pontificis anima ponderis, quàm in parentis pectore filiorum charitas, quos vno tempore ſublatos agnouit.

10. Quæ verò contra hanc cogitationem ab aliis opponuntur, non ſunt vſque adeò grauia, vt cogant in oppoſitum: neque Patres, quorum nos premere videbatur authoritas, ita loquuntur, vt in Heli damnatione, aut reprobatione aliquid ab illis audiamus æternum. Reprobatus enim eſt, ne ipſe, aut ipſius filij ſupremum in iudicando populo locum obtinerent; quod breui accidit, cùm alienus ab illius familia Samuel præfecturam obtinuit; & Sacerdotium non multo pòſt tempore ſub exordium regni Salomonis ad Eleazari familiam reuocatum eſt.

11. *Quæ cauſa excuſet Heli à pœna æterna.* Fuit quidem peccatum non leue; cùm pro Pontificia, aut Iudiciaria poteſtate, atque adeò paterno, ac naturali iure filiorum nimis profuſam intemperantiam frænare debuiſſet. Peccauit ſanè, non quia non doleret violari religionem, & malo filiorum exemplo rem turbari, atque corrumpi publicam; ſed quia minùs fuit in reprehendendo ſtrenuus, & acer. Quod quidem licet probandum non ſit in perſona, & magiſtratu publico; at certè mirandum non eſt, neque inuſitatum in his etiam, quorum vitam, & mores Scriptura ſacra commendat. Admiſit Ammon violata ſorore immane flagitium; non tamen illum corripuit pater, aut non niſi leui reprehenſione, qualem ab Heli audierunt ſcelerati filij, lib. 2. Reg. cap. 13. verſ. 21. *Cùm audiſſet Rex Dauid verba hæc, contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Ammon filij ſui, quoniam diligebat eum.* Video non eandem eſſe in vtroque cauſam; fuit tamen in vtroque ſimilis animi mollicies. Adde, quòd quo tempore à filiis ingentia illa flagitia patrabantur, iam erant ea ætate, vt non facilè à parente iam ſenectute extrema confecto reuocari poſſent ad officium, cùm ætatem parentum iam deficientem, aut decrepitæ proximam neque timere prauo ingenio filij, neque reuereri ſoleant. Quare non alio modo putabat, aut nimium ſimplex, aut parùm ſeuerus bonus ille ſenex filios iam grandes eſſe tractandos. Quod ſi iam aut Iudex, aut Pontifex propter ætatem eſſe deſierat, quod nomen, & munus filij à parente relictum obtinebant, leuior videtur hærere in parente culpa. Sed vtcúmque ſit; neque enim leue videtur eſſe peccatum, quod tam acerbè Deus reprehendit, & punit: certè ſatis habuit otij, vt dolere de peccatis, & viuendi rationem accuſatam à Deo corrigere potuerit. Quod feciſſe maturè, ac diligenter probat; quòd patienter, imò & libenter audiit vir tantus, támque grandis ætate tantillum puerum; & quòd arca in Palæſtinorum poteſtatem adducta propter magnam plagam, quam inde accepiſſe videbatur Hebræorum religio, exanimis cecidit è ſella, & fractis ceruicibus pietatis plenam mortem oppetiit.

12. *Peccator nouos ſibi Deos fingit.* Illud videtur leuitatis, atque proditæ religionis damnare Heli, quod magis filios ſuos, quàm Deum honorare voluerit: id enim illi in peccatis obiicitur. Sed id in quolibet peccato reperitur: dum enim quis, quò ſuæ, vel alienæ voluntati ſeruiat, diuinam legem contemnit, & violat, ſuæ, aut alienæ voluntati potiùs obſequitur, quàm diuinæ; imò tum Deum ſibi conſtituit, quem vero Deo præfert, & opponit. Hic eſt veterum Patrum ſenſus, & frequens dicendi modus. Vnus pro omnibus ſit in præſentia Hieronymus ad illud Pſalm. 80. *Non erit in te Deus recens: Cui Deus*, inquit, *venter eſt, Deus ei recens eſt. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata; tot recentes habemus deos. Iratus ſum, ira mihi Deus eſt. Vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus eſt. Vnuſquiſque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus eſt.* Eodem modo, ſi quiſpiam præcepta Dei contemnit, vt hominis obſequatur imperio, aut vt hominem opibus, aut honoribus augeat, atque nobilitet; ille hominem magis quàm Deum reſpicit, & honorat. Quare nihil hîc nouum obiicitur Heli, quod in aliis peccatis non deprehendatur; maximè cùm quis ſic eſt alterius voluntati, & commodis addictus, vt illius ſtudio, atque libidini omnibus in rebus obſequendum putet.

13. *Heli cur dicatur æternum ſupplicium.* Neque plus vrget, quod cap. 3. dicitur ſcelus illud in æternum expiandum non eſſe: nam præterquàm quòd *æternum*, *ſempiternum*, & ſimilia non ſignificant *ſemper*, quod Scholaſtici ſtatuunt Doctores; id eſt, quod nullis definitur ſpatiis; ſed aliquandò quod diuturnum eſt, & certis ſpatiis vndecumque concluditur: hîc non agitur de ſupplicio, quod vnus ſubiit Sacerdos Heli; ſed quod familiæ toti ipſius impoſitum eſt. *Idcircò*, inquit Dominus, *iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vſque in æternum.* At quis credat domum totam; id eſt, familiam Heli in æternum periiſſe? Quare huius loci hanc opinor germanam eſſe ſententiam; propter iniquitatem Heli, & filiorum eius, ablatum iri ex illorum familia Sacerdotium, & præfecturam Iudiciariam in æternum; id eſt, hæſuram iniquitatem, ſupplicium videlicèt pro iniquitate decretum: id enim valet iniquitas. Et reuerà ita accidit: nam à domo Heli Iudiciaria poteſtas in æternum excidit; & non multò pòſt ſub initium regni Salomonis, depulſo Abiathar, qui ex domo Ithamar, & Heli, poſtremus Sacerdotio ſummo functus eſt, ad domum Eleazari rurſus Pontificiale nomen reuocatum eſt.

14. Quod verò Abulenſis dicit, Authorem Hiſtoriæ

ſtoriæ Scholaſticæ ſentire, vſurpaſſe ſibi Heli Sacerdotium; ego in Hiſtoria illa non inuenio. Sed illud, vtcúmque ſit de illa ſententia, falſum eſſe ipſe docet ibidem Abulenſis; & meritò: Deus enim Sacerdotium ſummum à domo Eleazari tranſtulit ad domum Ithamar, cuius tum Princeps videbatur Heli. Sic enim Dominus ad Heli 1. Reg. cap. 2. verſ. 30. *Loquens loquutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc a me; ſed quicumque honorificauerit me, glorificabo eum.* Et quidem ſi Pontificis locum vi, aut fraude ſibi A vendicaſſet Heli; non credo ſiluiſſet ſacer Hiſtoricus, neque ſublatis eodem die Heli, qui Sacerdotio defunctus fuerat, & Phinees, cui Sacerdotij nomen, & munus pater legitima ſucceſſione tradiderat, Sacerdotium ad tempus vſque Salomonis, & Abiathar in illa domo per annos pluſquàm octuaginta hæſiſſet; toto videlicet tempore, quo Samuel, Saul, & Dauid rem Iſraeliticam cum imperio tenuerunt. Quare non eſt cur ex hoc capite quiſquam exiſtimet Heli in peccato deceſſiſſe mortali, atque ideò pœnis addictum eſſe ſempiternis.

IN CAP. I. LIB. I. REGVM,

ARGVMENTVM.

ELCANA, vir inter Ramatheos nobilis, & diues, duas habuit vxores, alteram fœcundam, Phenennam; alteram ſterilem, Annam, quam amabat plurimum. Cùm autem diebus à lege conſtitutis cum duabus vxoribus de more, religionis gratia, ad Templum aſcendiſſet, dolebat vehementer Anna, quòd plures accepiſſet partes Phenenna pro familia, quam habebat à filiorum turba luculentam; ipſa verò cùm eſſet à prole ſterilis, & vacua, exiguum aliquid acceperat de re communi, cuius animam eam ob rem mœrentem, & abiectam exagitabat æmula quotidiano conuiuio. Ab eo tamen dolore paululum coniugis admonitione beneuola recreata, aſcendit in tabernaculum, vbi tunc Heli Sacerdos, & populi Judex ſacris, & religioni præerat: cúmque oraret feruentiùs toto pectoris, labiorúmque conatu, ebriam putauit; quia in tanto animi ardore, & labiorum motu nullum audiebat verbum. Sed poſtquàm angoris, & motus cauſam nouit, multò quàm anteà mitior illam demiſit, precatus Deum, vt illius vota compleret, largiretúrque prolem, cuius tunc graui deſiderio languebat. Audiuit Deus, probauitque Sacerdotis preces, & Annæ vota; quæ concepit filium; quem quia poſtulaſſet, & accepiſſet à Deo, Samuelem vocauit. Quem poſtquàm remouit ab vberibus, detulit ad Templum, conſecrauitque Domino, ſicut ſe facturam anteà promiſerat.

CAPVT PRIMVM.

1. FVit vir vnus de Ramathaim ſophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus:

2. Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna. Fecrúntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi.

3. Et aſcendebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret & ſacrificaret C Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, ſacerdotes Domini.

4. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, dedítque Phenennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes:

5. Annæ autem dedit partem vnam triB ſtis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluſerat vuluam eius.

6. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quòd Dominus concluſiſſet vuluam eius:

7. Sícque faciebat per ſingulos annos, cùm redeunte tempore aſcenderent ad templum Domini: & ſic prouocabat eam: porrò illa flebat, & non capiebat cibum.

8. Dixit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi ſum, quàm decem filij?

9. Surrexit autem Anna poſtquàm comederat & biberat in Silo. Et Heli ſacerdote ſedente ſuper Sellam ante poſtes templi Domini,

10. Cùm

10. Cùm esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter,

11. Et votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederísque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitiæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.

12. Factum est autem, cùm illa multiplicaret preçes coram Domino, vt Heli obseruaret os eius.

13. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius mouebantur, & vos penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam,

14. Dixítque ei: Vsquequò ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.

15. Respondens Anna, Nequaquam, inquit, domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum, vinúmque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

16. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens.

17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quã rogasti eum.

18. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultúsque illius non sunt ampliùs in diuersa mutati.

19. Et surrexerunt manè, & adorauerunt coram Domino: reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam: & recordatus est eius Dominus.

20. Et factum est post circulum dierũ, concepit Anna, & peperit filium, vocauítque nomen eius Samuel, eò quòd à Domino postulasset eum.

21. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam sollemnem, & votum suum,

22. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.

23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonũ tibi videtur, & mane donec ablactes eum: precórque vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte.

24. Et adduxit eum secum, postquàm ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus:

25. Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.

26. Et ait Anna: Obsecro mi domine, viuit anima tua domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum.

27. Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum.

28. Idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit cõmodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna, & ait.

IN CAPVT I. LIBRI I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim.*

15. *Samuelis genus, & patria.*

VIA in Libro hoc primo multus futurus est de Samuele sermo; ideò iuxta aliarum Historiarum aut legem, aut morem, de illius genere, atque natalibus aliquid præmissum oportuit. Quod ad genus attinet, fuit ex tribu Leui, vt ex lib. 1. Paralip. constat cap. 6. v. 33. vbi illi iidem commemorantur parentes Samuelis, quos hoc loco legimus. Natalis verò locus fuit in Ramathaim Sophim. Sed planè incertum est, vbi sit, aut quæ ciuitas ista, vbi prima Samuelis incunabula. Hebraicè est מן הרמתים *min ha Ramathaim*. Quod optimè conuertit Interpres *de Ramathaim*. Ex quo non constat, an ibi Samuelis parentes habitarint, vel inde certè traherent genus suum, quasi non tam ibi orti, quàm inde oriundi. Ego vtrumque credo: ille enim dicendi modus locum indicat, vbi quis natus, & suum etiam domicilium habet. Sic Dauid lib. 1. Reg. cap. 12. dicitur esse de Bethlehem; sicut etiam Ruth, cap. 1. v. 1. *Elimelech*: quod perinde est, ac si diceretur *Bethlehemites*; quo modo Hispanus, quem Toletanum vocamus, eum esse dicit *de Toledo*. Est autem Ramathaim in duali numero; neque mihi dubium est, quin duæ fuerint eiusdem nominis Ciuitates, quarum quælibet diceretur *Ramah*, quæ excelsum aliquid sonat; quia sita erat in sublimi loco: altera erat in monte Ephraim, vbi fuerunt prima nascentis Samuelis incunabula; altera in tribu Benjamin, per quam existimantur transiisse captiui, cùm è Hierosolyma abducerentur Babylonem. De quibus dixit Ieremias cap. 31. *Vox in Ramah audita est, ploratus*, &c. Cùm autem duæ istæ Ciuitates proximæ essent, dualem sumpserunt terminationem; quasi propter vicinitatem in

Multis ciuitatibus nomen commune cum aliis.

in vnum penè corpus coaluerint. Quomodò duæ Ciuitates aut propter vicinitatem, aut propter similitudinem vocatæ fuerunt Oronaim, cùm illarum quælibet diceretur Oron, vt diximus in nostris Commentariis in Isaiam, ad illud cap. 15. *Et in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Vt autem apud Hispanos oppida non pauca, quia in montium iugis sunt ædificata, à montibus sibi nomen acceperunt; sic etiam Ciuitates, quæ excelsis insedere locis, à situ apud Hebræos *Ramah* vocatæ sunt. Sanè Saligniacus cap. 3. tit. 6. quinque dicit esse Ciuitates, quæ vocantur Ramah.

Ciuitates à situ Ramah nuncupatæ & quot.

16. *Sophim* Hebraicè צופים *speculam* significat; quare nomen adiectiuum esse arbitror; quia duæ illæ Ciuitates, vtpotè in prælato montium fastigio collocatæ, longè, latéque quid in circumfusis locis rerum fieret, speculabantur: aut certè, quia ibi excitatæ fuerant speculatoriæ turres, in quibus vrbium, regionisque custodes, ac vigiles perpetuas agerent excubias. Morabatur autem Elcana Samuelis pater, non in duabus illis ciuitatibus, sed in illarum altera, quod & ipsa rerum natura postulat. Et cap. 1. v. 19. Elcana cum vxoribus rediisse dicitur *in domum suam in Ramatha:* vbi singularis ponitur numerus. Sed cur Historicus sacer dualem adhibuit numerum? Sanè non præter consuetudinem. Est enim vsitatum apud Hebræos, vt pluralis numerus pro vno aliquo illorum adhibeatur, quos pluralis illa terminatio complectitur. Quam regulam tradidit in suis institutionibus Pagninus, lib. 4. cap. 15. Psal. 1. v. 3. *Quod plantatum est secus riuulos aquarum.* (sic enim ille legit:) id est, secus vnum è riuulis. Et Iudicum 12. vbi Vulgatus de Iephte: *Et sepultus est in ciuitate sua Galaad.* Hebraicè est, *in ciuitatibus*; id est, in vna ciuitatum. Plura adducit exempla Pagninus, quæ tu vide; & in illis hoc nostrum de Ramathaim Sophim. Iuxta hæc hunc ego locum sic accipio, habitasse quidem Elcanam in vna duarum ciuitatum, quæ dicebantur Ramah, seu Ramatha, vbi aut vigilum erant custodiæ, aut speculares turres. Sed quia dubium esse poterat, in vtra illarum ciuitatum suum sibi domicilium statuisset Elcana; ideò additum est, *de monte Ephraim,* vt ab illa alia distingueretur, quæ esset in Beniamin; quod potius reor: nam esse alteram Ramah in tribu Benjamin, docet Hieronymus in locis Hebraicis, aut in tribu Iuda: nam tres istæ familiæ communibus se finibus attingebant.

REGVLA. *Pluralis numerus pro singulari cum distributione.*

17. Illud hîc obseruandum, eandem ciuitatem appellari tam Ramah, quàm Ramatha, vt volunt Interpretum plerique. Quod si ita est, facilè intelliguntur, quæ suprà à nobis dicta sunt. Sin autem Ramatha vrbem dicamus esse diuersam, dicamus etiam necesse est, duas esse eodem notatas nomine ciuitates, quæ situ distinguantur; quarũ quæ in monte visitur Ephraim, natale fuit solum Samuelis. Hanc porrò Ramatha quidam illam esse putant ciuitatẽ, quæ extremis Hebraicæ reipublicæ temporibus appellata fuit Arimathia, cuius ciuis fuit ille Iosephus, qui Christum Dominum è cruce refixit.

18. Hæc porrò Ciuitas Sacerdotalis esse videtur; aliter in ea non habitasset Elcana, qui ex familia Leuitica propagatus fuit. Leuitas autem nullum habuisse funiculum, seu sortem in terra promissionis; sed esse familiis aliis vndecim permixtam, res est nota, & constat ex Num. cap. 35. v. 2. & Iosue 21. Quare quidam non benè colligunt, Ephraimitam esse genere Samuelem; quia in

Ramath Ciuitas Sacerdotalis.

A Ephraimitico solo natus est; in quibus est Gregorius. Dicitur autem Elcana Ephratæus; id est, Ephraimita, non quòd genus ducat ex Ephraim; nam esse ex tribu Leui aperte dicitur lib. 1. Paral. cap. 6. v. 33. sed quia in ciuitate, quæ in tribu Ephraim pro Leuitis assignata fuit, natus, & educatus est: quomodò in Actis Apostolicis sæpè Iudæi appellantur Græci, Cretes, Arabes, &c. ea tantùm de causa, quia in Græcia, Arabia, Creta, suum sibi domicilium habuerunt. Ephratæum porrò eundem esse, qui Ephraimita, satis docet Septuaginta translatio, quæ pro *Ephratæo, Ephrem* posuit, sicut proximè dixerat, *de monte Ephrem.* Et clarius Iudicum 12. vbi ad vada Iordanis, qui ex tribu erant Ephraim, seditionémque

B mouerant contra Iephte, rogabantur, an essent Ephratæi; id est, Ephraimitæ.

Sæpe homines à ciuitatibus alienis vbi habitant, nomen accipiunt.

Vers. 12. *Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna.*] Quomodò superioribus sæculis permissa fuerit polygamia, diximus pluribus in nostris Commentariis super Cantica; & probant sanctorum virorum exempla, vt Abraham, Iacob, Dauid; qui nunquam multis se coniugiis implicuissent, nisi id foret à lege permissum. Est autem satis verisimile, ideò Elcanam accepisse Phenennam, secundariam nimirùm, & quasi proletariam vxorem; quia Annam, quæ mater erat familias, & instar Reginæ,

19. *Polygamia aliquando licita.*

C iam longo vsu sterilem esse cognouerat. Quare sicut Abraham, vxore non inuita, cui iam desierant fieri muliebria, Agar superinduxit ancillam, quæ quòd filium concepisset Ismaelem, dominam suam Saram, eò quòd infæcundam haberet vuluam, despicatui habuit: Sic etiam Elcana Phenennam duxit, non tam familiæ, reique domesticæ, quàm tori sociam, quia ex Anna parentem se fore non sperabat. De hac vxorum multitudine disputare longiùs, non est Interpretis negotium; consulendi sunt Scholastici in 4. d. 33. vbi omnes penè licitam olim fuisse polygamiam affirmant, vbi illorum plurimi diuinam dispensationem agnoscunt. Quæstionem hac de

D re hoc loco Abulensis informat; illum tu vide.

Vers. 3. *Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituũ in Silo.*] Tria tempora constituta erant, quæ pietatis ergo Israeliticum genus ex suis domibus ad templum aduocabant. In quibus Deus sic peregrinantium rebus, & commodis cõsulebat, sic desertas domos, & vrbes tuebatur, vt nunquam magis essent ab hoste securæ, quàm cùm abeuntibus viris ab omni humano præsidio desertæ videbantur. Quod vt Deus promisit, sic etiam tribus illis festis religiosum, & obsequentem populum ab omni periculo præstitit incolumem. Sic autem Deus Exod. 34. *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Dei Israël. Cùm enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Tria verò festa numerantur Deuter. 16. v. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: In solemnitate Azymorum; & in solemnitate Hebdomadarum* (hoc est, Pentecoste) *& in solemnitate Tabernaculorum.*

20.

Singularis Dei prouidentia in populum obedientem.

Illis ergo diebus à lege constitutis vir religiosus, ac pius Elcana sic obibat templum sedulò, atque constanter, vt nullum intermitteret diem à lege constitutum. Id enim significat ille dicendi modus Hebræis familiaris, pro quo vulgatus reddi

21.

reddidit, *ſtatutis diebus*. Sic autem ibi Hebraicè A
מימים ימימה *miamim iamimah*: id eſt, de die in
diem, diebus nempe ſingulis, nullo videlicet o-
miſſo. Quod facere poterat non difficilè, cùm à
monte Ephraim, vbi erat Ramatha, non procul
abeſſet Silo, vbi tunc erat arca. An verò tempo-
ribus aliis ſuam ſecum adduxerit familiam, non
conſtat; hoc tamen tẽpore, de quo nobis Com-
mentatio præſens, dubitandum non eſt, cùm a-
pertè id habeamus à textu, qui docet Elcanam
cum duabus vxoribus, ac filiis, filiabúſque ſtetiſ-
ſe ad Tabernaculum, & ibi de more ſumpſiſſe ci-
bos. Quod itẽ fecit ſecundò, vt habes ſtatim v. 21.

22. Dicitur autẽ *aſcendiſſe* Elcana in Silo, vbi tunc
erat Tabernaculum; cum tamen potiùs *deſcen-*
diſſe dicere debuerit; cùm Ramah, ſeu Ramatha B
iuxta ſui nominis notationem in loco ſita ſit ſu-
blimi, vnde latè in regiones alias patet proſpe-
ctus. Vel quia Silo, quò tum progreſſum Elca-
na moliebatur, locus erat excelſus, & multò ma-
gis quàm Ramatha: & hoc mihi certius. Sic Ha-
drichomius in deſcriptione Tribus Ephraim,
num. 93. *Silo*, inquit, *mons altiſſimus eſt omnium in*
circuitu Ieruſalem; atque adeò ſupereminet vniuerſis
terræ Sanctæ montibus. Aut quia verbum tam *aſcen-*
Deſcendo, & aſcendo idem quod venio. *do*, quàm *deſcendo*, ex proprietate ſermonis He-
braici, idem eſt quod *venio*; vt docuimus in no-
ſtris Commentariis in Ieremiam ad illud cap. 22.
Deſcende in domum Regis Iuda.

23. Fuit porrò Tabernaculum cum Arca in Silo,
quæ ad ſortem Ephraimitidem pertinebat à tem- C
pore Ioſue, qui cùm eſſet Ephraimita, in Ephrai-
mitide terra eximium illud ſacrarium eſſe vo-
luit, vſque ad tempus Heli, quando capta fuit à
Philiſtæis Arca; per annos fermè trecentos ſe-
xaginta. Quomodò verò inde tranſlata, & quan-
diu in aliis locis hæſerit, antequàm ſedem in Sa-
lomonis templo ſtabilem haberet, alio in loco
commodiùs adducemus.

24. Aſcendebat autem ad Tabernaculum Elcana,
neque apparere voluit vacuus in conſpectu Do-
mini; quod multis locis Deus ipſe præceperat.
Quare ſic adorare voluit, vt etiam manus ſacri-
ficiis, ac donis oneratas attulerit. Neque hoc fa-
ciebat vir ille religioſus, & prudens ſine cauſa:
nam cùm aliquid à Deo impetrare ſtuderet, pru- D
dentis putabat eſſe conſilij afferre aliquid, ſeu
Orationem eleemoſyna iuuat. referre potiùs Deo, quod ab eius accepiſſet li-
berali manu. Extat ea de re Chryſoſtomi ho-
milia 1. in ſecundum ad Timoth. grauis exhor-
tatio. *Non apparebis*, inquit ex Exod. 28. *coram*
Domino vacuus. Iudæis iſta dicebantur, quanto ma-
gis nobis? Idcircò namque pauperes ante fores ſtant,
vt nemo vacuus ingrediatur, vt miſericordia comite
ſecurus introeat. Intras, vt miſericordiam conſequa-
ris, prior ipſe miſerere: qui autem poſterior venit, am-
plius dabat. Nam cùm cœpimus nos, ſecundus am-
plius ponit. Fac tibi debitorem Deum, & ita demum
illum exige.

25. *Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees*
Sacerdotes Domini.] De horum Sacerdotum cor-
ruptiſſimis moribus, vitáque in omnem impu- E
dentiam, væſaniamque proiecta dicemus ſuo lo-
co commodiùs. Cur verò nunc ante ſuum tem-
pus nominentur, ea videtur eſſe ratio, vt magis
appareat Elcanæ conſtans, fideliſque religio,
cum duorum Sacerdotum inurbana, atque inue-
recunda intemperie, quæ plurimos à Templo,
réque ſacrificali deterrebat, non modò non ſit
ab eo, quod lege cautum erat, depulſus: ſed
etiam aliquid adderet ſponte, ad quod religio-
ne, ac lege nulla ratione cogebatur. Maſculos
tantùm religio diebus certis ad Templum aduo-
cabat; ſed eo tempore, quo minùs ſanctè ſancta
tractabantur, vxores ſecum, & filias, & ex ſua fa-
milia plures adducebat: & cùm ſciret quid in
ſacrificiis, & victimis impuri illi, atque ſceleſti
Sacerdotes auderent; ipſe tamen nihilò quàm
anteà minùs ſacrificabat.

Quæret hîc non nemo, cur cùm hi duo non 26.
tam religionis cuſtodes, & ſacrorum antiſtites,
quàm omnis ſanctitatis hoſtes, & peſtes, vocen-
tur tamen Sacerdotes Dei, quaſi diuina curarent
religioſè, ac piè; cùm tamen poſteà dicantur fi-
lij Belial; id eſt, qui legis iugum aut ſubierunt
nunquam, aut cùm admiſiſſent aliquando, è ſuis
ceruicibus excuſſerunt. Reſpondet Gregorius, *Sacerdotes*
Sacerdotes ab illis diis ſibi nomen aſſumere, *vnde nomen*
quibus religioſum exhibent cultum, & obſe- *aſſumant.*
quium; quomodò apud Gentiles Flamines Dia-
les illi vocantur, qui Ioui; Cereales, qui Cere-
ri; Salij, qui Herculi; Corybantes, qui Cybele
ſacrificant. Sic Sacerdotes dicuntur Bel, Danie-
lis cap. vltimo: Baal, 4. Reg. 11. v. 18. Dagon, 1.
Reg. 5. v. 5. Melchon, Ieremiæ cap. 49. Chamos,
idem cap. 48. Ad hunc ergo modum duo hi filij
Heli, licèt profligatæ vitæ peſſimo exemplo, non
tam religionem, & cultum veri Dei alant, & fo-
ueant, quàm euertant, & reuera filij vocentur
Belial: dicuntur tamen Dei Sacerdotes; quia
Templum obeunt, vbi verus colitur Deus, & ad
illius aram vtcumque ſacrificant. *Cùm dicuntur* C
Sacerdotes Domini, ait Gregorius, *per inſignia fidei à*
ſimulacrorum cultoribus diſcernuntur. His enim ver-
bis eorum fides, & non vita prædicatur: quia & prau-
itatem exercebant operis; ſed non errabant in fide cõ-
ditoris. Idem penè Abulenſis in hoc cap. q. 10.

Verſ. 4. *Venit ergo dies, & immolauit Elcana, de-* 27.
ditque Phenennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius, & fi-
liabus. partes.] Quis ſit iſte dies, non conſtat; fuit
autem vnus ex illis tribus, in quibus lex vnde-
cunque maſculos ad Tabernaculum aduocabat.
Immolauit autem Elcana de more, & ex eo, quod
ad offerentem ex ſacrificali ritu pertinebat, par-
tes inter vxores, & filios, quique ex illius fami-
lia cenſebantur, diſtribuit. Cùm verò ſoboles, &
quaſi familia Phenennæ eſſet copioſa, neceſſe D
erat, vt magnam victimarum partẽ pro capitum
numero ſibi vendicaret; ad Annam verò vna
pars è multis mittebatur: quæ res, cùm æmulæ
præterea ſuæ contemptus accederet, magno illi
dolori, atque pudori fuit.

Hîc nobis aliquid accuratiùs obſeruandum. 28.
Primùm, hanc victimam, quam immolaſſe dici-
tur Elcana, non fuiſſe holocauſtum: quia hoc to-
tum Deo conſecratur, & debetur; Vnde etiam
fit, vt totum ab igne conſumatur: neque pro
peccato; quia illam totam ſibi ex lege Sacerdo-
tes aſſumunt. Fuit ergo hoſtia pacifica, cuius bo-
na pars ad offerentem poſt immolationem redi-
bat; Deus enim ex illa victima vendicabat adi-
pem; Sacerdos armum, & pectuſculum; quicquid
erat reliquum, in vſum, & cibum cedebat offerẽ- E
tium. Vide Leuit. cap. 3. & cap. 7. & Abulẽſem hîc
q. 11. Ad partem porrò ſuam, qui ſponteam, &
pacificam victimam offerebat, non ſolùm fami-
liares, & domeſticos, ſed etiam alios, quoſcunque
vellet, aduocare poterat. Ita habes Deuter. cap. 12.
v. 12. & cap. 16. v. 12. *Oblationem ſponteam manus*
tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui,
& epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, & filius tuus,
& filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, &c. *in loco,*

quem

quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Hinc constat, quomodò Elcana cum familia tota, immolatis victimis; spontaneis videlicet, atque pacificis, vesci potuerit, idque in loco sacro.

29. Deinde explorandum, quid partium significetur nomine, quas vxoribus suis, ac filiis largitus est Elcana. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis super lib. Regum, ait, in partibus vestes intelligi; nempe puras, quales & Tabernaculi maiestas, & Sacrificiorum religio postulabat. Quanta porrò mundities sacrificantes, aut sacris quoquomodo operantes deceret, diximus in nostris Commentariis in Ezechielem ad illud cap. 44. *Et non accingentur in sudore.* Quod etiam obseruasse in re sacrificali Gentiles, docet multis Alexander Neapolitanus, & apud illum Tiraquelus, lib.4. Genial. cap.17. Sed est communis illa sententia, quæ hîc in partibus portionem intelligit, quam singulis ex immolata pacifica victima tribuebat Elcana illius tantæ familiæ pater, & dominus. Neque hic vsus rarus tam apud sacros, quàm apud profanos Scriptores. De profanis est illud Suetonij de Caligula: *Qua epulatione equiti Romano contra se hilarius, auidiúsque vescenti partes suas misit.* Apud sacros *pars* in ea significatione sæpiùs occurrit. Psal. 10. *Ignis, & sulfur, spiritus procellarum pars calicis eorum.* Esdræ 2. cap.8. *Comedite pinguia, & bibite mulsum; & mittite partes his, qui non præparauerunt sibi.*

30. Vers.5. *Annæ autem dedit partem vnam, tristis quia Annam diligebat.*] Vbi vulgatus *tristis*, Hebraicè est אפים *apaiim.* Quæ vox *facies*, aut *furores*, seu *tristitias* valet. Sed quia in homine facies est pars omnium honestissima, fit, opinor, vt pars, seu portio, quæ data est Annæ, esset omnium electissima, atque optima. Sic sanè mercatores, quod optimum est, atque speciosissimum in mercibus, coram statuunt, vt emptorũ capiat oculos; quod dici posset *mercimonium facierum*; quia mercium est quasi quædam facies, & illarum prima commendatio. Sic sanè reddidere Rabbi Dauid, qui partem vocat *honorabilem*; & Chaldæus, qui *electam.*

31. Alij, qui in אפים, *furorem*, & *tristitiam* intelligunt, datam esse partem vnam dicunt ab Elcana, tristi, quia tristem videbat Annam, quam diligebat, neque datis pluribus partibus, sicut Phenennæ, illius poterat angorem leuare. Quæ explicatio nostro placuit Interpreti, quæ omninò aliis præferenda est. Quòd verò *ira*, quod præcipuè sonat אפים, sumatur pro *tristitia*, sicut contrà sæpè *tristitia* pro *iracundia*, res est satis nota. Neque alio fortasse sensu dixit Ionas cap. 4. se meritò vehementer irasci, cùm hedera, ex qua sibi paratum viderat vmbraculum, exaruit. Quem Ionæ affectum statim Dominus explicuit, cùm dixit: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti*, &c.

32. Hieronymus, aut quicumque est author Traditionum Hebraicarum, datam esse dicit Annæ duplicem portionem in illo conuiuio, quia illam diligebat, & ideò in epularum distributione illam reliquis prælatam, & liberaliùs acceptam esse voluit. Quod ex nomine אפים, sumpsisse potuit fundamentum, quod formam habet numeri dualis. Quasi dicas, dedit illi portionem duarum facierum, vel duas facies portionis; ad vtrumque etenim sensum patet textus Hebraicus; *facies* porrò idem interdum valet, quod res, cuius est facies. Vnde sæpè audimus, *faciem gladij, faciem frigoris, faciem arcus*, pro gladio, frigore, arcu. Quare pars, seu portio duarum facierum, seu duæ facies portionis, idem erunt quod portiones duæ, aut vna duplex, quæ duarum instar habeat, & pondus. Simile aliquid fecisse dicitur Ioseph, Gen.44.v.34. vbi pars in epulis data Benjamin quincuplo dicitur esse maior partibus, quas à Iosepho reliqui fratres acceperunt.

Dominus autem concluserat vuluam eius.] Hic loquendi modus in Scriptura sacra frequens est, quo significatur infæcundæ vuluæ dura necessitas. Sic de se Sara, Genes.16. *Concluſit me Dominus, ne parerem.* Et Gen.22. *Orante Abraham sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt; concluserat enim Deus omnem vuluam domus Abimelech.* Quæ loquendi forma omninò indicat vim omnem fœcunditatis à Deo prouenire, qui clauem secum habet naturæ, quæ infœcunda est, & rerum omnium egena, cùm claudit; quando verò aperit, rebus omnibus ad humana commodà necessariis abundat. Clausa videtur rigente hyeme agrorum vulua, & in terræ visceribus extincta, aut compressa fœcunditas; cùm tamen ineunte verè cœlum intepuit, aperit Dominus terræ vuluam, & vbera, atque felici partu mundum exhilarat, atque implet. Vnde ortum est, vt terra in illo hyemali statu clausa, aut certè tempus aperiri dicatur. Vide in hanc sententiam plura in nostris Commentariis super Isaiam, ad illud cap.45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Hanc Dei in natura moderanda potentiam explicuit optimè sub eadem metaphora Chrysostomus, homil.38. super Genesim ad illa verba Saræ, de quibus nuper: *Ecce concluſit me Dominus, ne parerem. Vide prudentem animam, inquit, quomodò nihil asperum loquitur, nec suam deplorat sterilitatem; sed solùm hoc nobis declarare vult, quod naturæ Domino, & opifici hoc adscribens, fortiter, & leniter ferat, malens quod Deo placebat, quàm quod ipsa concupiscebat: & hoc vnum spectans, vt virum soletur. Quoniam, inquit, Dominus me concluſit, vt ne parerem. Quanta huius verbi emphasis est, quàm ineffabilem ostendit Dei potentiam, & prouidentiam? Quasi diceret: Sicut nos aperimus, & claudimus domos; ita & Dominus in natura operatur, & suo præcepto claudit: & iterùm quando vult, aperit, & iubet naturam, quod suum est, operari.*

Ventris fœcunditas à Deo.

Deus natura Dominus.

Vers.6. *Affligebat quoque eam æmula eius.*] Accedebat ad dolorem ex diuturna sterilitate conceptum, æmulæ hoc ipsum exprobrantis iniuria. Quod fuisse assiduum, & penè familiare conuitium, ex hoc loco non obscurè liquet, sicut etiam singulis annis vtramque vxorem cum familia tota ad tabernaculum ascendisse. Vbi hoc habebat Phenenna promptum, & quasi legitimum opprobrium, quo lacesseret Annam, quòd infœcunda esset, & ad humanum genus prorsus inutilis. Sumebat autem occasionem ex partibus, quas ex immolatis hostiis ipsa pro se, ac liberis copiosas acceperat; cùm tamen ad Annam, vtpotè solitariam, pars vna tantùm peruenisset. Quam ignominiam, & maximè ab æmula toties iteratam, cùm fœmina honesta, & nobilis sustinere non posset, secum ipsa tacitè concoquebat, & interdum apertè prodebat lacrymando.

Vers.7. *Et non capiebat cibum.*] Fortè id accidit, quoties statutis à lege temporibus ad Tabernaculum tota Elcanæ domus ascendebat; quia eadem erat aliis etiam diebus causa, quæ lacrymas excuteret, & ciborum omnium non solùm fastidium, sed odium moueret; cùm ex magnis victimis, lautisque mensis vix ad se pars admodùm

dùm exigua pertineret. Sed credo, vtcúmque de reliquo tempore consideres, hîc tantùm agi de extrema profectione, quam exors sobolis Anna, & ignominiæ plena in Tabernaculum instituit; quod suadent non difficilè ea, quæ proximè sequuntur.

36. *Bonus coniux magnũ coniugis bonum.*

Vers.8. *Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?*] Cõsolatur Elcana vxorem ea ratione, quæ vulgò hominum existimatur grauissima. Illa enim fœmina fortunata creditur, quæ virum habet honestum, & nobilem, sui amantem, & quocum illi benè conuenit; qualis sine dubio fuit Elcana. Et quemadmodùm ille infortunatus existimatur, & solus, qui patre orbatus est; licèt rebus aliis, & commodis abundet: sic etiam illa, quæ licèt egregia sit nobilitata sobole: à viro tamen; id est, ab altera sui parte spoliata est. Quare miseri, & qui aliorum iniuriis sunt expositi, viduarum, aut orphanorum nomine significantur. Hinc argumentum sumit Elcana, vt probet non esse, cur se viuente, ac sospite, tantoperè se filiorum desiderio conficiat, cui pro mille filiis quamcumque operam, atque officium præstabit.

Hebræorũ opinio, De filiis Phenennæ.

Tradunt Hebræi, vt refert hîc Lyra, decem ex Phenenna natos esse filios, quibus in circuitu mensæ illius genialis sic erat circundata, sicut oliua succrescentium nouellarum sylua circumfunditur. Cùm verò Anna instar aridi ligni se ipsam videret à prole vacuam, suam non solùm tacitè; sed etiam apertè vicem lamentabatur. Ait ergo Elcana iuxta hãc Hebræorum traditionem, meliorem esse se decem filiis, quos Phenenna genuerat; neque tam vsui futuros Phenennæ decem filios, aut etiam Annæ, si totidem esset enixa, quã ipse, qui vxorem amabat valdè, & de illius commoditate, ac vsu non minùs laborabat, quàm si numerosam ex illa prolem suscepisset. Sed dicendum est omninò, hîc decem ex frequenti Scripturæ consuetudine sumi pro multis; neque alium esse sensum, quàm virum apud vxorem multorum filiorum instar obtinere.

37. Vers. 9. *Surrexit autem Anna, postquàm comederat, & biberat in Silo.*] Obsecuta est Anna coniugis voluntati, ac monitis, cui in summo etiam dolore, ciborumque fastidio, repugnare scelus arbitrabatur. Comedit autem in Silo, in domo vicina; aut certè non longè ab ostio Tabernaculi. Nam, vt habes Deuter. cap.16. & cap.22. spontaneæ, seu pacificæ victimæ, quales immolasse existimatur Elcana, in conspectu Domini sumebantur. Surrexit ergo è conuiuij loco, postquàm viri suasu modicum aliquid, vt est verisimile, gustauerat, vt orationis gratia ad Tabernaculum accederet.

38. *Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini.*] Heli summus erat Sacerdos, tum præterea Iudex in Israel, qui sacra, profanaque curaret, & tam de sacris, quàm publicis aliis controuersiis responderet. Quare locum elegit publicum, & communem, in quem frequens erat hominum concursus, vt cum minori populi molestia & adiri posset, & consulentium studiis, ac dubiis satisfacere. Sedebat autem ante ipsius Tabernaculi postes; nempe in vestibulo, vbi Iudiciarius erat thronus, aut Pontificia sella, quæ vltrò ingredientibus Tabernaculum Pontificem offerret.

39. Vers.11. *Et votum vouit dicens, Domine exercituum.*] Magnum orationi suæ pondus addiderat Anna, dum ad preces addidit lacrymas; sed addit multò grauius, dum non tam orat, quod suo, quàm quod ipsius Dei futurum sit vsui consecratum: si enim prolem à Deo masculam acceperit, illam se sacro ministerio consecraturam esse promittit; ita vt non tam in paterna domo parentis votis, quàm in Templo diuinæ voluntati seruiat. Est autem honesta postulatio, quæ id orat, quod in largitoris gloriam, & obsequium conuertendum est totum.

Dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.] Nullus hîc de fœminea sobole sermo, vel oratio; non quia talem Anna non admitteret, cùm vehementer horreret infœcundæ nomen; sed quia de voto, & consecratione fœtus cogitabat. Fœmina autem apta non erat Templi ministerio; licèt in Nazaræis numerari posset, vt Numer. cap.6. constat. Sed maius aliquid cogitabat Anna, quod præstari non posset à fœmineo sexu. Erat quidem Leuita Samuel, atque ideò addictus erat Templi ministerio, vt Sacerdoti nauaret illam operam, quam à Leuitis exigebat Hebræorum religio. Sed aliquid addit Annæ votum, idque non leue, supra Leuitarum onus, & officium. Primum, quia cùm Leuitis cessationem aliquando lex ipsa concederet à Templi ministeriis; votum tamen Annæ æterno Samuelem alligabat officio. Certè, vt habes Numer. c. 4.v.2. Leuitæ ante trigesimum ætatis annum non cogebantur interesse Templo; & anno ætatis quinquagesimo vacationem ab illo siue onere, siue munere obtinebant à lege. *Tolle*, inquit, *summã filiorum Caath de medio Leuitarum per domos, & familias suas à tricesimo anno, & supra, vsque ad quinquagesimum annum omnium, qui ingrediuntur, vt stent & ministrent in Tabernaculo fœderis.* Et rursus cap. 8. v.24. *Hæc est lex Leuitarum, à viginti quinque annis, & supra, ingredientur, vt ministrent in Tabernaculo fœderis; cumque quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt.* Vbi lex legi videtur aduersari: capite enim 4. annus designatur trigesimus, in quo Leuites suum in Templo ministerium aggreditur; hîc verò vigesimus quintus. Conciliat hæc duo Abulensis in proximum locum, ex Numer.8. q.24. vsque ad q.31. & docet, q. 24. anno ætatis suæ vigesimoquinto consecrari Leuitas, vt opus docerentur Leuiticum, illique assuefierent; anno verò trigesimo incipere datum sibi à lege munus obire. Qua de re pluribus disputare non est nostrarum partium.

40. *Leuitarum munus, & ætas illorum ministerijs idonea.*

41. *Quid præcipuũ in Nazaræorum instituto.*

Vouit præterea Anna, si natus sibi nasceretur, futurum esse Nazaræum; id enim valet illud: *Nouacula non ascendet super caput eius.* Cùm autem Nazaræatus votum perpetuum esse posset, & ad aliquod tempus definitum, vt liquet Numer. c. 6. perpetuo voto quicquid natum esset, mater obstrinxit. Perpetuo item voto obligatus est Samson, Iud. 13. quem altera Anna parùm ante hoc tempus ex sterili iam fœcunda concepit. De Nazaræorum instituto nihil hîc dico; quia paucis multa coarctari non possunt. Illud erat præcipuum, ne vnquam capillos è capite tonderent, quorum erat insigne quasi legitimum prolixa cæsaries: deinde vt à vino, & ab eo, quod inebriare potest, quandiu duraret votum, abstinerent. Hæc autem leuia non sunt, cùm cæsaries caput non modicè grauet, & dolores afferat interdum non exiguos. Sanè Absalon auream cæsariem, quam habebat speciosam, cùm studiosus esset elegantiæ, vltra annum sustinere non poterat. De quo 2. Reg. 14. *Semel in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries.* Abstinere autem ab eo

quod vitis generat, non est omnibus, neque omninò iucundum.

42. Multa Chrysostomus variis locis de Annæ virtute, atque constantia meditatur, quæ nos breuiter suis quæque locis attingemus. Primum tom. 4. homil. 24. in epist. ad Ephes. & tom. 5. homil. 79. ad Populum, vbi eadem penè verba repetit. Supponit autem omnes, qui ex Elcanæ familia accubuere mensæ, alios aliò peracto conuiuio fuisse dilapsos; alios ad somnum, ad nugas alios, alios ad alia animorum oblectamenta: idque fortasse habuit in codice, quem tunc è Septuaginta translatione nactus est. Sic autem ille homil. 24. ad Ephesios: *Surgebant, inquit, omnes de mensa* (inquit, nempè Scriptura) *& illa confestim non ad somnum conuersa est, non ad quietem.* Deinde cùm agit de voto, liberalem illius, & ingenuum animum agnoscit, & amplificat. *Si dederis*, inquit, *mihi filium, dabo illum donum Domino omni tempore. Non dixit, vnum duntaxat, aut alterum annum, quemadmodum nos solemus: neque dixit: Si dederis mihi puerum, dabo pecunias; sed ipsum donum totum retribuam, primogenitum, & orationis filium. Ipsa erat Abrahæ filia, ille postquàm petitus erat, filium suum dedit: ista verò ante petitionem dedit.*

Oblatio qualis.

43. Vers. 13. *Labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur.*] Limphatici, aut ebrij est, aut eius qui aliquid patitur à Pithone, & Fauno, corporis, & oris maximè gesticulatione, ac motu significare animi fanaticos, atque impotentes motus sine vllo vocis dearticulatæ, atque rationalis sono. Quare non sine aliquo fundamento coniectabat Heli aliquid Annam à vino pati, quam sic videbat intrinsecus agitari, vt acres motus, & indecoros gestus cohibere non posset. Sed longè aliter de labiorum motu, linguæque silentio iudicabat Chrysostomus, hom. 2. de Anna tom. 1. *Illa*, inquit, *potissima est deprecatio, cùm ab intimis voces sursum feruntur; hoc præcipuè mentis est exercitatæ, non intensione vocis, sed animi feruore precationem absoluere. Sic orauit & Moses; cui, cùm nihil voce resonaret, Deus tamen; Quid, inquit, clamas ad me? Homines quidem externam hanc vocem tantùm audiunt; at Deus & ante hanc intùs inclamantes audit. Itaque fieri potest, vt etiam, qui non clamant, audiantur, vt per forum ambulans quis oret accuratissimè, vt in conseßu amicorum, aliorum quiduis aliud agens vehementi clamore inuocet Deum.*

44. Libet huc adducere quoddam huiusmodi orationis mutæ, quia intùs in animo formatur, & admodum canoræ, quia ad cælum vsque iucundè resonat, accommodatum symbolum. Quod habemus perbellum in cicada, quæ vt tradit Plinius lib. 11. cap. 26. vna ex omnibus animantibus os non habet, quare & pectore canit, & eodem ex cælesti rore haurit alimentum. *Vnum hoc*, inquit, *ex his, quæ viuunt, sine ore est. Pro eo quiddam aculeatum linguis simile, & hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipsum fistulosum; hoc canunt.* Præclara hæc effigies spiritualis oratoris, cuius clamor non tam est ab ore, quàm ab animo, eò maximè tempore, cùm vrit grauis aliquis æstus, siue doloris, siue desiderij, siue illorū motuum, quibus nescit, aut nequit mens durè fatigata resistere. Cantant autē cicadæ æstiuo tempore, sub meridiem, quando torrentur agri æstu maiori. Vnde cicadæ cantus pro meridiano tempore, aut pro calore maximè feruente adhiberi solet. Sic sanè Virgilius eclog. 2.

At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

Et lib. 3. Georg.

Cicada vere atque ardentis orationis symbolum.

Inde vbi quarta sitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Hæ verò & canendi studio, & calore meridiano, 45. in ipsa cantandi contentione aliquando rumpuntur. Habes in Testamento veteri duas cicadas, quæ cantant non tam ore vocali, quàm pectore vehementer æstuanti; quibus si minùs cantandi contentio pertinax spiritum adimit; non tamen pro mystici illarum cantus pretio mori, vt opinor recusarent; Moysem videlicet, quem, cùm illius vox non audiretur, loquentem tamen Deus audiebat. Ad quem Deus Exod. 14. v. 15. *Quid clamas ad me?* Et Annam hoc loco. Habemus cicadam aliam in Testamento nouo, Paulum videlicet, quem Ecclesiæ organum, & cicadam appellat Chrysostomus, tom. 5. homilia de turture. Quia licèt tuba esset Euangelica, & non minùs, quàm Apostolorum quiuis, vocem haberet canoram, & assiduam, cicada tamen appellatur, quia vocem illam non tam formabat halitus à pulmonibus per fauces emissus, quàm Spiritus ille diuinus, qui in ipsius visceribus habitabat. Quare vox illa expressa potiùs dici potuit ab animo, quàm à lingua; & vt cicada, cùm grauior est æstus, cantando rumpitur, & perit; sic etiam Paulus, dum solitum meditatur canticum, vitam amisit, imò postquàm extremum exhalauit spiritum, alio spiritu, quo sæpiùs loquebatur, ter ingeminauit dulcissimum, & augustissimum Iesu nomen.

Moysis, & Pauli viua & ardens oratio.

Vers. 14. *Æstimauit ergo eam Heli temulentam,* 46. *dixitque ei: Vsquequò ebria eris.*] Ex motu illo labiorum sine aliquo rationali sono, & oris mutatione multiplici, aliquid à vino passam esse Annam existimabat Heli. Quare illam à crapula teneri suspicatus, grauiter illam eo nomine reprehendit, & iubet (vt verisimile est, & meditatur Chrysostomus homilia de fide Annæ) vt excedat ab eo Tabernaculi loco, vbi consederat, & vinum quod immoderatè hauserat, edormiscat. Putat autem Philo lib. de temulentia non longè post medium, & Chrysostomus tom. 1. hom. 2. de fide Annæ, & homil. 15. in Acta, non ab Heli exprobratam esse crapulam Annæ; sed illius nomine, atque mandato à seruulo; quia fortasse Heli à Pontificis, Iudicisque persona alienum putabat cum temulenta fœmina habere sermonem. Et hoc ipsum habet Septuaginta translatio in omnibus fermè codicibus; habes certè in Sixtianis: *Et dixit ei puer Heli.* Vbi Chrysostomus magnum ab Annæ modestia ad perferenda conuitia documentum agnoscit. Cùm enim nullum graue dedisset ebrietatis indicium, vnde Sacerdos, aut quilibet alius illam largiùs bibisse prudenter coniectaret; ebrietatis tamen intemperantiam obiicit, & imperiosè iubet, vt excedat è templo. *Vnde*, inquit, *suspicari potuit Sacerdos? Neque enim ridentem vidit, neque saltantem, neque vertigine concidentem: non audiuit vllum verbum obscœnum, aut illiberale sonantem.* Quare iniuriosa erat, & illiberalis illa reprehensio. Sed illa nihil respondet immoderatum, & asperum, aut contra Pontificem, à quo sciebat se puerum illud manasse conuitium; neque contra puerum, cuius ætati, ac conditioni nullam videbat reuerentiam deberi; aut quia non tam illud conuitium à puero, quàm ab eius domino profectum agnouerat; aut quia iam assueta ab æmula sua non dissimiles audire contumelias; aut certè quia illum fructum, si modò vera, parit oratio, vt nemo ad eiusmodi assultus maneat ignauus, & inermis. Sed illud pro Religiosis 47. præclarum est documentum, non spectandum, à

Anna mira patientia.

Patientia orationis fructus.

quo

Obedientia seu correctio non consideranda per quem, sed à quo profecta.

quo proximè correctio prodeat, nimirùm ab homine; sed à quo primùm,& à cuius imperio;nempe à Deo. Stultè nimis faceret Anna,si Pontificis immemor fæuiret in seruulum, per quem Pontifex loquebatur, & Iudex Israel: neque minùs esset stultus subditus, si odium conciperet in Prælatum, à quo ignauiæ, aut violatæ religionis arguitur; cùm id non tam suo faciat, quàm diuino nomine. *Si sacerdos,* inquit, *fuisset conuitiatus, non erat perinde miranda tolerantia, propterea quod dignitatis magnitudo,ac magistratus authoritas vel inuitam illam compulisset ad modestiam. Nunc verò vel aduersus Sacerdotis puerum indignata non est,quo magis sibi conciliauit Deū.* Hæc iuxta Septuaginta translationem. Sed est longè probabilius, magisque ad lectionem vulgatam, & Hebraicos codices; non à seruo, sed ab ipso Sacerdote Annæ exprobratam esse vinolentiam.

48. *Ebrietas in fœmina turpissima.*

Ebrietas in fœmina fœda est turpitudo. Ita Chrysostomus in Matth. hom.16. & homil.71.ad Populum: *Quid,* inquit, *ebria turpius muliere? quantò namque vas est imbecillius, tanto maius est naufragium.*Et Hieronymus in Regula sanctimonialium ad Eustochium cap.36. ebrietatem in fœmina sacrilegium appellat. Hinc multis locis vini vsus interdictus fœminis. Sanè id seuerè cautũ apud Romanos docet Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Plinius lib. 14. cap.13. optimè Aulus Gellius lib. 10.cap.23.vbi docet,non leuiùs in fœmina temulentiam, aut etiam vini vsum, quàm adulterium puniri. Vide ea de re plura apud Tiraquelum de legibus Cõnubialibus lib.9.n.54. & Alexandrum lib.3. Genial. cap.11. Et quidem eam ob causam inducta est consuetudo apud Romanos, vt docet Plinius lib. 14. cap.13.& Atheneus lib.10. ex Polybio,vt propinqui oscularentur fœminas, vt eo modo commodiùs explorarent, an temetum olerẽt. An Hebræis fœminis aliquid esset à lege præscriptum,seu etiam à consuetudine introductum, incertum est.

Interdictum vinum fœminis Romanis.

49. *Hebræis fœminis non interdictum vinum.*

Ego non puto fœminas in illo populo ab vsu vini fuisse repulsas. Quod ex eo colligere posse non incommode videor; quia Numer. cap. 6. v. 3. id viro, atque mulieri indicitur, si Nazaræorum votum emiserint, vt abstineant à vino; quod quidem otiosè fœminis foret iniunctum, si illis esset hoc à lege priùs, aut à consuetudine prohibitum. Et Iudic. 13. v.4. dixit Angelus ad matrem Samsonis:*Caue ne bibas vinum,aut siceram, quia concipies, & paries filium,cuius non tanget caput nouacula;erit enim Nazaræus.*Quod nisi vinum fœminis à lege foret, vel consuetudine permissum, non erat cur Angelus commendaret abstinentiã à vino.Neque Heli Sacerdos, & Iudex tam egissset in Annam, quam ebriam existimabat,clementer, si contrà cautum esset à lege, & supplicium indictum. Sanè Paulus ad Titum cap. 2. v.3. fœminis non adimit vinum; sed illius vsum moderatur, & temperat. *Non multo,* inquit, *vino seruientes.*

50. Vers. 15. *Respondens Anna; Nequaquam,inquit, Domine mi: nam mulier infœlix nimis ego sum.*] Responderet alia post reprehensionem illam,quę nõ poterat esse nõ molesta,cùm exprobraret id,quod tam est fœminis indecorũ,longè duriùs, si non se priùs contra huiusmodi assultus oratione, & lacrymis muniisset; dicerétque, vt in homilia de fide Annæ meditatur Chrysostomus, quod plerique solent homines: *Itane Sacerdos? itane qui alios docet, temulentiam, ac vinolentiam mihi exprobrat? Sed dominum appellat, & modestè cri-*

A *men à se ebrietatis depellit.* Vbi Vulgatus, *infelix*, Hebraicè est קשת רוח *kesath ruach*: id est, *mulier duri*, siue *amari spiritus.* Quæ vox ad illa omnia patet, quæ spiritum contrahunt, & contristant: quare quæ sterilis est, & ideò dolet; quam aliorum intemperies, & contumelia vexat, aut quæcumque alia causa angustè, aut inclementer afficit, spiritum dicitur habere durum, & amarum. Et sanè Latinus, quæ aduersa sunt, & studiis, votisque contraria, dura vocat; Vulgatus *infelix* reddidit, quæ etiam vox plura votis, studiisque contraria significat. *Infelix* autem vocari potuit Anna, quiá infœcunda; quod Hebrææ fœminæ maximum putabatur esse conuitium; quòd contumeliis à Phenenna B vexata; quòd eo nomine non à domesticis solùm, sed etiam ab alienis contempta. Et verò felix appellatur illa, quæ filiis abundat; quo modo Roma à Marone lib. 6. Æneid. *Felix prole virũm* appellatur. Et Lia cùm aucta esset filiis ex ancilla susceptis, alterum vocauit Gad, quod *felix*; alterum Asser, quod *beatum* significat. De priori dixit Lia *feliciter*, de posteriori; *Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres.*

Miſera, & vilis existimata mulier infœcunda.

Sed effudi animam meam in conspectu Domini.] 51. Anima Hebraicè נפש *nephes*, multa significat. Primùm desiderium, & hac ratione effudit Anna animam suam; quia quicquid habebat in votis, Domino proposuit, quod cùm ex animo proditet grauiter affecto, externam etiam faciem variè commouit, & multipliciter finxit. Quia verò oratio desiderij est quidam nuncius, & index, fit per metonymiam, vt anima sumatur pro oratione. Psal. 87. v. 15. vbi Vulgatus: *Vt quid Domine repellis orationem meam?* Hebraicè est נפשי *naphsi.*

Oratio quasi ex halitu animæ.

Abulensis quandam hìc explicationem adduc- 52.
cit, opportunam quidem ad mores; minùs tamen, vt opinor, ad literam. Quid enim fecerit, aut orarit, significauit ipsa priùs non obscurè, cùm votum emisit, & eripi sibi petiit sterilitatis opprobrium. Sumit enim hìc *animam* pro ira, & *effundere animam* idem esse putat, quod conceptum animo virus acerbitatis euomere. D Illum autem furorem conceptum in æmulam maluit coram Deo, quàm coram aduersaria sibi fœmina profundere, ne illi noceret amaro spiritu, & voce magis acri, ac libera, quàm deceret, & iurgia suscitaret, turbarétque domum, cuius paci consulere debuit prudens materfamilias. Quod documentum sanè optimum est, cùm feruet ira, neque homo satis est compos sui. Tunc enim satius est, furorem suum, & quid meditetur,quò rapiat præceps animi impetus,Deo proponere; & maximè eo articulo, vbi efferuescente ira nullum à seipso homo sanum potest sperare consilium, quàm in hostem euomere, quod lacessitus, & amarus cogitat, aut optat spiritus. Ex quo id consequitur homo, quem spiritus ille E violentus exagitat; vt, euacuato animo coram Deo,nihil habeat in pectore veneni,quod in hostem effundat; & vt emisso non suo tempore furoris aculeo, cum ipso pariter animam amittat. Quod accidere apibus, dum aculeum exerunt, & aliis infigunt, tradit Plinius lib. 11. cap. 18. & Seneca lib.1.de clementia cap.19. *Vtinam,* inquit, *eadem homini lex esset, quæ apibus, & ira cum telo frangeretur, nec sæpius liceret nocere, quàm semel; facilè enim lassaretur furor, si per se sibi satis faceret, & mortis periculo si vim suam effunderet.*

Optimũ in furore remedium.

Non possunt autem, vt ait Aristoteles, aculeum infigere, nisi cum illo ipsa quoque viscera elidant, & effundant.

53. Sed adde tu iuxta hanc Abulensis cogitationem, effundendam esse animam coram Christo crucifixo, maximè cum pro iis, à quibus actus erat in crucem, parentem orauit; tunc enim nisi mentem prorsus abiecisti, nihil tibi furoris erit reliquum, quod in hostem effundas. Ex Dei conspectu, vbi animam suam effuderat Anna, vox illa primùm erupit, quæ Dominum suum illum appellat, à quo fuerat tam graui exagitata conuitio; cùm non solùm, quod optimè suprà Chrysostomus notauit, non inuenerit iniuriarum leuamentum aliquod, sed grauiorem ibi contumeliã acceperit. Est enim grauius à summo Sacerdote, & Iudice vinolentam, quàm à muliere sibi non æqua infœcundam vocari. *Hîc*, inquit, *licet huius mulieris philosophiam perspicere: domi exprobrabat æmula, venit in Templum, & Sacerdotis puer afficit illam contumelia, & increpat ipse Sacerdos. Effugerat domesticam tempestatem, venit in portum, & rursus inuenit vndas: venit acceptura medicamentum, & vulnus exasperatum est.* Sed in illa tam graui contumelia Sacerdotem *dominum* appellat, & postquàm illi Sacerdos os occlusit, illius obsecuta est imperio, ab oratione destitit, & excessit è Templo.

54. Filius Belialquis. Vers. 16. *Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial.*] *Belial* idem valet quod sine iugo; iugum autem pro lege, vel imperio sumi res est valdè nota: vnde seruo dicitur iugum imponi, & ille dicitur iugum excutere, qui imperium detrectat, & qui suo potiùs vult arbitratu, quàm alieno viuere. Quare ille dicitur *filius*, aut *filia Belial*, qui legem abiecit, & pudorem, qui aliquibus est prò lege, quique nolentes interdum in officio continet. Talis est, qui neque Deum timet, neque homines reueretur, qui lasciuientis naturæ motibus seruit, qui vino immoderatiùs indulget, qui sibimetipsi imperauit nullam habendam esse rationem honestatis, quò voluptates, aut commoda, quæ captat, assequatur. Ieremiæ. De hoc est illud Ieremiæ cap. 2. v. 25. *A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti; Non seruiam.*

55. Ebrietas mentem, & pudorem excutit. Vers. 17. *Tunc Heli ait, vade in pace.*] Ebrietas modestiæ est, & rationi contraria, quare in ebriis nihil sani est, nihil ingenui, nihil quod sit cum officio, pudoreque coniunctum. Quocircà cùm Anna, licèt verbis lacessita, quæ illius pudorem, & ingenium non illiberale non decerent; responderet tamen modestè, neque contrà quàm Pontificia dignitas exigebat; facilè sibi persuasit Pontifex, satis Annam sobriam esse, & fœminei pudoris non immemorem. Ita ferè Gregorius in hunc locum, & Chrysostomus, homilia sæpiùs citata. Quare qui accusator anteà fuerat, iam se patronum profitetur; cui, vsitata Hebræorum forma, & benè precatur, & à se cum bona gratia dimittit. Cùm autem apud Hebræos pax bonorum omnium cumulum significet, cum pace illum, cui benè cupimus, excipimus, aut aggredimur, dicendo, *Pax tibi*; aut cum pace dimittimus, cùm illi precamur fausta, & notis prosequimur abeuntem cum hac amica precatione: *Vade in pace.* Exempla sunt obuia.

56. Vers. 18. *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.*] Locus iste variè à variis exponitur; sed duas tantùm explicationes adducam. Altera est Theodoreti, Abulensis, Hugonis, Vatabli, Dionysij, Caietani, & penè communis. Orarat proximè Sacerdos pro Anna, cùm dixit: *Deus Israel det tibi petitionem tuam.* Quam vocem excepit Anna læta, & cum gratiarum actione: & cùm multa, vt par erat, poneret in oratione Pontificis, optat, & orat illum, vt sui in familiari precatione meminerit. Vtinam, inquit, abs te hanc ineam gratiam, vt meam gratiam tuis precibus commendatam esse velis. Aliter Chrysostomus, qui hoc esse putat Annæ desiderium, vt ex euentu Sacerdos intelligat, illam oris mutationem non tam ex ebrietate quàm ex animi angore, & prolis casto desiderio proueniisse. Ebriorum enim irrationales, & vacuę à sana mente preces exitum fœlicem obtinere nõ solent. Sic autem eo loco Chrysostomus: *Inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis; id est, vtinam è fine, rerumque exitu discas, quòd hanc obsecrationem, deprecationemque fecerim, non ex vinolentia, sed ex angore.*

57. *Vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati.*] Pro affectuum varietate multiplici, multiplex esse solet vultus mutatio. Cùm Anna, vt est verisimile, aduersus Phenennæ iniurias succenseret, illius vultus aut inflammabat furor, aut distorquebat dolor; deinde cùm in se sterilitatis vitium agnosceret, demittebat vultum; quod faciunt illi, quos ignominiæ pudet. At ex illa oratione sic prodiit affecta, vt illam neque æmulæ, aut domesticorum iniuriæ ita commouerent, vt furoris in facie signum ostenderet; neque dolor, & pudor ex prolis desiderio conceptus vultus demitteret. Egressa quippe fuit è tabernaculo spei plena, & animo ad omnia perferenda alacri, ac prompto; qui orationis fructus aut præcipuus est, aut inter præcipuos numeratur. Atque ideò quæ amaro priùs animo ad oblatas epulas nauseabat, aut certè illas præfractè respuebat, iam vltrò poscit. Denique quod in morosis ingeniis detestamur, non alios, atque alios in singulas horas vultus assumpsit, neque labiorum ille motus, qui videri fanaticus poterat, vsquam apparuit.

58. Vers. 19. *Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam.*] Modestè Scriptura exprimit coniugalem operam, quod facit sæpè in explicandis illis, quæ propriis notata vocabulis, pudicis auribus aliquid obiicerent tetrum, & obscænum.

59. *Et recordatus est eius Dominus.*] Loquitur Scriptura iuxta hominum morem, qui tunc aliquem oblitum esse putant, cùm nullum apparet memoris animi signum, aut officium. Qualis iuxta hominum sensum videri poterat Deus, cùm post tot annos non abstulisset ab Anna sterilitatis opprobrium. Dicitur autem in præsentia recordatus, quia tunc primùm ex congressu maritali concepit. Illud autem *eius* ad Annam referendum est, non ad Elcanam, quia affixum pronomen generis est fœminei. Hîc porrò Theodoretus duo in hac Annæ conceptione considerat; alterum est, hoc opus esse Dei; alterum, plurimùm ad rem coniugalem, prolisque successum Pontificiam benedictionem conferre. Ex quo maximè apparet benedictionum nuptialium, quibus Ecclesia nouos coniuges de more prosequitur, vis, & commendatio. *Agricolæ*, inquit, *est proprium semina deiicere, Dei autem deiecta perficere. Ita matrimonij quidem est propria coniunctio: Dei autem est proprium annuere naturæ, vt effingat, & formet animal. Hoc cùm apertè sciret Anna (nam cùm longo tempore cum viro habitasset, fructum non produxit) confugit ad opificem, & intensa oratione & lacrymis mutilatã curauit matricem, & clausam aperuit.* Et paulò pòst: *Pontificalem assecuta est benedictionem. Audiuit enim;*

Nuptialis benedictio quàm vtilis coniugatis.

Vade

Vade in pace; Dominus Deus Israel det tibi omnem petitionem tuam, quam ab ipsò petiisti. Cum tanta autem fide audiit benedictionem, vt omnem abiecerit tristitiam, & cum fiducia ad virum accesserit, & conceperit.

60. Vers. 20. *Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium.*] Quidam primo concubitu cõcepisse putant Annam; alij post aliquod tempus, de quo non constat, cùm *dierum circulum* audiamus, non numerum. Et hoc postremum tenent Interpretum plerique. Docet hoc loco Abulensis, Annam non statim à reditu post coniugale commercium grauidatam esse; sed aliquot pòst diebus, postquàm dari cœpit opera rei maritali. *Neque enim Deus*, inquit, *quanquam illius annuisset precibus, conceptionis tempus definiuit, sicut fecit Saræ*, Genes. cap. 18. de qua dictum est ab Angelis Abrahæ: *Iuxta conditum reuertar hoc eodem tempore vita comite ad te, & habebit filium Sara.* Et l. 4. Reg. cap. 4. eadem penè verba audiuit ab Elisæo Sunamitis, quæ benignum Prophetæ præbuerat hospitium.

61. Ego ad primum concubitum arbitror in Annę vulua conceptum fuisse nobilem illum fœtum; neque enim credo orationis tam inflammatæ, atque anxiæ dilatum esse fructum. Neque modus ille loquendi huic cogitationi quicquam incommodat: *circulus* enim *dierum* non significat, vt apparet, necessariò aliquos dies à primo congressu fuisse transactos; sed præteriisse legitimum aliquod tempus, intra quod rei vxoriæ operam dari, aut lex, aut consuetudo non permitteret. Quale fortasse fuit, quod proximè ab adito Tabernaculo, seu immolatis victimis cõsecutum est. Fuisse autem aliquot dies positos in Silo, in quibus orationi tam ab Anna, quàm ab illius coniuge vacatum est, mihi difficile non est; eo verò tempore quis dubitat à coniugali congressu fuisse cessatum? Sanè Paulus 1. Cor. 7. v. 5. abstinendum monet ab vsu matrimonij orationis tempore: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Quare ex quo tempore egressi sunt domo duo illi coniuges religiosi, ac pij, donec eòdem sunt reuersi, abstinuerunt omninò ab vsu coniugali; quod circulus dierum; id est, legitimus numerus vocari potuit. Eo verò transacto circulo, qui ex profectione, ac reditu, & mora, quæ posita est in Tabernaculo, constat, ad primũ,

62. vt opinor, concubitum concepit Anna. Et hoc mihi certius est. Nisi mauis tunc dictam esse concepisse, cùm conceptionis aliquod signum deprehensum est; qualia multa natura ipsa præbet, & ipsæ norunt fœtæ. Ex vsu porrò Scripturæ, vt sæpiùs à nobis obseruatum est, tunc aliquid fieri dicitur, quando factum esse cognoscitur. Id verò docet exemplum omninò simile 2. Reg. c. 19. v. 5. Rediit domum Bersabee concepto fœtu, quòd ipsa, cùm è domo Regia discessit, ignorabat: pòst verò se ex certo signo concepisse cognouit; idque Dauidi renunciari iussit; idque eo modo, quasi tunc primùm ab illo concepisset: *Reuersa est in domum suam concepto fœtu; mittensque nunciauit Dauid, & ait; Concepi.* Quod si ita est, minus habet difficultatis nostra sententia; circulus enim dierum ille est, quem in formando, atque edendo fœtu natura desiderat; nempe quadraginta dies, donec formetur in vtero puer, & cesset menstruus sanguis; & nouem menses ad partum. De quo numero consulendi sunt medici, qui non eodem omnes modo quæstionem definiunt. Nobis satis est nosse à concubitu, & receptione seminis ad conceptionis cognitionem esse dierum circulum à natura descriptum; id est, legitimum numerum; & alium etiam circulum ad partum, qui nouem absoluitur mẽsibus. Quare sensus est: Post circulum dierum à natura definitum cognouit Anna se concepisse, quia videlicet formato iam fœtu desiere menstrua; aut quia visus est in vtero moueri fœtus. Et post dierum circulum, nouem peractis mensibus, enixa est. Hæc mihi explicatio difficilis non est; in priorem tamen pronior est animus.

Quo tempore ab vsu coniugali vacari solitum.

REGVLA. *Tũc aliquid factum dicitur, cùm factũ cognoscitur.*

Vocauitque nomen eius Samuel.] Nomina in Scriptura, vt plerumque aliquid significant, sic etiam certam habere solent, & accommodatam illi, cui nomen illud imponitur, notationẽ. Sic Iacobus à lucta, Isaac à risu, & aliis aliis de causis inditũ nomen. Quia verò Samuel postulatus est à Deo, ideò conueniens illi datum est nomen, vt Scriptor sacer confestim exposuit. Sed si rationem nominis exactè consideres, Samuel non propriè significat *postulatum à Deo*, cùm à verbo שאל *Saal*, à quo deriuatum indicat sacer textus, in Samuelis nomine vnum tantum elementum appareat. Sed reuerà *Samuelis* nomen filium illum à Deo fuisse datum, & quasi à Deo parente generatum significat; quia filius orationis fuit, quæ magis Annam sterilem anteà, quàm Elcanæ maritalis opera fœcundam reddidit: atque ideò Samuel non tam Elcanam, quàm Deum appellare potuit parentem. *Postulatum* autem *à Deo*, idem est hoc loco, quod concessum à Deo ea figura, qua antecedens pro consequenti ponitur; petitio videlicet pro concessione.

63. *Samuel cur ita vocatus.*

Samuel non tam Elcanæ quã Dei filius.

Cùm igitur hoc ipsum vellet Anna insui filij nomine omnibus esse notum, vt quoties Samuelis nomen audiret, diuinum in illo beneficium agnosceret, quasi Deus illius pueri genitor foret, nomen imposuit, quod Dei esse filium, aut à Deo datum sua notatione portenderet. Significat ergo *Samuel*, vt exponit Hieronymus de locis Hebraicis in lib. 1. Reg. 1. *nomen eius Deus*: Quod item affirmant plures alij, Gregorius, Angelomus, Glossa interlinearis, Pagninus, Rabanus. Alij, *positus à Deo*, vel *dedit illum Deus*. Lyra in lib. differentiarum, *nomen eius à Deo*. Quare non tam ethymon nominis, quàm rationem, cur tale nomen puer habuerit, reddidit Anna. Neque enim Samuel dictus est à שאל *saal*: quod *postulare* sonat; sed vel à שם *sem*: quod est *nomen*, & אל *Deus*; quasi nomen habeat Dei, vel à Deo fuerit nominatus. Vel à verbo שם *sam*; id est, *pono*; quod verius puto, quia illum posuit in rerum natura, & quasi genuit Deus, cùm fœcundam reddidit Annæ vluam, cui ad generandum natura vim fœcunditatis abstulerat. Vel *nomen eius à Deo*, quia Deus illi nomen imposuit, quod filiis parentes ex antiqua Gentium consuetudine communiter imponunt. Hoc ergo nomen filio, quem à Deo mater postularat, quemque Deus maternis precibus, & voto concesserat, accommodatum esse existimauit, vt oblatum beneficium nunquam excideret è grata memoria; & Samuel quoties suum audiret nomen, debere se Deo recordaretur, quòd esset, & viueret, & libentiùs Nazaræi status molestias sustineret.

64. *Diuinorum beneficiorũ non deponẽda memoria.*

Domini & parentes nomen imponunt filiis, & seruis.

Vt Samuel se filiũ Dei agnosceret.

Vers. 21. *Vt immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum.*] Ascendit, opinor, Elcana exacto anno, postquàm contigerunt, quæ nunc à nobis exposita sunt. Quod si superiora illa in vltima trium solemnitatum contigere (nam tribus solemnitatibus cum tota familia ascendere soli-

65.

tum ad Tabernaculum Elcanam ſtatim in principio capitis audiuimus) ante expletum annum natus eſt Samuel. Et quidem quando profectionem moliebatur Elcana, iam Anna lactabat infantem, & ſic erat à puerperij languore confirmata, vt ipſa quoque proficiſci potuerit; alioquin non petiiſſet à viro facultatem remanendi domi. Dixit enim: *Non vadam, donec ablactetur infans.* Ex quo apparet illud eſſe verum, quod antè coniectabamus, peracto peregrinationis circulo, ad primum concubitum conceptum eſſe Samuelem.

66. Aſcendit Elcana vt hoſtias immolaret ſolemnes, quia certis anni diebus immolantur, ſiue ex lege, ſiue ex conſuetudine. Atque ideò textus Hebraicus habet *hoſtiam dierum*; qualis nimirùm ſtatutis à lege diebus immolari ſolet. Ad quam homines religioſi, ac pij aliquid conferunt, vt ſuis ſumptibus aut rem ſacram promoueant, aut templum collata pecunia, aut oblatis victimis liberent ab impendio. Habebat præterea Elcana votum; qua de re conceptum, non conſtat, veri tamen ſimile eſt, commune cum Anna votum nuncupaſſe; nempè ſi ex illa prolem ſuſcepiſſet, allaturum ſe ad Tabernaculum donum aliquod, aut victimam ex earum numero, quæ in ſacrificiis pacificis numerantur.

67. *Infantes quot annis lactari ſoliti.*

Verſ. 22. *Donec ablactetur infans.*] Triennio plerumque apud Hebræos lactabatur infans, vt indicat mater illa, quæ lib. 2. Machab. cap. 7. ſic eſt moriturum pro patria religione filium allocuta: *Te in vtero nouē menſibus portaui, & lac triennio dedi.* Videtur autem ex illius regionis conſuetudine locuta, in qua ad tertium vſque annum lactatio producitur; ſicut etiam nouem menſium meminit, quibus fœtus in vtero materno geſtatur. Illud verò tempus lactandis pueris idoneum eſſe docet ex Galeno Valeſius cap. 83. ſacræ Philoſophiæ. Tantum verò temporis lactandis infantibus definitur, *de conuerſione coniugat.* tit. 33. cap. 2. vbi præcipitur, *vti poſt trienniū ab infideli matre eripiatur filius, & fidelis patris curæ commendetur.*

68. *Ablactationis quot modi.*

Cùm autem ætas hæc infantilis mollis videretur, & tenera, neque à matris ſinu, atque complexu ſeparanda, quidam metaphoricas quaſdam ablactationes excogitarunt. Ablactatio propria eſt, quæ à nutricis vberibus infantem depellit, quæ exacto triennio fit: alia, quæ anno ſeptimo iam adultum infantem à pædagogo liberat: alia quæ, cùm ad decimum, vel duodecimum annum ventum eſt, tutorem à puero remouet. De his vide Lyram, Hugonem, Hiſtoriam Scholaſticam. Dicunt igitur hi nullum hîc eſſe ſermonem de triennali; id eſt, de propria ablactatione: quia durum videbatur, ætatem illam infantilem, & teneram à matris indulgentia depellere; & puer tunc tantulus moleſtiæ plus eſſet Sacerdoti, quàm vſui. Veruntamen alij, & meo iudicio verè, triennalem puerum oblatum eſſe putant, neque ab eo tempore ad paternam domum, aut maternum complexum rediiſſe.

Samuel triennis oblatus Templo.

69. Et quidem vbi nihil occurrit abſurdi, maximè in hiſtoria, ſignificatio propria deſerenda non eſt. Nequè ablactationis nomen (quod ego viderim) ad illum vſum, quem alij excogitarunt, vnquam eſt auditum. Hoc non obſcurè docet textus ipſe; nam quæ hîc vocatur *ablactatio*, verſ. 23. *remotio* dicitur *à lacte. Manſit ergo mulier, & lactauit filium, donec amoueret eum à lacte.* Hæc autem omnia ab Anna fiunt, non ab Elcana; eadem enim quæ lactauit, ablactaſſe dicitur infantem: at aliæ ablactationes metaphoricæ paternæ ſunt, non maternæ ſedulitatis, & operæ. Et v. 24. puer cùm offerretur in domo Domini, *infantulus* dicitur, quæ vox tenerrimam illam ætatem ſonat. Hùius ſententiæ ſunt Chryſoſtomus, tom. 1. hom. 3. de fide Annæ, paulò ante medium: *Adduxit, ac reliquit* (Anna Samuelem) *nec puer à mamma diuulſus moleſtè tulit, cùm ſciatis quam ſoleant indignari pueri, quoties à lacte depelluntur.* Et non longè poſt: *Prima ſtatim pueritia à mamma matris venit ad mammā ſpiritualem.* Theodoretus q. 5. ſecutus Septuaginta, hoc ipſum fatetur. Nam cùm Septuaginta, vbi Vulgatus legit v. 24. *in vitulis tribus*, ipſi habent, *in vitulo trienni: Cùm primùm*, inquit, *ablactaſſet, obtulit eum Deo, & cum eo vitulum ei tempore æqualem*; trimum videlicet, quia trimus etiam vitulus erat. Idem tenent Dionyſius, & Serarius, & indicat Abulenſis ad illud: *Puer autem adhuc erat infantulus.* Vbi docet, oblatum eſſe puerum, vt primùm ablactatus eſt, cùm nondum duos annos, & dimidium impleſſet.

70. *In templo conſtituti qui de infantibus conſecratis curarent.*

Quod verò alios adduxit, vt ablactationes excogitarent metaphoricas, non admodùm premit hanc ſententiam. Nam cùm alij, vt eſt veriſimile, non pauci ab infantia forent conſecrati (nec enim hoc Anna ſine exemplo videtur feciſſe) cautum erat à Sacerdotibus, vt aliqui eſſent in Tabernaculo, qui teneram illam ætatem epulis alerent opportunis, & de illorum tam valetudine, quàm educatione, atque inſtitutione curarent. Sanè difficiliùs erat puellam trimulam, quàm trimulū puerum, ab vbere materno tunc primùm auulſam, à matris ſinu, atque indulgentia diſtrahere. Atqui hoc accidiſſe B. Virgini, & pluribus aliis, vt eſt non improbabile, docent communiter antiqui Patres. Euodius epiſt. ad Antiochenos, Nicephorus lib. 2. c. 3. & l. 1. c. 7. Germanus Archiepiſcopus Cōſtantinopolitanus, Georgius Cedrenus in compendio hiſtor. Hieronymus in hiſtor. de ortu virginis. *Cùm trium annorum*, inquit, *circulus volueretur, & ablactationis tempus completum eſſet, ad templum Domini virginem cum oblationibus adduxerunt.* Vide Caniſium l. 1. Marial. c. 12. & Chriſtophorum Caſtrum in hiſtoria Deiparæ c. 3. vbi hac de re pluribus.

Maria oblata in Tẽplo.

71. *Hebræorum fabula de Samuele.*

Verſ. 23. *Precorque, vt impleat Dominus verbum ſuum.*] Non apparet quodnam ſit illud verbum, aut illa Dei promiſſio, quam nunc optat Elcana impleri à Deo. Nam ſi Deus Annæ filium promiſit, cùm oraret in Tabernaculo, & coram Domino ſpiritum effunderet; aut certè per Sacerdotem ſummum, cùm dixit; *vade in pace, & Deus Iſrael det tibi petitionem tuam*, iam illud Deus orto Samuele compleuerat. Quare non apparet, quò ſpectet Elcanæ votum, & oratio. Hebræi, vt referunt hoc loco Abulenſis, & Lyra, vt aliquid dicant, vt ſolent ad popularem plauſum, aliquid hîc ſomniāt cerebro ſuo non indignum. Dicunt enim auditam aliquando vocem in Silo, quæ diceret, naſciturū eſſe puerum Samuelem nomine, qui populum à tyrannico Palæſtinorum dominatu, ſeu aſſidua incurſatione liberaret. Quare cùm hanc ſuę familiæ laudē omnes expeterent, ſi quis naſceretur filius, Samuelis illi nomen imponebant; ſed rei euētus apertè demonſtrabat, de alio Samuele illum eſſe ſermonem. Cùm autem Anna eodē, quo aliæ, conſilio datum à Deo infantem Samuelem vocaſſet, cui nomini grandia priùs à Domino forent promiſſa, optat, precaturque Elcana, vt in ſuo Samuele Deus promiſſionem illam impleat, quam ante illud tempus nemo conſecutus fuerat. Hæc

Hebræi,

Hebræi; quorum commentũ optimè impugnant Abulenſis, & Lyra. Nec enim Anna ideò Samuelis nomen indidit filio, quia magnum aliquid huic nomini promiſſum audierat; ſed quia à Domino priùs illud poſtulaſſet.

72. Verbũ *latè patet apud Hebræos.*

Ego in *verbo* nullum intelligo promiſſum, ſed tantùm opus. Norunt autem qui ſunt in Sancta lingua verſati mediocriter, nomen דבר *dabar* Latine *verbum*, tam latè patere, quàm latè patet *res*. Quare *videre*, *cognoſcere*, aut *facere verbum*, idem eſt, quod *facere*, aut *videre rem*. Ab exemplis abſtineo, quia nuſquam non occurrunt. Verbum igitur hoc loco erit, Samuelem à Domino fuiſſe conceſſum. Quod opus non videretur eſſe completum, ſi puer in ætate adhuc infantili decederet; quia neque ſatis eſſet factum Annæ deſiderio, ſi ex vtero transferretur ad tumulum; neque voto, quo filium ſacro miniſterio in perpetuum addixerat. Precatur ergo Elcana, vt Deus verbum; id eſt, opus ſuum impleat; id eſt, vt opus, quod tunc videbatur inchoatum, abſolueret, & infantem ſeruaret incolumem, donec in virile robur, aut in ſenilem maturitatem adoleſceret. Non longè hinc abit Abulenſis, qui putat ſub ea conditione à Deo datum eſſe filium, vt templo miniſtraret, quia id Anna, dum oraret, promiſerat. Quod opus perfectè adimpleri non potetat, niſi diuturna vita Samueli contingeret.

73. Multa hîc aliqui omiſſa fuiſſe putant ab Anna, quæ tamen præſcriberet Iudæorum religio. Vt quod in ſtatuto die templum non obierit, quando Elcanam tota familia comitata eſt: quod filium non præſentauerit in templo, cùm eſſet primogenitus: quod denique purificationis legem non impleuerit. Solutiones alias alij afferunt; de quibus vide Abulenſem à q. 27. Ego, quod ad primam quæſtionem attinet, dico nihil admiſiſſe, aut omiſiſſe contra legem Annam, quia lex illa maſculos tantùm ad Templum, ſeu Tabernaculum vocabat. Exod. 34. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Dei Iſrael.* Idem Deuter. cap. 16. v. 16. Quod ad præſentationem pueri, matriſque purificationem attinet, non video cur quis hoc loco dubitare debeat. Tantùm hîc negatur cum Elcana vxorem Annam aſcendiſſe, ſed aſcenſus iſte ſine dubio fuit in aliqua illarum trium ſolemnitatum; in quibus maſculorum fiebat ex lege in Tabernaculũ generale comitium; neque enim erat cur alio tempore aſcendere Elcana cum tota familia debuerit. Tunc verò temporis nõ tenebatur Anna cum aliis adire Tabernaculum, niſi fortè dicamus, quadrageſimum à partu diem in ſolemnem illum diem incurriſſe; quod non credo.

74. Puto igitur ante hoc tempus, quadrageſimo à partu die, ſicut alias fœminas, obiiſſe Annam Tabernaculum, & duas præſentationis, ac purificationis leges impleuiſſe; deinde rediiſſe; domum, vt poſtquàm à lacte depuliſſet infantem, iterùm rediret, illo ad ſacrum altaris miniſterium in Tabernaculo relicto. Neque huic cogitationi incommodat, quòd neque purificationem matris, neque filij præſentationem in ſacris monumentis habeamus; tum quia non omnia, quæ contigerunt, ſacra prodit hiſtoria; tum deinde, quia, quæ communia ſunt omnibus, neque aliquid peculiare continent, quod notari debeat, mandari non ſolent monumentis.

75. Verſ. 24. *In vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini.*] Non inuenio legem vllam, quæ cum tribus vitulis, totidémque farinæ modiis, & vini amphora, deduci ad Tabernaculum puerum iubeat, cum conſecratur Domino, & nuncupat, aut ſoluit Nazaræi votum. Quare exiſtimo hoſtiam illam, & libamenta, quæ obtulit Anna ablactato puero, fuiſſe non conſecratoriam, vt ita dicam, ſed pacificam, in gratiarum actionem, quòd filium à Domini clementi, ac liberali manu recepiſſet. Hoſtia verò pacifica, vt habes Num. cap. 15. erat è bobus, ſiue ouibus, cui farina admiſcebatur, & vinum; quæ omnia attulit grata, ac liberali manu Samuelis mater. Ex tribus autem vitulis vnus tantùm immolatus eſt, vt ſtatim dicitur v. 25. duos autem alios aut dedit Sacerdoti, cui filium commendauit, aut pro ſtatis, atque ſolemnibus victimis reliquit in Templo. Tres autem attulit farinæ modios, & vini amphoram pro illo tantùm vitulo, qui immolatus eſt; quia duo alij aut dati erant dono Sacerdoti, aut ad Templi ſumptus neceſſarios relicti. Pro ſingulis autem vitulis offerendum eſſe vnum Ephi, habemus Ezech. cap. 46. v. 7. *Ephi per vitulum, Ephi quoque per arietem facient ſacrificium.* Ephi verò tres habere modios diximus in noſtris Commentariis ſuper Ezechielem ad cap. 45. Quare Anna ad vitulum vnum, quem immolari voluit, ſatis attulit pro libationibus farinæ. Vbi Vulgatus *tres modios* Hebr. eſt איפה *ephah*; quod Vulgatus apud Ezech. ſuprà reddidit *Ephi.* 76.

Hîc porrò obſeruandum, aliter tranſtuliſſe Septuaginta, & pro *tribus vitulis* reddidiſſe *vitulum vnum triennalem.* Et ita legit hîc Theodoretus q. 5. & Chryſoſtomus hom. 3. de fide Annæ; ſed minùs, vt cuilibet promptum eſt videre, ad textum Hebraicum. Eſt tamen ad moralem ſenſum grauis illa Septuaginta tranſlatio; nam vitulus ille triennis, triennis item pueri perſonam referebat, eodem natus eſt tempore, cum illo creuit; creuit tamen, vt cùm trimus eſſet, duceretur ad aram, & cultrum ſubiret; ſic etiam creſcebat Samuel, vt auulſus ab vbere victima fieret. Quia reuerà qui Deo conſecratur, qualis eſt Religioſus, & Sacerdos, mortem ſubit; quia vt Deo in omnibus obtemperet, & Chriſtum induat, neceſſe eſt, vt à ſe ipſo deficiat, exuatque veterem hominem; quod qui facit, ille ſeipſum immolat. Neque enim aliud eſt, quod Chriſtus monet abnegare ſeipſum. Docuit hoc Theodoretus Septuaginta tranſlationem ſecutus, qui ſic de Anna q. 5. *Cùm primùm ablactaſſet, eum obtulit Deo, & cum eo vitulum ei tempore æqualem, qui pro eo accepit mactationem, & ſacrificium.* Neque eſt improbabile, vitulum illum aluiſſe domi, vt ſæpiùs occurſaret oculis & immolationis opus, & immolandi pueri familiaris effigies. Et ſicut vitulum illum molliter educatum tanquam alienum intuebatur, vtpotè altari, ac templo deſtinatum, illúmque quaſi rem Deo ſacram obſeruabat: ſic etiam filium, cuius in vitulo contemplabatur imaginem, tanquam aliquid alienum, & Deo, altaríque deuotum aſpiciebat, & venerabatur. Sic ſanè homil. 3. de fide Annæ meditatur Chryſoſtomus: *Conſpiciebat*, inquit, *infantem illum non tantùm vt infantem, verùm etiam vt rem Deo conſecratam: eoque matri geminus amoris ſtimulus inſitus eſt, alter à natura, alter à gratia. Ac mea quidem ſententia etiam reuerebatur puerum ſuum. Etenim ſi qui phialas, poculáve aurea Deo dicaturi ſunt, poſteaquàm ea iam concepta acceperint, domique repoſuerint; nequaquam ea tanquam profana vaſa intuentur, ſed*

Quale votũ Deo oblatũ.

Religioſi typus.

Rerum Deo dicatarum quanta reuerentia.

tanquam Deo ſacra; neque audent ea temerè, citraque cauſam attingere, quemadmodum cætera.

77. *In filiorum ortu arbor plantari ſolita, aut aliud memoriale.* Illud hìc notare lubet, antiquum fuiſſe morem, vt cùm puer primùm ſuſceptus eſſet in lucem, aliquod ſtatueretur illius diei, ac puerperij monumentum; quod plerúmque fiebat depacta arbore, quæ cum puero creſcente ipſa quoque ſenſim adoleſceret; in qua ſibi, ſi quando filius abeſſet domo, parentes filium haberent quodammodò præſentem, & ſuam ſolitudinem, & nati deſiderium ſolarentur. Sic ſanè docet Donatus, dum Maronis deſcribit vitam. *Virga*, inquit, *populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta, ita breui coaluit, vt multò antè ſatas populos adæquarit.* Eodem quo natus eſt die Marius, plantata creditur quercus; quæ ab illo Mariana vocata eſt, de qua Cicero lib. 1. de legibus.

In arboribus inciſa nomina.

78. *Puer autem erat adhuc infantulus.*] Hebraicè, נער *naar naar*: quæ geminatio valde puſillum, atque tenellum infantem eſſe docet, qualis eſt trimus, qui iam incipit cibis vti pro lacte.

79. Verſ. 26. *Et ait Anna: Obſecro mi domine, viuit anima tua, ego ſum.*] Illud *obſecro* interiectionis obtinet vim, ſicut alia verba plurima, quòd attentionem excitat, & captat cum quadam animi ſummiſſione. Interponit autem iuſiurandum; vt fidem apud Pontificem conſequatur oratio. Eſt autem hæc apud Hebræos familiaris iuramenti concipiendi forma: *Viuo ego, viuit anima mea, viuit anima tua.* Cuius ſenſus eſt, *ita viuam, ita viuas*; aut, ne viuam, ſi ſciens fallo; vel certè, tam eſt hoc certum, quàm me viuere. Porrò *anima mea*, idem eſt, quod ego; *anima tua*, quod tu, ex familiari Hebræorum idiomate.

Iuramentũ Hebræis familiare.

80. Verſ. 28. *Idcircò & ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus.*] Quia Deus donauit Annæ filium, idcircò illa lubens Deo reddit, ac donat in perpetuum; ita vt ſe non inuita puer in Templo ſeruiat, quantum ipſius vita, aut voluntas tulerit. Neque enim filij vota parentum, quæ perſonalia dicuntur, implere tenentur. Atque ideò prudens mater offert filiũ Sacerdoti, ac Templo, ita vt ſibi neceſſitatem imponat, nunquam illum à Templo reuocandi; non tamen filio, vt ſi voluerit, cùm plenum habuerit rationis vſum, aliter de ſe vitæque modo ſtatuere poſſit. Ita videtur locus iſte, quem alij variè accipiunt, exponi poſſe: aliter enim otioſum videretur illud, *cunctis diebus, quibus fuerit commodatus.*

81. *Parentes qui filios offerunt Deo, ſe ipſos offerunt.* Notat hìc Chryſoſtomus homil. 3. de fide Annæ, conſecrato Samuele, & addicto Templi miniſterio, ipſam quoque matrem diuino conſeeratam eſſe miniſterio; quæ vt à ſe ipſa abeſſe non poterat, ſic etiam neque à filio, qui vbicumque eſſet, materna ſecum viſcera trahebat. *Dum talia*, inquit, *loquitur, ſe ipſam quoque dedicauit cum puero, quaſi ſolido quodam naturæ affectu ſe ipſam Templo alligans. Etenim ſi vbi eſt theſaurus hominis, illic eſt & cor eius; multò magis vbi puer mulieris, ibi & mens illius erat.* Quod explicari ſimilitudine poterat, quam paulò antè adduxerat Chryſoſtomus, vbi viti matrem, & illius palmiti ſobolem aſſimilat. *Eodem in loco ſixa vitis in longum producit palmites, & vua multo interuallo pendens, cum radice habet commercium. Itidem & in hac accidit fœmina, quæ in vrbe manens vſque ad Templum extendit ſuum palmitem*, &c. Exemplo Annæ docent Nazianzenus, & Chryſoſtomus filios eſſe conſecrandos Domino, & ætatem adhuc teneram ſanctis eſſe moribus informandam; ille oratione 40. hic homil. 3. de Annâ. Quomodo Anna typus ſit Eccleſiæ, vide Gregorium hìc, Cypriánum lib. de oratione Dominica.

Filij in ætate tenera Deo conſecrandi.

Et orauit Anna, & ait.] Totus ille ſiue ſermo, ſiue canticum, quod relicto in Templo filio, cecinit Anna, diuinas, vt vides, continet laudes; & tamen dicitur *Oratio*, cùm nihil hìc appareat precatorium. Sed non id eſt in Scriptura nouum; ſæpè enim vt pro oratione laus, ſic etiam pro laude ponitur oratio. Threnor. cap. 2. v. 19. *Conſurge, lauda in nocte.* Et cap. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem.* Vide quæ nos in vtroque loco. Et ſanè ad obtinendum quæ volumus, magnum à laude pondus ſumit oratio; atque ideò vt locis proximè citatis oſtendimus, viri pij à laude ſæpè orationem ordiuntur, quæ optima eſt diuinæ beneuolétiæ captandæ forma. 82. *Oratio pro laude, & contra.* *Laus pro oratione.* Thren. 2. Ierem. 7.

Antequàm ex huius primi capitis Commentariis emergo, expendi velim à Lectore pio, quanto ſtudio, atque alacritate ſancta hæc mater chariſſimum à ſuo ſinu filium diſtrahat; id eſt, non leuem à ſe ſuorum viſcerum partem diuellat. Cùm exultare ſe dicat vehementer, cùm à ſe ipſa emancipatum filium, diuinæ mancipat ſeruituti. *Vitem* ſuprà appellarat Annam magnus Chryſoſtomus, quæ egregium ad Templum vſque palmitem producebat. Sed hoc planè admirandum eſt in Anna, quòd cùm aliæ vites, dum ſub vernam temperiem putatoria falce ſarmenta reſecantur, lacrymari incipiunt, quaſi ſua ipſarum orbatæ progenie: Anna tamen exultat, & cantat, quaſi hoc beneficium maius exiſtimaret, quòd Deus, & illius nomine Sacerdos oblatum admiſiſſent infantem, quàm illum priùs Dei liberalitate in ſterili vulua concepiſſe. 83. *Dona Deo libenter offerenda.*

Et reuerà ita eſt; quia ſicut ille alius Macedonum Rex feliciùs ſecum actum exiſtimabat, quòd Ariſtotelem habuiſſet magiſtrum, quàm quòd Philipum genitorem: ſic etiam Anna magis putabat fortunatum filium, quòd à Deo eſſet in Templum; id eſt, in ſuam familiam adoptatus, quàm quòd ſuſceptus eſſet in lucem. Cùm autem amor amato bene cupiat, quæ ſic amabat Samuelem, exultare non immeritò debuit, quòd ſors illa felix in Domini familia filio contigiſſet. Amabat Moyſem mater Hebræa, quæ aut ancilla erat apud Ægyptios, aut certè non longè aberat ab ancillari conditione; & ideò nõ grauatè tulit, imò vehementer lætata eſt, quòd filia Regis illum adoptaret, & ad Regias delicias è ſeruili conditione traduceret. Sic ergo lætata eſt Anna, cùm è priuata, atque profana domo, ad Templum; id eſt, Dei familiam, tranſlatus eſt filius; quod perinde fuit, atque ſi fera, atque ſylueſtris planta, qualis eſſet oleaſter, inſerta eſſet in bonam oliuam, & particeps eſſet pinguedinis, & ſtirpis nobilis, cuius illam naturã exortem effecerat. Ita ſanè Chryſoſtomus homil. 3. de fide Annæ: *Aſcendit*, inquit, *Anna præclarum illud germen tranſplantans. Et quemadmodum induſtrij agricolæ primùm ſemen in terram deponunt cupreſſi, aut aliarum arborum ſimilium: deinde vbi conſpexerunt è ſemine factam arborem, non relinquunt in eadem terra; ſed inde reuulſam plantulam in aliud tranſferunt ſolum, vt terra in recens gremio ſuo exceptam illius radicem puram, & integram vim ſuam proferat ad nouam educationem.* Hinc diſcant parentes, non eſſe, cur doleant, quòd filij paterna domo, & ſæculi commoditate relicta, Deo ſe totos in Religione cõſecrent, & ab humana ad diuinam quodammodò familiam commigrent. 84. *Religioſi viri fœliciſſima ſors.*

IN

IN CAP. II. LIB. I. REGVM,

ARGVMENTVM.

CVM Anna auctam se prole, quam tantoperè anteà desiderarat, agnosceret, & eò lætior, quòd addicto filio Templi ministerio conceptum anteà votum implesset, Canticum cecinit: in quo, & animi sui ingentem significat lætitiam, & singularem Dei, & iustam prouidentiam commendat, quæ illos exaltat, qui priùs videbantur esse neglecti; & illos deprimit, qui arridente fortuna insolentes sibi assumpserant spiritus, cuius rei in se, ac Phenenna recens intuebantur exemplum. Redeunt deinde parentes domum, retento interim in Templo Samuele, vt quoad ætas illa ferret infantilis, quam posset opellam Sacerdoti nauaret: sub illud verò tempus duo Sacerdotis filij, & ipsi Sacerdotes sacerdotalis nominis & pudoris obliti, nihil minus quàm de Tabernaculi religiosa custodia, & morum synceritate cogitabant. Peruertebant enim sacerdotales ritus, & quos pro suo instituto, munere, ac religiosa disciplina debuissent excolere, eosdem incredibili morum intemperie à religione, & sacrificiis deterrebant: A quorum ingenio quàm longissimè aberat Samuelis infantilis ætas, quæ non procul aberat à senili prudentia. Ex eo tempore aperuit Dominus Annæ vuluam, quam ad illud vsque tempus concluserat, auxitque illam pro vno, quem Templo, Deóque consecrarat, tribus filiis. Interim Heli cùm in duos sceleratos filios paternum haberet, & mollem animum, potiùs quàm seuerum, qualem Sacerdos, & Iudex habere debuisset, misit Deus Prophetam, qui primùm Sacerdoti beneficia exprobrat, quæ ipsius familia iam inde ab antiquissimis sæculis accepit, & propter filiorum in omne vitiorum genus intemperantiam, & parentis indulgentiam inertem, grauissimum supplicium, illúdque perpetuò duraturum intentat.

CAPVT SECVNDVM.

1. EXultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.

2. Non est sanctus, vt est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro; quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.

4. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

5. Repleti priùs, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.

6. Dominus mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit.

7. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublcuat.

8. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat: Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

9. Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

10. Dominum formidabunt aduersarij eius: & super ipsos in cælis tonabit: Dominus iudicabit fines Terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

11. Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.

12. Porrò filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum,

13. Neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua,

14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum: & omne quod leuabat fuscinula tollebat sacerdos sibi: sic faciebant vniuerso Israeli venientium in Silo.

15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.

16. Dicebátque illi immolans: Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps:

&

& tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

17. Erat ergo peccatum puerorũ grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini.

18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo.

19. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua; quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam sollemnem.

20. Et benedixit Heli Elcanæ & vxori eius: dixítque ei: Reddat tibi Dominus semẽ de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.

21. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

22. Heli autem erat senex valdè & audiuit omnia quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi:

23. Et dixit eis: Quare facitis res huiusce modi; quas ego audio, res pessimas, ab omni populo?

24. Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.

25. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.

26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus.

27. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis?

28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel.

29. Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quàm me, vt comederitis primitias omnis sacrificij Israel populi mei?

30. Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in cõspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

31. Ecce dies veniunt, & præcidam brachiũ tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.

32. Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus.

33. Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.

34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: In die vno morientur ambo.

35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

36. Futurum est autem, vt quicumque remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicátque: Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

IN CAPVT II. LIBRI I. REGVM

COMMENTARII.

1. *Beneficiorũ conseruanda memoria.*

HAMILIARE fuit Hebræis, cùm aliquid eximium accepissent à Deo, illud aliquo publico, atque insigni monumẽto testari, vt pluribus ostendimus in nostris Cõmentariis in Isaiam ad cap. 38. n. 25. Sic Ezechias Isaiæ cap. 38. quòd à Deo, cùm desperatum esset de salute, liberatus fuerit à morbo, publico testimonio professus est. Sic Ionas, quòd à cete, & fluctibus incolumis in portum euaserit; sic sæpè Dauid; sic Habacuc; sic tres apud Danielem pueri, quos Deus ex ardenti fornace non sanos solùm, sed etiam glorioſos eduxit. Sic Anna tanti beneficij, & edito hoc hymno, & oblato infante, qui eorum, qui religionis, & voti gratia Tabernaculum obirent, occurſaret oculis, publicam voluit conſeruare memoriam.

2. *Mater quid à sancto fœtu accipiat boni.*

Quemadmodùm capſæ, quæ aromata, aut vnguenta continent, odorem retinent, etiam dum vacuæ sunt, quem à re odorata aliquandiu libarunt: Sic etiam Anna, quia nouem menſibus Sacerdotem

cerdotem, & Prophetam in viſceribus condidit, aliquid inde hauſit, quod ad prophetale, & ſacerdotale negotium pertineret. Quare diuinas canit laudes, quod Sacerdotis eſt; & futura prædicit, quod Prophetæ. Vtrumque verò munus in hoc gratulatorio Cantico Annam præſtitiſſe docet Auguſtinus lib. 17. cap. 4. Gregorius, Angelomus, Euthymius, & Ianſenius in explicatione huius Cantici, Abulenſis in fine præcedentis capitis. Idem, quod Annæ contigit, in Euangelico ſæculo Elizabeth, quæ cùm in vtero Ioannem Prophetam contineret; ipſa quoque ſpiritu afflata prophetico, & occulta cognouit, & futura prædixit: Eſt autem Canticum iſtud gratulatorium, & propheticum, illi quàm ſimillimum, quod cantatum eſt ab eximia pſaltria, & illuſtriſſima prophetide Maria, quam filius etiam Ieſus, quem virginali geſtabat vtero, cantare fecit Eucariſticum, & prophetale carmen.

3. Verſ. 1. *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.*] Exultatio non quodlibet eſt gaudium, ſed quod à corde quaſi ruptis præcordiorum ſeptis foras erumpit. Cum motu corporis, & quaſi ſaltibus; id enim propriè ſignificat *exultare*, oſtenditur lætitiæ magnitudo, quæ dum ebullit, & efferueſcit intùs, corpus foris commouet, & in quoſdam quaſi ſaltus impellit; quales edidit Ioanes in vtero. Neque enim ſi internum eſſet gaudium, neque ſe foras incitatum efferret, cognoſcere potuiſſet Elizabeth infantem nondum natum in vteri clauſtris exultaſſe. Talis fuit illa Dauidis exultatio, quæ ex animo foras ad corpus exiliit. De qua Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* In Domino porrò hæc geſtientis animi exultatio fuiſſe dicitur; quia beneficium hoc Anna à diuina manu profectum agnoſcit.

4. *Cornu varia ſignificatio.*

Et exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.] *Cornu* potentiam ſignificat, pulchritudinem, & gloriã, metaphora ab illis animalibus ſumpta, quibus hæc omnia præſtat præfixum fronti cornu. Quare frequens eſt, *extolli*, & *eleuari cornu*, cùm proſperam ſignificamus fortunam, & arrogantis animi ſuperbiam. Sic quidam apud Amos cap. 6. *Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Et Pſal. 17. Deus protector noſter dicitur, & cornu ſalutis noſtræ. Contrà verò cùm angusta eſt res alicuius, fœdatus honor, fracta potentia; tunc abiectum eſſe dicitur, & fractum cornu. Sic Ierem. cap. 48. de Moab. *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium eius contritum eſt.* Ante cõceptum, & natum Samuelem, confractum erat Annæ cornu, quia ſterilis putabatur, & indigna, ex qua proles ſuſciperetur, in qua ipſius nomen imò & ipſa viueret: quare pudibunda tenebras amabat, & ſeceſſum, & tam domeſticorũ, quàm externorum ludibrio iactabatur. Nato verò filio confirmatum eſt cornu, aut potiùs pullulauit, & ſine rubore potuit fœminarum obire conuentus, & nullam à petulante, atque maledica lingua contumeliam timere. S. Hieronymus in traditionibus Hebr. Annę cornu Samuelem eſſe dicit: quia ille matris robur fuit, qualis appellari poteſt primogenitus. Sic certè appellatus eſt Ruben à parente Iacob, Geneſ. 49. v. 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea.* Quod ſi ita ſtatuas, exaltatum appellari poteſt cornu illud, cùm à Deo, & ab eius Sacerdote puer admiſſus eſt, vt in Templo degeret, & à materna domo, atque vbere diuulſus perpetuum Domino exhiberet obſequium. Plurimùm enim exaltatur, qui à priuata domo, domeſticiſque curis promouetur ad Templum, & ſacra miniſteria; & ab humana conditione ad Angelicum, aut Angelico proximum ſtatum traducitur.

Sterilis ignominioſa.

Primogenitus magnus parenti bonor.

Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalutari tuo.] Miſerorum eſt, non poſſe oris clauſtra laxare, neque mutire, cùm maximè cupiant. Obſtruit autem os pudor, & metus, & nimium dura, atque ignominioſa ſeruitus, quæ cogit homines laudare, quos maximè aut horreas, aut accuſes; aut ridere, aut arridere dominis, cùm acerbiſſimè cruciẽris, aut grauiſſimè doleas. Hactenùs pudor Annæ linguam anguſtè conſtrinxerat, quia cùm ſterilitatis ſæpè nomen in conuitiis audiret, & verum agnoſceret opprobrium, reſpondere non poterat, & oblatam à ſe contumeliam depellere. Nunc autem, quia iam ſe ingenua prole nobilitatam eſſe videt & exoleuiſſe antiquum ſterilitatis nomen, iam læta in eo, qui verè ſalus eſt, & mœrentes animos conſolatur, dilatat os ſuum; & quæ priùs os aperire præ pudore non poterat, iam liberè non ſolùm verba vtcúmque fundit; ſed etiam cum exultatione. Modulatur, inquam, quia numeroſam inſtruit orationem, quæ ſi ab Anna poetria non cantatur; eius tamen modi eſt, vt ab aliis muſicis numeris cantari poſſit. Quo modo poetæ cantare dicuntur illa carmina, quæ, vt ab aliis cantentur, numerosè componunt. Scio obſeruatum eſſe ab Abulenſi, q. 32. hoc Annæ canticum voce ſummiſſa ab Hebræis, & quaſi à poëticis numeris ſolutum, ſolitum eſſe cantari; quia non ſicut aliis Cãticis aliquid præfixum eſt, quod muſicos indicet adhibitos eſſe numeros; quomodò poſt tranſmiſſum veſtigio ſicco mare rubrum, Exod. 25. dicitur: *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen.* Et Iudic. cap. 5. *Cecineruntque Debora, & Banal*, &c. At Anna non ceciniſſe dicitur, ſed oraſſe. Hæc eſt Hebræorum ſola, aut potiſſima ratio; quàm verò hæc grauis ſit, nemo non videt. Sanè alia ſunt Cantica non pauca, quæ eiuſmodi vocibus notata non ſunt, & tamen cantantur ab Hebræis; quale eſt Canticum Moyſis Deuter. cap. 32. & Iſaiæ cap. 38. & cap. 12. & Habac. cap. 3. cuius titulus eſt: *Oratio Habacuc.* Et multi ex Pſalmis Dauidicis eiuſmodi titulis notati non ſunt; & tamen ſuos habent numeros muſicos, & ritu ſolemni, atque legitimo cantantur: ſicut etiam Ieremiæ Threni. Neque orationis nomen obſtat: conſtat enim ex Pſalmis non paucos orationes eſſe; & tamen illorum nullus, à numeris excluditur muſicis, aut à ſolemni, atque legitimo cantu.

5. *Pudor & dolor eloquentes facit.*

6.

7. *Filius bonus præ multis filiis.*

Super inimicos meos.] Cùm inimici; id eſt, Phenenna, & eius filij, & alij, qui miſeris inſultare ſolent, maledictis inſectarentur Annam; ipſa tamen ſuæ ignominiæ conſcia ſilere cogebatur. Ex quo tamen eo nomine laborare deſiit ſuſcepto filio, exſoluere potuit, & expedire linguam antè conſtrictam, & liberè à ſe contumeliam illam iniuſtam iam, & alienam depellere. Vel certè ſuprà inimicos potuit os dilatare; quia multò poterat magis ſuam commendare fortunam, quàm Phenenna, & ſi quæ aliæ ſterilitatem ipſi vnquã exprobrarant; cùm pluris eſſet faciendus filius vnus à Deo datus, & Deo conſecratus, & redditus; quàm multi filij, quos Phenenna peperit, qui neque eo modo conceſſi ſunt à Deo, & in domo paterna ſub parentum cura, & diſciplina viuunt; non in Templo, vbi neque ad res profanas, aut ſtudia domeſtica; ſed ad religionem

nem, & cæleſtes curas inſtituuntur infantes.

8. Fortaſſe alluſum eſt ad tempus illud, de quo cap. 1. in quo Anna ſic afflictabatur, aut ſic verecundabatur, vt non auderet os aperire, aut vllum proferre verbum; ſed motu tantùm labiorum tacito & ſuum votum, & animi dolorem expromebat. Nunc igitur ait, non eſſe iam ampliùs ore loquendum clauſo, & oppreſſo ſpiritu; ſed pleno, & lato, hilari & effuſo ſpiritu, & magna vocis contentione: non in ſeceſſu, & tenebris; ſed in aperta luce, & populari conuentu.

9. *In ſalutari tuo.*] Hebraicè ישועתך *biſuathecha.* Quod interdū Interpretes *ſalutem*, interdū *ſalutare* cōuertunt. Hoc autē conuenire cum Deo poteſt, qui cùm ſalutem præſtet hominibus, ſalus ſæpè hominum apellatur. Quaſi dicat Anna: In te, ô Domine, lætor, & exulto, qui vera ſalus es: & ſi te adeſſe mihi cognouero, nil amplius requiro; non autem in hominibus, qui neque ſolidum poſſunt præſtare gaudium, neque ad ſalutem veram quicquam opportunum. Referri item poteſt ad ſalutem à Domino conceſſam; id eſt, ad Samuelem datum à Deo, qui mœrentis animi medicina fuit, & leuamentum. Et hæc poſterior explicatio eſt Euthymij in expoſitione huius Cantici, Abulenſis, Ianſenij, quàm ita probo, vt prior mihi non diſpliceat. Vox autem Hebraica explicari commodè poteſt, *in ſalute tua*, quam videlicet præſtare ſoles, & quam de tua clementia quiuis ſperare poteſt. Hebræorum porrò more à tertia perſona, in qua de Deo loquebatur, ad ſecundam traducitur ſermo; quod in graui aliquo affectu, quicumque ille ſit, non rarò contingit. Cuius rei in principio Canticorum Salomonis accommodatum habemus exemplum; cùm enim à tertia perſona ſermonem aggrederetur ſponſa, ad ſecundam erupit: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.*

REGVLA. *A tertia perſona gradus ad ſecundam.*

10. Sanctus *epitheton Dei.* Baruc. 4. Iſai. c. 5. Verſ. 2. *Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus; neque enim eſt alius extra te.*] Hîc rurſus cùm in tertia perſona de Deo loqueretur, ad ſecundam erupit. *Sanctus* epitheton eſt Dei, vt pluribus docuimus in noſtris Commentariis ad illud Baruch, cap. 4. v. 22. *Venit mihi gaudium à Sancto.* Quod iterùm repetit v. 37. *In verbo Sancti gaudentes.* Quo etiam ſenſu dictum eſt, Iſaiæ cap. 5. v. 19. *Veniat conſilium Sancti Iſrael*; id eſt, Dei Iſrael. Et v. 24. *Eloquium Sancti Iſrael blaſphemauerunt.* Quare ſenſus eſt, meo iudicio, germanus, & facilis, non eſſe inter Deos vllum, ſicut Dominus, quem colit Iſrael; quod ſæpè clamat Scriptura ſacra: vt Pſal. 85. v. 8. *Non eſt ſimilis tui in diis Domine.* Et Pſal. 94. v. 3. *Et Rex magnus ſuper omnes deos.* Et Pſal. 95. v. 4. *Terribilis ſuper omnes deos.* Poſteà verò quaſi ſeipſam corrigat Anna, quod deos alios nominaſſet, ait; extra Deum, à quo ipſa ſingulare illud beneficium accepiſſet, nullum eſſe Deum: id enim valet illud; *Neque enim eſt alius extra te*; videlicet qui ſit *Sanctus*; id eſt, Deus, & talia præſtare poſſit, qualia ipſa tunc recèns eſſet experta. Et in hanc ſententiam facit, quod ſtatim additur.

11. Fortis *epitheton Dei.* *Et non eſt fortis ſicut Deus noſter.*] *Fortis* etiam epitheton eſt Dei; cui nomini illa accommodantur, quæ Deus mirabilia, & ardua, & contra cōmunem naturæ legem operatur; quale eſt, naturam ſterilem reddidiſſe fœcundam. Hæc verò ſperanda non eſſe ab his, quos Deos arbitratur deluſa gentilitas, ſæpè clamant Prophetæ (vide pro omnibus caput 6. Baruch) in quibus neque eſt fortitudo, imò neque ſenſus. Vbi Vulgatus *fortis*, Hebraicè eſt צור *ſur*: quæ vox *petram* ſignificat, ſaxum, rupem, quæ miſeris perfugium præbent; quæ vox Dei fortitudinem, & illius in opportunitatibus auxilium perbelle ſignificat. Vt enim ſcopulus in medio maris à fluctibus alliditur, & à ventis vndequaque concutitur; neque tamen conuellitur, aut nutat, præbétque naufragantibus commune perfugium: ſic etiam Deus multò magis tutus eſt ab omni tempeſtatis iniuria; neque vllum, qui ad illum verè appellere voluerit, à ſua clementia, & protectione repellit. Sed fortaſſe metaphora ſumitur à ſitu, atque natura terræ Promiſſionis, quæ montoſa eſt, & confragoſa, in qua in prærupt is rupibus ſpeluncæ ſunt, ad quas in rerum anguſtiis, vrgente hoſte, confugere ſolent Iſraelitæ: de quibus nos pluribus ad illud Iſaiæ cap. 2. v. 10. *Ingredere in petram, & abſconde in foſſa humo.* Sic Deus ſæpè vocatur *petra*, nempe perfugij. Pſal. 17. v. 2. vbi Vulgatus, *Adiutor meus*, Hbraicè *petra mea.* Et Deut. 32. v. 15. vbi Vulgatus, *Deo ſalutari ſuo.* Hebr. *petræ ſalutis ſuæ.* Plura alia occurrent his quàm ſimillima. Quare ſenſus erit, à nullo prorſus hominum maius quàm à Deo, afflicto ſpiritui perfugium, aut leuamentum proponitur.

12. Verſ. 3. *Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes; recedant vetera de ore veſtro.*] Ex eo rerum euentu, quem nuper audiuimus, quemque in ſe ipſa Anna fuerat experta, tandem didicit neque deſperandum eſſe in ſummo etiam rerum diſcrimine, aut vbi omnia votis videntur eſſe contraria; neque contrahendum animum in dolore, cùm facilè ſit Deo ſubitò honeſtare pauperem, & ad meliorem traducere fortunam: neque contrà, nimis quemquam in ſua ſibi fortuna, cùm maximè arriſerit, debere gratulari, cùm Deus & poſſit, & ſoleat res ita humanas verſare, atque conuertere, vt qui modò apparet fortunatus, & potens, repentè cadat; & qui vitam agebat anguſtam, & ægram, ad ſtatum euehatur inſperatum, & lætum. Quod multis exemplis confirmat. Monet igitur primùm illos, qui cùm felices ſibi viderentur, magnifica de ſe, ac ſuperba iactabant, (Phenennam puta, & qui cum ea in ſterilis Annæ familiare conuitium conſpiraſſe videbantur) vt minùs de ſe ſuperbè cogitent, & antiqua verba aliquid inflatius reſonantia procul abiiciant, & nouam meditentur cantilenam. Hîc obſeruandus nouus loquendi modus, qui in Scriptura ſacra infrequens non eſt, vbi verbum pro aduerbio ſumitur, aut certè per aduerbium explicandum eſt: Vt, *magnificauit facere*, pro *magnificè fecit: non reuertetur oculus meus videre*, pro *non iterùm videbit: adiecit loqui, amplius locutus eſt.* Sic nunc *multiplicare loqui*, idem eſt atque, iterum, ampliùs, aut ſæpiùs loqui. Quare iubet, vt ab inſolenti ſpiritu, inflatiſque verbis impoſterùm abſtineant.

Neque in aduerſis deprimendus, neque in proſperis eleuandus animus.

13. *Occultæ Dei cogitationes, & conſilia deprimere debent inſolentes.* *Quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes*] Grauis hæc eſt conſideratio, vt ſpiritus hominum inſolentes Deus deprimat, cuius cogitationes, atque conſilia ſcrutari nemo debet, neque, ſi velit, aſſequetur. Ipſe nouit omnia, & quem nunc humana cogitatio fortunatum vocat, quia externam, atque præſentem rerum ſpeciem admiratur, illum Dominus, qui futura non aliter atque præſentia conſpicit, miſerum vocat; quia ſtatuit illum, è ſublimi loco & magno nomine ad duram, & ſordidam conditionem abiicere. Felicem ſe putabat Nabuchodonoſor, cùm ſibi arroganti cogitatione

gitatione blanditus dicebat, Danielis cap. 4. v. 27. *Nonne hæc est Babylon magna, quã ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Sed eo ipso articulo cogitabat Deus spoliare illũ Babylone, & regno, & ad nuditatem, & belluinũ pabulum, & ferinã propè naturam, certè ad belluinã cogitationẽ abiicere. Fortunatũ se prædicabat Sennacherib, & ipsi quoque Deo non inæqualẽ, cùm debellasset Ægyptum, & subactam iam arbitraretur Hierosolymam; quo tempore iã erat de cælo missus Angelus, qui Assyrias acies magna clade conficeret, & Regem in fugã verteret ignominiosam, ac tandem filiorũ gladiis confodiendum traderet. Sic etiã cùm homines miserum putant illum, quem cũ aduersa fortuna conflictari vident, eundem Deus fortunatum videt; quia statuit ex squallore, & sordibus, ad splendidum locum, & sublimem conditionem attollere. Ex lacu, & carcere Ioseph ad nomen euexit Regio proximum: & à patibulo, quod iam erat ab hoste potentissimo præparatum ad maximum honorem Mardochæum euexit. Sic etiam cogitabant homines infelicem Annam, & à Domino maledictam, cùm nullam ex illa viderent natam esse prolem; sed cùm maximè eo nomine vexaretur ab aliis, videbat illam Deus auctam copiosa sobole, & eo nobilitatam filio, qui summam teneret imperij Israelitici, & nomen suum posterioribus sæculis redderet admirabile. Quare in omni fortuna considerandum est, non quid præsens ferat status, aut quod sit hominum de nostro statu, ac conditione iudicium; sed quid Deus de nobis aut videat, aut cogitet.

14. *Nemini in aduersa fortuna desperandum.*

15. *Omnia Dei cogitationibus obediũt.*

Et ipsi præparantur cogitationes.] Si cogitationes istæ Dei sint, sicut proximè scientias dicebamus esse Dei, sensus est non difficilis; nempè scire Deũ omnia, & iuxta hanc plenã rerum cognitionẽ cogitare ac statuere, quid factum velit, neque ipsi fore difficile cogitata cõplere, quia illi cogitationes suæ præparatæ sunt; id est, ita dispositæ, quomodò cæmentario materia supponitur ab altero subacta: quare illi difficile non est illam ad descriptam anteà fabricã adhibere. Porrò *cogitationes* pro rebus cogitatis vsurpari non est in Scriptura infrequens, quæ sæpè actionem pro actionis siue subiecto, siue termino capit. Si tamen cogitationes hominum sint, alia ratio est: de qua etiam aliquid dicendum.

16. *Cogitationes nostræ quomodo Deo pateãt.*

Hæc explicatio mihi dura non est, neque parùm ad mores opportuna. Sed si scientiarum, & cogitationũ, nẽpe hominũ, scrutator dicatur esse Deus, cuius oculos occultissima quæque latere nõ possunt, quia nusquã abest; hæc erit huius loci accõmodata sententia. Videant homines quid faciant, aut cogitent; quia omnia Deus expendit & numerat, qui spirituũ ponderator est: neque quicquam relinquet impunitũ, si malum; aut non muneratũ, si bonũ fuerit. Et ideò exemplis docet, quomodò alij, atque alij aliter, atque aliter pro meritorum ratione, atque mensura, aut eleuentur, si benè, aut deprimantur, si malè quicquam moliantur. *Præparatæ* verò *cogitationes* tunc dicuntur, cùm diuinis oculis expositæ sunt; neque magis occultæ, quàm quæ Regiis oculis præparata sunt, vt illa contempletur, & illorum aspectu aut pascat oculos, aut oblectet animum. Qualis est imago viuis expressa coloribus, aut ludi theatrales; aut denique quæ eiusmodi sunt, vt quocúmque te locorum conuertas, nunquam non occurrent. Placet tamen magis explicatio prior, quia cum illa, quæ deinde sequuntur, magis aptè consentiunt.

Vers. 4. *Arcus fortiũ superatus est, & infirmi accincti sunt robore.*] Varios nunc nostra psaltria persequitur status, atque ordines, in quibus Deus deprimere, aut infirmare solet insolentes, & fortes; & attollere, atque corroborare, qui iacebant in puluere; & qui vires aut habuerunt eximias, aut eximias esse prædicabant. Nunc incipit ab illis, qui in re militari aut censebantur inuicti, aut cõtemnebantur vt inermes, & languidi. Sed priusquàm singularũ partium, atque ordinum explicationẽ aggredior, obserue tam apud sacros, quàm apud profanos Scriptores vsitatum esse, vt participiũ præteriti temporis pro nominibus in *bilis* vsurpetur; id est, vt factum dicatur, quod vt fiat, facultatẽ habet; quod Physici dicunt *secundum actũ adhiberi pro primo*. Quomodò *inaccessus* dicitur locus, pro inaccessibili; *inuictus* animus, pro inuincibili; *incorruptus* iudex, pro eo, qui largitionibus neque solet, neque potest corrumpi. Et apud Sacros illud Isaiæ 54. v. 13. *vniuersos filios tuos doctos à Domino*. Iesus apud Lucam 6. v. 45. pet *docibiles* expositit. *Scriptũ est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Iuxta hæc, ego sic quæ reliqua sunt capitis, interpretor; vt quæ per præteritum tempus enunciantur, per habitudinẽ, aut facultatem ad futurum opus explicanda sint. Quasi rerum natura ita sit Creatori subiecta, vt attolli possit, ac deprimi, & varias subire rerum vicissitudines. Nunc igitur his vtcumque libatis, ad literam accedo. 17.

REGVLA. *Participiũ præteriti pro nominibus in* bilis.

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.] Exemplum adhibet primum in re bellica, in qua magnas repentè fieri videmus rerum conuersiones; cùm ille, qui & viribus pollebat, & omni ad victoriã apparatu erat instructus, ab imbelli, atque inermi manu superatus ignominiosè cadat. Vnus Goliath potens viribus, & munitus armis exemplo esse potest, qui ab inermi adolescentulo, & qui tunc primùm aggressus est, aut fortasse vidit inimicas acies, superatus est. Tunc verè dici potuit confractus arcus, & nudatus vir bellator ab armis; & qui ætate, & bellandi imperitia videri poterat infirmus, accinctus armis, & confirmatus robore, vt cum illa Gigantea mole congressus, superior euaderet. 18.

REGVLA. *Res significata pro signo.*

Vers. 5. *Repleti priùs pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.*] Hæc eadem dixit in suo Cantico B. Virgo Lucæ cap. 1. *Esurientes impleuit bonis*, &c. Postquàm in priori antithesi de rõbore, instructúque militari dictum est; nunc ad opes, & facultates progreditur, quæ delicias alunt, & ad domesticos vsus sumptus suppeditant. Qui ergo repleti priùs erant opibus, & perinde etiam repleti panibus, qui deesse non solent illis, quos circundat, & fouet rerum abundantia, eò adacti sunt necessitatis, vt pro modico pane, qui famem magis exacuat, quàm expleat, aut obtundat, mercenariam operam locent alienis. Quod fecerunt Iudæi, quorum antè fuerat domus à frumento felix, cùm ab hoste Chaldæo superati, ex suis sedibus ad alienas extorres abierunt. Thren. 5. *Ægypto dedimus manus, & Assyriis, vt saturaremur panibus.* Quàm verò qui priùs fame laborabant, & extrema penè conficiebantur inedia, subitò saturati fuerint, probat illa angusta, & longa Samaritanorũ obsidio, quę eò adegit necessitatis obsessos, *vt venundaretur caput asini octoginta argenteis,* 19.

& quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis, lib.2. Reg. cap.6.v. 25.Sequenti verò die tanta alimentorum conſecuta eſt vilitas, *vt vno ſtatere modius væniret ſimilæ, & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ.*

20. *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.*]Accedit propiùs Anna ad ſuũ tempus,& cauſam;& aliam adhibet antitheſim,qua docet,à Deo modò propitio,modò infẽſo cumulari ingenua, atque copioſa ſobole,quæ paulò antè infœcunda fuerat; & illam, quæ filiis antè plurimis abundabat, ab illo pretioſo, ac dulci ſiue dignitatis ornamento, ſiue blandimento naturæ repentè nudari. Tradunt hìc Hebræi, vt refert Hieronymus in traditionibus Hebraicis ſuper lib. 1.Regum, cùm primùm natus eſt Samuel, Phenennæ interiiſſe primogenitum, & alios deinde omnes;quod ex eo ſumpſit hiſtoria Scholaſtica, & addit alia huic Hebræorum cogitationi conſentanea, quæ meritò reiicit Hieronymus. Ego iuxta prædicta hanc opinor eſſe ſententiam ſine vlla ad Phenennam comparatione, aut ad aliquam aliam perſonam, ſiue abundantem filiis antè negatis, ſiue orbatam ab illis, quos priùs felici, atque copioſo partu ſuſceperat.

21. Vbi Vulgatus *donec* Hebraicè עד *ghad.* Quæ vox interdum idem valet, quod *adhuc* Ion. 4. v. 2. Iob.1.v.18.In qua ego ſignificatione præcipuè capio, & obſeruo *adhuc*, cùm poſt aliarum rerum enumerationem adhibetur, habere quandã epitaſim, & ſignificare aliquod ad ſuperiora additum incrementum,vt Luc.14.v.26.*Si quis venit ad me,& non odit patrẽ ſuum,& matrẽ,adhuc autẽ & animã ſuam,nõ poteſt meus eſſe diſcipulus.*Id eſt, etiãſi quod durius,ac difficilius eſt. Sic etiã dicimus: Nõ ſolùm ſi ſemel,aut iterùm,ſed adhuc ſi ſæpiùs cecideris, excitabit te Deus. Sic Chriſtus ad Diſcipulos Matth. 15. v. 6. *Adhuc vos ſine intellectu eſtis?* Id eſt, ſi antè, cùm nondum eſſetis meis præceptis informati, hæc non caperetis,non eſſet mirandum; nunc autem poſtquàm doctrinæ meæ tamdiu aſſueuiſtis, id planè mirum. Et Lucæ cap.1. v. 15.*Spiritu ſancto replebitur* (Ioannes) *adhuc ex vtero matris ſuæ.* Id eſt, non ſolùm Deus Ioannem tunc Spiritu replebit ſancto, cùm adulta fuerit ætate, & multa pro iuſtitia, ac veritate pertulerit; ſed etiam quod magis eſt, pluríſque faciendum, cùm adhuc illum materni vteri clauſtra concluſerint. Idem ego dicendum arbitrabar hoc loco, quem ſic exponebam: *Omnia Deo explorata ſunt; omnia illius potentiæ, ac voluntati ſubiecta. Ille fortes debilitat ac frangit; confirmat, & roborat infirmos; eſurientes ſatiat,& eos,qui panibus abundabant, conficit inedia. Quid plura? Etiam quod difficilius videtur factu,ſterilem cumulat numeroſa ſobole, & vuluam exhaurit antè facundam, & matrem affluentem filiis orbam relinquit.*

Donec *idẽ quod* adhuc.

Adhuc *cum epitaſi.*

22. Alij illud עד aliter reddunt. Septuaginta,*quia*: Chaldæus,*etiam*:Varablus *adeò vt*.Porrò *donec* aliquod etiam deſignat incrementum, & illud connotat aliquando, quod in aliquo genere ſummum, & extremum eſt. 1. Reg. 30. v. 4. *Planxerunt,donec deficerent in eis lachrymæ.* & 2. Reg. cap. 23.v.10. de Eleazaro.*Percuſſit Philiſthæos donec deficeret manus eius.*& 3. Reg. cap.18. v.28.de ſacerdotibus Baal,*Incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Sapient. cap. 10. 13. de Ioſeph: *Non dereliquit eum, donec afferret illi ſceptrum regni.* Hæc in quolibet genere penè extrema videntur.

23. Vbi Vulgatus, *peperit plurimos*: Hebraicè; *peperit ſeptem.* Hic de ſeptenario filiorum numero multa ſuo more fabulantur Hebræi. Vide Hieronymum in traditionibus Hebraicis, & Abulenſem in hunc locum: vbi cùm vnum filium in hoc temporis articulo peperierit Anna; ſeptem tamen filios enixa dicitur, quot neque toto vitæ tempore ſuſcepit. Ego, qui hæc de Anna,aut de ſingulari aliqua perſona non accipio, de hoc filiorum numero non laboro;ſed tantum dico,hoc Deum & poſſe, & conſueuiſſe facere, vt ſteriles plurimis nobilitet filiis; & fœcundis aut ſterilitatem inducat, ne nouis augeantur fœtibus, aut quos antè ſuſceperant, extinctis,orbas relinquat;ita vt quos plorent, habeant,non in quibus ſeipſas ament, & oblectent.

24. Vbi Vulgatus, *infirmata eſt*;Hebraicè eſt אמללה *vmlalah.* Quæ vox *debile* aliquid, & *marcidum* ſignificat, quódque fructum ex ſe nullum proferre poſſit. Qualis erat ficus illa, de qua Ioel cap.1. v. 12. *ficus elanguit*: vbi eadem vox eſt אמללה. Quam arborum maciem, ſeu languorẽ per *ſenium* Latini ſignificare ſolent,qui dicunt *conſenuiſſe arbores.* Sic ergo quam nunc infirmatã dicit Propheta, exiſtimare poſſumus eò fuiſſe redactam, vt vim omnem fœcunditatis amiſerit. Quale vitium habet illa, cui præ ſenectute deſierunt fieri muliebria; vt accidit Saræ, cui vis omnis, aut materia genitalis ablata eſt: aut cùm talia patiuntur fœminæ, qualia viri, quos aut natura minùs æqua, aut hominum ars, & induſtria fecit eunuchos. Sanè id accidiſſe fœminis hominũ iniuria docet Athenæus. lib.12. cap.4. vbi refert ex Xantho à Rege Lydorum Andramyte Eunuchas factas eſſe fœminas. Hoc verò eſt, quod aliquando in Scriptura ſacra audimus,alicui à Deo concluſam eſſe vuluam. Poteſt etiam aliqua, cùm filiis orbatur, infirmata dici, quia filij matris appellantur præſidiũ, & robur, quia vltrò ſe pro matris ſalute periculis opponant, illius vlciſcuntur iniurias; neque quiſquã fœminarũ vel famæ, vel pudori audet illudere, quas videt præſens à filiis habere ſubſidium.

Fœmina quot modis ſterilis.

25. Verſ. 6. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.*]Licèt hoc Deo negari nõ poſſit, ſi propriè ſumatur,& non oratione figurata; quia ſæpè ad viuos redierunt, qui iã inter viuos eſſe deſierunt: tamen credo hæc à nobis accipienda latiùs, & ſumi pro eo ſtatu, qui cùm ſit planè miſerabilis, dignus exiſtimatur, qui cõmutari cum morte poſſit. Neque nouum eſt, vt viuere negetur ille, qui cũ mala, atque difficili fortuna conflictatur.Sic ſanè Senecã:

Mortis habet vices,
Lentis cùm trahitur vita gemitibus.

Et Martialis lib.6.epigr.69.ex communi, opinor, hominũ ſenſu,& loquendi modo,non putat dies illos eſſe vitales, aut numerandos in vita, qui in anguſtiis, & corporis, aũt animi vexationibus aguntur.

Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores,
A vita meliori ſeparentur.
Non eſt viuere, ſed valere vita.

Mori dicitur qui miſer eſt.

26. Plurima in hanc ſententiã dicuntur à profanis; neque minùs apud ſacros frequens hic loquendi modus. Pſal. 37. Inimicos ſuos, quibus omnia ad votũ abundè ſuccedunt,vt felices conſiderat, in viuis numerat;ſe autẽ,quem aſſidua vexant incommoda,prorſus in mortuis.*Ego*, inquit, *in flagella paratus ſũ, & dolor meus in cõſpectu meo ſemper.*

Inimici

Inimici autem mei viuunt. Ac si dicat, *ego morior, illi viuunt.* Et Paulus 1. ad Tessal. 3. dum viuere se dicit, dum alij stant, mori se fatetur, si cadere contingat. Sic autem ille v.8. *Quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino.* Deduci autem ad inferos, idem est hoc loco, sicut alibi sæpè, quod ad sepulchrum: qui autem in sordibus est, quique præ confusione tenebras amat, neque audet lucem intueri publicam, quasi in sepulchro mortuus, sic etiam situ viuus extabescit. Sanè qui in exilio sunt, aut alienæ voluntati parent, pro mortuis censentur, & mortui vocantur. Quales censeri possent filij Israel, cùm sub alieno dominatu durè vexabantur in Ægypto, & qui posteà vitã exulem, & ægram apud Babylonios traduxerunt. Hi enim posteriores mortui dicuntur, Ezech. cap. 37. vbi exules dicuntur mortui, & exiliũ sepulchrum appellatur. Sic enim v. 11. *Ossa hæc vniuersa domus Israel est.* Et statim: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Hoc planè est *mortificare*, & *viuificare*; *deducere ad inferos*, & *reducere*.

27. *Steriles mortui existimantur.* Neque credo, malè coniectaret, qui in mortuis steriles coniuges intelligeret, qui cùm nullum ex se fœtum producant; sicut neque lignum mortuum, & putridum, mortui vocantur. Sic sanè vocabantur eunuchi Isaiæ cap. 56. v. 3. *Non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum.* Sanè duo magni coniuges Abraham, & Sara, quo tempore inepti videbantur suscipiendæ soboli, mortui dicebantur. Sic vocat Apostolus ad Hebr. cap. 11. v. 12. & clariùs ad Rom. cap. 4. *Non infirmatus est fide* (Abraham) *nec considerauit corpus suum iam emortuum, cùm ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.* Respiciens ergo Anna ad tempus sterilitatis suæ, in quo mortua videri poterat, sicut Sara, aut lignum omninò putre; & ad illud, in quo augeri cæpit nobilissima prole, & quasi nouum ex se germen producere, dixisse videri potuit: *Dominus mortificat, & viuificat*, &c. Quod sub ea metaphora, de qua proximè dictum est, Ezech. cap. 17. v. 24. *Siccaui viride, & frondere feci lignum aridum.*

28. Vers. 7. *Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & subleuat.*] Hæc sententia millies in Scriptura sacra reperitur; quæ explicatione non eget. Quam sub plantarum allegoria eo loco, de quo proximè, expressit Ezechiel: *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile.*

29. Vers. 8. *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus.*] Hæc etiam obscura non sunt. Illud notandum, in puluere conditionem miseram, & ægram, & spiritum afflictum significari. Vnde frequens in Sacris literis, *sedere in puluere*; dum significare volumus viduitatem, mœrorem, & illum statum quem homines etiam prudentes non inuiti cum morte commutarent: Et excitari è puluere, cùm quis ad eum gradum, & ordinem vocatur, qui procul eleuatur à terra; qualis est Principum, qui thronum suum in sublimi loco statuerunt. Hæc eadem sententia iisdem propè verbis reperitur, Psal. 112. v. 7. & Lucæ 1. v. 52. Vt autem qui ex abiecta ad splendidam fortunam euehuntur, ex stercore, ac puluere excitari dicuntur, & ad thronum, excelsum videlicet ordinem promoueri: sic contrà, quos Deus ex loco sublimiori deturbat, & ad ignobilem abiicit, deducere dicitur à solio, & ad puluerem, & stercus deprimere. Sic sanè contra Babylonem olim potentem, quæ latè dominabatur in Gentibus, quæque sibi honores arrogabat diuinos, Isai. cap. 47. *Descende, sede in puluere filiã Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum.* Huius rei exempla habemus apud profanos innumera, apud Sacros non pauca. Sic Deus excitauit Ioseph, de quo Psal. 104. v. 17. *In seruum venundatus est Ioseph: humiliauerunt in compedibus pedes eius.* Et statim v. 21. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Et Sap. 10. v. 14. *Donec afferret illi sceptrum regni.* Dauid cùm primùm vitam ageret pastoritiam, & rusticam; & deinde sic ab inimico potentissimo vexaretur, vt nullum diu tempus habuerit à periculo, seu timore vacuum; inde tamen ad Regium nomen, & maiestatem ascendit. Quid plura? Morti iam erat destinatus, atque patibulo Mardochæus ab Aman, cuius summa apud Assuerum authoritas; à morte tamen ignobili prouectus est ad locum Regio proximum: & alius ab eo statu, qui vitalis appellari potuit, & excelso throno, ad crucem, quam alteri parauerat, ignominiosè descendit.

Puluis, & stercus pro conditione vili, & sordida.

Hic porrò allegoricus dicendi modus è duplici Hebræorum consuetudine deduci potuit. Fingebatur in nuptialibus sacris excitata è stercore; id est, ex materni sanguinis volutabro, recèns nata puella, quæ ab sponso inde assumpta est ad regium nomen: nuptiali enim vocabulo sponsa dicebatur Regina. De hac consuetudine plura nos ad illud cap. 8. *Sub arbore malo excitaui te.* Et constat apertè ex Ezech. cap. 16. vbi puella ex puerperij sanguine ad regnum profeciisse traditur. In quem etiam sensum explicabamus illud Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros.* Alia consuetudo fuit, vt victus, & qui se ad humiles, & sordidas preces abiiceret, sterneret se humi, & ore terram oscularetur; vt diximus in nostris Commentariis in Ieremiam, ad illud Thren. 3. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* Ex eo igitur statu, qui omnium existimatur esse abiectissimus, ad solium gloriæ miseros eleuat Deus. 30.

31. *Terræ cardines qui, & eorum prouerbialis vsus.* *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*] Multa hîc alij de re astronomica, de vniuersi constitutione, de cardinum natura, de cælesti motu; quæ (vt ego opinor) non valdè faciunt ad germanam huius loci sententiam. Mihi non dubium est, sermonem istum esse prouerbialem, & in eo summam alicuius significari potentiam; sicut etiam in clauibus, quæ portarum alicui, & totius domus potestatem faciunt. Sunt autem cardines cœlorum duo Poli, super quos tota voluitur cælestis machina, quæ vario, perpetuóque rotatu, absque vlla difficultate modò eleuat, quæ proximè depressa fuerant, modò deprimit, quæ supremum in ipsa cælorum absside locum obtinebant. Ad huius similitudinem suos quoque cardines habet terra, licèt illa sua se mole immobilem contineat; super quos rota existimatur, & volubilitate perpetua; quæ secum circumfert, omnia nunc sursum attollere, nunc etiam deprimere deorsum. Cùm ergo dicit Anna *terræ cardines Domini esse*; id vtique affirmat ab illius potétia sic omnia gubernari, ac verti, vt ea facilitate res humanæ súsque déque ferantur,

Quàm facilè à Deo versantur omnia.

& varias ſubeant viciſſitudines, quo illa, quæ in cælo ſunt, facillimo negotio conuertuntur. Hîc porrò ſubaudiẽda eſt ſimilitudinis nota, in hunc modum: Quemadmodum quia Deus Dominus eſt cardinum cæli, quæ in cælo fixa ſunt aſtra, perpetuo rotatu circumfert, & voluit; quæ nunc attollit, nũc deorſum corripit, & deprimit: Sic etiam in terra ſuos videtur habere cardines, ſuper quos humana ſine vllo negotio quancumque in partem velit, rapit, & verſat. Vt autem à cardine ſunt tranſlationes aliæ plurimæ, *vt cardo cauſarum*, in quo rerum ſumma continetur, & in quo magnæ fiunt rerum inclinationes: ſic etiam *cardines* dici poſſunt terræ, in quo ipſa magnas patitur rerum viciſſitudines. In his porrò cardinibus totus vertitur orbis, quem Dominus ſic verſat, ſicut in ſuo cardine magnarum etiam vrbium ab imbecillo etiam brachio clauſtra vertuntur.

32. *Iuſti mundum ſuſtinent, quaſi columnæ domum.*

Alias alij in *cardine* metaphoras agnoſcunt. Hieronymus in Traditionibus ad hunc locũ *cardines* terræ putat eſſe eos, quos mundus calcat, & affligit; quibus tamen Deus orbem impoſuit, quem illi ſuſtinent, non ſecùs ac columnæ ruituram domum, niſi in illis inclinata recumberet. Et quidem Sanctorum opera, & precibus mundum ſuſtineri, quem improborum ſcelerati mores quaſi mũrali tormento concutiunt, multa docent; & nos nonnihil diximus ad illud Iſaiæ 57. *Iuſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo.* Et quidem ſi decem illi, qui iuſti erant apud Sodomæos, non periiſſent, ſtarent forſan ad hoc vſque tempus ciuitates illæ, quas cœleſte conſumpſit incendium, & fœtentes, ac ſtagnantes aquæ mortui maris oppleuerunt. Imò tantum valet vel vnius Iuſti virtus, & oratio, vt contrà prementibus peccatorum machinis ruentẽ poſſit ciuitatem fulcire. Ieremiæ cap. 5. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium; & propitius ero ei* (Ieruſalem:) Vbi ſic Hieronymus: *Grandis amor iuſtitiæ, vt non pro decem iuſtis, ſicut olim ad Abraham dixit Deus, liberet ciuitatem; ſed ſi inuenerit vnum in Ieruſalem, miſereatur ciuitatis.* Hi ergo in hac cogitatione in manu Dei ſunt, & illius verè populus, & regnum, quos exaltat, etiamſi viles hominum opinione habeantur, & ſordidi; facitque, vt vaſtam mundi molem peccatorum incumbentem pondere ſuſtentent. Exẽplo nobis ſunt duo magni Patriarchæ, & quaſi duo religionis fulcimina, Franciſcus, & Dominicus, qui iam iam labenti Lateranenſi Baſilicæ appoſuerunt humeros, & ſuſtinuerunt à ruina.

33. *Principes cardines.*

Alij in *Cardinibus* Principes intelligunt, quorum eſt proprium moderari, ſuſtineréque rempublicam, quorum conſiliis res humana huc illucque conuertitur, non ſecùs atque in cardine portarum clauſtra. Ita Gloſſa, quæ *cardines* appellat Prælatos, & Principes, quibus publica ſalus commendata eſt. Hi Iob cap. 9. dicuntur orbem ſuſtinere. *Sub quo*, inquit, *curuantur, qui portant orbem.* Hi etiam in Domini poteſtate ſunt, quos eadem facilitate Deus è ſua maieſtate deiicit, qua pauperes ad ſupremum ordinem attollit.

34. Verſ. 9. *Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit.*] Fingit, opinor, Anna Sanctos, & Iuſtos, quos impij deprimere, & ad terram allidere contendunt, quaſi viatores: & reuerà homines, quandiu durat vita, in terra agunt, & in via ſunt, quam latrones obſident, & inimicorum occupant inſidiæ, & nuſquam non occurrit, ad quod offendas. In via verò præcipuè laborant pedes, quia atteruntur ipſo inceſſu; etiamſi nihil aliud aduerſum accidat, titubant, in loco ſcopuloſo, & arduo, & labuntur interdum, & in præceps ruunt. Quare qui pedes ſeruauerit ac rexerit, totum ſeruabit hominem, efficiétque, vt ſecundo progreſſu iter abſoluat & ad optatum, deſtinatúmque finem lætus, & abſque vlla offenſione perueniat. Quare frequens eſt in Scriptura, vt viri ſancti id à Domino petant, vt greſſus dirigat. Sic Pſal. 16. v. 5. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.* Et Pſal. 36. *Apud Dominum greſſus hominis dirigetur.* Et Pſal. 55. gratias agit Dauid, quòd ipſius pedes Dominus vindicarit à lapſu. Hinc fit, vt pedum vel offenſione, vel felici greſſu ſignificetur quodcúmque ſiue infortunium, ſiue fortunatus euentus. Thren. 4. v. 18. in greſſu titubante, ac lubrico infelix Iudæorum fortuna exprimitur: *Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere plateárum noſtrarum: appropinquauit finis noſter.* Quòd autem hîc non tantùm ſecundus exprimatur ingreſſus; ſed totius vitæ, aut ex tota vita fortunatus exitus, & in rebus humanis ſucceſſus ex voto, probat antitheſis, quæ ſequitur, quæ improborum ſtudiis infelicia omnia, & contraria minatur.

Impedibus proſper, ſiue aduerſus euentus ſignificatus.

35. *Tenebræ pro miſeria, & luctu.*

Et impij in tenebris conticeſcent.] Tenebræ quocúmque in genere aliquid indicant ægrum, infortunatum, & durum, ſiue humana conſideres commoda, ſiue illa, quæ cæleſtem lucem, & diuinum aliquid intuentur: Vnde *eſſe in tenebris*, in omni literatura eſt, vitam agere triſtem, & ignominiæ plenam, qualem agit vidua, aut qui ex ſublimi cecidit loco. Tacere autẽ is dicitur, qui ſic eſt à potentiore ſubactus, vt eo præſente mutire non audeat, aut ſuam deplorare fortunam: Vt diximus ad illud Thren. 1. v. 2. *Plorans plorauit in nocte.* Quare impij; id eſt, illi, quos paulò antè fortes, loquentes ſublimia, & repletos panibus appellarat, tacebunt in tenebris; id eſt, ſic erunt ab omni ornamento nudati, vt non audeant loqui ſicut anteà, ſublimia, imò neque publicam lucem, aut hominum oculos ſubire.

36. *Silentes dicũtur damnatorum animæ.*

Quòd ſi hîc maius aliquod infortunium conſideres, quale eſt illud, quod ſceleratam vitam, & ſuperbos ſpiritus conſequitur, verè impij conticeſcent in tenebris; quia in carcerem trudentur caliginoſum, & tetrum; & ibi ſilebunt: quia nõ loquentur inflata illa verba, quæ ſuæ fortunæ blandiùs aſſentati ſecum meditabantur; aut certè quia qui in inferno concluduntur carcere, ſilere dicuntur, non ſolùm in Sacra, ſed etiam in profana pagina. Pſal. 30. *Erubeſcant impij, & deducantur in inferno, muta fiant labia doloſa.* Sanè apud profanos manes; id eſt, animæ æternis ſuppliciis alligatæ, ſilentes appellantur: & loca illa inferna ſilentia & taciturna dicuntur. Sic ſanè Virgilius lib. 6. Æneid.

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbræque ſilentes,
Et chaos, & Phlegeton, loca nocte ſilentia latè.

Et Ouidius lib. 5. Faſtorũ mortuos ſilentes vocat.

Mox etiam lemures animas dixere ſilentum.

37. *Quia non in fortitudine ſua roborabitur vir.*] *Vir* hoc loco, vt locis aliis plurimis, idem eſt, quod *quilibet*. Atque ideò ſenſus erit ſuperioribus conſentaneus, neminem eſſe, cui aliquid contra

Dei

Dei voluntatem, & potentiam, ſubſidij afferre poſſit; poteſtas, & robur. Atque ideò fruſtrà pugnabit, & ſtulte contendet, qui obnitente Domino tenere voluerit excelſum locum, quem occuparat priùs: aut iuſtos, & pauperes opprimere, quantuncúmque fuerint aut à propriis viribus, aut ab externo præſidio deſtituti; cùm aduerſus Deum, qui illorum cauſam ſuſcepit, & ab illis ſtat, infirma ſit omnis creata poteſtas, & irrita contentio.

38. Verſ. 10. *Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cœlis tonabit.*] Hinc putant aliqui Annam eſſe Prophetidem, & non tam quid Deus aut præſtiterit olim, aut præſtare ſoleat, quàm quid aliquando facturus ſit, velle ſignificare. Quaſi prædicat victorias, quas filius Samuel, quem tunc Templo, ſacróque miniſterio cóſecrarat, auſpice, atque fauente Deo, cóſecuturus eſſet contra Philiſtinos Iſraelitici nominis inimicos. Tunc gens illa; quæ infenſas acies contra Dei populum armauerat, & grauem plagam ſæpiùs intulerat, cùm Deum ab Iſraelitis ſtare conſpexit, ſubitò cohorruit. Aſtare autem Deum aduerſariis ſuis ex eo prudenter cõiectare potuit, quia de cælo videtur fuiſſe dimicatum; auditum eſt enim ingens tonitru, quale ſub id tempus inſonuiſſe non legimus. Sic autem infrà, cap. 7. v. 10. *Factum eſt autem, cùm Samuel offerret holocauſtum, Philiſthiim iniere prælium cõtra Iſrael. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.* Ioſephus fulmina addit, terræ grauem motum, & eius vaſtum hiatum, de quibus poſteà pluribus, cùm ad hunc locũ deducta fuerit Commentatio. Quòd ab hoc ſaltem loco prophetet Anna, diximus ſuprà ad huius capitis initium n. 2. & hoc probamus magis. Illud verò, *Et* ante, *ſuper ipſos*, non eſt coniunctiua, ſed rationalis particula; quaſi dicat; ideò formidabunt aduerſarij, quia Deus è cælo tonabit.

39. Hæc mihi multò probantur magis, quia & ipſa non difficilè veniunt ad textum, & quia magnos habent patronos, quorum nomen omnes meritò ſuſpiciunt. Dicam tamen, quod mihi etiam videtur non difficile, neque illud cuiquam perſuadeo. Videtur hîc Anna non hæc aſſerre de vno Samuele prophetando; ſed de omnibus, qui ſuis freti viribus, pauperibus, & iuſtis, quorum Deus cauſam, & tutelam ſuſcepit, imò & ipſi Deo illorum patrono, ac vindici bellum indixerunt. Quibus cladem, extremámve fortunam prædicit, ſumpto argumento à ſuperioribus ſæculis, in quibus hoſtes nimiùm victoriis, atque opibus inſolentes, eiaculatis deſuper cum ingente fragore fulminibus extinxit. Quaſi dicat; extinxit olim Deus tonando, & fulminando de cælo potentiſſimos hoſtes, qui contra populum ſuæ commiſſum fidei arma ſumpſerunt; neque minori ſtudio, aut alio ſucceſſu, eodem modo aduerſarios ſibi, populóque egeno, ac iuſto, fulminando conficiet. Vbi Hebræorum more ſupplenda eſt ſimilitudinis nota.

Pauperum, atque debiliũ cauſam contra Potentes tuetur Deus, & pro illis pugnat.

40. Quòd autem aliquando Deus de cælo pro populo in ſumma deſperatione, ac metu dimicauerit, armis vſus cæleſtibus, multa docent exempla, quę pro ſua magnitudine ignorata eſſe Annę non eſt veriſimile. Primùm Geneſ. cap. 19. v. 24. de cælo Deus iaculatus eſt ignem, quo deflagrauit temporis momento Pentapolis, quam etiam mare mortuum abſorbuit. Deinde contra Ægyptios non ſemel è cælo dimicauit: Exod. 9. v. 23.

Deus pro ſuis dimicauit è cælo.

A *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & diſcurrentia fulgura ſuper terram, pluítque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti.* Ioſue cap. 10. v. 11. *Miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azaca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Idem Iudic. cap. 5. v. 20. *de cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſus ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Hinc credo ortum eſt prouerbiali forma; vt magnum aliquod auxilium, quod à Deo prouenit, hoc ipſo, aut ſimili dicendi modo ſignificetur. Sanè nihil eiuſmodi accedit Dauidi, qui tamen cùm ſæpè à Deo contra hoſtes numero, ac robore præſtantes adiutus eſſet, ſimilia ſibi contigiſſe prædicat. Sic autem ille Pſal. 17. quem vt ex eius titulo conſtat, tunc cecinit, quando eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul. Dixerat v. 8. *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.* Deinde, cùm quale foret diuinum auxilium, explicaret, ait v. 16. *Intonuit de cælo Dominus & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos; fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Sic fortaſſe dum Anna dicit: *Super ipſos in cælis tonabit*; nihil ſignificat aliud, quàm auxilium miſſum eſſe de cælo, & fauente Deo conciſum fuiſſe, aut exanimatum inimicorum exercitum, & Principes deturbatos è ſolio; & pauperes, quique ſuperborum patuerunt opprobriis, in ſublimem gradum excitatos. Hæc mihi non improbabilia; in priorem tamen explicationem pronior eſt aſſenſio.

41. *Quomodò pro Dauide è cælo dimicatum.*

Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.] Hæc item alij propheticè putant ab Anna prædicta. Quæ plerique de Chriſto capiunt, cui Deus iudiciariâ dabit poteſtatẽ, vt fines terræ, quos ſuperbi antè, atque auari principes moderati ſunt, quique regni ſceptrum, ſeu potiùs iugum, non tam ſuis, quàm ſubditorum humeris impoſuerunt. Hos igitur terræ fines longè aliter iudicabit, ac moderabitur Chriſtus, qui vt de illo Iſaias cecinit cap. 9. totum Imperij ſui pondus ipſe portauit: *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Commodè autem de Chriſto iam Rege, ac iudice ſermo inducitur propheticus; quia prùs depoſitos eſſe dixerat è regali, aut regali proximo ſolio principes, quique de ſe vana loquebantur, & magnifica; pauperes verò, & iuſtos exaltatos. Horum magiſter, & exemplar fuit Chriſtus, quo nemo in terris magis ab omni naturæ ſubſidio, nemo ab omni dignitatis publicæ ſplendore, atque ornamento nudus. Adeò vt virorum nouiſſimum, & vt loquuntur Phyſici, *minimum quod ſic*, vocauit Iſaias cap. 53. & ipſe Pſal. 21. *vermem* ſe appellet, & *non hominem, opprobrium hominum, & plebis abiectionem.* Huic igitur Deus tanquam Iudici iudiciariam virgam, & tanquam Regi ſummum tradidit imperium. Spectaſſe verò in Chriſto abiecto, & paupere, id quod in pauperibus aliis Deus ſpectare ſolet; vt illos nempe ex puluere ſuſcitet, & ſtercore, ipſa ſtatim aperit Prophetiſſa, dum ait: *Et ſublimabit cornu Chriſti ſui:* id eſt, cuius cornu abiectum & fractũ eſſe vidit illum confirmabit, & in ſublimem attollet ordinem, & locum. Quid autem ſit *exaltare*, ſeu *deprimere cornu*, paulò antè diximus in principio capitis.

42.

Chriſtus à patre poſt crucẽ exaltatus.

In hunc ſenſum accipiunt Chaldæus, Abulenſis 43.

sis, Hugo, Dionysius, Iansenius, Lyra, & ex parte Theodoretus; & Euthymius. Alij hæc de Samuele accipiunt, qui iudicauit Israelem; & de Regibus, qui illius loco deinceps rem curauerunt publicam. Et de hoc argumento tertiam Abulensis expositionē instituit; & indicat Septuaginta translatio, quæ, pro *Rege*, in plurali numero *Reges* adhibuit. Neque mihi displicet, si ita hunc locum in Cantico postremū interpretere, vt Deus auferat imperium à Rege non suo; id est, qui consilia sua diuinæ voluntati non subdidit, qualis est vir potens, & princeps in populis: & tradat Regi suo; id est, iusto, qui voluntati Dei in gubernando attemperabit suam, viuétque, instituétque alios iuxta legem sibi datam à Domino. Atque ideò illius cornu, atque potentiam, quam Principum arrogantia pessundabat, quò plus habeat authoritatis, in sublimem locum excitabit. Hic finitur Annæ Canticum: deinde pertexitur Samuelis historia.

Deus regnū aufert à Regibus impiis.

44. Vers. 11. *Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.*] Reuersus est Elcana cum vxore, totáque familia in Ramatha, & infantem triennem reliquit in Templo, vt Leuiticam operā manaret Sacerdoti: & interim dum aliquid roboris accederet ætatulæ, sui ordinis ministeriis assueseeret. Quid autē in Templo tantillus puer præstare potuerit, non video; aliquid tamen operæ impendisse Sacerdotis imperio, præsens hic locus indicat. Chrysostomus tomo 1. homil. de Samuele, non exiguam indicat à triennali puero datam operam Sacerdoti.

45. Quod ego sic interpretor: Opus Sacerdotis, est alios ad bonā mentē, & pietatis studium instituere; quare qui ad hunc vsū aliquid confert operæ, siue exēplo, siue labore suo, ille sanè cū Sacerdote facit, & aliqua illum sollicitudine alleuat. Neque ille minùs est in conspectu Domini, quàm Sacerdos, quicumque ille fuerit; quia Deum præsentem habet, & assiduum sibi, cuius studio, ac voluntati seruit. Quomodò verò hunc vsum Sacerdoti, ac populo præbuerit, indicat Chrysostomus suprà: *Quanquam puero*, inquit, *ætas erat immatura; virtus tamen aderat matura; nam ascendentibus in Templum omnibus multæ religionis, ac pietatis magister factus est. Siquidem illi, dum inquirunt, discúntque modum natiuitatis illius, abundè magnum solatium accipiebant spei, quæ est erga Deum. Neque quisquam viso puero tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum, à quo præter spem datus erat.* Hæc Chrysostomus. Sed addo ego, ministrare Samuelem Deo coram Heli, cùm modestiam docet in Templo seruari, cùm tantillus in conspectu Domini genibus insistit, cùm orat, & silet: quod in ætatula illa triennali perquàm rarum est; cùm vixdum natus, iam se totum Deo, habitu ipso, si quis erat Nazaræis peculiaris cultus, consecratum esse fatebatur. Sanè ephod illud lineum, quod singulis annis accipiebat à matre, aliquid indicabat diuino destinatum cultui: & res erat ad pietatis studium perquàm grauis, videre infantem illi iam ordini deuotum, in quo multa inueniebantur humanæ cōmoditati contraria. Nazaræus enim neque cæsariem tonsione deponit, neque vinum, & quod ex vua nascitur, gustare permittitur. Hæc verò populo, qui delicias captat, & voluptariis sensibus impense blanditur, magno ad temperantiā incitamento sunt. Alij ministeria infanti Samueli Abulensis attribuit, q. 8. vt, quòd custodiret Tabernaculum, excubaret ante arcam, aperiret, & clauderet Tabernaculi portas. Sed hæc in aliam Samuelis ætatē aptè cadunt, in infantilem nullo modo; sicut alia, quæ Vatablus meditatur. Ego si ætatem illam triennalem considerem, nullum aliud in Samuele ministerium intueor: sed fortasse hîc de alia etiam ætate iam magis adulta sermo est, in qua in Tabernaculi custodia ac cura, magno Samuel Sacerdoti potuit esse subsidio.

Infantes quomodò maiores nasu ad pietatem instituant.

Ante faciem Heli.] Quid sonet litera, difficile non est; nempe assistere semper Samuelem Heli, & ab eius in omnibus nutu pendere; sicut seruus dicitur esse coram domino, aut ante domini faciem, ita vt à domini oculis nunquam oculos dimoueat suos. Præterea erat ante Sacerdotis oculos, ne quid faceret, quod lateret magistrum, aut quod seuera Sacerdotis lingua non corrigeret. Quod vt in omni ætate necessarium est, sic etiam maximè cùm rudis est ætas, & non aliter quàm mollis cera in varias imagines formari potest. Ad morum autem innocentiam plurimum habet momenti alienus oculus; siue ille sit Dei, qui nusquam abest, quippe intima spectat animi cōsilia; siue hominis, qui nostra & videat attentè & accutè corrigat. Senecam audi, qui ad formandos, & continendos in officio hominum mores plurimum in hoc documento statuit esse momēti. Qui sic ad Lucilium lib. 1. epist. 10. *Sic viue cū hominibus, tanquam Deus videat; sic viue cum Deo, tanquam homines audiant.* Et eodem lib. Epist. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem veneretur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Elige itaque Catonem: si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virū Lælium; elige eum, cuius tibi placuit vita, & oratio, & ipsius animū ante te ferens, & vultus illius tibi semper ostende, vel custodem, vel exemplū.*

46. *Præsentem habere Deū aut homines bonos magnū ad virtutem subsidium.*

Vers. 12. *Porrò filij Heli, filij Belial: nescientes Dominum, neque officium sacerdotis ad populum.*] Quinam sint *filij*, aut *viri Belial*, suprà à nobis cap. 1. dictum est. Sunt autem illi, qui aut legis nunquam subierunt iugum, aut cùm aliquando recepissent, excussérunt à collo. Qui quò suis obsequantur commodis, aut voluptatibus, nihil habent pensi, quid recta ratio, quid lex humana, vel diuina præscribat. Quid autem sit *filius Belial*, id quod statim adiungitur, optimè declarat, quod est illius accommodata descriptio. Qui nescit nempe Dominum; id est, qui de Deo non magis curat, ac si Deus non esset, aut certè formatus ex argilla, aut dolatus è ligno, in quo nullus esset spiritus, ac sensus. *Scire* autem, *cognoscere*, & similia in Scriptura sacra idem est, quod opere complere, quod scias. Quòd si ex tua cognitione, quæ practica esse debet, nullus sequatur cognitioni consequens, & accommodatus euentus, existimaberis iuxta prudentū hominum sensum, nullam habuisse rerum cognitionem; quia illa mortua est, aut otiosa. Qua de re sæpè à nobis dictū est. Eodem modo dicuntur nescire Sacerdotum officium, quia licèt ritus omnes sacrificales nossent; longè tamen erant, vt illos in sacrificando religiosè seruarent. Vt docent, quæ mox dicuntur.

47. *Belial quis.*

Quis dicatur scire legē, aut Dominum.

Vers. 13. *Sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentē in manu sua.*] Multa peccabant

48. *Filiorū Heli grauia peccata.*

bant hi duo Sacerdotes,& Sacerdotis magni filij, qui hoc loco Sacerdotis vocantur pueri. Primùm, quia cùm ex victima tantùm Sacerdoti deberentur pectuſculum, & armus (ex victima, inquam, pacifica, de qua hîc videtur eſſe ſermo, Leuit.cap.7.) ipſi tamen aut reſpuebant has partes,vt alias, quæ ſibi magis erant ad palatum, acciperent; aut cum ipſis alias etiam tollebant è ſolida victima,quę vel ad Deũ de more,vel ad victimarũ dominos pertinerent.Et id multò magis videtur ad literã:nam dũ carnes de more coquerentur,Sacerdotis pueri,Ophni videlicet,& Phinees,aut certè eorum nomine pueri in eam curã miſſi, cum tridente fuſcinula capiebant ex lebete,vel olla,ſemicoctas carnes, quaſcumque ferreum illud triſulcum inſtrumentum extraheret; vt deinde, prout Sacerdotes illi vellent, attemperatè ad illorum palatum variè condirent,contra quàm lex ſtatuebat antiqua; quæ non aliter quàm aſſas, aut elixas immolatas carnes comedi iubebat. Neque hoc faciebant cum vno, aut altero ſacrificantium; ſed quaſi hoc eſſet in re ſacrificali legitimum, nemo ex toto Iſraële,qui ſacrificatum aſcenderet in Silo, hanc ſiue vim, ſiue iniuriam declinare poterat. *Sic*, inquit, *faciebant vniuerſõ Iſraeli venientium in Silo.*

49. *Victima pacifica quomodò diſtribuenda.* Porrò,vt paulò antè dicebam, hæc intelligenda ſunt de victima pacifica, cuius pars aliqua ad Deum,aliqua ad Sacerdotem, aliqua ad victimæ dominum pertinebat; vt liquet ex Leuit. cap.3. vbi v.9. præſcribitur, quid Deus ex victima pacifica ſibi ſeruatum velit. *Offerent*, inquit, *de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino, adipem, & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque vniuerſa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe, quæ eſt iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis, & adolebit ea ſacerdos ſuper altare in pabulum ignis, & oblationis Dei.* Ad Sacerdotem verò pertinebat pectuſculum, & armus dexter. Leuit.7. v.31. *Pectuſculum autem erit Aaron, & filiorum eius: armus quoque dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis.* Quidquid præterea eſt reliquum, id totum victimarum domino relinquitur,vt habes ſtatim v.16.

50. *Victima pro peccato diſtributio.* Ex victima pro peccato adipem, & reliqua, quæ ex hoſtia pacifica Deus ſibi vẽdicat; & præter hæc etiam caudam: Leuit. 7. v. 3. *Offerent ex ea caudam, & adipem, qui operit vitalia, duos renunculos, & pinguedinem, quæ iuxta ilia eſt, reticulumque iecoris cum renunculis. Et adolebit ea Sacerdos ſuper altare; incenſum eſt Domini pro delicto.* Reliquum ad Sacerdotes pertinet, neque ex ea quicquam ſibi ſumit,qui victimam obtulit. Statim v.6. Holocauſtum totum eſt Dei, quia totum in altari comburitur, vnde nomen accepit. Quare cùm de holocauſto nihil poſſet ſumere Sacerdos; neque illud coqueretur in olla; ſed totum aſſaretur,& conſumeretur igni, non erat locus tridenti fuſcinulæ, qua carnes extrahebantur ex olla. De victima pro peccato, non erat quod reprehenderetur Sacerdos, ſi inde ſumeret quidquid vellet, cùm demptis adipe, & cauda, reliqua cederent in Sacerdotum epulas. Quare quæ hactenus dicta, de pacifica victima intelligenda ſunt. De his,quæ ſequuntur,fortaſſe alia ratio eſt.

51. *Adeps ex victima debetur Deo.* Verſ.15. *Antequàm adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti.*] Primùm ex ſacrificiis offerebatur Deo, id quod ſibi ipſe vendicabat è victimis; adeps videlicèt, & illud, de quo paulò antè in ſacrificio pacifico, & pro peccato dicebamus. Quod etiam inſtitutum apud vrbanos, & bellos in conuiuiis obſeruari cernimus. Primum enim aut ferculum, aut poculum illi porrigitur, qui aliquo in ordine ſuperior eſt; quod omen eſſe poſſet benè inſtituti, atque auſpicati conuiuij. At iſti irreligioſi,& inurbani Sacerdotes ſumebant ſibi primum in eo ſympoſio, imò & alienum ferculum; nam antequàm adoleretur adeps, carnes è victima crudas extorquebant: neque incredibile eſt, qua erant impudentia, & vitæ turpitudine, cum carnibus etiam abſtuliſſe adipem,& illa omnia, quæ Deus è tota hoſtia ſibi reſeruarat. Quod ego tam de victimis pacificis, quàm de illis, quæ pro peccatis immolantur, intelligo: in vtraque enim, quod eſt in victima pingue,comburitur,& adoletur Deo. *Nobiliori primum ferculum, & melius.* 52.

Verſ.16. *Dicebatque illi immolans: Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcúmque deſiderat anima tua.*] Modeſtiſſimè immolantes Sacerdotum audaciam,& nimis intemperantem ingluuiem cohibebant: neque enim negabant aliquid ex eo, quod ad ſe de tota pertinebat victima, (quod de pacificis erat, vt diximus) quicquid erat reliquum, præter adipem, quem Deo,& humerum,atque pectuſculum,quæ Sacerdoti lex ſacrificalis deſignabat. Tantùm enim orant, vt legitimè Deo, quicquid illi debetur ex immolata victima,tribuatur,incenſo priùs adipe: de reliquo enim non laborant, libenter aiunt ſe laturos, ſi à ſanctificata, ſibique à lege deſtinata carne ieiuni redeant. Sed nihil profecit hæc tam modeſta, atque humilis ſupplicatio apud eos, qui non ſolùm pudorem apud homines; ſed etiam apud Deum omne abiecerant religionis officium.

53. *Deo vni debetur cor.* Cur autem immolantes tam doleant ex victima, in qua tanquam in imagine, perſona, & ſtudium immolantis exprimitur,adeps,& renes non immolentur priùs, quàm reliqua in vſum hominum veniant, illa poteſt moralis aſſignari ratio, quam in epiſt. 128. ad Fabiolam tom. 3. adducit Hieronymus; qui in adipe, qui vitalia cooperit; & renibus,qui Deo ex victima primùm omnium adolentur, aliquid agnoſcit myſticum:de cordibus enim cogitationes exeunt,in renibus concupiſcentia eſt. Hæc igitur primùm omnium immolanda ſunt Deo, in quibus totus ſacrificatur homo, & fons totus libatur, vnde reliqua profluunt, ex quo libamenta alia, atque opera vim accipiunt moralem,qua placatur Deus, & ita afficitur in alia, vt illi odorem ſuauitatis inhalent. Quare iure pluſquàm optimo dolent, qui orant, vt primùm adoleatur adeps, & præcordia; ne ſi hæc priùs Deo oblata non fuerint, reliqua, vtpotè minùs ordinata,diſpliceant. Hæc verò igne cremantur, & non niſi in altari, cuius ignis eſt ſacer; quia cæleſtis ignis, qualis eſt Spiritus ſanctus, aut qui eſt à charitate, omnem in renibus, atque præcordiis humorem debet exurere, & quæ inde ebulliunt cupiditates,elidere. *Niſi cor offeratur Deo cætera non placent.*

54. *Qui reſpondens aiebat ei: nequaquam, nunc enim dabis, alioquin tollam vi.*] Hinc apparet intolerabilis Sacerdotum inſolentia, & ſtupor, qui non iam ſimulatè, ſed apertè vim propè afferunt hoſtilem,& primùm indebita ſibi poſtulant, & quæ Deo debentur, aut præſtari omninò vetant, aut certè tempore non ſuo; id eſt, poſteriori. Quod perinde faciunt,ac ſi negarent ante omnia Deo offerendum eſſe cor;vnde efficerent, quantum in ſe eſt,vt negato corde, à quo accipiunt dona, vt grata Deo ſint,reliqua ingratum aliquid, & moleſtum

Ingratum sacrificium cùm aliquis suo, non se Deo offert.

lestum aspirent. Quod si profanus aliquis audet, nemo sanus, & pius ferendum putaret; quàtò minùs cùm Sacerdos faciat, cuius est populo cõciliare Deum, & quæ Dei sunt, accuratè præstare? Obtulit Cain oblationem Deo, ingratam tamen; quia malè diuisit, quia sibi se reseruauit totum, & quæ extra se erant, obtulit Deo. Contrà verò Abel, quia seipsum obtulerat priùs, gratum Deo ex suis obtulit sacrificium. Facit verò maximè ad hunc locum explicandum; quòd Abel de primogenitis dicitur obtulisse victimas, & de eorum adipibus sacrificasse. Ex quo intelligi potest, iam inde à prima mundi constitutione primogenita sibi Deum è gregibus, & ex animalibus adipem elegisse, in quibus cor intelligitur, & præcordia: in primogenitis enim optimè cordis exprimitur natura; quia vt primogenitus primum in nascendo nactus est locum, sic etiam in animali primum viuit cor; & in moralibus cordis intentio, ex qua moralem vim, & naturam actiones sibi sumpserunt humanæ. Vbi Vulgatus de Cain, Genes. 4.v.7. *Nonne si bene egeris, accipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit?* Septuaginta legunt: *Nonne si rectè offeras, malè autem diuidas, peccasti?* Vbi peccati arguitur Cain, quòd non bene se, ac sua in sacrificando diuiserit; quia nimirùm typicum adipem; id est, cor negauit Deo, & sibi retinuit: & quæ extra seipsum erant, quæ Deus sine corde non admittit, ad altare detulit. Quid autem sit *malè diuidere*, explicuit Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel cap. 6. & 7. *Non quantitas oblationis, sed animus reddentis, & qualitas consideratur, & affectus. Rectè igitur Cain obtulit; quia oblatio insigne deuotionis, & indicium gratiarum est: sed non rectè diuisit; quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret authoris.* Rupertus lib. 4. Commentariorum in Genesim c. 2. *Cain cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit: sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi: at Cain cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem primò cor suum, deinde rem suam,* &c. Ex quo sequitur perquàm aptè ad nostram cogitationem, quod proximè succedit; *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius:* quia in primogenito, & adipe seipsum obtulerat: Atque ideò quæ deinde ex tali oblatione nata sunt, quia offerentis secum portabant animum, non potuerunt esse non accepta. Non autem respexit ad Cain; quia Deo non fuerat oblatus: atque ideò neque respexit ad munera, quæ non erant typico, de quo priùs, adipe condita, quia longè à muneribus aberat animus.

Cur Deus non oblationẽ, sed animum intueatur.

56. Vers. 17. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini.*] Cùm alias ob causas filiorum Leui peccatum esset graue, tum quia ex sacrificiis illa sumebant sibi, quæ non tribuebat Templi, sacrorumque religio; deinde alia ante legitimum tempus; id est, antequàm adeps, & præcordia offerrentur Deo; & alia pleraque, quæ hanc intemperantiam, & iniuriam sequebantur, aut inerant; meminit tamen scandali, quo aut pietatem retardabant hominum, aut studia sacrificantium morabantur. Quod cùm in aliis non leue sit peccatum, in Sacerdotibus non poterat esse non grauissimum; quorum id est munus, vt pietatis, ac religionis studia promoueant; & homines, si in officio pietatis implendo frigere contingat, illorum acuant desidiam, & prorsus inflamment. Homines verò ideò à Templo absterrebantur, & sacris, quia videbant nihil in sacris fieri legitimè, neque eo ingenio esse Sacerdotes, vt eorum commodis consultum esse vellent; cùm optare potiùs debuerint, vt male illis esset, quorum mores, & vitam non probabant. Alia deinde horum Sacerdotum ostenduntur flagitia, quæ religioni incõmodarunt plurimùm; de quibus nos suo loco pluribus. Vide in nostris Commentariis super Oseam cap. 5. grauem Domini reprehensionem contra Sacerdotes; quia scandalo fuerunt aliis, quominùs ad Templum victimas vt ante deferrent. *Audite hoc sacerdotes, &c. quia vobis iudicium est: quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor: & victimas declinastis in profundum,*

Sacerdotum grande peccatum, aliis esse ad virtutẽ scandalo.

Vers. 18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.*] Quo modo Samuel adhuc tantulus ministrare potuerit in Templo, & Leuiticam operam nauare Sacerdoti, diximus suprà, cùm explicaremus eadem prope verba v. 11. De Ephod aliquid hoc loco necessariò dicendum. Et primùm, quærendum, an Leuitis aliquod certum esset indumenti genus, quod illos à laica, atque vulgari turba secerneret. Mihi certũ est, Leuitis nullam à lege designatam vestimentorum aut formam, aut materiam; cùm tamen si qua foret Leuitarum specialis vestis, non videretur omittenda his in locis, in quibus de Leuitarum consecratione satis videtur actum esse minutim. Numer. cap. 8. v. 6. Neque Sacerdotes ipsi extra Templum, sacrificaléque ministerium, vllam priuatam habuerunt vestem, & à vulgari diuersam. Qua de re nos plura in nostris Commentariis super Ezechiel cap. 14. v. 17. & cap. 42. v. 14. Erant autem vestes illæ lineæ, neque quicquam laneum in sanctuarium inferri fas erat, Leuit. 16. v. 8. Exod. 28. v. 40. & clariùs Ezech. cap. 44. v. 19. *Cùmque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induantur, nec ascendet super eos quicquam laneum, quando ministrant in portis atrij interioris, & intrinsecùs.* Has porrò vestes extra Sanctuarium offerre non licebat, etiamsi aliquid fieri oporteret, quod aliquid esset, aut appareret sacrum, Leuit. 6. v. 10. *Vestietur tunica Sacerdos, & feminalibus lineis, tollétque cineres, quos vorax ignis exussit, & ponens iuxta altare expoliabitur, indutusque aliis efferet eos extra castra.* Idem Ezech. cap. 40. v. 14. Quare Sacerdos egressus è Sanctuario, nullo signo distinguebatur à laica, seu populari turba. Ita Iosephus lib. 6. de bello cap. 6. vbi sic de Sacerdotis ornatu loquitur, vt dum sacris non operatur, dicat nullo modo à plebeio secerni. Loquitur autem de Sacerdotibus cæcis, qui propter illud naturæ vitium, non iam ampliùs obeunt sacrificale ministerium: *Qui ex origine Sacerdotum genus ducentes cæcitatis causa munere non fungebantur, cum incolumibus intra limitem aderant, partémque generis consequebantur, vestibus tantùm vtebantur plebeiis, quoniam sacerdotali solus, qui sacra celebrabat, amiciebatur.*

57.

Leuitis nullum certum vestimentorum genus ante Dauidis tempora.

Sacerdotibus extra tẽplũ nullũ certum genus vestimenti.

In templi atrio interiori nihil laneum.

Erant igitur vestes illæ sacræ, quæ non efferebantur è Sanctuario, neque adhibebantur, nisi ad altaris, sacrorumque ministerium, sicut vestes illæ, quas in Ecclesiæ sacrario ad sacros vsus seruant æditui; quæ non erant tam Sacerdotum comparatæ sumptibus, quàm à rerum sacrarum curatoribus ad sacerdotales vsus concinnatæ. Sanè vt author est Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. non longè ante medium: *Salomon stolas sacerdotales è byssо fieri curauit, cum decies mille Zonis purpureis; item alias stolas byssinas Leuitis hymnorum cantoribus numero ducenta millia.* Qua ratione cùm tempore

58.

Pro Leuitis vestimenta à Salomone comparata.

Moysis

Moysis nullum Leuitæ habuerint certum indumenti genus; secùs autem tempore Dauidis, & Salomonis,& quando Tabernaculum in Chanaanitide regione consedit, docet Abulensis in huc locum.

59. *Ephod duo genera.* Obseruandum præterea duplex esse *Ephod*, quod aliqudão Hieronymus *superhumerale* vertit. Septuaginta conuerterunt ἐπώμιδα: Alterum pretiosum, varium, multicolor;quod vni concessum est Sacerdoti Maximo, quod latè Exod. 28. cap. describitur: Alterum est lineum, quod assumebant Sacerdotes, cùm suum sacrificij causa atriũ ingrediebantur; & in eodem ministerio, ac loco *Ephod* item lineo vtebantur Leuitæ. De Sacerdotibus est illud 1. Reg. cap. 22. vbi ad imperium Saulis à Doeg Idumeo occisi dicuntur octoginta quinque Sacerdotes vestiti Ephod.Hæc porrò vestis nõ videtur fuisse sacra,quãdo illa vsi videntur qui neque sacri erãt,neq; è sacerdotali genere.Sanè ea indutus erat Samuel,antequàm ad eam ætatem peruenisset, vt consecrari Leuita posset. De consecratione Leuitæ habes Numer.cap.8.v.6.& v.24.vbi dicitur,ne ante annum vigesimum quartum sacrificandi gratia in Tabernaculum ingrediantur.Et Dauid cùm non esset è sacerdotali genere;Ephod tamen lineum,quali,opinor,vtebantur Leuitæ, ac Sacerdotes, induit: de quo 2. Reg. cap. 6.v.14. *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. Porrò Dauid erat accinctus Ephod lineo.*

Ephod lineũ non videtur esse vestis sacra.

60. *Samuel cur indutus Ephod.* Cur in ea ætatula Samuel habuerit Ephod; cùm tamen neque consecratus fuerit Leuita, neque per ætatem consecrari potuerit; ea videtur ratio assignari posse: Quia sicut Dauid ante arcam operam sumpsit aliquo modo sacram; atque ideò veste aliquo modo sacram, certè religiosam indutus est:sic Samuel,quia in Tabernaculo erat Sacerdotis minister, indumento potuit aliquo modo sacro vestiri. Neque quisquam posset,consideratæ Samuelis ætate, suspicari, illum esse ministerio Leuitam, licet esset ex genere Leuitico; sed eo vestimenti genere, aut quid amaret puer, aut ad quod vellet vitæ genus institui. Sicut in Hispania, & aliis etiam, vt opinor, prouinciis, matres filios suos adhuc infãtes monachali habitu induere solent; vt à primis annis religionem ament, & quoad ferre posset infantilis ætas,religiosis moribus assuescant. Adde, quòd Anna filium illum sciebat sibi datum à Domino, atque ideò speciali voto Deo consecrarat. Id verò Anna significare voluit tunica illa linea, quæ non tã Leuitam esse filium, quàm futurum ostenderet; quod non ignorabat Sacerdos Heli; atque ideò ferebat non inuitus. Historia Scholastica in lib. 1. Reg. cap.4. Ephod illud lineum propheticum esse dicit, non sacerdotale. Sed neque tunc Samuel prophetici spiritus vllum præbuerat documentum,neque vestis linea erat Prophetarum insigne;sed saccus cilicinus, aut pallium saccinum, vt docuit Zacharias cap.13.v.4. vbi nos ea de re pluribus. Quale habuit Isaias,cap. 20. & Elias 4. Reg. cap. 1. Theodoretus q. 8. putat id Samueli concessum ab Heli,quia in illo aliquid videbat eximium efflorescere. Sed ille de eo videtur agere Ephod,quod vni Sacerdoti concessum est.

Prophetarũ vestimentũ è Sacco.

61. Illud mihi videtur minùs abs re,concessum esse à Sacerdote summo Samueli;vt in Tabernaculo coram Deo, seu ante faciem Domini; id est, in interiori atrio ministraret; quò non quiuis è populari turba, qualis tunc censeri poterat Samuel admittebatur.

Vers.19.*Et tunicam paruam faciebat, ei mater sua,* 62.
quam afferebat statutis diebus.] Quam priùs appellarat Ephod,nunc tunicam illã appellat paruam, si modò illa tunica erat è lino,& non potiùs è laneo textu consuta, aut maternis manibus opere textili, aut sutili confecta.Abulensis in hunc locum Ephod esse putat; ego eò magis inclino, vt putem aliud quiduis esse potiùs quàm Ephod. Primùm, quia Hebraicè non est אפור *ephod*, sicut proximè, sed מעיל *mehil*. Quod statim adiunxit tanquam aliquid diuersum. מעיל *mehil* autem varij variè conuertunt.Vulgatus modò Vestẽ,modò *tunicã*,aut *palliũ* trãsfert.Neq; minùs sollicita esse debuit mater de vestibus,quę infãtile corpus calefacerent, quæque non videbant ut Sacerdotis impendio comparandæ, quàm de stola, siue Ephod lineo, quod nullo suo sumptu è Tabernaculo accipiebant Leuitæ. Et cùm in Tabernaculo tantùm,sacróque ministerio Ephod gestare Sacerdotibus, ac Leuitis liceret, non tam vsu detereretur ac consumeretur Ephod,quàm vestes aliæ cõmunes,quæ gestantur vbique,& ad omnes alias functiones adhibentur. Quare de illis à matre singulis annis prouisum oportuit.

Vers. 20. *Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori* 63.
eius.] Cùm multa significet *benedico*, interdum tamen neque infrequenter idem valet, quod *bene precari*. Habebat autem Sacerdos præscriptam à Deo, & quasi legitimam benedicendi formam. Sic autem Deus ad Aaron, & filios eius. Num.6. *Benedicetis filiis Israel,& dicetis eis:Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem tuam tibi, & misereatur tui: conuertat Dominus vultum suum ad te, & det pacem tibi.*Et hanc sine dubio benedictionem duobus coniugibus impertitus est Heli:*Reddat tibi Dominus*,&c.

Benedictio Sacerdotalis qua.

Hæc opinor tunc esse dicta,cùm puer primùm 64.
adductus est in Silo, & Templo consecratus, & Sacerdotis curæ, atque tutelæ creditus. Hæc verò per recapitulationem dicta sunt, siue quod idem fermè est, præteritum profectum pro plusquàm perfecto ponitur, quod accidit in Scriptura non rarò. Qua de re nos pluribus in cap.3. Danielis ad illud v. 49. *Angelus autem Domini descendit in Azaria.* Quod ideò accidit sæpiùs, quàm in aliis pleriſque linguis, quia apud Hebræos vna tantùm vox est vtrique tempori communis.Quare sensus est: Benedixerat Heli iam antè Elcanæ. Quam cogitationem confirmat, quòd statim ratio additur, cur optet, preceturque Sacerdos, vt Deus Elcanam, & vxorem ampliori posteà fœtu nobilitet; quia quem habuerunt primogenitum, tam liberali manu consecrarunt Deo, & à se ipsis prorsus abdicarunt. Id verò factum est,non cùm singulis annis nouus à matre afferebatur amictus; sed cùm primùm triennali ętate Samuel deductus est ad Templum.

REGVLA. *Præteritum perfectum pro plusquã perfecto.*

Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœ- 65.
nore, quod commodasti Domino.] Obseruat Chrysostomus homil. 3. de fide Annæ, dici hoc loco Deum non tam dare, quàm reddere, quasi fœnori Samuelem accepisset, qui sicut pecunia creditori vsuras, sic ille parentibus aliquod in eodem genere incrementum pareret. *Initio*, inquit, cap. 1.v.17.*non dixerat, reddat tibi; sed det tibi Deus: verùm posteaquàm illa Deum fecerat debitorem, ait;reddat, bonam de futuro spem præbens. Etenim si dedit, cùm nihil deberet, multò magis redditurus est, postquã accepit.* Hîc porrò obseruandum, vxoris voto, & pietatis studio consecratum esse Deo Samuelem; & tamen dictum ab Elcana parẽte accommodatum

Qui Deo aliquid offert illi fœnori dat.

tum esse atque oblatum Deo; & ideò pro illo fœnore susceptum ex Anna coniuge, fuisse felicem, & numerosam sobolem. Quia licèt Scriptura sacra non exprimat clarè; satis tamen indicat illius voti Elcanam exortem non fuisse. Et quidem cùm contradicere vir potuerit vxoris voto, & illud facere irritum, & vanum, vt habes Numer. 30. v. 11. cùm Elcana ratum esse voluit Annæ promissum, ipse quoque cum illa nuncupasse votum existimandus est.

Cur Elcana dicatur obtulisse Samuelem.

66. Vers. 21. *Et concepit, & peperit tres filios, & duas filias.*] Sicut terra, quæ felicem habet, & vberem glebam, multò plus reddit, quam accepit; imò nonnunquam cum prouentu centuplo: sic etiam Deus quod accepit; quasi debitor esset homini, & non potiùs etiam in accipiendo creditor, pro vno Samuele, quinam parentibus reddidit prolem. Obseruat autem Chrysostomus loco, de quo proximè, Samuelem ex prædictione, reliquos autem ex benedictione originem duxisse. Ea est enim benedictionis vis, atque potestas, vt fœcundam reddat vuluam antè concluſam, & domum ædificet, quã sterilitas assurgere non sinebat. Et quia hos non solùm coniugalis congressus, sed etiam sacerdotalis benedictio suscepit; ideò hi non solùm duorum coniugum, sed etiam Sacerdotis filij vocari possunt. *Totus*, inquit, *mulieris fructus sanctificatus est. Atque hic primogenitus fructus fœminæ virtuti debebatur; alter verò mulieris, ac Sacerdotis erat communis.*

Deus munificus redditor.

Quantum conferat ad fœcunditatem nuptialis benedictio.

67. Vers. 22. *Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui.*] Aperitur via, vt cognoscatur Samuelis animus spiritu instinctus esse prophetico. Quæ verò hoc loco dicuntur, longè post hæc tempora contigerunt, postquàm Samueli plusculum iam accesserat ætatis. Iosephus lib. 5. cap. 11. duodenum tunc fuisse tradit; fortasse hæc tunc erat Hebræorum traditio: neque enim vllum habuit ex Scriptura sacra fundamentum. Sed est satis verisimile, quia si ætate tũc esset magis tenera, non videbatur illi id oneris imponendum à Sacerdote, vt in Tabernaculo dormiret, & aliquod ibi nocturnum obiret ministerium, de quo sequenti capite. Tunc autem Heli senex erat valdè, & ideò grauiores curas, quæ ad Templi, reique publicæ administrationem pertinebant, filiis suis permiserat; à quibus illa admitti flagitia quotidianis querimoniis audiebat. De quibus paulò antè, & statim aliqua.

68. *Et quomodò dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.*] De hoc scelere multa multi dicunt. Quidam hoc scelus esse somniarunt, quòd fœminæ aut cogebantur, aut permittebantur expurgatorias, aut piaculares oblationes omittere, quas à partu in Tabernaculum deferre consueuerant; & ante impletum purgationis tempus à lege constitutum cum viris suis coniugales inire congressus. Ita quidam ex Hebræis, vt tradit Hieronymus in traditionibus Hebr. super lib. 1. Reg. Sed est verior, communiorque sententia, Sacerdotes ipsos filios Heli ad nefarium illud, sacrilegumque flagitium cum sacratis Deo fœminis, aut certè quæ religionis causa ad Tabernaculum constiterant, miscuisse corpora & domum illam, ac venerabile sacrarium impuro illo contaminasse commercio.

69. Sed est adhuc obscurum, quænam fuerint religiosæ illæ fœminæ, quibus tam insignis ad ostium Tabernaculi iniuria inferebatur. Quidam illas esse opinantur, quæ religionis ergo ieiunantes, & orantes excubias agebant; sicut olim in Ecclesia certa quædam festa fidelium peruigiliis celebrabantur. Quarum è numero fuisse videtur Anna illa, de qua Lucas cap. 2. *Non discedebat de tẽplo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens die, ac nocte.* Alij virgines quasdam esse putant, quas Templo, vel perpetuo, vel ad certum aliquod tempus dedicarunt parentes, vt operam impenderent quasi ancillarem Templo, in texenda sacra veste, & rebus aliis concinnandis, atque abluendis, quæ muliebris est artis, & industriæ: tum etiam vt à primis annis assuescerent pietati, quæ sicubi, in Templo maximè spectari, atque exerceri solet.

70. *Virgines oblatæ in Tẽplo.*

Ex his fuit, opinor, B. Virgo, quæ vsque ad ætatem nubilem in Templo commorata est, in quo à parentibus præsentata fuerat. De his virginibus est illud 2. Machab. cap. 3. *Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.* De his vide Ambrosium lib. 1. de Virgin. Nisſenus oratione de Christi Natiuitate. Plura collegit Frãciscus Suarez tomo. 2. disp. 7. Sed & fuisse alias ætate iam matura, & viduas, quæ assiduæ essent in Tẽplo, & spretis mundi deliciis, & muliebri cultu, Deo præsertim, & religiosæ occupationi vacarent, illud probat, quod Anna vidua die ac nocte non discedebat è Templo; & quod Exod. 28. v. 8. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi.* Speculorum autem dedicatio satis indicat, mulieres illas aut placere hominũ oculis voluisse, aut fuisse alias ob causas speciei ad elegantiam formandæ studiosas. Specula enim consecrant Deo; quia superiorem mentem, atque consilia damnant, neque humanis oculis amplius seruire volunt, quæ pluris faciunt modestiam suam, & lacrymosam faciem probari diuinis.

Item aliæ nõ virgines.

71. *Pro fœminis Templo consecratis, certus in Tẽplo locus.*

Iam porrò pro his, quæ grandiores, aut coniugali solutæ nexu in Templo viuebant, quàm pro illis, quæ primæ etiam ætatis rudimenta Domino consecrarunt, seceſſus quidam erant in Tẽplo, aut Templo saltem adiuncti, vbi secretæ viuerent à populari turba. Ita sanè Iosephus lib. 5. de bello cap. 12. vbi quarundã turrium meminit, quas muliebres appellauit; quia nimirùm in illis sacratæ Domino mulieres claudebantur. Cum his igitur fœminis, quæ purgationis, aut religionis ergo ad Templum accedebant; aut cum illis, quæ illibatum adhuc pudorem conseruabant, aut quæ legitimis viduatæ coniugibus, quod reliquum erat ætatis in Templo transigere decreuerant, dormiebant Sacerdotes illi; quas vel seducebant pretio, vel cogebant pro sua authoritate, vel callido, aut veteratorio consilio simplicitati illarum illudebant. Quiduis horum, aut omnia simul admittit litera, quæ confusè tantùm dicit *dormiisse Sacerdotes cum mulieribus, quæ ad ostium obseruabant Tabernaculi.* Omnes autem istæ mulieres, cùm illis lex nullo modo permitteret, vt Tabernaculũ ingrederentur, ab ostio potiùs obseruabant, quod intùs fieret, expectabantque, quid ab ipsis Sacerdotes curatum esse vellent. Cùm nihil ex litera in vtramlibet partem definitum esse videamus, ego in eam partem magis inclino, vt existimem à nullo harum fœminarum ordine effusam Sacerdotum abstinuisse libidinem.

72. *Parentum in filios nimia indulgentia.*

Vers. 24. *Nolite filij mei, non enim est bona fama, &c.*] Nimis erat Heli aut ingenio molli, aut animo plus satis filiorum amanti. Cùm enim non iam esset domesticum, sed publicum malum, quod respublica, atque religio à Sacerdotum intemperantia

rantia capiebat, deberet pater paterni nominis oblitus, & rei publicæ, atque ſacræ memor, cuius erat cuſtos, & vindex, ſeueriùs corrigere; & ſi opus eſſe videretur, in illos cenſorios, & hoſtiles ſpiritus imbibere. Sed planè ſe patrem eſſe meminit, non iudicem, atque illos beneuolo, ac leni blandimento filios ſuos appellat; neque alio illos compellaret nomine, ſi ſibi forent, atque diuinæ legi in omnibus audientes. Illud, *filij mei*, blandius aliquid ſonat, quàm Dei zelo inflammatum animum decebat. Quid tunc Heli in filios vſque adeò profligati pudoris facere debuiſſet, docent quidam è Patribus. Vide infrà, num. 90.

Quam graviter Deus ferat, ſi quid contra eius cultum fiat.

Vt tranſgredi faciatis populum Domini.] Nimis generaliter, atque confusè exprobrat Sacerdos filiis ſuis ingentia, plurimáque flagitia; neque illa enumerat explicatiùs, aut dolētiùs amplificat, ne filiorum animos aut amarè contriſtet, aut grauiter exulceret. Tantùm dicit, illos in cauſa eſſe, vt populus diuina tranſgrediatur præcepta: qua id ratione fecerint, nihil dicit; ſed non eſt cuilibet coniectatu difficile. Primùm, ſi quod Hebræi putant, accepta pecunia permittebant fœminis, quæ, vt ſe à puerperij ſordibus purgarent, Tabernaculum adibant, vt ante tempus à lege præſcriptum operam rurſus darent rei coniugali, facilè intelligitur, quomodò à diuinarum legum obſeruantia populum abducerent. Sed hoc ſuprà minùs putabamus eſſe probabile.

73. Ego aliter puto abductum eſſe populum ab eo, quod pietas, & religio poſtulabat; quod facilè colligere poſſe videor ex his, quæ ſuprà à nobis commemorata ſunt. Nam cùm Sacerdotes illi leges omnes ſacrificales tam inuerecundè peruerterent; qui piè, & religiosè ſacrificare volebant, cùm viderent ſecùs fieri, quàm factum oportuit, ſacrificiorum intermittebant officium, ne dum placare Dominum ſtudent, illius animum violata ſacrificali lege magis offenderent. Deinde, quia honeſtæ fœminæ, cùm viderent aliarum pudorem à Sacerdotibus tam apertè tentari, & tam procaciter, atque impudenter illudi, neque purgandi puerperij gratia iuxta legis præſcriptum Tabernaculum obibant, neque ad oſtium de more excubias agebant: & alia præterea omittebant plurima, quæ ab illis exigebat ſacrorum, Templique mundities.

74. Neque eſt incredibile, ſpectari in ſacro loco obſcænum aliquid, & execrabile, quale in Templum etiam ſanctiſſimum induxit aut contempta religio, aut nimiùm ſacrorum antiſtitum profuſa libido. Vt enim Iaſonis, & Menelai temporibus, qui cùm ſummi eſſent Sacerdotes, ſuis potiùs cōmoditatibus, ac voluptatibus ſeruiebant, quàm religioni, ac publicæ ſaluti; atque ideò in Templo, non Templi ſpeciem, atque munditiem, ſed proſtibuli turpe volutabrum videre te crederes, vt habes lib. 2. Machab. cap. 4. ſic etiam cùm fœminæ, quas neque pudoris, neque bonæ famæ vlla cura tangebat, cùm aliquid à Sacerdotibus compendij captarent, adibant Tabernaculum multò libentiùs, ac ſæpiùs, quàm pudicæ, neque admodùm illæ curarent, quid homines vulgò loquerentur, cùm Sacerdotum, ac Iudicum opes, & authoritas plurimum ex ea turpitudine, atque infamia detereret.

75. Verſ. 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?*] Multa hîc Abulenſis, & optimè, vbi Deum legiſlatorem conſiderat, & quaſi priuatam aliquam perſonam. Omnia, inquit, peccata quantumuis contra hominem, aliquam Deo faciunt iniuriam, quia legem ab ipſo latam conculcant, & violant, quæ vt grauia ſint, multò tamen grauiùs offendunt Deum, ſi illius cultum, & reuerentiam propriùs offendunt; qualia ſunt, quæ Dei domum aliqua ratione contaminant, quæ altari detrahunt, quæ Dei vocatur menſa, quæ ſacrificiorum ritus, ordinemque conturbant. Vt autem facilem ſe præbet legiſlator eis, qui contra leges à ſe latas peccauerunt; non autem qui legiſlatori ipſi, aut eius rebus intulerūt iniuriam: ſic Deus non ita placatur facilè illis, qui contra ſe, altari violato, aut omiſſo, aut malè peracto ſacrificiorum officio peccauerunt, quàm illis, qui pietate nulla ratione violata; in homines tamen; id eſt, in hominum ſalutem, & commoda extiterunt iniurij.

76. Ea porrò, quæ difficilè fiunt, iuxta Scripturæ ſacræ idioma, dicuntur fieri non poſſe. Sic Gregorius Nazian. oratione 36. qui poſtquàm varios vſus vocis *impoſſibilis* adduxit, qui non ſemper indicant aliquid fieri non poſſe; addit etiam illud impoſſibile dici, quod licèt à Deo poſſit fieri; ita tamen eſt difficile, vt nequaquam illud poſſit humana facultas obtinere. Et abſolutè in omni literatura, quod eſt difficile, appellari ſolet impoſſibile. Sanè Rhetores ab eo, quod valde exiſtimatur difficile, quaſi à re prorſus impoſſibili remouendam eſſe dicunt ſuaſionem; quia perinde habetur, ac ſi effici non poſſit. Hoc ſenſu impoſſibile dicitur Ierem. cap. 13. eum, qui à primis annis aſſuetus eſt peccatis, inſuetum animum honeſtæ diſciplinæ ad meliorem viuendi formam applicare. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Et illud Matth. 12. *Quomodò poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali?* Et huiuſmodi plurima occurrent in Scriptura paſſim. Cùm ergo his, qui proximè, ac directò peccant contra Deū, quales erant Sacerdotes iſti, qui præſcriptos à Deo ſacrificandi ritus violabant, & meretriciis ſordibus Tabernaculum implebant, difficilè Deus placaretur; placari illum poſſe negat Heli; id eſt, difficilè fore placandum, aut indignos eſſe, quibus Dominus placatum ſe, & propitium oſtendat.

Impoſſibile dicitur quod difficile eſt.

77. Hæc mihi explicatio difficilis non eſt; ſed adducam alias, quæ mihi viſæ ſunt ſatis ad veritatem, & literam. Prima eſt, non eſſe difficile orare Iudicem, & ab illo tandem exorare quod velis, ſi de legum ſeueritate aliquid velis eſſe remittendum; quando de iniuria aliis illata diſceptatio eſt; at quis hoc ipſum audebit poſtulare à Iudice, ſi contra ipſum ab aliquo peccatum? Quis illius vultum cum huiuſmodi precatione ſubeat? Quis non ſuo capiti ab indignato Iudice non timeat, dū alterius capiti cōſultū eſſe vult? Sic ſanè orare poterit quis Deum, vt iniuriam condonet, quæ irrogata eſt homini; non verò quam ab homine Deus ipſe iudex, & legiſlator accepit. Loquitur autem hîc Heli humano modo, quomodò ſi inter duos homines ſuſcepta foret controuerſia, qui ſuas iniurias vlciſcuntur, aut iudicant longè aliter, quàm alienas. Neque nouum eſt, vt Scriptura ſacra diuinas cogitationes, ac ſenſus ad humanas cogitationes accommodet. Nequæ præterea neceſſarium eſt, vt his Sacerdotis Maximi verbis ineſſe pondus exiſtimemus diuinę fidei: neque enim Scriptura probat quod ab Heli dictum; ſed tantùm narrat, quid ille in filiorum ſuorum obiurgatione dixerit; ſicut alia multa

REGVLA. *Interdùm Scripturæ humano modo de Deo loquitur.*

narran

narrantur dicta, quorum tamen fides ab Scriptura sacra non probatur. Iuxta hunc hominum sensum existimari posset dixisse Iob cap. 16. vers. 22. *Vtinam iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo.*

78. Aliam explicationem indicat Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad hunc locum, quæ mihi non omninò displicet. Sacerdotis, & Pontificis id proprium est, vt preces pro aliis, & sacrificium offerat, vt Deum placet, reddatque peccatori propitium. Ita Paulus ad Hebr. cap. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Quòd si Sacerdos peccet, cuius est munus sacrificare, & ad Dominum pro hominibus intercedere, quis Dominum orabit pro illo? nempe ex instituto. Hoc idem sub salis metaphora explicuit Christus Matth. c. 5. qui cùm alloqueretur Apostolos, quorum futurum erat sacerdotale, & salutare munus, dixit: *Vos estis sal terræ, quòd si sal euanuerit, in quo salietur?* Ait igitur Heli, si peccauerit vir in virum, est qui pro viro possit placare Deum, nempe Sacerdos, qui ex instituto orat, atque sacrificat. Quòd si vir (nempe Sacerdos) contra Deum peccet, quis erit, qui pro illo ad Deum preces, & sacrificium assumat? Si constaret *virum* posteriori loco pro Sacerdote sumi, mihi non videretur explicatio dura. Sed est planè durum viri nomen ad Sacerdotis officium coarctari; neque præterea quicquam apparet esse discriminis, siue homo in Deū proximè, siue in hominem peccet; pro vtrolibet namque peccato à Sacerdote sacrificia, & preces offerantur.

Graue est, & difficilius ad veniam peccatum sacerdotis.

79. Quare placet magis extrema solutio, quæ authorem, atque patronum habet nullum, quod ego viderim; sed, credo, illi aliquid aderit à ratione ponderis. Profanarant, vt vidimus, Sacerdotis filij, qui & ipsi quoque Sacerdotes erant, Tabernaculum Domini, dum fœminarum illudunt pudicitiæ, & speciem inducunt meretricij prostibuli; quare quantum in se fuit, Tabernaculum Dei; id est, orationis domum sustulerunt. Deinde dum sacrificiorum conculcant leges, & homines à sacrificando deterrent, ipsa quoque sacrificia sustulisse videbantur: hæc verò sunt, quæ Dominum peccatoribus placant, & ab illo gratiam ineunt, quam peccata prodiderant. Vnde sæpè audimus, *sacrificium pro peccato*, *sacrificium pro delicto*, *sacrificium pacificum.* Qui autem hæc faciunt, contra Dominum peccant; quia hæc proximè, vtpotè religionis opera, Deum intuentur. Erit igitur sensus: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; quia sunt in Tabernaculo sacrificia, quæ peccatorem Domino conciliant. At si vir contra Deum peccet, eo nimirùm modo, quo vos in Dominum peccatis, tollendo sacrificia, & preces; quis orabit pro eo? Id est, quod erit aliud sacrificium, aut oratio solemnis, & publica, quæ ex veteri instituto, à Domino veniam, & misericordiam extorqueat?*

80. *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.*] Statuerat Deus propter grandia illa flagitia Sacerdotis sceleratos filios interficere; atque ideò permisit, auxilium illis efficax negando, ne paternis mandatis obsecuti abstinerent à rapina, & à conculcando, & peruertendo legitimo victimarum ritu, à sacrilego concubitu, propter quæ iamdudum in suum caput suppliciū aliquod immane conflauerant. Dicitur autē Deus voluisse illos interficere, & ideò eos paternum respuisse consilium; quia Deus illis extraordinaria gratiæ auxilia non præbuit: quare non impulit in peccatum, sed tantùm illos peccare permisit. Hoc modo explicant communiter Theologi ea loca, in quibus videri alicui impio posset Deus vim aliquā adhibuisse peccatori, & illum ad peccandum egisse præcipitem: quomodò Pharaonem induraſſe dicitur, & alios obcæcasse; tradidisse alios in passiones ignominiæ, & in reprobū sensum; immisisse aliis operationē erroris, & similia. Ita Augustinus tom. 10. ser. 88. de tempore. Hieronymus epist. ad Hedibiam tom. 3. q. 10. & in illud ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Et in eundem locum, atque etiam in illud ad Rom. 9. *Quem vult, indurat.* Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Quomodò si pater opportunam correctionem, & flagellum intemperanti filio non adhibeat, vulgo hominum dicitur perdidisse filium, aut in crucem egisse; cum tamen neque illum ad mortem, neque ad crucem adegerit; quia neque compedibus alligauit, aut seueriorem applicuit medicinam, quæ illum reuocaret à suspendio. Sic ergo Deus duos illos filios Heli interficere voluisse dicitur, quia extraordinarium, & indebitum auxilium negauit, quo peccatū, quod punire voluit, & supplicium, quod iam antè decreuerat, peccator effugeret. Multa hac de re Scholastici. Vide Gabrielem Vazquez in 1. p. sancti Thomæ q. 23. art. 3. disp. 95. cap. 10.

Quo sensu Deus dicitur hominē obdurasse.

Quòd si, *quia*, particula rationalis non sit; sed idem valeat, quod *ideò*; quod aliquando in Scriptura sacra contingit; sensus erit expeditus magis; nempè duos illos filios non curasse, quid pater admoneret, & ideò Deum illos occidere voluisse. Certè illud Oseæ cap. 9. v. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos*; in hūc modum exponit Emanuel Sa. Neque alio fortasse sensu dixit de Magdalena Christus Lucæ cap. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*; id est, idcircò dilexit multum. Sicut diximus ad illū Oseæ locum, de quo proximè.

81. Quia, *idem quod ideò.*

Oseæ 9.

Luc. 7.

Vers. 26. *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.*] Non agebat Samuel in Tabernaculo otiosam, & inertem vitam; sed quantum ætatis modus patiebatur, spiritali vacabat otio, quo crescit in dies, & roboratur spiritus; neque plus ab ætate accedebat roboris, atque augmenti corpusculo, quàm animo ab oratione, & sacro ministerio. Cuius viuendi forma vt erat Deo grata, sic etiam apud homines & excitabat admirationem, & conciliabat gratiam. Hæc verò præparatio est ad illa, quæ mox capite sequenti dicentur de Samuele iam Propheta in ætate puerili, & de opinione, quam Sacerdos Heli de ipsius sanctitate conceperat.

82.

Vers. 27. *Venit autem vir Dei ad Heli.*] Quis fuerit *hic vir*, Scriptura sacra non explicat; neque nos aliquid asserere nisi diuinādo possumus. Rabbini antiquiores, vt in traditionibus Hebraicis tradit Hieronymus, aut quicumque est illius operis author, illum virum Phineem esse putant, quem etiam arbitrantur fuisse Eliam; vterque autem vehemens erat zelator legis, quæ tunc à filiis Leui cum intolerabili calcabatur impudētia. Sed hi errant suo more infantiliter; nam magnus ille zelator Phinees antiquior fuit, quàm vt ad Heli sæculum peruenire potuerit: ab ætate namque Phinees ad hoc vsque tempus anni interces-serunt non multò pauciores quadringentis. Elias verò longè post Heli mortem natus est. Rab. Salomon, vt tradit Lyra, Elcana Samuelis patrem

83.

esse

esse autumat. Abulensis hîc q. 22. Angelum. Quod si verum esset (quod non credo) magna foret Samuelis commendatio, cùm hominis præcursorem Dominus Angelum esse voluerit, qui ad illius propheticam fidem, earundem rerum prædictione viam aperuerit, & in hominum animis hospitium non difficile. Sed non est, cur à præcipua nomins significatione recedamus, quando nulla nos eò necessitas adigit. Licet enim Angelus interdum dicatur *vir Dei* (sanè Iudic. 13. Angelus, qui Annæ Sansonis matri apparuit, *vir* dicitur *Dei*; & in Testamento nouo non semel Angeli nominantur *viri*: vt Actor. 1. *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.* Et duo Angeli, qui apparuerunt ad Christi monumentum, *viri* dicuntur Lucæ cap. 24.) veruntamen *viri* nomen perquàm raro Angelicæ, humanæ verò naturæ propè semper tribuitur.

Angelus aliquando vir dictus.

84. Mihi certum est, hunc virum hominem esse Prophetam; quis tamen ille fuerit, prorsus incertum. Fuisse aliquos Prophetas, quorum tempus, & nomina Scriptura silet, negare nemo potest. Sanè fuisse Prophetas tempore Manassæ, qui clamarent, & impio Regi graue adfuturum esse infortunium prædicarent; quorum tamen nomen ignoramus, habemus lib. 4. Regum. cap. 21. v. 10. *Locutusque est Dominus in manu suorum prophetarum, dicens: Quia fecit Manasses*, &c. Sub Manasse verò non legimus quenquam ex Prophetis, quorum ad nos peruenerunt nomina, prophetasse. Sic ergo sub Heli credibile est fuisse Prophetam aliquem, à quo seuerum istud vaticinium accepit. Est autem mihi valde probabile, quod in traditionibus Hebraicis, ex Hebræorum sententia, dicit Hieronymus, virum hunc Prophetam ante Samuelis ortum, imò antè Elcanæ parentis tempus occurrisse Sacerdoti, illique & exprobrasse socordiam in filiorum seuera disciplina, & suæ domus ruinam prædixisse: hoc tamen loco illius interpositum esse vaticinium, quia non apparuerat opportunitas vlla commodior; neque parùm faciebat Samuelis nomini, cùm non aliter in puerili, quã alius in grandi iam ætate loqueretur. Quare illud, *venit*, pro plusquàm perfecto, *venerat*, positum est, quod in Scriptura contigisse frequenter, diximus suprà v. 20. ad illud: *Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius.*

Prophetarũ multorum ignorantur nomina.

85. *Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto?*] Solet Deus, cùm alicui exprobrat aut immemorem, aut ingratum animum, aut certè pro beneficiis relatam contumeliam, connumerare, quot illum officiis prosecutus sit, quàm illum fuerit amplexus humaniter. Sic Dauidi cùm per Nathan obiecit adulterij, atque homicidij peccatum, superiora commemorauit beneficia, lib. 2. Reg. cap. 12. Sic populo suo sæpè per Prophetas obiicit, quod pro beneficiis malefacta reddiderint. Vt Micheæ cap. 6. Ieremiæ cap. 2. v. 5. Isaiæ cap. 5. v. 3. Quò enim plura sunt, atque maiora beneficia, eò magis augetur peccatoris stupor, & impudentia. Sic ergo Dominus aliquot commemorat beneficia, quibus superioribus antè sæculis Heli Sacerdotis domum, & familiam ornauit, quo tempore ignobilem sub Ægyptio iugo, & duram subibat seruitutem. Tunc enim reuelatus est domui patris sui; id est, apparuit liberalis, atque beneuolus Aaroni, à quo ipse per Ithamarem trahebat genus. Quem Sacerdotem constituit summum, totique populo in sacro ministerio præfecit, communibus aluit sumptibus; idque voluit iterùm, & sæpiùs cautum esse legibus; quod beneuolentiæ singularis, & non vulgaris prouidentiæ argumentum est. Porrò *reuelari*, hoc loco, idem est quod *apparere*, aut faciem suam alteri ostendere; id verò hilarem ostendit faciem, & beneuolum animum: licet enim ostendere alicui faciem, aut firmare super aliquem vultum, indignationem aliquando significet; quia non semper hilaris est, & placidus vultus: tamen plerumque reuelatus, aut ostensus vultus beneuolentiæ signum, & quoddam amoris pignus est. Quare *abscondere faciem*, aut *auertere*, aut similia, quorum in Scriptura familiaris est vsus, non nisi cùm significatur odium, & offensio, adhiberi solent. Hæc porrò reuelatio facta est in Ægypto; id est, cùm nondum Aaron iugum è ceruicibus excussisset Ægyptium, vt hîc apertè Propheta docuit. Tunc autem istud accidisse verisimile est, cùm Exod. cap. 4. v. 27. Deus locutus est ad Aaron, illumque verborum Dei constituit interpretem, vt quæ Moyses accepisset à Domino, ipse, vtpotè qui expeditioris esset linguæ, statim ad populum referret.

Deus in accusando peccatorẽ collata beneficia exprobrare solet.

Reuelari alicui idem quod apparere.

In Aaronem quàm Deus liberalis.

86. Vers. 22. *Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem.*] Hæc contigere, postquàm iam Aaron, & populus excesserant ex Ægypto. De quibus Leuit. cap. 8. vbi Aaron, & filiorum eius consecratio describitur. Et Numer. 17. florente, ac germinante inter alias virga Aaron, ille vnus ex omnibus Tribubus summus eligitur Sacerdos. Et cap. 18. quid ex omnibus sacrificiis, ac terræ fructibus ad Sacerdotem pertineat, & quo in loco futurus sit apud alios, satis luculenter, atque explicatè proponitur. Vnde colligitur, quàm grande beneficium Aaron, illiusque posteritas acceperit, quando ad sacerdotale nomen assumptus est. Quæ statim subiiciuntur, sacerdotale munus describunt, & illius honorem, & sacrum ministerium amplificant; quæ aperta sunt, neque vllam Interpretis operam desiderant. Quid sit *Ephod*, iam à nobis ad vers. 18. explicatum est.

87. *Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorũ Israel.*] De omnibus sacrificiis, quæcumque fuissent filiorum Israel, aliquid Deus ad Sacerdotum vsum reseruauit, vt satis habemus explicatè proposita Numer. cap. 18. Dicuntur autem data de sacrificiis omnia, cùm de omnibus tantùm aliquid datum fuerit, per illam figuram, quæ in toto aliquam tantùm illius partem intelligit. Quod sanè verum est etiam in eo sacrificio, quod totum sibi Deus assumit, & igne consumitur; atque ideò vocatur holocaustum: nam ex ea victima, quæ tota comburitur, saltem pellis in vsum venit Sacerdotum. Leuit. 7. v. 8. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.*

Ex omni victimarum genere aliquid pertinebat ad Sacerdotem.

88. Vers. 29. *Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo?*] Satis abundè prouisum est à Deo Sacerdotum nó solùm necessariis vsibus; sed etiam abundantibus; quando ex omni non solùm animantium, sed frugum etiam genere, ad illorum victum à populo, atque adeò ab ipso Templo conferri voluit. Quocircà non adigebantur necessitate, quæ interdum culpã aut omninò tollit, aut saltè eleuat, vt aliena raperent, & illa etiam, quæ Deus sibi ex omnibus vindicabat; sed pro sua tantùm libidine nihil

sibi putabant esse prohibitum, quod sibi ex tota victima collibuisset. Porrò *abiucere calce*, nihil est aliud, quàm conculcare, aut pedibus impactis (quod graue existimatur ignominiæ genus, quasi aliquid esset futile, ac sordidum) procul abiicere.

89. Illa autem munera, quæ Deus vocat sua, abiecta dicuntur calce, cùm tamen Sacerdotes illi sceleſti non abiecerint; sed potiùs amauerint, & ea sibi ex omnibus elegerint. Quia quæ magis videbantur sacra, vtpotè consecrata, & reseruata Deo; qualis est victimarum adeps, illa non adolebantur priùs, quàm essent alia à Sacerdotibus oblata, atque ideò maximè sacra nihilo magis censebantur religiosa, quàm profana. Deinde quia crudæ assumebantur carnes, contra quàm erat à sacrificali lege præscriptum. Quare perinde habebantur illæ victimæ, quæ ad Dei honorem offerebantur ad altare, atque si ad profanas epulas emerentur è macello.

90. *Filiorũ peccata adscripta parẽtibus.* Dicitur porrò Heli *abiecisse calce*; id est, habuisse vilia oblata, aut allata ad Templũ sacrificia, licet de illo nihil in Sacra pagina audiamus eiusmodi; quia pro ea potestate, quam habebat summam, vtpotè Iudex, & Pontifex, prohibere debuit, ne quid tale in re tãta admitteretur, maximè à filiis, in quos, præter alia, paterna quoque accedebat authoritas, quæ resecare debuit filiorum in temeranda religione licentiam. Vnde discant parentes imputari sibi filiorum, aut etiam domesticorum errata, quæ cùm ipsi corrigere, aut prohibere debuissent; ad illa tamen conniuent, & dum dissimulant, & indulgent, magis ac magis quotidie alunt, & confirmant audaciam, dum illam abire sinunt impunitam.

91. *Quales patres in filios esse debeãt.* Qua de re grauiter Patres. Vide Chrysostomũ homil. 9. in epist. 1. ad Corinth. tom. 4. & tom. 5. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ parum à principio. Inter alia grauissima in eam sententiam, postquàm paternam exhortationem adduxit, qua filiis morum intemperantiam exprobrauit Heli, hæc subiecit: *Verùm quia non omnia, quæque fuerant agenda, vt ea resecarentur vitia, molitus est, & ipse cum filiis vnà periit. Namque & minas ille addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere, atque abdicare, etiam & verberibus afficere, multòque illis grauiùs, & durius instare. Quia igitur nihil horum egit, verborumque tantum monitis contentus fuit, & illis, & sibi ipsi Deum aduersum, infestúmque constituit.* Lege reliqua, quæ tanto zelo, atque Doctore dignissima sunt. Theodoretus q. 10. in hoc cap. *Filiorum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis, & asperrimis; oportebat ergo, cùm post primam, & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia, eos à Templi ambitu expellere.* Et quidem si cùm posset, & deberet sacrilegos filios à Templi aditu prohibere; in illo tamen manere, ac dominari permisit, vt pergerent sine vllo interpellatore, ac vindice esse, quod cæperant, nempe vt calce abiicerent, quæ sibi Deus offerri voluit; ille victimas, & sacra abiecisse censendus est; quia neque curasse censetur quid rerum à filiis in Templo fieret, neque de illius religione contempta laborare.

92. *Pater qui suos filios molliter educat, magis illos honorat, quàm Deum.* *Et magis honorasti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israel.*] Honorauit Heli filios magis quàm Deum multis modis; vel quia primas partes sacrificiorũ detulit ad filios, quod potest intelligi dupliciter; aut quia illis meliora dedit, quàm Deo, illa videlicet, quæ Deus sibi reseruarat è victimis; aut quia filiorum voluntati satisfactum priùs esse voluit, quàm diuinæ. Nam, vt vidimus suprà, antequàm adoleretur adeps, & quæ Deus sibi vendicarat è victimis, filij suas sibi partes abstulerant. Dici verò hoc modo potuit filios suos honorasse Heli; quia quod talia filij auderent in Templo, cùm posset, & deberet prohibere, permisit. Quomodò Deus, vt paulò antè dicebamus, illa facere dicitur, quæ fieri sinit.

Secundò, honorasse dicitur Heli filios magis quàm Deum, quia ne filios contristaret, non dubitauit quoad eius fieri potuit, contristare Deũ, cuius permisit Templum violari sacrilego concubitu; & ne filiorum immoderato desiderio aliquid subtraheret, quæ Deus è sacrificiis sibi ipsi separarat, eripuit. Tertiò, quia vt hoc loco optimè Gregorius, indignos filios sacro præfecit ministerio, vt illis de Templi bonis, & sacris emolumẽtis commodaret. *Filios*, inquit, *& propinquos magis quàm dominum honorat, qui ad sacros Ordines personas eligit, non ex conuersationis honestate; sed amore propinquitatis. Idcircò filij honorati referuntur, vt sacrificij primitias ederent; quia carnales Prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideò tribuũt; vt ecclesiasticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abundantia vbertatis. Nec curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt; sed tantùm vt temporali dignitati præferant, quos carnali affectione complectuntur.* Vide reliqua. Honorat igitur pater plùs satis indulgens, & amans filiorum, filios quàm Deum; quia dum filiorum commoditati seruiat; de maiori Domini honore non laborat. Non enim illis conferre debuit honorem sacrum, vt comederent, quod rectam rationem omninò peruertit; sed omnis illa de Tẽplo commoditas eò spectare debuit, vt Deo legitimè, atque perfectè seruirent. *Non enim*, ait Gregorius, *prædicat Sacerdos, vt comedat; sed ideò vt prædicet, manducare debet.* Hoc postremum videtur significare voluisse Dominus, dum ait: *Vt comederetis primitias omnis sacrificij Israel.* Quasi è sacro ministerio, id vnum, aut præcipuè spectarent, vt optimum quodque è sacrificiorum primitiis sibi vendicarent.

Magis homines honorat, quã Deum, qui cognatos indignos sacris præponit ministeriis.

93.

Vers. 30. *Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum.*] Duos filios ex aliorum incendio superstites habuit Aaron, Eleazarum, & Ithamar, quorum prior parenti iam defuncto in pontificatu successit, & huic posteri vsque ad Ozi, qui fuit quartus post Eleazarum ex illius familia Sacerdos, donec in Heli ad domum Ithamar sacerdotale nomen translatum est, vt docet Iosephus lib. 5. Antiq. cap. vltimo. Cur translatum fuerit, nihil habemus è Sacra historia; sed est verisimile, propter Sacerdotum ex Eleazaræa domo aut inertiam in administranda re sacra, aut propter alia flagitia, quæ obscurum, & odiosum reddidere sacerdotale nomen (sicut nunc de duobus Heli filiis, iisdemque Sacerdotibus dicebamus) ab Eleazaræis ad Ithamaræos migrasse sacerdotium.

94.

Ita ex Hebræorum sententia docet Lyra, Abulensis hìc q. 29. Dionysius, & Hugo. Quando verò hæc Dominus dixerit Heli, qui primus ex familia Ithamar sacerdotalem dignitatem obtinuit, vt author est Iosephus supra, incertum est; neque puto ex vllo Scripturæ sacræ loco colligi posse. Sed id à Domino ante hoc tempus fuisse prædictũ, nemo potest ambigere, cùm id apertè affirmet præsẽs hic locus. Neq; nouũ est, vt multa dicta

95. REGVLA. *Multa citãtur in Scriptura, quæ tamẽ alibi in Scriptura tradita non sunt.*

cta aliquando fuerint; quæ tamen hiſtoriæ Sacræ mandata non ſunt; quæ quidem ad noſtram memoriam nunquam veniſſent, niſi alienis locis eſſent commemorata, quaſi iam antè contigiſſent. Quale fuit Iacob fleuiſſe, cùm luctaretur cum Angelo, quod in Geneſi, vbi Iacob hiſtoria latè deſcripta, non habemus; dixit tamen Oſeas cap. 12. De terræmotu ſub Ozia nihil audimus, vbi de rebus ab Ozia geſtis texitur hiſtoria; illum autem ſub Ozia contigiſſe docuit Amos, cap. 1. & Zacharias; cap. 14. Quibus locis nos hæc pluribus confirmauimus exemplis. Dixit ſine dubio aliquis Propheta Heli; nam hic primus ex familia Ithamar ſacerdotium obtinuit, quæ de perpetuo illius familiæ ſacerdotio dicta ſunt. At quo tẽpore, aut quam ob cauſam, nihil habemus certum ab hiſtorico, ſeu ab authore ſacro. Et fortaſſe ab illo priùs de ſacerdotio perpetuo promiſſionem accepit, à quo nunc de illius tranſlatione ſeuerum audit vaticinium. Neque à tempore aliquid habemus incommodi, cùm Heli primam illam promiſſionem acceperit, & eidem dura hæc comminatio denunciata ſit. Diximus autem ſuprà, minas haſce longè ante Samuelis ætatem fuiſſe propoſitas; quare ab vno Propheta vtrumque prædictum eſſe potuit.

96. *Abſit hoc à me, ſed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*] Perpetuum fore dixerat Dominus in domo Heli honorem ſacerdotij; nunc autem longè ſe fore dicit, vt in familia neque obſequente, neque ſancta perpetuum illud, ac proprium beneficium conſeruet. In obſequentes enim, & diuinæ gloriæ ſtudioſos, & amantes, beneficum ſe, & illorum honoris curatorem fore dicit; in illos verò, qui contrà fecerint, ſeuerum vindicem; ita vt ſordidam trahant, & ignobilem vitam. Hîc verò obſeruandum, promiſſiones aliquas in Scriptura ſacra videri abſolutas, quæ tamen omninò conditionatæ ſunt. Quod ex eo facilè cognoſcitur, quia quæ vno loco ſine conditione, illa eadem cum expreſſa conditione promittuntur. Actor. cap. 10. ſine expreſſa conditione dicitur: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibẽt, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Sed conditionem, quam Petrus non adhibuit, expreſſit Paulus ad Heb. 5. *Chriſtus per paſſionem conſummatus, factus eſt cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi.* Ioan. 6. ſine conditione dicitur: *Qui manducat meam carnem,* &c. *habet vitam æternam*; conditionem optimus Interpres Paulus adhibuit, 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Quod in aliis promiſſionibus, vna, aut altera excepta, communiter eſſe intelligendum, atque in omni etiam minaci vaticinio, docẽt exempla plurima; vbi promiſſa omninò completa non ſunt, aut minæ illum habuerunt, quem intentabant exitũ. Imò & Deus ipſe, quod in caput hoc q. 27. notauit Abulenſis, ſignificauit per Ieremiam c. 18. v. 7. *Repentè loquar aduerſus Gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei: & ſubitò loquar de gente, & regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meã, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei.* Sic Abrahami poſteritati æternam poſſeſſionem promiſit terræ Chanaan; & Niniuæ intra quadraginta dierum ſpatium ſubuerſionem: ſed neque æternam habuit hæreditatem illam Abrahami poſteritas; neque Niniue prædicto ſpatio ſubuerſa eſt; quia hæc pœnitentiam oppoſuit offenſioni diuinæ; illa peccando meruit, vt à data ſibi poſſeſſione, & priùs toto Babylonicæ captiuitatis tempore, & nunc poſt Chriſti mortem in æternum excideret. Eodem modo locutus eſt Dominus ad Heli, & illius domo ſacerdotale nomen in æternum promiſit; quia tamen in eo munere præſtando nimis ſe geſſit infidelem, & languidum, non diu in illius domo hæſit ſacerdotium.

REGVLA. *Promiſſiones aliquæ conditionatæ ſunt, quæ abſolutæ videntur.*

Verſ. 31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua.*] Pœna indicitur ingrato animo, atque infideli debita. *Brachium* inter alia plurima robur ſignificat, quia illud magnarum rerum hominibus inſtrumentum eſt: quare qui alicui *brachium* confregerit, aut debile reddiderit, ille vires ademiſſe dicitur, & ſuſtuliſſe agendi facultatem. Quidam in brachio ſacerdotium intelligunt, quod familiæ Heli robur eſſe videbatur, cùm ab illo haberet potentiam; quo alios opprimeret, & ad ſuos vſus optimum quodque è ſacrificiis aſſumeret. Ita Gregorius, Angelomus, Vatablus. Addo ego etiam intelligi iudicandi poteſtatem, quæ eo tempore inſtar erat regni; nam Heli non ſolùm Sacerdos; ſed etiam Iudex erat in Iſrael. Quod ſi ita accipias, *ſenex*, qui proximè ſubiicitur, non eſt ille, qui diu vixit, & aliter longæuus nominatur, aut ætate grauis; ſed qui prudentia pollet, qualis in Sacerdote, ac Iudice requiritur, qui idcircò *preſbyter*, aut *ſenior* appellatur. Tunc autem hæc erit ſententia: *Auferam à te, & à domo tua ſacerdotium, & iudicium, neque in tua familia erit deinceps, qui ſenex; id eſt, Iudex, aut Sacerdos ſit.* Ita Hieronymus in traditionibus Hebraicis.

Brachia pro fortitudine, & poteſtate.

Quòd & *brachium* pro armo ſumatur, ſicut apud Malachiam cap. 2. quòd ex ſacrificiis ad Sacerdotem pertinebat; non alius eſt ſenſus, quàm qui proximè à nobis productus eſt. *Præcidere* autem *brachium* idem eſt, atque Sacerdotibus alimenta ſubtrahere, quæ ad illos ex ſacrificiis pertinebãt; aut quod idem eſt, ius illis, aut poteſtatem tollere ſumendi ex victimis armum, aut brachium animalis.

Sed credo hîc *brachium* pro fortitudine ſumi, quia poſt hæc tempora infirma erit, ſicut antè, Ithamaris familia, ex qua ortus Heli, quæ omniũ pateat ludibrio, neque facultatem habeat, vt illatas ab aliis iniurias depellat. Cùm autem *brachia* pro arborum ramis interdum ſumantur, quę ex vno ſtipite, aut trunco funduntur: ſicut rami vocari poſſunt ſtipitis filij; ſic etiam *brachia*, quæ ex corpore quaſi ex ſtipite pullulant, vocari poſſunt cognati, ac filij, quibus commune genus eſt. Sanè arborum rami *brachia* dicuntur à Virgilio lib. 12. Æneid. vbi Rex Latinus de ſuo ſceptro ab artifice dolato in hunc modum loquitur:

Brachium arboris ramus, & familia filius.

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm ſemel in ſyluis ima de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas, & brachia ferro,
Olim arbos.

Eadem Iob vſus eſt metaphora cap. 5. v. 32. Cùm enim præceſſiſſet de arbore: *ramos eius arefacies flamma*; ſtatim iterat ſententiam, & quos ramos priùs, poſteà manus appellat: *& manus eius areſcent.* Quòd ſi in *brachiis*, cognati intelligũtur, & filij; ſenſus erit; filios, & poſteros Heli, itẽ eos

Iob. 5.

eos, qui sunt ex familia Ithamar, qui pater appellatur Heli, ante suum tempus; id est, antequam seniles annos attigerint, esse præcidendos, ac morituros: aut quia ex sacerdotio, suprema-que dignitate deturbati vitam agent ignobilem, quæ honestis viris instar mortis est, imò & mors appellatur: aut quia reuerà non figurata, sed propria significatione ante senilem ætatem aut ferro, aut morbo decesserunt.

100. Ego hæc ita diuido, vt illud de *præcidendo brachio* figuratè capiam pro sublato ex tota familia Ithamar sacerdotali nomine, & iudicandi potestate: quod verò subditur de immatura morte ante seniles annos, ad Heli tantùm pertinere domum. Quod mihi persuadeo; quia cùm de hac vita breui, seu immatura morte sermo est, non dicitur, vt alibi, *domus tua, & domus patris tui*; sed tantùm *domus tua*. Quod ter legis: *Vt non sit senex in domo tua.* & eadem iterùm verba redeunt. Quòd verò ante senectutem ex familia Heli plurimi decesserint sublati ferro, probant duo filij, Phinees, & Ophni, qui paulò pòst à Philisthæis; & octoginta quinque Sacerdotes, qui à Saule cap. 22. trucidati sunt; & in Nobe sacerdotali ciuitate omnes ex eo genere ad vnum interfecti. Et est satis verisimile, re ipsa præstitisse Saulem, quod eodem cap. 2. v. 16. minatus fuerat Sacerdoti Maximo ex familia Heli: *Morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.* Neque plus videtur hoc loco Propheta prædixisse, quàm quod ibi comminatus est Saul.

Heli familia quomodò perierit.

101. Vers. 32. *Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël.*] Fert natura rerum, aut hominum potiùs peruersa consuetudo, vt duriùs in illos afficiamur, qui locum illum occuparunt, à quo nos sumus ignominiosè depulsi. Quare cùm Eleazari domus è summo cecidisset sacerdotio, eiusque loco Ithamaris familia successisset, inter duas hasce familias, quantumuis sanguinis communione cóiunctas, odium quoddam intercedebat hostile. Quare Eleazaræi, cùm dolerent ereptam esse sibi summam in Israëlitide Gente potestatem, grauiter in Ithamaræos afficiebantur; & si quid illis minùs ex animo contingeret, ferebant non molestè. Neque fortasse minùs lætabantur Ithamaræi, si quid accideret æmulis suis durum, & aduersum; neque minùs ferebant ægrè, si illos aut abundare bonis, aut in splendidum aliquem locum exaltari conspicerent. Quocirca non minatur Deus aliquid leue Sacerdoti Heli, & illius in posterum familiæ, cùm venturos dicit in eius locum, eos, à quibus non æmulatione solùm, sed etiam odio plusquàm intestino dissidebant.

102. *Et in vniuersis prosperis Israël.*] Qui summus erat in Templo, ille etiam aut primus erat, aut saltem in primis Israël; quem colebant alij tanquam supremum sacrorum Antistitem; & quæ erant optima in Israël (neque enim vulgaria, aut vitiosa adducebantur in Templum) ad ipsum deferebant. Quare in Sacerdote summo, summus etiam spectabatur honor, & ad res domesticas summa quoque commoditas.

103. Hic autem æmulus, qui primus ad Eleazari familiam sacerdotium reduxit, fuit Sadoc; quem Salomon lib. 3. Reg. cap. 2. v. 27. pro Abiathar, qui erat ex familia Ithamar, magnum Tabernaculo Sacerdotem præfecit. *Eiecit Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Et v. 35. *Et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.* Hanc autem vicissitudinem spectare non potuit Heli, qui octuaginta annis, antequàm accideret, mortuus est; visurus tamen dicitur in filiis, quod in prædictionibus propheticis infrequens non est. Sic quæ promissa sunt Abrahæ, in suis posteris impleta sunt; quod postea Iacob, quod deinde à Iacob duodecim Patriarchis prædicta, experti sunt longa post sæcula ipsius filij. Sic etiam quod hîc minatur Propheta, non vidit Heli; vidit tamen, qui quartus ab eo Tabernaculo præfuit Abiathar.

REGVLA. *Multa patribus promissa quæ impleta sũt in filiis.*

Et non erit senex in domo tua omnibus diebus.] 104. Hæc Abulensis de dignitate intelligit sacerdotali, quam sustinere aut solent, aut debent senes, qui vocantur presbyteri, quibus inest iudicij maturitas, & abest omnis in administrando, aut deliberando temeritas. Et quidem senectutem pro senili honore, aut magistratu sumi, non est in omni, vt opinor, lingua inusitatum. Græci Presbyteros vocant, qui præsunt rebus præsertim sacris; quales sunt non Sacerdotes solùm simplices; sed etiam Episcopi. Apud Romanos nemo dubitat, vnde Senatus nomen acceperit. Quod Senes concilium apud Iudæos habuerint, *seniorum* nomen millies repetitum ostendit. Accedit, quòd cùm proximè, vt magis probabamus, de propria senectute, quæ spectatur in annis, actum sit, non videbatur hoc idem sæpiùs repetendum. Veruntamen sententiam non muto; quia video in sacris literis, si quid fuerit aliquo in genere graue, quodque animos in quamcumque partem vehementer afficiat, iterari sæpiùs, quod aut firmitatem, ac certitudinem indicat prædictorum, & affectum prodit animi incitati vehementiùs.

Senes dicũtur qui præsunt, licet in ætate nõ senili.

Illud porrò explorato opus est, an de tota familia Ithamar hæc sint intelligenda, vel tantùm de posteris Heli. Ego neque ex litera, neque ex meritis video, quomodò hæc seuera comminatio ad Ithamaræos omnes explicari debeat, cùm ab illis nihil admissum audiamus, quo in se supplicium illud tam immane, ac longum accersierint. Deinde, quia quando de sacerdotio submouendo sermo est; non dicitur tantùm *domus tua*; sed additur etiam *domus patris tui*: vt v. 30. *Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui.* & v. 31. Hoc verò loco, & proximo, cùm de morte agitur ante senectutem, vna designatur domus Heli. Quare nihil pertinere arbitror ad domum Ithamar; & ita cum aliis sentit Eucherius. 105.

Sed quando constat, huic fuisse proprium domui Heli, non commune cum aliis ab Ithamare deriuatis; videndum item, an omnibus sæculis ex progenie Heli nullus ad senilem vsque ætatem vitam produxerit. Ita putant Hebræi; qui, vt dicit hoc loco Caietanus, tradunt hoc etiam tempore, quotquot ab Heli familia propagati sunt, nunquam ad senectam, & canos peruenisse. An ita fuerit, incertum est; neque litera nos fateri cogit de omni ætate, ac sæculo, supplicium istud tam latè, ac longè patens esse intelligendum. Nota est enim illa Hieronymi regula, ad illud Isaiæ cap. 13. *Vt disperdam omnem terram:* Quæ docet omnem terram, & similia, non semper de omni omninò terra esse intelligenda; quod ego de omni tempore, aut hominum ordine verum esse puto. Certè signa vniuersalia non semper vniuersaliter significant; atque 106.

REGVLA. *Omnes aliquando idẽ quod multi; æternum item, quod diuturnum.*

ideò

ideò *omnes* idem valet, quod *multi*; *nulli* idem, quod *pauci*: *aternum*, *perpetuum*, idem quod *diuturnum*: vt aliis in locis à nobis sæpè obseruatum, & probatum est. Sic ergo hoc loco in *omnibus diebus* longum tempus intelligitur. Aut hoc dicendi modo tempus illud significatur, quo in Heli familia summum durauit sacerdotiũ; in quo ex eo genere plerique cecidere aut Philisthæorum armis, aut Saulis ferro, qui vno die octuaginta quinque Sacerdotes extinxit. Hoc verò significare videtur Propheta, cùm dixit, v. 33. *Et magna pars domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.* Hæc ego putabam dici posse non improbabiliter; alij, credo, meliùs: quæ tamen alij coniectant, minùs videntur expedita.

107. Vers. 33. *Veruntamen non auferam penitùs virum ex te ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.*] Promittit Deus non defuturum ex semine Heli, qui sacrum ad altare obeat ministerium: ita tamen vt non tam illi honori, quàm dolori sit, cùm in minorum censeatur Sacerdotũ numero; seruiatque perpetuò Sacerdoti summo, neque ad eius ordinem, & gradum aspirare possit. Tunc autẽ faciet desperata dignitas, quam priùs in sua familia hæsisse nouerat, vt doleant oculi alienam gloriam spectantes; & animus inuidiæ stimulis compunctus extabescat: cùm neque efficere possit, vt amissa recuperet, neque vt æmulum à sacra illa, & pontificia dignitate deturbet. Dolere autem dicuntur, aut deficere oculi, cùm illa vident, quæ ægrè afficiunt animum: cúmque id variè contingat; præsertim tamen hic est inuidorum morbus, quorum nomen ab oculorum coniectu sumitur; *inuidere* quippe dicitur, quod opus est oculorum; & *oculus* vicini prouerbiali forma *inuidus* vocatur. Inuidia portò omnium tormentorum maximum existimatur. Sic sanè de inuidiæ stimulis, & angore Horatius epist. 1.

Inuidia durus cruciatus.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Hinc illud tritum, *inuidia rumpi*, aut *vri*, & similia. Quare his, quibus datus est in Templo locus, non melior continget vitæ conditio; sed multò quàm aliis acerbior; cùm ex eo, quod quotidie oculis occurit inuitis, multiplex oriatur dolendi causa.

108. *Et pars magna domus tuæ morietur, antequàm ad virilem ætatem venerit.*] Non omnes, qui ex Heli familia propagati sunt, morituri dicuntur immatura morte, sed illorum multi. Sed hoc extremo verbo non minuitur, sed augetur potiùs dolendi causa. Dixerat priùs, eos, qui orti essent ex Heli familia, non peruenturos ad seniles annos; nunc addit, eorum plerosque morituros, antequàm illis accedat virile robur.

109. Vers. 34. *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, &c.*] Multa hoc loco contra Heli Sacerdotem, & illius familiam vaticinatus est Propheta: vt quòd transferendum ab ipsius domo sacerdotale nomen; quòd non sit vllus ex illius genere ad senilem ætatem peruenturus; quòd plerisque ante virile robur moriendum, neque defuturum aliquem, qui vt grauem dolendi occasionem habeat, in Templo sacerdotale obeat ministerium. Horum omnium, ne de futurorum euentu dubitet, signum aliquod præbet, idque tam graue, ac proprium, vt nullo modo possit ex animo cadere. Quod accidet omnium proximè; & vt omnium malorum primum, posterioribus fidem conciliabit certam. Signum autem erit duorum filiorum vno eodemque die tristis, & inopinatus interitus; de quo pluribus deinde cap. 4.

110. Vers. 35. *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.*] Quidam hunc Sacerdotem Samuelem esse putant, in quem *fidelis*, & obsequentis nomen optimè cadit. Alij negant, & hunc locum, & ordinem Sadoch attribuunt, qui primus, sublatis Ithamaræis, in ablatum suæ familiæ sacerdotium reuocatus est. Hoc posterius tenet Abulensis in cap. 7. Reg. q. 30. & Leuit. 17. q. 5. Quem è recentioribus sequuntur plerique. Genebrardus ad illud Psal. 98. *Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Vbi non dicitur Sacerdos esse, sicut Moyses, & Aaron, qui proximè præcesserant; sed *inuocans Dei nomen* (quam explicationem adducit etiam Hieronymus infrà) quod fecere alij non Sacerdotes. Idem tenent Hugo, Dionysius, Lyra, Caietanus. Ex antiquis Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum tom. 2. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 45. & idem in quæstionibus veteris, & noui Testamenti, q. 46. si modò illius operis author est Augustinus. Rationes multæ adducuntur ab Abulensi suprà, & à Hieronymo; & multò plures ab Augustino, quæst. illa 46. quarum illa potentissima est, & instar omniũ, quia non fuit Samuel ex illa familia, ex qua creari tantùm Sacerdotes possent. Licet enim à Leui traxisset originem; non tamen ab Aaron, cuius tantùm posteris datum erat à Domino sacerdotale ministerium. Addo ego, non ea ætate fuisse Samuelem, cùm decessit Heli, quo tempore videri potuit illi successisse, vt obire potuerit supremum illud munus, & dignitatis plenum. Sacerdotalis autem ætas ea erat, in qua homini maturum inesse solet iudicium, & abesse leuitas iuuenilis ætatis. Ante quam ætatem apud Hebræos nemini fas erat Canticorum Cantica, & principium Geneseos, & finem Prophetiæ Ezechielis attingere: Vt docent Origenes in principio 4. homiliarum in Cantica, & Hieronymus in proœmio cap. 1. Ezechielis. Sacerdotalis autem ætas annorum erat non minùs triginta, vt ibidem Hieronymus; qualem tunc sine dubio non attigerat Samuel, qui adolescens esse dicitur, quando gubernandi munus aggressus, lib. 1. Reg. cap. 12. v. 2. Ab eo enim tempore iudicium populi subire voluit, in quo pro summa potestate poterat alios opprimere, & suis spoliare facultatibus. Hæc meo iudicio grauis est ratio: sed neque illa leuior, quòd eodem tempore, quo Samuel Sacerdos esse potuit, alius fuit Sacerdos Achias filius Achitob, lib. 1. Reg. cap. 14. v. 3. Imò & Achitob illius parentem Sacerdotem quoque fuisse verisimile est. Ita putat Sigonius l. 5. de republica Hebræorum, & Tornielus in suis Annalibus, anno mundi 2940.

Samuel non fuit Sacerdos summus.

111. Alij neque pauci, neque vulgari nota, Sacerdotem esse maximum Samuelem existimant. Ita Augustinus, qui suprà negauerat, lib. 2. Retract. cap. 55. & in Psal. 98. & contra Faustum cap. 33. de ciuit. lib. 17. c. 5. Gregorius, Eucherius, Angelomus hîc, Hieronymus ad illud 1. Cor. 1. *Cum omnibus, qui inuocant nomen Domini:* vbi sic de Samuele; *Quem Sacerdotem fuisse illa res probat, quia & Sacerdoti successit, & hostias offerebat. De quo etiam secundùm historiam dictum est: Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Idem in hunc ipsum locum tenent Primasius, & Haymo. Ratio horum est, quia Samuel aliquando sacrificasse dicitur, quod munus Leuitarũ nõ est; sed Sacerdotũ. Vt c. 7. v. 9. vbi dici-

Samuelem qui existimant summum fuisse Sacerdotem.

tur obtuliſſe holocauſtum, & oraſſe pro populo, A
ſolemni, opinor, ritu, quod Sacerdotum propriũ
eſt; & Reges vnxiſſe, primùm Saulem, deinde Da-
uidem; quod argumento fuit Auguſtino, atque
Hieronymo, vt Samueli non adimerent ſacerdo-
tale munus. Addo his, traditum à Ioſepho lib. 6.
cap. vlt. excitatum eſſe Samuelem cum ſacerdo-
tali amictu. Hæc videntur opinionis huius firma-
menta præcipua.

112. Ego quid hîc ſtatuam, nihil dum habeo definitum. Vtrinque occurrunt rationes non infirmæ, & magnum ab authorum grauitate pondus. Quare illud mihi conſilium probari cæperat, vt nihil definitò ſtatuerem; ſed liberum ſuum cuique relinquerem iudicium, cui ſubſcriberem meum. Nihilominùs dicam, quò magis inclinet animus, B
vbi vtriuſque ſententiæ diſſoluero, aut infirmauero argumenta. Et primùm, quæ Samuelem Sacerdotem eſſe negant, hoc videntur modo eleuari poſſe.

113. Primùm; quòd videlicet ex genere fuerit Leuitico Samuel, non ſacerdotali, ſic ſoluit Hieronymus ad 1. Cor. cap. 1. Leuiticam, & ſacerdotalem familiam eſſe proximas, vtpotè à Leui Patriarcha propagatas; atque ideò ex vna in aliam migrationem aliquam poſſe fieri. Qui cùm Samueli accommodaſſet illud: *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem*; addidit: *Qui quamuis non ſit de genere Aaron; tamen de tribu Leui eſſe in Paralipomeno legitur, qui ipſe (Deus) hunc conſtituit, qui & illum. Ita enim Aaron elegit, vt alios poſteà eligendi non amiſerit poteſtatem.* Et quidem in viris ſpectatæ virtutis, de quorum prudentia in rebus dubiis, & anguſtis ſæpiùs explorata, aliquid ſperatur eximiũ, frequentes in omni inſtituto quãtumcumque ſeuero magnæ fieri ſolent exceptiones, præſertim ſi tempora incurrant, quæ ſingularem aliquam conſtantiam, & prudentiam requirant. Quale fuit hoc tempus, in quo ſuperior videbatur Philiſthinorum cauſa; neque ex Heli poſteritate vllus erat reliquus eo vel ingenio, vel ætate, vt dignus cẽſeretur, qui ſacerdotale munus, & pondus ſuſtineret.

114. Alia ratio fuit, quia quo tempore ſacerdotio, & vita defunctus eſt Heli, nondum ſacerdotalem ætatem; id eſt, annos triginta nactus erat Samuel; D
atque ideò non eſt veriſimile, tantum pondus ætati nondum firmatæ ſatis, & ingenio, quod non videbatur ſatis eſſe maturum, inſediſſe. De ætate nihil, quod ego viderim, habemus ex Scriptura ſacra; neque Hieronymus docere videtur, ſacerdotalem ætatem annorum eſſe triginta; ſed ita viſum eſſe Hebræorum doctoribus. Ab hac ætate Leuitas ſuum obire miniſterium ad annum vſque quinquageſimum, habemus Numer. cap. 4. de Sacerdotis ætate legitima mirum ſilẽtium. Quod ſi nondũ habebat Samuel ętatẽ idoneã ſacerdotali miniſterio, id etiam Deus ſupplere voluit in tanto viro, cuius animum cæleſti quodam lumine illuſtrauerat, & magnarum rerum cognitione cõpleuerat. Quod ſanè populo ignotum non erat, E
qui multarum rerum experientia didicerat, Samuelem Deo eſſe familiarem, & diuino gubernari conſilio, non ſuo. De quo eſt illud cap. 3. v. 20. *Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* Quòd ſi Achias proximè ſucceſſit Heli, quod meo iudicio dicendum eſt, cùm nullum alium inter illos duos interiectum eſſe videamus, non videtur fuiſſe, cùm ſacerdotium iniit Samuele grandior. Nam cùm iam Samuel gubernandi onus depoſuiſſet, quod tunc fecit, quando præ nimia ætate grauem illam perſonam ſuſtinere non poterat, ſacerdotio fungebatur Achias, regnante Saule, vt habes infrà cap. 14.

Ad illud, quod tertiò opponebamus, duos ſi- 115.
mul futuros fuiſſe Sacerdotes, nihil haberet momenti, ſi verum eſſet, quod multi, iidemque graues, nec ſine graui fundamento ſentiunt, eodem tempore ſub Dauide duos fuiſſe Pontifices, Abiathar, & Sadoc; de quo nos ſuo tempore pluribus. Sed fortaſſe neque tunc, neque hoc Samuelis tẽpore, duobus dignitas illa maxima communis fuit. Quòd ſi Achias, vtpotè pronepos Heli, ad auitum, ſeu paternum locum promouendus fuit, interim dum tanto muneri ætas eſſet idonea, & matura prudentia, videri potuit Samuel vicariam habuiſſe poteſtatem, qua tunc ſeipſum abdicauit, cùm iudicandi onus in Saulis humeros, & curam declinauit. Id quod indicat, licet dicendi modo ſubobſcuro, illud cap. 14. v. 3. *Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli ſacerdote Domini in Silo, portabat Ephod.* Quaſi dicat, quo tempore regnare cæpit Saul, iam ſacerdotio fungebatur Achias, quod proximè Samuel cum regni adminiſtratione depoſuerat. Et quidem mirum eſt, ſi quis alius Samuelis tempore Sacerdos fuit, illius toto Samuelis dominatu, neque munus fuiſſe, neque nomen auditum.

Neque nouum eſt, vt ſi quod occurrat impedi- 116.
mentum, quominùs Sacerdos ſummus ſuo poſſit C
fungi miniſterio, illius loco ſufficiatur alius, qui licet ſummus non ſit, ſit tamen ex inferiori Sacerdotum numero. Vide Abulenſem in cap. 21. Leu. q. 20. & ſup. lib. 1. Paralip. cap. 9. q. 16. vbi docet, fieri poſſe, vt pro Sacerdote magno ad aliquod tempus, aut opus ſufficiatur alter; & adducit exẽplum ex Ioſepho cuiuſdam Sacerdotis, qui cùm præcedenti nocte ſomno eſſet pollutus, neque ſancta Sanctorum ingredi permitteretur à lege, alium ſui loco ſuffecit, qui ad feſtum expiationis munus illud, quod vni Sacerdoti Maximo licebat obiret. Quare potuit vnus eſſe iure quaſi proprio Sacerdos sũmus, & alius eodẽ tẽpore ex illius cõceſſione, qui pontificias functiones, ſi quando D
aliquod incideret impedimentum, exerceret. Et ita fortaſſe contigit Samuelis tempore, qui pro eo, qui Sacerdos eſſe debuit, vicariam operam præſtitit; ſiue ſit Achitob, ſi quod ille impedimẽtum habuit, aut ab ætate ſacerdotali, ad quam morte præreptus non peruenit; aut quia aliquod habuit vitium, aut deformitatem in corpore, quę hominem ineptum reddit altari; ſiue ſit Achias, cuius ſine dubio ætas legitima non erat, quo tẽpore proauus Heli ſupremum illum locum vacuum reliquit.

Pro Sacerdote ſummo alius ſubſtitui poterat inferior illo.

Neque minùs vrget illud Hieronymi aduerſus 117.
Iouinianum, quòd Pſal. 98. Samuel non numeratur inter Sacerdotes; ſed inter illos, qui inuocant nomen Domini. Nam licèt inuocare nomen Domini, commune ſit laicæ, atque ſacerdotali turbæ; inuocare tamen legitimè, & quaſi ex inſtituto, id vni tantùm conuenit Sacerdotum ordini, vt dixit Hieronymus in cap. 1. epiſt. 1. ad Cor. qui hoc eodem loco aduerſus Iouinianum probauerat à Sacerdotum numero ſeparandum eſſe Samuelem.

Nunc rationes illas exploremus, quæ Samueli 118.
ſacerdotij magni titulum attribuunt, & quantum habeant momenti, inueſtigemus. Et primùm, quòd Samuel aliquando ſacrificauerit,

quod

Sacrificare poterat quilibet Sacerdos.

quod negari non potest, non probat Sacerdotem esse magnum, cùm quilibet è Sacerdotum ordine id præstare potuerit. Neque enim Sacerdos magnus aliquid proprium habuit, nisi quod semel in anno ad festum expiationis ad sancta Sanctorum; id est, ad penitissimum Tabernaculi secessum ingreditur, vt latè probat Abulensis in cap. 29. Exodi, q. 16. Et quidem sacrificasse Eliam, qui tamen Sacerdos, saltem magnus non erat, habemus 3. lib. Reg. cap. 18.

119. Neque illud de vnctione Regis Saulis, & Dauidis plus habet firmitatis; neque enim vngendi ministerium ad Sacerdotem magnum coarctatum est, vt in Scriptura sacra multa docent exempla. Sanè Regem Syriæ Azaelem, iubente Domino, vnxit Elias, lib. 3. Reg. cap. 19. & lib. 4. cap. 9. Iehu Regem Israel vnxit vnus è Prophetarum numero. Vide Abulensem in lib. 1. Reg. cap. 10. q. 2. Hæ præcipuæ existimantur rationes; neque enim admodù curo, quid Iosephus de Samuelis sacerdotali vestimento prodiderit, cùm illud sit incertum, neque author vbique, vt in nostris super Aggæum Commentariis obseruauimus, valdè se ostendat de exploranda, aut de statuenda veritate sollicitum.

Item vngere Reges & Prophetas.

120. Hæc mihi de vtraque sententia dici posse videntur prudenter, & tutò; neque ego, si meo tantùm obsequerer studio, vlteriùs proueherer, nisi curiosus Lector aliquid ampliùs in hac disceptatione requireret. Cuius vt paream desiderio; Dico primùm, vtranque sententiam mihi videri valde probabilem: Deinde mihi illud existimari probabilius, quod prima docet sententia, nempe Samuelem nunquam magnum fuisse Sacerdotem. Quod rationes allatæ suprà faciunt sat verisimile. Quibus addo illorũ etiam sententiam, qui catalogum texuere Pontificum, quorum nullus meminit Samuelis. Neque in tota Samuelis historia legimus aliquid, quod summum oleat illius sacerdotium; nisi dicas ab illo vnctos esse Reges, & sacrificium oblatum; quod tamen factum est à minoribus Sacerdotibus, imò & à Prophetis, vt paulò antè diximus.

Ex diuino priuilegio videtur Samuel sacerdotale obiisse ministerii.

121. Illud mihi videtur concedi posse posteriori sententiæ, Samuelem extra ordinem speciali aliquo priuilegio, cùm tantùm esset ex ordine Leuitico, designatum tamen à Deo fuisse Sacerdotem, vt dixit Hieronymus ad 1. Corinth. cap. 2. quod non latuit Samuelem ipsum, cui Deus alia plurima in ætate adhuc puerili reuelarat. Neque fortasse illius ignorarunt parentes, cùm illum Templo consecrare, & ministeriis sacris assiduum esse voluerunt. Et quidem illud ephod, quod in primis annis à matre missum in Tabernaculo gestabat, aliquid olet sacerdotale. Et si lampades accendebat, quod videtur ex subsequenti capite posse colligi; illud sacerdotale erat, non Leuiticum munus. Tam autem Sacerdotis nomen, & officium, quàm in ætate nondum sacris functionibus idonea in Tabernaculo morari, atque ibi aliquid maius exercere, quàm illi permittebatur ætatulæ; priuilegium arbitror esse diuinum, neque id ignoratum esse Sacerdoti Heli, qui magna iam in Samuele infante intuebatur diuini consilij, & futuræ sanctitatis documenta. Sacerdotem tamen fuisse magnum nõ puto, vt rationes allatæ superiùs, si non conuincunt, at certè suadent. Et quæ statim adduntur, eo apud me sunt loco, vt penè persuadeant. Neque enim quæ de Sacerdote dicuntur, quem suscitauit Dominus loco Heli, quem, qui contrà sentiunt, Samuelem esse putant, eiusmodi sunt, vt in Samuelem conuenire possint; optimè verò in familiam Sadoc; quod ex illorum expositione non obscure constabit.

Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui in xta cor meum, & animam meam faciet.] Iuxta ea, quæ proximè diximus, Sacerdos iste fuit Sadoc, qui longè aliter, quàm Heli ministerium obiit pontificale; qui fidelem Deo, ac Templo nauauit operam, neque aliter se in tanto munere præstando gessit, quàm diuina ab eo voluntas exigebat. Et quidem in Sadoc nihil inuenimus, quod quisquam iure reprehendat; neque leuem de illius integritate, morúmque disciplina coniecturam affert, quod Dauidi viro diuini cultus studiosissimo tam fuerit familiaris, & (vt multi volunt) assumptus, vt simul cum Abiathar summi fungeretur Sacedotis officio. 122. *Sadoc Sacerdos fidelis.*

Et ædificabo ei domum fidelem.] Hæc in Samuelem conuenire non possunt, in Sadoc autem maximè. Nam licèt Samuel vir fuerit sanctissimus; domus tamen illius fidelis non fuit, siue filios spectes, siue seram illius posteritatem. Filij enim illius non valdè fuerunt meliores filiis Heli, de quibus infrà cap. 8. v. 3. *Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam; acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.* Denique vt filij Heli à familia Ithamar, ad domum Eleazari transtulere sacerdotium; sic etiam Samuelis filij propter morum intemperantiam abrogata antiquissima gubernationis forma, in populum Israeliticum nouam gubernandi rationem inuexerunt. Sed si domus pro posteritate sumatur, aut nouis titulis ornata, aut claris nobilitata virtutibus, neque hoc in domo Samuelis apparet; quid enim in illa eximium præter illustrem Samuelis memoriam? Secùs de Sadoc, cuius domus fidelis fuit, & ad tempus fermè Christi sacerdotium obtinuisse creditur: obtinebat certè post euersum à Chaldæis Salomonis templũ, vt constat ex Ezech. cap. 40. v. 46. *Porrò Gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant administerio altaris. Isti sunt filij Sadoc.* Et vt constat è Sacerdotum catalogo, quem Iosephus texuit lib. 10. cap. 11. & ex eo Sigonius lib. 5. cap. 1. de republ. Hebræorum, ad longum vsque tempus, saltem ad Iesum filium Iosedec, Sacerdotes magni ex Sadoc familia propagati sunt. *Hi*, inquit, *omnes quasi per manus traditum sacerdotium filij parentum successores acceperunt, continuata generis serie.* 123. *Samuelis filij nõ boni.* 124. *Sadoc filij diu sacerdotium summum tenuerunt.*

Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.] Christus hoc loco Rex est Israel; sic enim Reges appellantur ab vnctione. Coram Rege ambulare non potuit Samuel omnibus diebus vitæ suæ; quia ad extremos vsque vitæ dies Rex nullus fuit, aut alius, qui vocari potuerit Christus, nisi Sacerdos; vtique summus, quia in eius conspectu futurus esse dicitur: at coram se ambulare, id est, sibi ipsi obsequi, aut sacerdotale præstare ministerium, quî potest aut fieri, aut intelligi? De Sadoc nemo dubitare potest, quem Salomon, Abiathare abiecto, Sacerdotem esse voluit, à cuius conspectu nunquam abfuit, neque à gratia excidit; quique omnium primus in Templo à Salomone constructo Sacerdos fuit. 125.

Vers. 36. *Futurum est autem, vt quicumque remanserit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo.*] En quanta in Heli domo fuerit rerum vicissitudo. Venire ante consueuerunt alij in domum Heli; 126.

id est, ad eos, qui ex eius familia sacrificiis, ac Tabernaculo præerant, à quibus accipiebant abũdanter quicquid ad domesticos vsus, & sumptus prope regios pertinebat. Sed in hac fortunæ, ac temporum conuersione, accedent, qui fuerint ex illa domo reliqui, supplices ad Sacerdotem ex aliena familia, vt pro illis oret, atque sacrificet. Afferet autem, quod pauperes solent, nummam argenteum, quo videlicet ematur perexigua victima, vt columba, aut aliquid simile; & tortam panis. Quem vsque adeò premet aut fames, aut egestas, vt dari sibi postulet ab æmulo suo, misericordiæ tantùm nomine, modicum aliquid ex eo, quod ex victimis legitimè in suum victum Sacerdotes assumunt. Neque plus petit ille, quem dira vrget necessitas, quàm sibi porrigi postulat, qui mendicatò viuit, quemque aliena tantùm misericordia sustentat. *Dimitte*, inquit, *me, obsecro, ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.*

127. Hæc iuxta nostram translationem. Si verò Hebraicum textum, quem nunc habemus, intueare, A quem respexere nouæ translationes, & ex antiquis Chaldaica, & Septuaginta; alius est sensus, neque parum diuersus. Neque enim qui ex domo Leui dicitur futurus esse reliquus, argentum afferet, aut tortam panis, vt pro illo oretur; sed potiùs ille dicitur venturus supplex, vt incuruet se, & adoret aut Pontificem, aut Sacerdotem alium, vt ab illo exiguum aliquid ex sacerdotali emolumento exoret, quo vitam vtcumque, parcè licèt & angustè sustentet.

In hac porrò commutatione sacerdotij, illam 128.
multi Patrum intelligunt, quæ facta est ab Aaronico sacerdotio, & in Christum Pontificem summum translata. Ita Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 5. Gregorius, Angelomus, Eucherius, Theodoretus q. 10. & plures alij. Ex quo tempore, qui sunt è genere Leuitico, sacerdotalíque progenie, sic miserè viuunt, vt emendicatò exiguam stipem ab aliis, & panis buccellam exquirant, neque promptum habeat genus illud inuisum, & ignobile aliorum officium.

IN CAP. III. LIB. I. REGVM,

ARGVMENTVM.

IN die quodam, cùm dormisset de more Samuel in Tabernaculo, accidit, vt antequàm extinguerentur lucernæ, & Tabernaculi reseratis claustris admitteretur turba, quod fiebat sub matutinam lucem, vocaretur à Domino Samuel iterùm, ac tertiò. Qui cùm illi sermoni, ac voci insuetas haberet aures, vocari se à Sacerdote ratus ad illius imperata præstanda festinùs aduolabat. Cùm autem nullus tunc, præter vnum Samuelem, esset in Tabernaculo, suspicatus id, quod erat, Heli illam diuinam esse vocem, monet puerum, vt cùm vox illa insonaret iterùm; responderet, paratum se esse ad audiendum si quid imperatum vellet, & ad quæcumque imperata præstanda. Neque male coniectauit, aut admonuit senex: statim enim atque audire se velle, & imperata facere dixit Samuel; aperuit Dominus, quod in Sacerdotis familiam supplicium decreuisset. Faciebat autem, & senilis ætas, & Sacerdotis obseruantia, tum etiam meritorum magnitudo, quibus ab Heli fuerat indulgenter ornatus, ne durum vaticinium aperiret. Adactus tamen adiuratione seuera recusare non potuit. Excepit tamen sulmen illud Sacerdos non repugnanter; quia neque pium, neque tutum putabat, non obtemperare illi, cuius esset in omnes potestas summa. Illarum porrò minarum nulla fuit, quæ exitu careret à Samuele prædicto. Ex eo autem tempore, in quo illum propheticus spiritus afflauit, alia prædixit multa Israëlitis omnibus, quorum nihil omninò excidit inane. Quæ omnia magnum Samueli in Israele toto conciliarunt nomen.

CAPVT TERTIVM.

1. PVer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.

2. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre:

3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, C vbi erat arca Dei.

4. Et vocauit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego.

5. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit.

6. Et adiecit Dominus rursum vocare Samuelem: Consurgénsque Samuel, abiit

ad

ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te fili mi: reuertere, & dormi.

7. Porrò Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.

8. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertiò. Qui consurgens, abiit ad Heli,

9. Et ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo.

10. Et venit Dominus, & stetit: & vocauit, sicut vocauerat secundò, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.

11. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.

12. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam, & complebo.

13. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.

14. Idcirco iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.

15. Dormiuit autem Samuel vsque manè, aperuítque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli.

16. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præstò sum.

17. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaueris me: hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi.

18. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.

19. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

20. Et cognouit vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini.

21. Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli.

IN CAPVT III. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.*]

1. PVER adhuc Samuel assiduus erat Sacerdoti Heli, illíque in omnibus præstò aderat, quæ ad sacrum Tabernaculi ministerium pertinebant. Quod faciebat, aut quia è Leuitico ordine, qui multa in Templo pro suo instituto obibat ministetia; aut certè quia, vt suprà diximus non videri difficile, ad sacerdotales partes admittebatur, diuino nimirùm priuilegio, quod, opinor, Heli non ignorabat. Et hoc fortasse verius; quia, vt paulò antè à nobis obseruatum est, multa posteà præstitit Samuel, quæ non auderet, nisi ad Leuiticum gradum è Sacedotali ordine aliquid accessisset. *quod rarũ.*

2. *Samuel qua ætate prophetare cœpit.* De ætate, in qua primùm Samuel spiritu afflatus est prophetico, variè meditantur Authores. Hoc vnum certum est, in ea fuisse ætate, à qua vocari potuerit puer; & modus ipse loquendi satis indicat, illum nõ valdè ætatis fuisse prouectæ. Placet quod Iosepho placuit, lib. 4. cap. 14. tunc Samuelem fuisse duodennem; neque longè hinc abeunt Hebræi in Seder Olam. cap. 14. & tenet Abulensis, & alij frequentes.

3. *Pretiosum* *Et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.*] *Pretiosum* illud dicitur, quod rarum est, licèt minùs, quàm plurima alia, aut pulchrum sit, aut necessarium: hæc etenim quantumcúmque alioqui magna; assiduitate tamen, & frequentia vilescunt. Quia igitur eo sæculo pauci repericbantur, quos Diuinus afflaret spiritus, quique verba Dei ad homines deferrent; vt verba Dei tunc apparebant rara, sic etiam magno habebantur in pretio. Sanè toto tempore, quo Israelitidi genti præfuere Iudices, vix vnum, aut alterum inuenies, per quem Deus hominibus, quid factum vellet, aut quid futurum esset, aperiret. Ego duos tantùm reperio cap. 4. v. 4. Deboram Prophetidem: & cap. 6. v. 8. Prophetam alium, cuius ibi nomen non legimus; imò hunc Augustinus q. 13. in Iudices Angelum esse putat. An alius fuerit eo sæculo Propheta, non constat. *Propheta rari Iudicii tempore.*

Non erat visio manifesta.] Loquebatur quidem Deus cum hominibus, illíque, quid factum vellet, manifestabat; non tamen ita apertè, vt alij cognoscerent publicè aliquid fuisse à Domino prædictum. Neque vllus tanquam Propheta cognoscebatur, qui diuino instinctus afflatu aut futura prædiceret, aut diuina ad homines oracula deferret: quales fuerunt posteà Isaias, Ieremias, & qui compellatione familiari, & nota appellan 4. *Visio quæ manifesta.*

appellantur *Prophetæ*. Atque ideò dicitur *Visio non manifesta*, qualem habuit, vt opinor, anteà Heli, si forte cognouit, qualis futurus esset Samuel, quando oblatus est in Templo; aut Anna, quando Canticum illud cecinit, de quo præcedenti capite, in quo diximus aliquid esse propheticum. Visiones istæ, aut illustrationes propheticæ manifestæ non erant; quia neque publicæ deferebantur ad populum, neque qui à Deo propheticam illam lucem acceperant, Prophetæ putabantur.

5. *Quis locus Sacerdotibus in Templo.*

Vers. 2. *Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.*] Quis fuerit locus ille, in quo suum sibi lectum strauerat Heli, non constat; quia de separato pro Sacerdotibus secessu, in Tabernaculi constructione nihil habemus; quod ego saltem viderim. Secùs est de Templo, quod Tabernaculo successit, siue illud sit primum à Salomone constructum, siue quod post solutam captiuitatem Babylonicam à Zorobabele excitatum est: in hoc Gazophylacia legimus, & pastophoria, & varia pro ministrorum commoditate diuersoria: at in Tabernaculo nihil legimus. Sed non est dubitandum inter septa Tabernaculi, maximè vbi locum habuit stabilem in terra promissa, fuisse secessus aliquos, ad quos se reciperent, quibus commissa erat cura, atque tutela Tabernaculi: vt probat hic locus, qui diuersas stationes indicat Samuelis, & Heli, & affirmat Samuelem in Templo Domini dormire, in quo erat arca. Erat autem eo tempore Heli iá ætate grauis, & vt cap. 4. dicitur, v. 15. nonaginta quinque annorum; & quod ætatem illam grandem consequi plerúmque assolet, cæcis erat, aut certè caligantibus oculis, ita vt videre non posset. Hîc adhibendum punctum, & ab eo, quod sequitur, inchoanda clausula; vt habent iam communiter correcti codices, & nuper Sixtiani, & agnouerunt antiqui Patres; vt Hieronymus in traditionibus Hebraicis: Et hæc dispunctio sine dubio antiquissima multas dissoluit quæstiones, quæ variè doctorum virorum vexarunt ingenia; à quibus nobis, qui aliam diuisionem probamus, & sequimur, abstinendum est. Est omninò eadem hîc sententia, imò & verba, quæ cap. 4. v. 15. *Oculi eius caligauerant, & videre non poterant.*

Ætas Heli.

6. Multi codices superiora verba ita coniungunt: *Non poterat videre lucernam, antequàm extingueretur.* Quod variè, vt fieri in obscuris assolet, accipiunt Interpretes, qui ita hunc locum dispungunt, & legunt, Eucherius, Angelomus, Rabanus, Dionysius. Quidam vsque adeò debilem esse existimant Sacerdotis oculorum aciem, vt lucernæ splendorem sustinere non posset, nisi cùm iam langueret, & penè esset extincta. Quemadmodùm multa sunt animalia, quæ in luce cæcutiunt; & noctu, quando lux est pertenuis, sine labore, atque offensione vident: quales sunt blattæ, & aues, quæ quia à solis radiis quasi à spiculis vulnerantur, lucem fugitant, & ideò *lucifugæ* dicuntur, vt vespertiliones, & noctuæ. Cum his ordinaria Glossa, & maximè cum Heli comparat inuidos, qui lucentes fratres videre non possunt; vident tamen fumigantes: splendor illorum perstringit oculos, extincta lucerna, aut fumigans oblectat. Non videt Heli splendentem Dei lucernam, & videt Annam mouentem labia, quam temulentam esse credidit; & qui domesticas sordes, & filiorum perditissimam vitam non videbat, ille lynceos habebat

Inuidorum natura.

A oculos, vt errata cerneret aliena. Quod de lamiis finxit antiquitas, & tradit Plutarchus.

7. Caietanus contrà putat; existimat enim debilem quidem habuisse Heli oculorum aciem, ita vt lucernam videre non potuerit, nisi cùm luceret clarè: nam cùm iam langueret, & penè deficeret lucerna, videre illam nullo modo poterat. Abulensis in priori explicatione, quam non improbat, ait ideò Tabernaculi custodiam creditam esse Samueli; quia cùm Heli caligarent oculi, neque lucernas, quæ accendebantur noctu, in ipsa nocte videre posset, minùs existimabatur idoneus custos, qui excubaret, & custodiret Tabernaculum, atque ideò curam illam Samueli mandauit.

B 8. Sed plerúmque aliter distinguunt; ita vt in illo, *videre non poterat*, statuatur punctum; & deinde inchoetur noua clausula ab illis verbis: *Lucerna antequàm*, &c. Ita tenet Hieronymus in tradit. Hebraicis, ad hunc locum, Abulensis in explicatione secunda, Lyra, Historia Scholastica; quæ lectio antiquissima fuit, quam probat antiquissima translatio Hispanica. Ad extremum ita distinguunt Sixtiani codices, quorum est authoritas grauissima. Sicut etiam fecerunt Septuaginta, & Chaldæus; & habent ex antiquis codices non pauci, & nouæ translationes. Et iuxta hæc, quæ deinde sequuntur, explicabimus.

9. Vers. 3. *Lucerna Dei antequàm extingueretur, Samuel dormiebat in Templo Domini.*] Hinc noua,
C vt diximus, incipit clausula, vt iam correcti habent codices. Licèt autem à magnis nos hæc dispunctio difficultatibus liberet; non tamen ita soluta est, vt non aliquam Interpretis operam desideret. Sensus est, excitatum Samuelem à diuina voce, antequàm lucernæ, quæ tota nocte lucebant, ante auroram extinguerentur: Siue, quod idem est, antequàm quisquam Tabernaculum esset ingressus, cùm adhuc lucerent lampades, quas sub auroram extingebant Sacerdotes; id est, cùm adhuc Samuel solus esset in Templo: Ac si dicat, dormiebat Samuel in Templo solus, & ante illud tempus, quo languere solent, aut extingui lucernæ, vocem audiuit à Deo, qua excitatus illicò ad Sacerdotè accurrit, ratus ab illo
D se ad aliquod aut naturæ leuamentum, aut Templi ministerium vocari.

10. *Candelabrũ tantùm nocte lucebat.*

Sed hîc nobis quærendum, quodnam sit illud tempus, in quo lucerna Dei; id est, candelabrum, quod lucebat in Templo, extingueretur: Et primùm, si quod nonnulli putant, & videtur colligi ex cap. 27. Exod. v. 20. lucernæ semper ardebant in Tabernaculo, non putarem tantùm extingui tunc dici lucernam, quando lucere iam omninò desiit; aut cùm magis fumigare videtur, quàm lucere: sed quando lux est languida, & lucerna dormitat; id est, parùm, & subobscurè splendet. Quod accidit plerúmque nocte iam exacta, aut non longè ante lucem, cùm consumptum est oleum, aut lychnum exustum. Sed reuerà lucerna; id est, aureum candelabrum, quod
E septem erat instructum lucernis, tantùm lucebat nocte, & sub auroram extinguebatur. Quod facilè discimus ex Leuit. cap. 4. v. 3. *Ponétque eas* (lucernas) *Aaron à vespere vsque in manè coram Domino.* Et Exod. 30. v. 7. *Adolebit incensum super altari Aaron suaue fragrans manè, quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocabit eas ad vesperum.* Et clariùs cap. 27. v. 21. *Et collocabunt eam* (lucernam) *Aaron, & filij eius, vt vsque manè luceat coram Domino.* Et adhuc apertiùs 2. Paralip.

ralip. 13. v. 11. *Est* (inquit Abias) *apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperum.*

11. Sed contrà stat, quod Exod. cap. 27. v. 20. dicitur: *Præcipe filiis Israel, vt afferant tibi oleum, &c. vt ardeat lucerna semper.* Quare interdiu quoque fuisse videtur accensa. Sed est solutio facilis; nam ex vsu Scripturæ signa vniuersalia accommodatè ad materiam suppositam explicanda sunt; & idcircò non semper vniuersaliter significant. Quomodò cùm dixit Cyrus Esdræ lib. 1. cap. 1. *Omnia regna mundi dedit mihi Dominus*, nempè Assyriorum, vbi ipse regnabat; quasi dicat, nullum habeo regnum, quod non acceperim à Deo. Et Lucæ cap. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*; subiectus nimirùm imperio Romano. Isaiæ 13. *Vt disperderem omnem terram.* Vbi sic Hieronymus: *Non inquit totum orbem; sed omnem terram Babylonis, & Chaldæorum.* Vbi tradit Regulam, de qua nos proximè. Sic aliquis dicitur nunquam defuisse altari; nempe cùm illius opera necessaria fuit: & Magister toto anno docuisse; nempè quo tempore lege atque instituto debuit. Quare ardere dicitur semper lucerna, quia nullo extinguitur tempore à lege constituto. Quod optimè expressum est lib. 2. Paralip. cap. 13. *Vt accendatur semper ad vesperam.* Quam solutionem adhibuit Abulensis ad cap. 27. Exod. v. 21.

REGVLA. *Id dicitur semper fieri, quod fit tempore à lege constituto.*

12. Stat item contrà, quòd Exod. cap. 28. v. 7. Sacerdos iubetur componere lucernas tam manè, quàm vesperè; quod omninò videretur otiosum, nisi etiam interdiu lucere debuissent. Sic autem ibi: *Adolebit incensum super altari Aaron suaue fragrans manè, quando componet lucernas, incendet illud. Et quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama.* Sed hîc, vt vides, duo sunt verba, *compono*, & *colloco*, in quibus non parùm videtur esse discriminis. *Componere* enim mundare est, & quod videtur minùs ad splendorem, & pulchritudinem esse, detergere; quomodò si quod vestimentis adhæsit sordidum, detergas; si defrices fuliginem è vasis, si quod est vitiosum, aut minùs pro dignitate, corrigas. Et id omninò valet vox Hebrica יישב, quæ significat *benè alicui facere.* Cùm ergo lucernis, atque aureo candelabro aliquid atrum adhæsisset à fumo, & igne, & nonnihil etiam indecorum ab oleo; qui vtrumque defricat, & ab vtroque candelabrum emaculat, ille sanè benè candelabro facit, quia reddit nitidum: & illud componit, quia restituit, quod illi fuerat è pulchritudine, aut aptitudine detractum.

Quod opus sacerdotum in lucernis.

13. Vbi Vulgatus *collocabit*, Hebraicè est בהעלות, *beaaloth*: id est, *in faciendo ascendere lucernam*; id est, dù facit, nempe vesperè ascendere lucernã. Ex quo colligo, matutino tẽpore remoueri lucernas ab altari, vt in secreto aliquo loco mundentur, & illis ad nocturnum lumen oleum infundatur; neque enim essent altari restitutæ; aut, quod dixit Vulgatus, collocatæ, ni priùs forent ab altari depositæ: neque præterea decebat, in loco maximè religioso, ac puro, vt infunderetur oleũ, aut extergeretur, quod adhæsisset sordium. Sanè viri elegantes, & lauti in suo conspectu fieri nullo modo sinerent. Quare matutino tempore extinguebantur lucernæ, & mundabatur, componebatúrque ad vespertinam lucem candelabrum; vesperi verò accendebantur, vt offusas è Tabernaculo tenebras exigerent. Quod de nocturno tantùm lumine diximus, tenet Abulensis ad cap. Exod. 27. q. 10. Oleaster ibid. & cap. 30. Exod. Cornelius à Lapide in hæc eadem capita. Neque ab hac sententia totus abit Ioseph us, qui lib. 3. Antiquit. cap. 9. tradit, qua fide ipse viderit, Sacerdotes è septem lucernis extinguere solitos esse quatuor, & tres alias reliquas tantùm interdiu lucere. Fortasse illius tempore illud erat in vsu, quando mutatis cum sacerdotio iam venali aliis plurimis, ex antqua religione multa ceciderant.

14. Ex his non difficilè intelligitur, quid sibi velit hic locus, qui sanè, quocumque accipias modo, facilis non est. Designatur enim tempus, quando excitatus est Samuel, & primùm afflatus spiritu prophetico, nempè antequàm de more, albescente iam die, lucernæ extinguerentur. Ita putat Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad hunc locum, & Abulensis hîc q. 1. & Cornelius à Lapide in cap. 27. Exodi.

15. Solet autem certa quædum actio, seu signum, siue illud à natura sit, siue ab hominum instituto, & more, pro tempore vsurpari, in quo ex consuetudine solet, aut natura contingere. Quomodò dentitio, pubertas, lactatio, seu ablactatio aliquam in homine ætatis differentiam significant. Hinc Gallicinium, aut canticinium certa in nocturno spatio tempora designant. Ex instituto, ac lege vesperi in sacrificio iugi agnus immollabatur; hinc sacrificium vespertinum pro ipso vespere adhibuit Daniel cap. 9. v. 21. Cùm ergo manè extinguerentur lucernæ, quæ tota lucebant nocte, illarum extinctio pro tempore ponitur matutino. Neque aliquid hîc significatur aliud, quàm ante matutinum tempus diuino primùm spiritu instinctum esse Samuelem.

REGVLA. *Actiones certæ pro certis temporum spatiis.*

16. *Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei.*] Vbi dormiret Samuel, non constat; dormiisse tamen in Tabernaculo non est dubitandum, in loco fortasse adiuncto, vbi custodire posset Arcam, aut videre, ne quid ibi aut inornatum esset, aut minùs è religione fieret. Quod præstare non poterat Heli, vt qui iam esset senio grauis, & rebus aut tractandis, aut tuendis prorsus inutilis: quare illius loco videbatur constitutus Samuel curator, & custos. Chaldæus illum fuisse dicit in atrio Leuitarum: sed probare debuit atrium in Tabernaculo fuisse pro Leuitis. OEcumenius ad Hebr. cap. 9. in atrio putat fuisse mundano. Res planè incerta, neque aliquid dici nisi diuinando potest.

17. Vers. 4. *Et vocauit Dominus Samuel, & respondit ei; Ecce ego.*] Huc spectabant, quæ ex toto capite ad hunc vsque locum producta sunt. Cùm in Templo tanquam vigil, & custos excubaret Samuel, audiuit suo se nomine compellari; & statim, vt erat ad parendum promptus, & ardens, atque alacer ad imperata præstanda, confestim clamat, *Ecce ego*, quod mirum prodit studium obsequentis animi. Neque se tricat, aut pigritat in lecto; sed cum dicto se corripit, & sistit seni, facturus quicquid impositum sibi foret à Pontifice. Atque ideò dicit, *Ecce ego*, quicquid tibi libuerit, operis impone; nulla erit in obsequendo difficultas, aut mora; ideò enim accurri, quia vocasti me. Tunc Heli cùm sciret à se non fuisse accersitum, neque quid haberet operis, quod iniungeret; ad cubile rursus, & quietem remisit. Quod iterùm posteà, ac tertiò fecit; cùm enim vox sæpiùs Samuelem vrgeret, sæpè ipse sicut anteà hilaris adrolabat, & promptus.

In Samuele exemplum obedientiæ.

Vers. 7.

18. Vers. 7. *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum.*] Norat quidem Dominum Samuel, illúmque venerabatur, & totum se ad eius voluntatem, nutúmque fingebat: non tamen norat ea cognitione, qua Prophetæ solent, qui Deum alio quodam modo familiarem habent. Atque ideò Dei vocem hominis esse arbitrabatur; atque ideò aduolabat ad hominem, & ab illo tanquam à vocante responsum expectabat: Sed fecit promptus obsequendi animus, vt sæpiùs tunc, & posteà diuinam vocem frequenter audiret. Quod verò posteà additur: *Neque reuelatus fuerat ei sermo Domini*, non negat diuina aliqua cognitione, & interiori verbo illustratum esse Samuelis animum; quod spiritualibus viris, qualis erat Samuel, accidit in oratione non rarò: sed tantùm affirmat vocem Domini sensibili modo ad illud vsque tempus nunquam auditam.

19. Vers. 9. *Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum.*] Audierat Heli Deum olim cum viris sanctis fuisse locutum; sanctitatem porrò Samuelis in ætate adhuc puerili, longo vsu, atque experientia cognouerat; sciebat præterea nullum alium eo temporis articulo in Templo esse; quia nondum lampades erant extinctæ, quas extinguebant Sacerdotes, & ex eo tempore morabantur in Templo. Quare coniectauit optimè, non ab alio, quàm à Deo vocatum esse Samuelem.

20. *Vox superioris, vox est Dei.* Hìc habent Religiosi viri documentum optimum; vt norint, quo animo excipienda sint Prælatorum mandata, quibus Dominus vicariam dedit potestatem, & sibi deferri dixit obsequium, quod homini etiam non admodùm sancto foret exhibitum. Sic enim frequenter audimus: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, & similia. Quare quod legitimè iubet Prælatus, Dominus iubet, cuius vox est Dei, licèt aliquid resonet formatum ab humano halitu. Sumpsit, opinor, Dominus hoc loco vocem Heli, quæ non aliter sonaret, quàm si Heli sua senili voce, & laboranti spiritu loqueretur; atque ideò inclamatus à Deo accurrit ad Heli. Sanè vim obe-

Obediens in prælato Deũ agnoscit. dientiæ propriam ignorat Religiosus, qui in superioris ore Dominum loquentem non audit; & qui dum imperata complet, à mortali potiùs homine, quàm ab immortali Deo gratiam captat.

21. Vers. 10. *Et vocauit, sicut vocauerat, secundò Samuel Samuel.*] Hìc obseruandũ, appellari dici *secundò* Samuelem, cùm iam tertiò vocatus fuisset, vt constat ex v. 8. quare dicendum esset potiùs, vocatum esse *quarto*. Respondeo; aut illud *secundò* non indicare vocationum numerum; sed nomen Samuelis secundò repetitum: bis enim auditum est Samuelis nomen, *Samuel, Samuel*. Aut certè *secundò* idẽ valet, quod *iterùm & sæpiùs*, aut *iterùm atque iterùm*. Hebraicè enim est כפעם בפעם *kepaam, bepaam:* id est, *sicut vna vice, ita altera vice*; id est, iterùm sicut anteà; aut, sicut vertit Pagninus, & Tigurina, *semel & iterùm*. Ac si dicat, non destitit vocare illum, sicut antè vocauerat, siue vt etiam Pagninus vertit, *sicut vice altera*.

22. *Propria viri obediẽtis vox.* *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.*] Non aliud, credo, Samuel documentum accepisset à Deo, quo se ad diuinam vocem audiendam comparasset. Cuius illa sententia est, paratum se esse ad præstandum illud, quod sibi à Deo foret iniunctum, quicquid illud esset: id enim hoc loco valet *audire*; quod sonat & studium cognoscendi quid velit Deus, & animum ad illud explendum hilarem, & strenuum. Hanc Deus videbatur spectare vocem, vt diuturni silentij, quo fuerat superioribus temporibus vsus, tandem afferret finem, & sua consilia Prophetis, quod iãpridem perquàm rarò fecerat, aperiret. Dixit idem penè Samuel, quod B. Virgo, Lucæ cap. 1. *Ecce seruus tuus, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et vt illa eo verbo obsequenti, & humili Deum ad sua viscera deduxit; sic Samuel spiritum propheticum è cælo deduxisse videri potest.

Libet hìc addere, quod optimè obseruauit Cassianus collat. 2. cap. 14. vbi docet, quantum expediat in rebus dubiis superiorem adire, & ab eo discere, quid maximè ex vsu nostro, Deíque gloria futurum sit, per quem suam nobis Deus voluntatem expromit, & cuius verba apud Religiosum oraculorum pondus habere debent. Cassianum accipe: *tantum placita Deo hæc sententia comprobatur, vt etiam in Scripturis sanctis hanc eandem institutionem nõ otiosè reperiamus insertam, ita vt puerum Samuelem iudicio prælatum suo nollet per semetipsum diuini colloquij disciplinæ Dominus erudire; sed recurrere semel & iterùm pateretur ad senem, eúmque, quem ad suum vocabat alloquium, etiam illius, qui offenderat Deum, dummodò senioris doctrina vellet instrui, & quem sua vocatione dignissimum iudicarat, senioris mallet institutione formari: vt scilicet illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis huius proponeretur exemplo.* 23. *Ad superiores in dubiis accurrendũ.*

Vers. 11. *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.*] Hoc fuit verbum primum, quod accepit à Domino Samuel prophetali more; sanè horribile, quódque minùs videbatur in animum conuenire puerilem; cùm hæc denunciarẽ his, qui in magistratu sunt, constantis sit animi, & quem neque metus frangat, neque maior authoritas. Sed iam inde Deus Samuelis pectus contra maiores denunciationes, & terrores armabat. Qualia enim denunciarit Sauli homini furioso, nemo nescit. 24.

Porrò aures tinnire dicuntur prouerbiali forma, quando aliquid auditur insperatum, & horribile, cuius sonitum, etiamsi quis maximè cupiat, expellere, aut obliuisci, non potest: Sicut neque remouere ab oculis illarum rerum imagines, quæ nobis antè aut graue aliquod vulnus, aut vehementem horrorem attulerunt. Accidit sæpè, vt sonitus grauis aliquandiu resonet in audientium auribus, qui aurium tinnitus appellatur; qualis est ille, qui à disploso tormento murali reboat, aut à fragore subito ruentis ædificij, aut ab eo tonitru, quocum frequenter fulmina torquentur. Quasi ergo malum quod imminere prædicitur, futurum sit, quale fulmen afferre solet; aut cùm horribili motu terra concutitur, & dehiscit; aut cùm magna moles repentino casu corruit, aurium tinnitu tanti mali pondus, & magnitudinem declarat. Hunc verò dicendi modum esse prouerbialem facilè probant alia loca huic quàm simillima in eandem sententiam. Ierem. cap. 19. v. 3. *Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius.* Idem penè lib. 4. Reg. cap. 12. 25. *Prouerbium tinnire aures.*

Vers. 12. *In die illa suscitabo super domum Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius.*] Multò ante hoc tempus; imò, vt dicebamus cap. 2. ante Samuelis ortum, hoc idem, quod nunc, prædictum fuerat Heli à viro quodam Dei, de quo 26.

ibid.

ibid.v. 27. Cùm autem iampridem præceſſiſſent minæ, neque illarum exitus appareret, ſuſpicari poſſet aliquis illas eſſe nugaces, & inanes, & quaſi æterno quodam ſomno demerſas. Sed reſpondet Deus, neque peccatorum domus Heli ſe fuiſſe immemorem, neque minarum, quæ iam videbantur excidiſſe. Hoc valet illud *ſuſcitabo*, ne videlicèt ampliùs dormiat. Quaſi dicat; efficiam, vt virga vigilet ſcelerum vindex, de qua Ieremias, cap. 1. & perditio, quæ vt dicit Petrus epiſt. 2. cap. 2. *non dormitet*. Quæ verò locutus fuerit Deus ſuper domum Heli, audiuimus præcedenti capite.

27. *Incipio & complebo.*] Conſtantis eſt animi, & in propoſitum opus obfirmati, ad finem vſque inimicitias perſequi, neque in opere ſemel inchoato languere, donec actum ſit omninò de re, quā ad exitium vſque deſignauit. Quòd ſi in medio quaſi curſu conſiſtat, & langueat, aut furor exiſtimatur minùs ardens, aut animus infirmus. Hoc eſt hominum de hominibus familiare iudicium, cui ſe Deus in præſentia, ſicut aliis plurimis locis, attemperat, & dicit incepturum ſe, quod minatus antè fuerat, neque ceſſaturum, donec ad vnum omnia compleuerit.

28. Verſ. 13. *Prædixi enim, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum propter iniquitatem.*] *Iudicare*, ſicut *viſitare*, & ſimilia, verbum eſt embiguū; quod tam valet, quod ex offenſione, quàm quod ex beneuolentia natum eſt. Hoc autem loco aliquid ſignificat aduerſum, quod peccata punit, & iniurias vlciſcitur. Hoc verò iudicium, ſeu ſupplicium æternum, illa nota, & labes eſt, quam ſubitura eſſet domus Heli, cùm ſacerdotij ſummi gloriam amiſit, ad quam in æternum reditura non erat. Id autem tunc Dominus prædixerat per virum Dei, v. 32. quando dixit: *Et non erit ſenex in domo tua omnibus diebus.* Neque quod ſtatim ſequitur: *Quòd non expietur iniquitas eius victimis, & muneribus vſque in æternum*: alium habet ſenſum, quàm luituram eſſe domum Heli pœnas æternas; id eſt, nunquam redituram ad ordinem illum, & nomen, quod amiſit. Quod ita omninò accidit: nam poſtquàm Abiathar ex ſuprema illa dignitate cecidit, nunquam ex domo Ithamar quiſquam ſupremum illum ordinem conſecutus eſt.

29. *Et non corripuerit eos.*] Corripuit Heli filios ſuos, vt habes cap. 2. verſ. 23. ſed molli corripuit brachio; in quà correptione apparebat magis parentis indulgentia, quàm Sacerdotis zelus, & Iudicis ſeueritas. Quare correptio illa, quia leuis fuit, & filiorum non fregit audaciam, & profuſam illam intemperantiam non cohibuit, correptio appellari non debuit; iuxta Scripturæ morem, quæ id factum eſſe negat, quod vſum nullum attulit. Quomodò, ſi princeps aut prudentiam habeat nullam, aut in republica adminiſtranda dormitet, & langueat; in tali republica negatur eſſe princeps. Et ſi medicina ægroto corpori ſalutaris non fuit, abfuiſſe dicitur medicina: illa ſanè medicina non erat, qualem tam grauis ille, & ſanioſus morbus exigebat, qui cùm candens deſideraret ferrum, vt vreret, aut acutum, vt ſeccaret: oleum tamen adhibitum fuit, quod potiùs, quia lenit, blandimentum quoddam, & fomentum appellari debuit.

REGVLA. *Id fuiſſe negatur quod inutile fuit.*

30. Vbi Vulgatus, *non corripuit*, Hebraicè eſt כהה *kihah*: quod *rugare* ſignificat; nempè frontem, aut nares. Qui enim irati ſunt, aut offenſi, aut aliquid vident tetrum, & odoratu graue, frontem corrugant, & contrahunt; quod aliter Latini caperare dicunt frontem. Vnde *rugare frontem* idem eſt, quòd triſtem eſſe aliquem; ſeu ſeuerum, aut triſtem alicui vultum oſtendere: ſicut contra *explicare frontem, exporrigere*, & ſimilia; hilarem ſignificant, & amicā faciem. Corrugabat frontē Dauid Pſal. 100. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorū meorum*: id eſt, non eſt auſus meū vultum ſubire; vſque adeò illum ſeuerum, & rugoſum experiebantur. Sed tam fuit longè Heli, vt filiorum putria, atque fœtentia vlcera aut cauterio vreret, aut mordaci aliquo medicamento corroderet, vt neque vultum oſtenderet ſeuerum, & triſtem.

Frontis rugæ ſeueritatem important.

Verſ. 14. *Quòd non expietur iniquitas domus eius victimis.*] *Iniquitas, peccatum*, & ſimilia, non rarò ſumuntur pro iniquitatis, atque peccati pœna; ſicut hoc loco neceſſariò dicendum: neque enim quotquot ex Heli familia propagati ſunt, excluſi ſunt à peccatorum venia, & æternis alligati ſuppliciis. Eſt autem æterna illa iniquitas; id eſt, ſupplicium, ſacerdotij priuatio, quod neque poſteà conſecuti ſunt poſteri, neque conſequerentur vuquam, etiamſi eam ob rem muneribus, & victimis diuinum contenderent animum placare. Vſus eſt autem expiationis verbo, quia illa ampliſſimi nominis ignominioſa iactura, & quoddam quaſi exauctoramentum dignitatis, erat macula quædam moralis, quæ Heli familiæ penitùs inhæſerat, quæ expiari, atque elui nullo modo poterat, niſi ſacerdotio in eandem familiam reſtituto, quod ſanè nunquam accidit. 31. *Iniquitas pro peccati pœna.*

Verſ. 15. *Dormiuit autē Samuel vſque manè.*] Solus erat Samuel, cùm illum allocutus eſt Deus; neque ſocium habuit vllum, donec ſub auroram portas aperuit, vt Sacerdotes de more Tabernaculum ingreſſi, lucernas, quæ ad illud vſque tempus erant accenſæ, extinguerent. Vbi Vulgatus *dormiuit*, Hebraicè eſt וישכב, *vaiſcab*: quod non tam *dormire*, quàm *cubare* ſignificat; ſumitur verò pro *dormire*, ea figura, qua antecedens pro conſequenti ponitur; accubitus nempè pro ſomno, quia accubitus ſomnum antecedit: & eodem modo *dormire* ſumitur pro *cubare*, quia ſomnus cubationi ſuccedit. Puto autem hoc loco *dormire*, non ſumi propriè; ſed figuratè, pro *cubare*, ſeu *quieſcere*, vt alibi ſæpè. Neque enim veriſimile videtur, vt ſtatim atque Samuel diuinam vocem audiuit ſeueram, & minacem, breui illo tempore, quod reliquum erat ad matutinam lucem, ſic animo fuerit ſedato, vt dormire potuerit. 32. *Dormio idē quod cubo.*

Verſ. 17. *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.*] Non audebat Samuel aperire Sacerdoti, & ſeni, & optimè de ſe, atque diu merito, quod à Deo in ipſius caput, atque familiam vaticinium acceperat: atque ideò continebat ſe, timore pariter, ac pudore deterritus; donec tandem ſenex id, quod erat, prudenter ſuſpicatus, illum aduocat; obteſtatúrque, dirum aliquid, & horrendum imprecatus, ſi quidpiam illorum, quæ audiiſſet, taciturno pudore celauerit. Illa porrò adiurationis, ſeu execrationis forma familiaris fuit Hebræis, in qua aliquid ſubauditur durum, ignominioſum, & horribile. Quale ſuperioribus accidit ſæculis, quod propter ſui ipſius naturam, & pondus, non poterat omnibus non eſſe notiſſimum. Quales fuerunt Ægyptiæ plagæ; illorum, qui adorauerunt aureum vitulum, crudelis interitus; Nadab, & Abiu filiorum Aaron; Dathan, & Abiron, & Sodomæorum dirum exitium. Ne- 33.

que est improbabile, quæ in hac execratione subaudiuit historicus, illa singulatim explicuisse Sacerdotem, quæ cum homines adiurati consueta forma solerent audire, non fuit cur illa sacer scriptor sigillatim exprimeret; sed satis habuit dicere: *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat*; nempè quæ imprecationis optat communis, & legitima forma. Ita placet Abulensi q.5.

34. Vers. 18. *Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.*] Dignum Sacerdote, & viro religioso responsum; qui vt se, ac sua Deo, vtpotè suo domino, ac rectori subiecit: sic etiam æquo fert animo, quacumque de se, rebúsque suis ratione constituat. Bonum esse alicui, aut in oculis alicuius; idem est, quod alicui placere: vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Isaiam, ad illud cap. 39. *Bonum verbum Domini.*

35. Vers. 19. *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo.*] Crescebat Samuel ætate, peruenerat autem, vt paulò antè diximus ex Iosepho, ad duodecimum ætatis annum: crescebat item apud homines opinione sanctitatis eximiæ; quia quotidie apparebant in illo rara quædam tam prudentiæ singularis, quàm diuinæ illustrationis, & prophetici spiritus documenta. Hoc autem ideò crescebat in Samuele in singulos dies magis ac magis, quia Dominus illi aderat, cui ipse assiduum, atque fidele præstitit obsequium. Illud, *&*, sicut aliis sæpè locis, causalem particulam esse reor, in eam sententiam, quam modò produxi. Esse autem Deum cum aliquo, ex vsu Scripturæ, nihil est aliud, quàm illi fauere, studia prouehere, ac tandem facere, vt prosperè omnia, & ex voto succedant. Sic Dominus fuisse dicitur cum Gedeon, & ita hostiles acies multitudine penè innumerabiles exigua militum manu superauit. Sanè Genes. cap. 26. Rex Geraræ cognouit Deum esse cum Isaac, quia vidit hominem subitò, & sine vllo suo labore locupletatũ. Quod etiam in Iosepho cognouit Putiphar, Gen. 39. quia omnia illi, ex quo ipsius domum ingressus est, succedebant ex voto. Vide Abulensem in hoc cap. q.5.

Et, causalis.

Rex Geraræ.

36. *Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.*] Id est, nullum illius verbum successu caruit, siue ex his, quæ proximè Sacerdoti prædixit, siue ex aliis, quæ sub hæc tempora ex ore Domini ad alios detulit; quæ tamen in hoc libro scripta non sunt. Hic verò dicendi modus, quo negamus aliquod verbum, siue consilium à destinato euentu fuisse vacuum, vsitatus est etiam scriptoribus profanis. Sic Cicero in hanc fortasse sententiam dixit lib. 9. epist. vlt. se loqui, *quod in solum cadat.* Sumitur autem prouerbialis hæc forma ex gladiatorum, aut militum consuetudine, qui id agunt in suo militari, aut gymnico congressu, nequa sit irrita, aut malè destinata petitio: quales plurimæ à parùm strenuo, & fortunato milite quotidie fiunt; cùm hasta videlicet, quæ hostile corpus configere debuit, ab illo deerrans in terra defigitur. Sed nullũ Samuelis verbum, quod instar teli fuit, errauit à vulnere; sed illos sine vllo errore fauciauit, in quos destinabatur prophetica petitio. Alij aliter huius prouerbialis metaphoræ rationes adducunt. Hæc omnium mihi videtur expedita maximè, & valdè accommodata propheticis minis, quæ nihil videtur aliud, quàm hostile iaculum in sceleratorum hominum vulnus, & exitium intentum.

Prouerbiũ, Verbum in terram cadere.

Vers. 20. *Et cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee.*] Hæ duæ ciuitates in extremis erant finibus terræ promissionis; altera ab Aquilone, Dan; altera à Meridie, Bersabee. Quicquid ergo his continebatur finibus; id est, totus Israel ex rerum euentibus cognouit fidelem Domini Prophetam esse Samuelem, cui Deus, ex quo primùm illũ diuinitùs afflauit, sæpiùs apparuit in Silo. Quoniam ergo Deus per Samuelem sæpiùs locutus est, neque vllum ipsius verbum in terram cecidit, facilè populus cognoscere potuit in illo aliquid esse diuinum. 37.

Vers. 21. *Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo iuxta verbum Domini.*] Hæc postrema verba implexa sunt nonnihil, & illorum non parum impedita syntaxis. Ego sic ordino: Quoniã Deus in Silo primùm apparere cæpit, ibidẽ posteà sæpiùs apparuit; non ita vt oculis speciem aliquam adspectabilem obiiceret; sed iuxta verbum suum; id est, loquendo, aut ostendendo sua consilia, vt eorum apud omnes esset nuncius, & Interpres. Vbi Vulgatus *iuxta verbum*, Hebraicè est ברבר *bedbar*: quod idem valet, atque *in verbo*, quomodò omnes penè recentiores conuertunt: aut *per verbum*, vt legit Tigurina; quasi dicat: verba potiùs Deus Samueli, quàm speciem aliquam ostendit; ita vt non tam per oculos, quàm per aures illius animum futurarum rerum cognitione compleuerit. Vulgatus legisse videtur aliter, quàm nunc habent Hebraici codices; non ברבר *bedbar*, sed כדבר *kidebar*. Sed est aut eadem, aut certè non admodùm diuersa sententia. 38.

Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli.] Non solùm videtur Samuel, dum esset in Silo, aliquid contra Heli, illiúsque familiam prædixisse; sed etiam Israeli toti; licèt quid illud sit, ex Scriptura sacra non cõstet. Quicquid tamen ab illo prædictum fuit, successu non caruit. Fortasse hîc per prolepsim illa proponuntur ante suum tempus, quæ multis pòst annis contigere; qualia multa præuidit Samuel, & populum, ac Regem non minùs obsequentem admonuit. Potuit autem hîc omnia paucis adnotare Propheta; quia non eodem omnia aut tempore, aut ordine narrari solent à Prophetis, quo gesta sunt. Est autem verisimile, quæ scripsit Samuel, ad extrema nempe tempora Saulis, extremo vitæ tempore ab eodẽ fuisse tradita monumentis. Illud ad extremum addendũ, postrema hæc verba ab Hebræis, & Septuaginta, non tam finire præcedens, quàm inchoare subsequens caput; quod aliis sæpè locis vsu venit. Quod nos multis probauimus ad illud Dan. 13. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos:* & latiùs proleg. 6. in Danielem. 39. *Samuel de Israele prophetauit.*

IN CAPVT IV. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM Philisthini, qui iam pridem contra Israelitas mortales alebant inimicitias, instruxissent acies, illásque in eorum fines inuexissent, occurrerunt illis Hebræi, qui accepta graui plaga, ignominiosa fuga aduersariorum ferrum euaserunt. Qui cùm nossent, quoties maiores sui, in quorum castris erat Arca fœderis, copiosissimas inimicorum acies concidissent, vel in transmissione longa per desertum, vel in subiuganda Chanaanitide regione, Arcã secum ferre; id est, diuinum auxilium, vt ipsi interpretabantur, statuerunt. Quæ res primùm Philisthinos graui concussit metu; quasi iam non cum Israelitide gente, sed cum illius tutelari Deo dimicandum foret: sumpserunt tamen animos, quos depondisse videbantur, & edita longè maiore clade, quàm anteà, ipsam quoque Arcam in suam prouinciam captiuam abduxerunt. Cúmque res tota ad summi Sacerdotis aures delata esset, tulit patienter, & duorum filiorum interitum, & reliqua Israelis incommoda: cùm tamen primùm accepit Arcam esse in hostium potestate, corruit exanimis à sella, & graui collisione confractus expirauit. Neque dissimilis fuit euentus ipsius nurus, vxorisque Phinees, quæ audita soceri, atque mariti morte, & quod ipsi maiori dolori fuit, Arcam esse captam ab hoste Philisthino, in ipso puerperij conflictu periclitari cœpit: Cumque illi, qui aderant incolumi filij enixu matris dolorem lenire conarentur; negat illa se posse vlla consolatione leuari, cũ Arca sublata, sublata quoque videatur Israëlis gloria: & ideò moriens filio recèns nato nomen imposuit & dolori suo, & rerum euentui accommodatum.

CAPVT QVARTVM.

1. ET factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam: & egressus est Israel obuiam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.

2. Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum.

3. Et reuersus est populus ad castra: dixerúntque maiores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.

4. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin: erántque duo filij Heli cũ arca fœderis Dei, Ophni & Phinees.

5. Cúmque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra.

6. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox A clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quòd arca Domini venisset in castra.

7. Timuerúntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes:

8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto.

B 9. Confortamini, & estote viri Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini, & bellate.

10. Pugnauerunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israel, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia peditum.

11. Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.

C 12. Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & consperfus puluere caput.

13. Cúmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nunciauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas.

14. Et audiuit Heli sonitũ clamoris, dixítque

xítque : Quis eſt hic ſonitus tumultus huius? At ille feſtinauit, & venit, & nuntiauit Heli.

15. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.

16. Et dixit ad Heli : Ego ſum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait : Quid actum eſt fili mi?

17. Reſpondens autem ille, qui nunciabat : Fugit, inquit, Iſrael coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui mortui ſunt, Ophni & Phinees: & arca Dei capta eſt.

18. Cúmque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt. Senex enim erat vir & grandæuus : & ipſe iudicauit Iſrael quadraginta annis.

19. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat vicináque partui : & audito nuncio, quòd capta eſſet arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incuruauit ſe & peperit : irruerant enim in eam dolores ſubiti.

20. In ipſo autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ ſtabant circa eam : Ne timeas, quia filium peperiſti. Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit.

21. Et vocauit puerum, Ichabod, dicens: Tranſlata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt arca Dei, & pro ſocero ſuo & pro viro ſuo;

22. Et ait: Tranſlata eſt gloria ab Iſrael, eò quòd capta eſſet arca Dei.

IN CAP. IV. LIB. I. REGVM,

COMMENTARII.

Verſ. 1. *Et factum eſt in diebus illis; conuenerunt Philiſthiim in pugnam.*]

1. SI quod Hebræi codices, & nonnulli Græci faciunt, vt præcedentis capitis finem exordium eſſe putent ſubſequentis, verum ſtatuamus; non eſt improbabile, aduerſa multa non ſolùm Sacerdotis maximi familiæ; ſed etiam toti populo à Samuele prædicta. Imò etiamſi extremum illud, vt communiter habent Latini codices, caput claudat antecedens, non inchoet ſubſequens. Poſtrema etenim verba quædam præparatio ſunt ad ea, quæ ſtatim commemorantur, vbi non vni Sacerdotis familiæ; ſed Iſraeli toti grauem videmus inflictam eſſe plagam. Vnde verò clades illa primùm aduenerit, ſcribere aggreditur, ab exercitu videlicet Philiſthinorum, qui contra Gentem Iſraelitidem inſtructus eſt.

Caſtrametatus eſt iuxta lapidem adiutorij.] Progreſſus eſt Iſrael contra Philiſthæos, poſuítque caſtra ad illum locum, qui ex euentu poſteà vocatus eſt *lapis adiutorij*. de quo cap. 7. v. 12. Eſt autem prolepſis, quæ aliquid narrat ante tempus ſuum; aut nomen attribuit, quod longè pòſt habuit locus aliquis, familiaris Scripturæ ſacræ, neque Scriptoribus profanis inuſitata. Sic apud ſacros dicitur Geneſ. cap. 12. *Bethel*, cùm tamen tunc *Luza* vocaretur: nam illi loco nomen illud à Iacob Geneſ. 28. primùm inditum eſt. Sic Maro *Velinos portus* per prolepſim vocatos dicit à Palinuro; cùm tamen multis pòſt annis tale nomen habuerint. Plura occurrent exempla mediocriter attento.

2. *Proleſis vſitata.*

Verſ. 3. *Quare percuſſit nos hodie Dominus coràm Philiſthiim?*] Tanta fuit ſtrages illa in Hebræorũ caſtris, vt maiores natu prudenter coniectauerint, non ab hominibus, ſed ab irato Deo illatã eſſe cladem. Quare cauſam illius quærunt, & de meliori in poſterũ euentu deliberant. Quam inuenerint exitij tanti cauſam, Scriptura non explicat: ſed conſiliũ, quod poſt conſultationẽ ſuſcepere, aliquo modo, licet obſcurè, ſignificat. Nã cùm ſtatuerint ſecũ afferre Arcam Dei ex Silo, aliquid indicant in caſtris fuiſſe, quod Arcæ conſpectu purificari, aut confirmari debuerit. Aut enim videbant ſeniores illi aliqua inter milites eſſe peccata, quæ cladẽ, & mortẽ aduocant, quæ putabant ad Arcæ conſpectũ eſſe reſecanda; aut fuiſſe plus ſatis confidentiæ, quæ interdũ ſuperbis animis eripit victoriã. Quare, vt norant cladẽ illam non tã illatam à Philiſthæis, quàm à Deo: ſic etiã norunt à Deo potiùs, quàm ab humanis viribus, atque ſolertia comparandã eſſe victoriã. Audierant námque ſubactam eſſe Chananæorum terrã à diuina manu; quia id ſæpè cecinerant, profeſſique fuerant illi, quibus ipſi nõ poterant non habere fidem; ideò ad illum confugiunt, à quo ſperabant edenda non minora prodigia. Afferunt igitur ſecum Arcam Dei, in qua lex erat incluſa, quam ſuis ipſe digitis Dominus in tabulis notauerat, à qua ſperabant; quod experientia edocti, ſuis lacertis, & omni apparatu bellico obtinere diffiderant. Sed eſſet conſilium magis ad optatum exitũ opportunum, ſi quam deſcriptam in tabulis legem afferebant, eandem animis altiùs impreſſiſſent: placaſſent enim offenſum Deum multò magis, quàm producta in aciem Arca, cuius ſanctitatem militari licentia, & morum improbitate violabant.

3. *Peccata cauſa cladis.*

Acquieuit, opinor, Heli tam populi, quàm filiorum precibus, ſed inuitus, cùm ægrè ferret à Tabernaculo diſtrahi Arcam, quã Iſraelis gloriã arbitrabatur. Certè cùm Arca in Philiſthinorum poteſtatem venit, dixit Heli nurus, cùm extremũ ageret ſpiritũ, *Tranſlata eſt gloria de Iſrael.* Quare, vt ait Ioſephus lib. 5. cap. 12. filiis ſuis, qui Principes erant in exercitu, edixit, vt vitam potiùs amitterent in acie, quàm Arcam ſuæ fidei commiſſam deſererent. Tulerunt itaque filij Arcam; *accepto à patre mandato, ſi amiſſa Arca viuere ſuſtineant, ne vnquam in conſpectu ſibi veniant.* Simile aliquid dixiſſe traditur Lacæna quædam, cùm filio ad prælium profecturo clypeum traderet, quem amiſiſſe magno militibus dabatur probro, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς: *Aut hunc*, in quit, *redde, aut in hoc redi*, nempe exanimis: clypeus enim in acie mortuis erat olim pro ferali pheretro.

4.

Verſ. 4. *Erántque duo filij Heli cum arca fœderis Dei.*] Cùm hi duo Sacerdotis magni filij forent

5.

rent, & ipsi Sacerdotes, sumpserunt Arcam de Tabernaculo, & tulerunt in castra; & cùm pudorem anteà, & bonam famam abiecissent; abiicere tamen noluerunt sacerdotale nomen, quod ab illis exigebat fidelem Arcæ, sedulámque custodiam. Sed quis scit, an impuræ Sacerdotum manus, quæ Arcam minùs, quàm decebat, religiosè tractauerant; non tam auerterint, quàm adduxerint, aut auxerint illam funestam cladem? Sane propter illorum impuram vitam illud Heli minax vaticinium accepit, quod nunc primùm experiri cæpit non solius Sacerdotis familia; sed totus populus Israel.

6. Vers. 7. *Timuerúntque Philisthiim dicentes: Venit Deus in castra.*]Ex Hebræorum vlulatu, & acclamatione inopinata cognouerunt Philisthini aduenisse magnum aliquod subsidium Hebræis: & vbi cognouerunt ex speculatoribus Arcam adductam esse Testamenti, expauerunt valdè, nihil non sibi ex illius præsentia metuentes. Norant enim, quot Israelitæ quondam bella secunda gesserint, cùm secum eandem Arcam in castris habuerunt; quemadmodùm Ierichuntina mœnia ad conspectum Arcæ repentè corruerint: neque suis rebus aliquid ominabantur melius. Atque ideò consternati animis ingemiscentes iterabant illud: *Væ nobis, væ nobis.* Quæ vox magnum ostendit dolorem, ac metum; maximè cum ab illis exprimitur, qui robusti sunt, & frequentibus assueti victoriis.

7. Vers. 8. *Non fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius.*]Familiaris iste dicendi modus tempus significat apud Hebræos, quod non ita dudum, & absolutè interdum, quod iamiam pridem antecessit. Sic Iacob, Genes. 31. animaduertit faciem Laban, *quòd non esset erga se, sicut heri, & nudiustertius.* Et Exod. 4. v. 10. sic Moyses ad Deum: *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum*, &c.

Heri, & nudiustertius quid.

Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum?] Pro variis ministeriis, ac necessitatibus, varios Gentilici populi deos habuerunt, quos etiam in via comites, & in bello duces, atque auspices adesse sibi existimabant. Quare cùm signa, ac manus cum hoste conferrent, tutelares quoque deos, & suas fouere atque tueri partes; & ipsos inter se dimicare putabant. Vnde sæpè apud poëtas legimus Deorum pugnas, dum partibus studeut contrariis; quibus suam Homerus Iliada repleuit, & ex eo in suam Æneida multa contulit Maro, qui lib. 8. deos Romanorum cum Ægyptiorum diis præliantes inducit:

Dij tutelares in via, & acie.

Omnigenumque deùm monstra, & latrator Anubis
Contra Neptunum, Venerem, contráque Mineruam
Tela tenent.

Et ex eo, quòd Gentes plerúmque cogitant, dixit Ouidius lib. 1. de Trist. eleg. 2.

Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.
Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam proprior Saturnia Turno;
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Vlyssem;
Eripuit patruo sæpe Minerua suo.

8. Ex hac igitur opinione Philisthæi aliquid sibi grauius metuebant à Iudæorum Deo, quem tunc adesse putabant, cùm Arcã cernerent in castrorum medio, quasi in illa non secùs atque in æde propria videretur inclusus. Coniectabant enim ex eo, quod celebrari audierant, non solùm Hebræorũ, sed etiã aliorum narratione, deos suos, à quibus nihil viderant, aut acceperant egregiũ, non posse tutò cũ Iudæorũ numine in certamen descendere; neque posse se illius robur sustinere, cui nationes alias succubuisse cognouerant. Sanè non videbantur ignoraturi Palæstini Ægyptiorum Deos malè à Iudæorũ Deo fuisse mulctatos; quia non longè aberant. Quod verò in Ægyptiorũ deos durè sæuierit, legimus Numer. cap. 33. v. 4. *In diis eorum exercuerat vltionem.* Quod facturũ se Dominus dixerat, Exod. cap. 12. v. 12. *Et in cunctis diis Ægypti faciam iudicia.* Docet autem Hieronymus in epist. ad Fabiolam, in prima mãsione ex Hebræorũ traditionibus, quo tempore egressi sunt Hebræi, corruisse templa siue terræmotu, siue fulminum ictu. Quod etiam refert Artapanus antiquus historicus apud Euseb. lib. 9. de præpar. cap. vltimo.

Dij Ægypty male mulctati.

Appellant autem non Deũ sublimem, sed *sublimes deos*, ex eo cõmuni Gentiũ errore, quæ singulos deos singulis attribuunt ministeriis; de quibus Augustinus latè lib. 4. de Ciuit cap. 10. & 11. Cùm ergo audiissent multa diuinitùs aut Hebræis, aut Hebræorũ hostibus accidisse, quæ non ab vno Deo fieri posse cogitabant; vt quòd aperuisset mare, quòd fulmina, & fulgura vibrasset, quòd denique dimicasset ab æthere, cohibuisset solis cursum, è cælo suauissimũ, ac certũ præbuisset alimentum: quæ omnia ab vno Deo patrari posse non credebant, à multis facta sibi persuaserant. Atque ideò non vnum, sed plures deos appellant ab operatione multiplici. 9.

Vbi Vulgatus *sublimium*, Hebraicè est אדירים *adirim.* Quæ vox *fortẽ* significat, & *excellentem*; in qua significatione sumptũ arbitror Deum à Philisthæis, quasi illũ deorum omniũ faterentur maximũ, maximéque potentẽ. Vulgatus aptè *sublimiũ* reddidit; quia vox illa in quouis genere non vulgare aliquid significat; sed eximiũ, & quod supra res alias altiùs attollitur. Quòd si vim propriã huius vocis cõsideres, sublimis à Philisthæis Deus appellatur; quia multa è cælo contra Ægyptios, multa contra Madianitas iaculatus est. Aut quia, cùm magna pars terræ Promissionis mõtosa esset, & aspera, Deus appellabatur montiũ, quasi in montibus tantùm esset potens, non etiam in campestribus locis. Sic sanè illũ existimabant Syri, lib. 3. Reg. cap. 20. v. 23. cùm dixerunt: *Dij montiũ sunt dij eorũ, ideò superauerunt nos: sed melius est vt pugnemus cõtra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Vbi, sicut modò Philisthæi, *deos* appellant in plurali numero, & *sublimes*; quia deos mõtiũ arbitrãtur. Quod fortasse itẽ opinabantur Philisthæi, qui ipsi regionẽ habitabant campestrẽ, & planã, funiculum nempe maris; minùs sanè montosam, quàm quæ communiter ab Hebræis incolitur. 10.

Deus cur dictus Deus sublimis, & Deus montium.

Hi sunt dij, qui percusserunt Aegyptũ omni plaga in deserto.]Audierant Philisthæi multa Deũ in deserto edidisse prodigia; audierãt itẽ Ægyptios à Deo plaga confectos esse multiplici; cúmque ipsi & tardo essent ingenio, neque admodùm essent de exploranda veritate solliciti, multa hîc cogitant, & dicũt, quæ minùs cũ fide canonica consentiũt. Sicut fecere alij, qui cùm res Hebræorũ audierint, neque tamẽ accuratè illas explorarint; multa scripserunt, quæ lõgè aberant à veritate, vt Iustinus, Cornelius Tacitus, imò & Iosephus non rarò. Quid ergo mirũ, si in hac antiquissima historia de Ægyptiorũ plagis tam errarint turpiter, vt illas in deserto contigisse crediderint? Sanè Achior Ammonitarũ dux, cùm Iudith cap. 5. Hebræorum texuisset historiam, aliqua proposuit, 11.

REGVLA. *Externi multa falsò dicunt in Scriptura sacra.*

quæ non omninò cum Scriptura conueniunt. Neque Scriptura sacra illa probat, quæ alij dicunt, sed tantùm, quæ dixerunt, fideliter narrat. Vide in hanc sententiam plura ad caput 1. lib. 2. Reg. & in Commentariis nostris super Michæã ad illud cap. 5. *Et tu Bethlehem, &c.*

12. Sed fortasse hîc Philisthinorum nullus error, quia de illa magna plaga loquuntur, quæ omniũ fuit grauissima, qua Ægyptiorum exercitus in vasta Rubri maris voragine demersus est. Ex idiomate Hebræorum *omnis* cum epitasi pro *magno* ponitur. Isaiæ, 14. v. 29. *Ne læteris Philisthæa omnis tu:* id est, ne læteris tota, aut ne magno
Psal. 106. efferaris gaudio. Psal. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum*: id est, nobilissimam, atque suauissimam, cæleste videlicet manna. Et Psal.
Psal. 38. 38. *vniuersa vanitas omnis homo viuens:* id est, mera, summa, atque omnimoda vanitas. Neque
Eccles. 12. alio fortasse sensu dicitur Eccles. 12. v. 13. *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo:* Id est, qui hoc fecerit, optimus est, & omnium præstantissimus homo. Sic fortasse hoc loco *omnis plaga* nihil est aliud, quàm grauissima plaga.

13. Vers. 9. *Estote viri Philisthiim, ne seruiatis Hebræis.*] Videbatur Philisthæos viros robustos, & audaces suppuduisse, quòd signũ edidissent ignobilis, atque languentis animi, cùm iterarent illud muliebre *væ*, & de suis rebus actum esse crederent. Sed hîc retractant voces illas fœmineas, & lugubres, & iacentes animos ad viriles excitant cogitationes, & hisce verbis ad strenuæ virorum opera confirmant. Estote iam viri, ó Philisthæi, & muliebres vlulatus, & hoc tantum dedecus procul abiicite; neque patiamini subire ab illis seruile iugum, quorum anteà ceruicibus illud imposuistis. Hoc porrò vsitatum est in omni, vt opinor, lingua, vt qui imbelles sunt, & timidi, *mulieres* appellentur. Quomodò ab Homero molles quidam Græci Ἀχαιΐδες dicuntur, non Ἀχαιοὶ. Et dum lib. 9. Æneidos mollities, & ignauia Troianis exprobratur, *Phrygiæ* dicuntur; & non Phryges. Quare ne quid tale ab inimicis, aut subsannante turba audiant Philisthæi, viros olere malunt strenuè dimicando, quàm fœminas, si eiulatu potiùs, quam armis studeant cædem declinare.

Viri, qui languido sunt animo, fœmina appellantur.

14. Vers. 11. *Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt.*] Hîc libet afferre, quod non tam Philo, quàm Pseudo-Philo, quicunque est ille (neque enim dignus est, aut cui habeatur fides, aut qui Philonis sibi nomen assumat,) Hic igitur tradit tenuisse Arcam Dei duos filios Heli, & Saulem filium Cis de tribu Beniamin, ex quibus duos interfecit Goliath Allophylus, qui posteà in singulari certamine victus fuit à Dauid; at Saul, cùm velox esset pedibus, elapsus est, & captã esse Arcã, & filios occisos, & magnã acceptã esse cladem renunciauit Heli. Hoc etiam de Saule nuncio dicit hîc Abulensis placuisse Hebræis; & addit ex illorum sententia, quam tamen non probat, eripuisse ex Arca tabulas legis, & ad Sacerdotem retulisse. An hoc posterius, quòd nuncius fuerit Saul, verum sit, authores ipsi viderint; quod autem per ætatem verum esse potuerit, mihi dubium non est: existimo enim, cùm regnum iniit Saul, fuisse propè sexagenarium; quare hoc tempore vigesimum iam annum attigerat. Sed de hac re suo loco; id est, ad cap. 13. pluribus.

Hebræorum fabula de Saule.

15. Vers. 12. *Currens autem vir de Beniamin ex acie venit in Silo scissa veste, & conspersus puluere caput.*] De hoc nuncio nihil habemus aliud, quàm esse ex tribu Beniamin; quod satis fuit Hebræorum magistris, vt refert Lyra, & Pseudo-Philoni, vt Saulem esse putauerit. Assumpsit tamen ille, quicunque fuit, lugentis habitum, sicut de more faciunt Iudæi, qui vestes lacerant, & caput cinere, aut puluere conspergunt; & clamans ciuitatem ingressus narrauit, quam ab hoste Palæstino plagam accepisset Israel. Cumque cõmunem omnium ordinum eiulatum accepisset Heli, qui sollicitus & de re tota, sed præcipuè de Arca, sedebat cæcus, & ipsa penè senectute confectus; conuersus ad locum, vbi futurum esse certamen existimabat; rogauit quid rerum fieret, & quid esset noui, & quæ res esset tam grauis, quæ clamores illos lugubres, & eiulatus expressisset ab omnibus. Et cùm ad acerbum nuncium de filiorum cædibus obduruisset; vbi tamen Arcam venisse didicit in hostium potestatem, corruit exanimis, & fractis ex illo casu ceruicibus expirauit. An verò Heli cum corporali morte, mortem quoque subierit æternam, diximus in principio, in præfatione ad cap. 1. n. 7. Porrò in dolore lacerari vestes, & puluere, ac cinere deturpari caput, diximus, probauimúsque pluribus ad illud Ezech. cap. 27. *Superiaciant puluerem capitibus suis.* Et est accommodatum exemplum illud amicorum Iob. cap. 2. *Exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum.* Et illud Iosue cap. 7. Cùm enim grauem populus plagam accepisset, tam Iosue, quàm seniores alij discidisse dicuntur vestimenta, & capitibus suis imposuisse puluerẽ. Vtrumque ex Gentium more in eodem euentu fecisse dicitur Latinus Rex, Æneid. lib. 12.

In dolore lacerata vestes, & caput cinere conspersum.

——— *It scissa veste Latinus*
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam puluere turpans.

16. Vers. 19. *Incuruauit se, & peperit; irruerant enim in eam dolores subiti.*] Erat vxor Phinees vicina partui; dolor tamen ex tanta malorum concursatione conceptus, dolores alios aduocauit, qui abesse nõ solent à puerperis. Fieri etenim solet, vt grauis aliquis, & repentinus motus, qualem non facilè natura fert, quicumque ille fuerit, difficilẽ illum articulum acceleret; vt multi docent, dum explicant illud Psal. 28. *Vox Domini præparantis ceruos.* Cùm ergo duo simul dolores, iidémque grauissimi, licet alij alia ex causa profecti, prægnantem inuaderent, incuruauit se parturientis more, & enixa est; ita tamen, vt cùm vitam dedisse videri potuit, & lucem fœtui, ipsa perderit. Iosephus septimestrem dicit fuisse partum; vitalem tamen, lib. 5. Ant. cap. 12. Vnde sumpserit, non video, nisi fortasse ex antiqua Hebræorum traditione. Sed illud de septimestri partu, quominus verum esse putem, facit, quòd nurus illa Heli vicina dicebatur esse partui, seu eiulatui, qualis edi solet in ipso pariendi nixu; at quæ septem menses vterum gessit, dici non potest vicina partui, qui nono communiter mense contingit. Et ἑπταμηναῖος ille partus, maximè qui non à natura, sed ab aliqua vi inimica, ac violenta prouenit, immaturus est, neque vitalis esse solet.

Dolor partũ accelerat. Psal. 28. *Partus septimestris.*

17. Vers. 21. *Et vocauit puerum Ichabod, dicens; Translata est gloria de Israel.*] Ex euentu sæpè imponuntur nomina; vt illa renouent aut rei feliciter gestæ, aut accepti beneficij, aut durioris alicuius infortunij memoriam. Docent hoc omnes penè filij Iacob, qui ab aliquo siue successu, siue

Nomen filiis impositũ ex euentu.

siue spe nomen acceperunt à parentibus. Huic verò quamsimillimum fuit illud Rachel, Genes. 35. quæ cùm iam puerperij dolore deficeret, filium, qui extremum illi diem attulit, Bennoni appellauit; id est, doloris filium. Sonat autem *Ichabod*, vt exponit Iosephus, ἀδοξία: id est, *non gloria*, aut *vbi gloria?* seu *va gloriæ*. Quid verò voce illa eo loco significare voluerit infelix illa mater, satis ostendit; quando addidit statim: *Translata est gloria de Israel.*

18. *Translata* dicitur *gloria de Israel*; sed est obscurum, quam apellet gloriam, quæ aliò ab Israele migrauit. Gloria enim vocari poterat illa, quam Israel rebus sæpè feliciter gestis acquisiuit; quæ tunc videtur ad Philisthæos esse trãslata, quando ab illis ingente illa clade superatus est. Aut certè cùm Sacerdotes periere, quorum ad illam pertinebat non minima pars. Sed est sine dubio Arca Testamenti, quæ hîc dicitur *gloria*: Tum quia illam plurimi semper fecerunt Hebræi, traduxeruntque diu, ac tandem in stabili loco cum gloria collocarunt; tum quia illa præsente, sicut posteà stante Salomonis templo, nihil sibi metuebant aduersi. Quare cùm in Philisthinorũ potestatem venit, venisse etiam ad illos existimari poterat gloria illa militaris, quæ diu in Israelitico nomine confederat. Translata itaque est gloria de Israel; quia apud illos cõstitit Arca, & quia, ea sublata, victoriarum spes solita excidit Israëli.

Arca cur gloria Israël.

19. Erat hoc Gentibus olim persuasum, incolumem Ciuitatem aliquam esse non posse, si deos, quos habebat tutelares, aut excessisse sponte, aut esse ablatos ab hoste contigisset. Notum est, quid de Palladio senserit antiqua Gentilitas; & quomodò prudentes quique actum putarent esse de Troia, cùm illud ad hostium potestatem venit: & quomodò ex adytis, atque adeo ex vrbe dicantur excessisse dij, quorum auxilio Ciuitas illa stetisse diu, & floruisse credebatur. Quare, vt tradit Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 9. cùm propè esset vt caperetur ciuitas, certo carmine ab hostibus euocabantur dij tutelares, quia aliter expugnari vrbem desperabant. Quod ne accideret, curabant obsessi ciues perquàm studiosè. Quod in templo Solymitano accidisse, quando priùs excisum fuit à Chaldæis; & iterum quando subuersum à Romanis, non leue habemus, aut vulgare documentum. De priore tempore est illud Ezech. cap. 3. v. 12. qui paulo antè quàm vrbem caperent, & Tẽplum euerterent Babylonij sonum audiuit, & indicia non dubia transmigrantis Dei. *Audiui*, inquit, *post me vocem commotionis magnæ: benedicta gloria Domini de loco sancto suo*: quasi locum illum à sua præsentia, præsidióque reliqueret. De Romanorum tempore hoc ipsum prodit Iosephus l. 7. de bello c. 12. *Festo*, inquit, *die, quem Pentecostem vocant, nocte Sacerdotes intimum Templi more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motũ, strepitumque senserunt; posteà verò subitam vocẽ audierunt, quæ diceret: Migremus hinc.* Quod etiam ex profanis tradiderunt alij, vt Apollonius lib. 1. excidij Hierosolymitani, Cornelius Tacitus l. 2. Annal. Hoc igitur suspicari potuit nurus Heli, cùm sublatam vidit Arcã de Tabernaculo, neque iam esse in Israelitarum potestate; cùm Arca enim bonam fortunam, & libertatis spem ad hostes translatam esse meditabatur.

Ex templo Solymitano Deus excessit.

Illud hîc pro moribus obseruandum, vsque adeò tulisse grauiter bonam istam fœminam, Arcam fuisse captã ab hostibus, vt non illi tam puerperij dolor, quàm qui conceptus fuerat ex Arcæ desiderio, vitam ademerit. Sic enim illa cogitatio omnem sentiendi facultatem abstulerat; sic quemcumque alium sensum, atque affectum expectorarat altè, vt cùm illi proponeretur, quod fœminis maximè solet in votis esse, nempè mascula soboles; tam longè fuerit, vt illi aliquid afferret leuamenti, vt neque, quid alij de re tam læta dicerent, attenderit; sed tantùm dixerit *Ichabod*: id est, *vbi gloria?* vbi Arca Dei? quomodò à nobis ad inimicos abiit? Sic nobis sanè cogitandum, si quando per peccatum Dei gloria à nobis fuerit aliò translata. Sic enim iactura tanta animum afficiat, & excruciet oportet, vt neque alia debeat subire cogitatio, neque sonet vox alia in pœnitentium ore, nisi sæpiùs iteratum *Ichabod*, quod formet etiam extremus spiritus, donec tandem exhaletur, & deficiat.

20.

De sola Dei gloria trãslata dolendum. Quomodò nihil consolari debet peccatorem.

Dij tutelares euocati ex vrbibus.

IN CAP. V. LIB. I. REGVM,

ARGVMENTVM.

DEDVCTA in Philisthinorum prouinciam Arca, magna edidit diuinæ virtutis, atque furoris documenta: cùm enim inducta foret in templum Dagon, ipsum ab ara, vbi religiosè colebatur ab Azotiis, deturbauit: & ad aram, vnde ceciderat iterùm relatus; iterùm cum maioribus sui detrimentis excutitur, sine capite, ac manibus, quæ à reliquo trunco diffracta dissiluerunt. Neque tantùm in mutum illud, & saxeum simulacrum sæuitum est; sed etiam in populum idololatram, quem Arca Dei fædo percussit, & acerbo vulnere: imò & in agros, quos enati repentè mures infinito numero, & ranæ pestilentes & noxiæ populabantur. Cùm tot Azotij afficerentur incommodis, neque in posterum leuiora metuerentur, consilium capiunt, déque re summa inter se deliberant: Ac tandem ex vsu communi fore iudicant, si Arca cum dignitate per totam prouinciam traducatur. Sed non successit ex voto consilium: nam eodem modo, quo Azotios, ciuitates alias, quas Arca perlustrabat, secreto quodam, ac fœdo vulnere percussit. Statuerunt tandem Arcam in suum locum continuò reducere, quia maior in dies gliscebat morbus ille turpis, & morientium, atque laborantium vlulatu omnis vbique ciuitas personabat.

CAPVT QVINTVM.

1. PHilisthiim autem tulerunt arcã Dei & asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum.

2. Tulerúntque Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.

3. Cúmque surrexissent diluculò Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.

4. Rursúmque manè die altera consurgentes, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen:

5. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem.

6. Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.

7. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca A Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon deum nostrum.

8. Et mittentes congregauerunt omnes satrapas Philistinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Respondérúntque Gethęi: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel.

9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat B viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inierúntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.

10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cúmque veniret arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, vt interficiat nos & populum nostrum.

11. Miserunt itaque & congregauerunt C omnes satrapas Philistinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israel, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro.

12. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei: viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cælum.

IN CAPVT V. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 2. *Et intulerunt eam in templum Dagon.*]

1. RELIGIOSE videntur Philisthæi tractauisse Arcam, cuius anteà conspectum horruerunt; quando neque dissoluunt, aut conculcant, aut alia quauis afficiunt ignominia: sed in loco statuunt, quem habuerunt maximè religiosum, in templo videlicet, quod erat Azoti ciuitate in ea prouincia nobili, & lauta, vbi Dagon, qui apud illos erat deorum maximus, præcipua quadam religione colebatur.

2. *Quæ Dagonis species.* De Dagone varia cogitant, & tradunt Interpretes. Primùm, de figura communiter dicunt expressum esse ad piscis similitudinem; quod vox ipsa Hebraica satis indicat. דג *dag* enim, à quo dictus Dagon, *piscis* est, cuius figuram habuisse E deum illum, quem peculiarem sibi habuit Ascalon, ipsi etiam profani prodiderunt. Sic sanè Diodorus l. 3. c. 2. Hunc porrò siue deum, siue deam; (& hoc posterius magis, vt arbitror, verũ) alij *Derceto*, alij *Atergatim* vocant. Collegit omnia, quæ de hoc deo alij dissectim, Cælius Rhodiginius l. 23. Antiq. lect. cap. 5. cuius hîc verba repetam, quæ instar habent omnium. *Semiramidem*, inquit, D *deæ cuiusdam Dercetus fuisse filiam fabulosa prodit historia. Eius templum fuerat ad Ascalonem Syriæ ciuitatem apud stagnum piscibus plenum. Eãdem Plinius prodigiosam vocat Atergatim, quòd esset facie hominis, & corporis reliqua in piscem desinerent. Ferunt Venerem factam deæ illi obuiam quandoque adolescentis speciosi amorem iniecisse, cui permixta Derceto filiam conceperit, &c. At dolore percita Derceto ex facti turpitudine in lacum se præcipitem dedit, deformatáque in piscem est.* Cum his aliquo modo sentiunt Hebræorum doctores, vt refert Abulensis, & Lyra; dicũt enim in Dagone speciẽ aliquam esse piscis; nempe caput, quod habuit à pisce, cum reliquas ad pedes vsque partes haberet ab homine. Ego, si ita statuamus, piscem esse, potiùs existimarem ab vmbilico ad imas vsque partes speciem habuisse animantis aquatilis; partem verò summam rationalis naturæ, quales in fœmineo sexu Nereides, & in virili Tritones describpserunt poëtæ. Est enim hæc figura frequens inter Gentilium sacra, neque adeò indecora, ac turpis, vt illam horreant adoratores Ethnici. Tale nobis monstrum in arte poë-

tica

tica descripsit Horatius:

—Turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

3. Incertum est, an hoc idolum muliebrem habuerit, an virilem formam: vtramque enim videmus aut à poëtis fictam, aut à pictoribus expressam simul cum extrema parte aquatilis naturæ. Ego iuxta superiora magis inclino, vt fœmineam speciem esse putem; neque valdè me masculina forma commouet, vt virilem credam: quia vsitatum est, vt per syllepsim terminatio virilis fœmineam quoque in se concipiat. Neque inter Hebræos vlla est terminatio, quæ diuinam naturam in fœmineo genere significet: & apud Latinos aliquandò Deus vocatur, cui fœmineus datus est sexus. Ita docet Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 8. vbi obseruat, Venerem vocari Deũ. Sic sanè Æneid. 2. vocatur à Virgilio.

Dagon an virilem habuerit, an fœmineam formam.

Venus sub vtroque sexu.

Descendo, ac ducente Deo tela inter & hostes,
Expedior.

Imò, vt refert Horus Apollo lib. 1. cap. 12. & Ammonius in lib. de interpretatione, nonnulli deorum ἀρσενοθήλεις & γυναῖδρους credebantur; id est, qui viri sunt simul, atque mulieres.

4. Hoc porrò idolum non erat proprium aut Ascalonis, aut Azoti, apud quos in honore fuisse docent; de Ascalone profani, de Azoto locus iste, in cuius commentatione versamur; sed totius Palæstinæ. Quòd autem Dagon fuerit præcipuũ Gazæ fanum, constat ex cap. 16. Iudic. vbi Samson multa Palæstinorum millia moriens oppressit. Imò hoc fuisse commune toti Syriæ, cuius pars fuit Palæstina, docet ex profanis Xenophon lib. 1. de expeditione Cyri. *Chalus*, inquit, *amnis magnis, ac mansuetis piscibus confertissimus est, quos Syri sacrosanctos habent, eosque violare aquè ac columbas nefas putant.* Idem Cicero lib. 3. de Natura Deorum. Diodorus Siculus lib. 3. cap. 2.

Dagon à variis populis cultus.

5. Quis Deus apud Gentiles alios fuerit hic Dagon, si modò apud alios religiosus fuit, & nomen habuit aliud, incertum est. Mihi non displicet, quod visum est Serario q. 23. in cap. 16. Iudic. vbi Venerem esse putat; quod suadet, quod nuper ex Rhodiginio produximus, vbi Derceto, siue Atergatim aquatilem habuisse figuram dicebamus; quod sonat *Dagon*. Deinde quia Venus orta dicitur è mari, vbi pisces agunt; & ideò vocatur Aphrodytis; & sæpe traditur à poëtis in piscem fuisse conuersa. De qua Manilius lib. 4.

—In piscem sese Cytherea nouauit,
Cum Babyloniacas submersa profugit in vndas.

De qua locutus videtur Ouidius lib. 4. Metamorphoseon.

—Dubia est de te Babylonia narret,
Derceto, quam versa squammis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Sed suadet hoc valdè, quod tradit Herodotus lib. 1. ad medium, vbi Veneris templum apud Ascalonios esse dicit summæ apud illos venerationis, illudque omnium antiquissimum, ex quo Cyprij templi consecrati Veneri, & Cytheræi formam expressérunt. Vbi Græca fide, vt fecit lib. 2. cùm exercitus Sennacherib repentinam prodidit stragem, vbi multa addidit, mutauit quædam; non tamen ita, vt veræ historiæ ibi vestigium non appareat, vt notauit Iosephus lib. 10. cap. 1. Sic etiam eodem loco narrat morbum accidisse his, qui Veneris templum compilarunt, qualem Palæstini passi sunt; de quo sequenti capite. Hæc mihi grauis est coniectura, vt putem, Dagon non esse alium à Venere. Quod etiam probat, quia vt suprà ex Macrobio dicebamus, Venus non rarò vocatur Deus in masculino genere, sicut hoc loco Dagon. Hoc etiam sensit in Manilium Scaliger.

Et statuerunt eam iuxta Dagon.] Quo consilio in locum omnium amplissimum Arcam intulerint Palæstini, statuerintque iuxta Dagonis simulacrum, incertum est. Quidam datam illi putant illustrem illam sedem honoris, ac religionis ergò; quia magnum in Arca numen latere existimabant, vt antè congressum cùm Hebræis apertè prædixerant; & hoc mihi potiùs. Alij positam esse credunt eo loco, quasi trophæum quoddam, & magnæ victoriæ monumentum; qua Palæstinus Deus, Hebræorum Deum gloriosè subiugauit. Ita Historia Scholastica, & author de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 7. & indicat Iosephus lib. 6. cap. 1. dum ait, Arcam inter donaria fuisse collocatã, quasi donum esset maximum Dagoni à suis cultoribus oblatũ. Idem Theodoretus q. 13. Quod fortasse verum; tametsi non videbatur locus opportunus spoliis, aut hosti potiùs victo locus ille, qui victori fuerat consecratus, & in quo ab aliis diuinus impendebatur honor. Quare prior mihi explicatio probatur magis, quæ religionis, & obseruantiæ causa datum dicit esse Arcæ locum in templo Dagonis.

6. *Cur Arca eodem cum Dagone loco posita.*

Vers. 3. *Cúmque surrexissent diluculò Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.*] Mansit Arca Dei in sublimi loco, vnde cecidit Dagon pronus, ita vt facies illius affligeretur terræ, illámque oscularetur, quod victi faciunt in conspectu victoris. Neque fas erat, vt sordida illa numina, imò dæmonum prodigiosa simulacra eâdem cum vero Deo statione consisterent. Siue enim Dagon, vt Eusebius putat lib. 1. de Præpar. cap. 7. Iupiter fuerit, quem *Arotrium* vocant; quia terram ad satus præparari docuit; seu, quod magis placet, Venus; illorum neuter ad Domini latus, aut etiam in illius conspectu stare debuit: cùm ille superbus esset, & deorum pater, atque rex hominum vocari voluerit; illa & profundæ fuerit libidinis, & aliis flammas inspiret amoris obscæni: cum vtroque autem Deus perpetuas gerat, & implacabiles inimicitias. Cùm Azotij ciues, aut certè Dagonis Sacerdotes, quibus templi cura commissa fuerat, Dagoniſque custodia, summo manè templum essent ingressi, fortasse vt sacrificium aliquod immolarent victori Deo, aut vt curiosiùs contemplarentur Arcam, & quid noui contigerit, scrutarentur, viderunt in loco excelso stare cum dignitate Arcam; Dagonem verò, quem triumphatorem salutarant, ignominiosè cecidisse, eo habitu, vt maiorem ibi potestatem prono vultu fateri videretur.

7. *Dagon pronus in terrã quasi victus.*

Deus lasciuos, & ambitiosos odit.

Vers. 4. *Rursumque mane die altera consurgentes, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisſæ erant super limen.*] Cecidit primùm Dagon ex excelso loco, quem cum Arca communem habuerat, neque aliquid grauius passus est; cùm tamen ex eodem loco iterùm deturbatus fuit, vtramque manum, & caput amisit, quæ Arca non solùm ex altari; sed etiam ex templo foras proiecit, inuenta quippe sunt super limen. Qua in re moralis concionator multa meditatur, valdè ad formandos, seu reformandos mores opportuna. Primùm obseruo; quod nemo non videt, neque Dagonem simul esse posse cum Arca, neque cum Christo Belial; quia vtrumque

8. *Deus secum non patitur idola.*

procul

procul abeſt à lege, quæ in lapidibus ſcripta claudebatur in Arca; & à Chriſto, quæ eſt lex viua, qui procul à ſe Dagonem ablegat, ſiue ille ſit inuerecunda, atque laſciua Venus, ſiue ſuperbus Iupiter; & à Belial, qui hominem ſignificat *ſine iugo*, aut *ſolutum à lege*: qualis erat ille, cui dictum eſt Ierem. cap. 2. *A ſæculo confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti, non ſeruiam.*

9. Secundò coram Arca neque manus, neque caput ineſſe Dagoni; quia neque honor eſt vllus vitiis in conſpectu Dei, qui ſolus eſt caput; neque vllus regnare, atque præeſſe debet, niſi per ipſum. Quod fatentur quotidie Chriſtiani Sacerdotes, cùm publicè, & numerosè cantant: *Tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus.* Neque Veneri vllus eſt locus in templo, neque in hominum animis; quia res eſt viliſſima, ſine capite, id eſt, ſine honore: quam Arca; id eſt lex, quæ in Arca cõcluditur, tanquam aliquid execrabile cõdemnat. Neque mirum, ſi cùm Sacerdotem nocturna illuſione pollutum ab ſe repellat, neque aliquem admittat niſi purum, ipſam impuritatem, & turpiſſimæ intemperantiæ magiſtram, & incendium ab ſe procul ableget. Tam verò loui, ſi Iupiter eſt Dagon, quàm Veneri detruncatæ ſunt manus, in quibus vis eſt, & ſolertia ad cuiuſcumque operis molitionem, & fabricam; quia omne vitium torpeſcit, & languet, vbi Deus locum illum impleuit, aut inſedit; quem vitium anteà tanquam alienus dominus, aut crudelis tyrannus occupauerat. Manet igitur Dagon truncus ante Arcam in templo, ſicut hoſtis captiuus, & armis, atque ornamentis exutus ante victorem Dominum. Ornamenta, & arma ducis, ac principis, caput ſunt, & manus; illud enim corona redimitur; hæ arma tractant, vtriſque ſpoliatus iacet in terra. Et dum ſeorſum ſpectas caput, & manus, id planè doceris, nihil in illo eſſe, quod ſuſpicias, & ames; nihil, quod timeas, aut etiam quod ſperes ab eo, qui manus non habet, neque caput.

Deus idolis vim, & authoritatem adimit.

10. Verſ. 5. *Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.*] Non remanſit Dagon in æde ſua, aut in altari, vbi priùs apud Azotios cum honore fuerat; dicitur tamen in loco ſuo remanſiſſe; id eſt, eo in loco, in quem è ſuo gradu, atque ſtatione ceciderat; cùm enim è graui colliſione, à trunco reſiliiſſent manus, & caput extra templum; truncus tamen ipſe in eo loco manſit, quem cadens primùm occupauit: neque enim grauior illa moles moueri potuit, ſicut partes aliæ leuiores, quæ auulſæ à corpore ad limen vſque proiectæ ſunt. Eſt itaque ſenſus: Truncus, caput, & manus, in ſuis quodque locis, iacuerunt; truncus eo in loco, in quem cecidit primùm; manus, & caput ab eo loco longè rotata, & ad portam vſque templi proiecta.

11. *Propter hanc cauſam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius, ſuper limen Dagon in Azoto.*] Si quid ineſſet Palæſtinis mentis, & niſi à Dagon; id eſt, ab ambitione, ſiue libidine, ereptum eſſet omne conſilium, ſatis intelligere potuiſſent, Deum, aut monſtrum Palæſtinum calcandum eſſe potiùs, quàm religiosè colendum; cùm cecidiſſet ex altari, & eius caput; id eſt, quod in ipſo erat maiori dignũ reuerentia, eo eſſet loco, vbi nõ poterat omnibus non eſſe ludibrio, cùm eſſet in limine, quod omnium hominum veſtigia calcabant. Sed amens omninò eſt Venus, & ambitio, quæ neque quid res ipſa poſtulet, aut portendat, conſiderant, neque ab ipſo etiam Deo ſe doceri ſinunt. Hæc videtur Deus docere voluiſſe, Dagonis caput, & manus calcanda potiùs eſſe, quàm religioſo cultu veneranda. At illi non ſolùm laborioſè, ſed indecorè ingrediuntur templum, tranſiliuntque limen, ne pedibus terant locum illum, quem diſſipatis mẽbris ſuis initiaſſe videbatur Dagon; quo teſtimonio non obſcurabant, aut obterebant, ſed potiùs augebant, æternamque reddebant Dagonis infamiam. Quam enim rationem redderent Palæſtini illis, qui aliundè profecti nouum illum, & ridiculum ingrediendi modum eſſent contemplati; cur ſaltu potius, quam inceſſu molli templum inirẽt; niſi rationem ſe habuiſſe religioſam, & piam Dei ſui Dagonis, cuius membra ignominiosè diſſipata aditum illum templi conſtrauiſſent? Quare cæremonia illa Dei potiùs veri gloriæ, quàm Dagonis honori, ac religioni ſeruiebat. Huius religionis Sophonias meminit cap. 1. Vbi enim vulgatus legit: *Qui arroganter ingreditur ſuper limen:* Hebraicè eſt: *Qui tranſilit limen*; vt obſeruauit eo loco Hieronymus, & transferunt omnes penè recentiores Interpretes; quæ nonnulli de hac Palæſtinorum conſuetudine accipiunt; vt nos pluribus ad hunc Sophoniæ locum. Cedrenus in limine Dagonis à Sacerdotibus non calcato ſignificari innuit, ex eo tempore Dagonem in honore eſſe deſiiſſe. Illius enim honor procul dubio perit cui u limen non calcat populus; id eſt, quod hominum multitudo non frequentat.

Palæſtini ſaltu templũ ingreſſi.

Gregorius hîc grauiter in noſtri temporis Sacerdotes inuehitur, qui cùm Dagonis caput, & manus calcare debuiſſent; tamen ea contingere non audent, quia à Dagone aut aliquid expectãt, aut quod ab illius manibus accepere, relinquere non audent. Quid autem à Dagone aut habeant, aut captent, obſcurum non eſt, ſi in Dagone arrogantem Iouem, cum Euſebio, aut impudicam Venerem cum aliis intelligas. Sic autẽ eo loco Gregorius: *Sacerdotes Dagon vſque in hodiernum diem remanent; quia qui per immunda deſideria antiquo hoſti ſacrificet, adhuc eſt. Qui profectò ſuper templi limen calcare refugiunt, quia neque immundis ſuggeſtionibus nec malis operibus reſiſtunt. Dagon itaque ſacerdotes ſunt, quia etſi manu factis ſe idolis non humiliant; concupiſcentiarum tamen ſimulacris per nefaria opera ſe incuruant.*

12. *Sacerdotes qui Dagonis limina non calcant.*

Verſ. 6. *Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios; & demolitus eſt eos.*] Sæuierat Dominus priùs in Dagonem, quem Philiſthini vero Deo, & illius Arcę prætulerãt. Quo facilè cognoſcere potuit populus ille Gentilicus, in ſuo Dagone nihil eſſe honoris, nihil virtutis. Nunc aliud edit ſuæ virtutis argumentũ, dum populũ illum inſolentem victoria, crudeli, ac fœdo vulnere percuſſum, in ſuo corpore habere voluit ad dolorẽ acerbum, & ad ignominiam graue monumentũ. Sic autem populus fœdo affectus eſt vulnere, vt magna ex parte perierit: qui verò mortem effugerunt, ſic ſunt durè, fœdèque vexati, vt vitam illam ignominioſam, & ægram cum morte commutare in votis habuerint; atque ideo manus Domini dicitur Azotios demolita; quia alios ad mortem adegit, alios ad eum vitæ modum, ignominiam, & dolorem, vt pro mortuis iudicari potuerint.

13.

Et percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius.] Multi de hoc Palæſtinorum morbo multa dicunt. Illud certum, ignominioſum fuiſſe morbum, & in ea corporis parte, quam natura verecunda, & ſolers maximè ab hominum oculis auertit. Quis tamen ille ſit morbus, minùs eſt explorãtum, neque mihi id vſque adeò explorare libet,

14. *Azotij quo morbo laborarunt.*

libet, vt minuta persequar. Hebraicè, עפלים *Apholim:* quod Hebræi legunt aliter quàm scribunt; nempe, טחרים *techorim.* In vtraque radice multa inuenies in thesauro Pagnini. In summa, morbus est, qui illam præsertim corporis partem infestat, per quam confecti cibi reliquiæ, & sordes egeruntur; quas Græci *hæmorrhoides*; Latini *ficus*, aut *mariscas* appellant. Quę licèt durè afficiant affectas illas corporis partes; aliquid tamen Azotiis videtur accidisse molestius, quod eiulatus edere coëgit, & ad mortis vsque necessitatem adduxit. Quare ad hanc vexationem alij alia addunt, viscerum tormina, & earundem partim carcinomata, & vlcera, eaque grauiora, quàm à malè constituta natura prouenire solent. Aquila, vt Theodoretus, & Procopius docent, transtulit φαγεδαίναν: id est, *vlcus rodens, & exedens.* Iosephus lib. 6. cap. 1. pestem dicit in Azotios terminos immissam, quæ viscera corrumperet, illaque putrefacta, & grauiter olentia dissolueret: *Postremò*, inquit, *grauissima pestis Azotiorum vrbem, atque agrũ adorta est; correpti enim dissenteria cruciabiliter moriebantur; nonnulli interanea vitiata, morboque corrosa emouebant.* Theodoretus non negat Azotios dissenteria laborasse; putat tamen ex illa secessum illum, qui ciborum egerit excrementa, vtpotè sæpè eo labore vexatum, contraxisse morbum, quem alij variis nominibus explicant. Ego hîc nõ ampliùs morabor; quia, vt qui cœnosis hærent, & graue aliquid halantibus locis, quàm primùm possunt, inde se expediunt; sic ego hinc quamprimùm euolare studeo.

15. *Herodotus qua de hoc Palæstinorũ morbo.*

Illud tamen non omittam (quia ad communem cogitationem plurimùm facit, & ad id, quod suprà putabamus verisimile; nempe in Dagone descriptam esse Venerẽ) morbum, quem immissum esse dicit Herodotus loco à nobis superiùs allegato, his, qui Ascalone templum Veneris; id est, Dagonis, expoliarunt, esse, quas Latini *ficus*, seu *mariscas* appellant. Morbum enim illum Herodotus θηλεῖαν appellat, quem illius Interpres *theliam* reddidit; & docet medicos, qui fædum illum morbum curant, ἐναρέας vocari. θηλεῖα porrò à θήλη deriuatur, quæ pars est in vberibus extrema, quæ dicitur *papilla*, quæ tumor est ab vberibus extans: vnde papillatum dicimus, quod tumentibus quibusdam gemmis, seu baccis instructum est; qualẽ Hieronymus appellauit Corymbum. Ab huius similitudine tumor, qui ex vitioso aliquo humore turget in humano corpore, *papilla* dicitur, quę vox à *papula* deriuata est, qua ad explicandos eiusmodi tumores vtuntur Latini. Et quidem Serenus morbum illum, quo sedes in homine tumet, & laborat, *papillam* appellat.

Excruciant turpes anum si fortè papillæ.

Licet autem in ea historia sæpiùs peccauerit, vt in aliis assolet, Herodotus; tamen satis indicat ad hanc historiam respexisse, & morbum illum hominum opinione, quibus res tanta, tamque admirabilis non erat ignota, fuisse quas à figura non admodùm diuersa Latini *ficus* vocant.

16. *Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.*] Hæc verba non sunt in Hebraico textu, quem nunc habemus, neque in multis Latinis codicibus, quorum non paucos numerat Lucas Brugensis in suis notationibus ad sacra Biblia. Quibus ego addo Hispanicam translationem, quã ex Hebræo iampridem conuerterunt Iudæorum doctissimi. Lyranus hîc, & Abulensis hæc non putant à Hieronymo fuisse conuersa; sed cùm A sequenti capite aliqua significetur plaga à muribus inflicta; neque tamen in hoc capite vllus sermo de muribus, studiosus aliquis id notauit in margine, quod deinde scriptorum incuria irrepsit in textum.

Ego non puto hæc antiquis tẽporibus abfuisse à textu Hebraico, licèt in illo modò non inueniantur. Quod ideò mihi persuadeo, quia ante Hieronymum alij quoque hoc ipsum tradiderũt, vt Iosephus lib. 6. cap. 1. & Septuaginta, quos credibile non est aliquid in suam translationem contulisse; quod non esset ex Hebræo desumptum. Quæ autem fuerit hæc plaga à muribus illata, obscurum est. Quidam mures illos, qui repentè ebullierunt, ex agris ascendisse putant ad partes B illas exulceratas; & quod extrorsum extabat è visceribus, corrosisse: quod vbicumque locorum essent, euitare non poterant; quia nullus erat locus, qui non scateret murium innumerabili multitudine, quibus nullum occurrebat impedimentum, quominùs intestina depascerentur, & loca tumentia, atque exulcerata perfoderent, cùm nihil à fœminalibus adesset opportuni remedij. Et ideò sedes sibi fecere pelliceas, quas infestis soricum morsibus opponerent. Ita putat hîc Gregorius, Abulensis, Lyra, Comestor, & Hugo, & quidam alij ad illud Psal. 77. vers. 66. *Percussit eos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.*

17. *Quomodò mures Palæstinis infesti.*

Ego potiùs probo, quod Theodoreto placuit, 18.
C & prodit Iosephus l. 6. cap. 1. quòd videlicet mures non tam morderent, lacerarentque affecta loca, & exta defluentia, quàm vastabant agros, & spem omnem frugum arboribus, & agris adimebant. Quod satis meo iudicio patet ex cap. sequenti v. 5. *Facietis similitudines murium, qui demoliti sunt terram.* Historiam hanc de muribus tradit Theodoretus q. 13. *Cùm nulla*, inquit, *ciuitas auderet Arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio: sic enim docuit historiographus. Fuit enim*, inquit, *Arca Dei in agro* (Vulgatus *in regione* legit, Hebraicè בשדה *biside*: quæ vox plerumque agrum sonat) *alienigenarum menses septem. Postquam autem existimarunt, foris manente Arca, se esse liberos a plagis à Deo immissis, intulit Deus supplicia etiam rebus inanimis.* D *Immisit enim murium multitudinem in vites, & segetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt.*

18. *Mures agros vastarunt.*

Ex hac murium in Palæstinis agris multitudine, ac vi vehementer noxia, vt inquit Philastrius in hæresi Musoritarum, orta hæresis fuit, quam quidam tenuere, qui à suæ religionis materia Musoritæ vocati sunt. *Musoritæ*, ait, *sunt quidam nomine, qui sorices colunt, qui sub Belo* (ego *sub Helo*, seu *Heli* lego) *Sacerdote, cùm fuisset capta Arca testamenti ab Allophylis, atque ex ira Dei produxisset terra sorices, vt eorum fruges deperirent, admoniti à suis fecerunt aureos mures.*

19. *Musoritarũ hæresis.*

Hunc locum sine dubio spectauit Dauid Psal. 20.
77. v. 73. cùm dixit: *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Opprobriũ appellat sempiternum; cur tamen *sempiternum* dicatur, incertum est. Fortasse non illi solùm, qui E ceperunt Arcam, & eodem quo Dagonem, in loco statuerunt, ignominiosa plaga percussi sunt; sed etiam eorum posteri, ita vt vulnus illud fuerit hęreditariũ. Quomodò à posteris Giezi, propter parentis auaritiam, in æternum paterna lepra non recessit l. 4. Reg. cap. 5. vers. 27. sic Eliæus ad Giezi: *sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Et Iudæorum posteris parentum supplicium sic adhæsit, vt nunc vagi errent,

Cur Palæstinorum morbus dicatur opprobrium sempiternum.

&

Morbi ad haredes transmissi.

& in alienis semper sedibus inquilini, & odorem tetrum nunquam deponant; propter quod iam olim communi, publicoque conuitio *fœtentes* dicebantur. Neque nostris sæculis exempla defuerunt eiusmodi. Vt enim refert Polydorus Virgilius lib.13. histor. Anglicanæ, illorum posteri, qui equi, quo vehebatur S. Thomas Cantuariensis, caudam amputarunt, omnes ad vnum prodiere caudati. Hoc fortasse modo qui ex genere nati sunt Philisthinorum, eodem quo parentes morbo laborarunt, aut iisdem, quibus parentes, muribus agros suos vexatos habuerunt.

21. *Mures, & ani aurei æterni testes Palæstinorũ plagæ.*

Sed alias ob causas credo genus illud hominũ opprobrium habuisse sempiternum; vel quia aureos cũ Arca mures coniunxerunt, & aureos anos pudendo illo vulnere deformatos, quos verisimile est, diligentissimè ab Hebræis in omne tempus fuisse seruatos, vt extaret diuinæ virtutis, quæ Philisthæos eò redegit, æternum quoddam monumentum. Sicut enim homines rerum à se præclarè gestarum ad omnem ætatem monumenta excitant, quæ illarum memoriam interire non sinunt: sic Deus voluisse videtur, expressis anis, ac muribus è pretiosa materia, æternam illius facti conseruare memoriam. Hæc mihi explicatio minùs displicet, quàm superior.

22. REGVLA. *Ab aliqua parentũ actione, nationi alicui nomen impositum.*

Sed est, opinor, tertia minùs abs re. Ex rebus natura sua aut illustribus, aut maxima aliqua ignominia, aut infortunio notatis, non solùm homines; sed etiam prouincias sumpsisse cognomẽta aut sordida, aut illustria, nemini dubium est. Vnum, aut alterum adducam exemplum huic rei accommodatum valdè; tu plura inuenies. Tradit Plutarchus q.5. conuiuali, Cornelius Tacitus lib. 21. Annal. &, vt refert Iosephus lib. 2. contra Appionem, Posidonius, & Apollonius Molonis, falsò quidem, & ineptè; tradunt tamen ex communi vulgi opinione, quod sæpè nulla ratione, ac fundamento ducitur; quo tempore populus Hebræorum egressus ex Ægypto, desertum est ingressus, laborasse iuti; & cùm extrema iam esset desperatio, apparuisse gregem asinorum, qui ad copiosas aquarum venas sitientes deduxit, eamque ob causam asini effigiem, quo duce illud naturæ deficientis subsidium inuenerant, in intimo templi recessu sacrauisse. Quæ opinio, ex hominum errore nata Iudæis *Asinariorum*; id est, asini cultorum, nomen attribuit. Hoc ipsum eadem gens Palæstina docet, quæ *Allophyla* dicitur, quasi quæ alieno solo in regionem illam commigrarit; quod in maledictis, atque conuitiis audire solent homines, quos Hispanorum vulgus *aduenedizos* vocat. Tertium sit exemplum: Theseus Athenienſium fuit fundator, & pater; ille quia, vt est in fabulis, aliquid contra infernos deos molitus est, affixus est petræ, & in ea in æternum sedere coactus. Hercules tamen illum ab eo supplicio liberauit; ita tamen vt in eo saxo natium partes affixas reliquerit: quare eo fermè modo deformatus rediit, & exesa sede laceratus, sicut Palęstini à fœdo illo vlcere, quod attulit Dei manus aggrauata. Ab illo vtique vulnere, quia exesam retulit, & mutilam sedem, *Depygis* appellari potuit; sanè ab eo Athenienses, qui illum suæ ciuitatis agnoscunt authorem, *Depyges* dicuntur, licèt ab ea corporis parte nihil fuerit illis siue à morbo, siue ab hoste detractum. Vide Rhodiginium lib.4. cap.8. & Hesichium in voce λίσποι, & Scholiastem Aristophanis. Sic puto Palæstinorum filios idem à parentibus habuisse cognomen, qui *Depyges* fuerunt, quamuis ipsi nihil eiusmodi aliquando pertulerint. Hoc est sempiternum opprobrium, quia à parentum ignominiosa labe, hanc etiam posteri compellationem habuerunt.

Iudæi cur ab Ethnicis asinarij vocati.

Palæstini cur vocati Allophyli.

23. *Athenienses cur dicti Depyges.*

24. *Palæstinorũ plaga prouerbialis.*

Sempiternum etiam opprobrium appellari potuit, quia à re illa & rara, & horribili prouerbium aliquod emanauit, quo grauis, fœdaque calamitas exprimitur. Quale est illud, *Lemnium malum, Ilias malorum, Lerna malorum, Inus dolores.* Sic puto, cùm aliquis turpe aliquid, & durum patiebatur, & cùm idem aliquis imprecaretur alteri, ab hac Palæstinorum plaga comparationem olim adhiberi solitam. Sic sanè nunc etiam adhibent Hispani, qui plagam fœdam, & duram, qualem sustinuerunt Azotij, *Azotes* appellant, & eiusmodi plagas infligere, *Azotar*, quasi dicas *Azotizare*. Et illis maxime plagis hoc accommodant nomen, quas in ea parte subeunt pueri à pædagogis, & magistris, quæ maximè in Azoto, aliisque ciuitatibus Palæstinæ vexata est.

Vnde vox Hispanica azotes.

25. *Et facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.*] Magnam attulit cladem ciuitati pestilens ille, & non vulgaris, aut vsitatus morbus, qui cùm vbique grassaretur, & dolores afferret acerbissimos, quibus passim homines, & vbique conficeret, non poterat ciuitas non confundi, atque clamare. Confusio porrò dicitur mortis, quia grauis erat pudor, & mortis instar, ex ea morbi turpitudine cõceptus: aut clamor erat ex morientium, & laborantium dolore permixtus. Qualis antea, opinor, audiebatur in Ægypto, cùm nulla domus esset, in qua non iaceret extinctus primogenitus. Aut quod de capta Troia cecinit Maro Æneid. l.2.

Diuersò interea miscentur mœnia luctu.

Et paulò pòst.

——Crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

26. *Satrapæ, qui.*

Vers.8. *Et mittentes congregauerunt omnes satrapas Philisthinorum.*] Cùm viri Azotij vltoris Dei seueram in se manum essent experti, & adhuc viderent ad alias, atque alias plagas intentam, de sua salute, & adhibenda tanto morbo medicina deliberant. Quare vndecumque aduocantur Satrapæ, quorum consilio res administrabatur publica, & quid facto opus sit, illorum consultatione decernitur. Vbi Vulgatus *Satrapæ*, Hebraicè est סרנים *Seranim*: quæ vox *præfectos*, *Principes*, aut *magistratus* significat. De qua nos pluribus in nostris Commentariis in Danielem ad illud cap.3.v.2. *Ad congregandos Satrapas.* Hìc puto *Satrapæ* dicuntur, qui ciuitatibus præerant, aut prouinciis. Sanè Imperium Persicum in centum & viginti Satrapias diuisum est, quibus totidem Satrapas præfecit Darius, Dan. cap.6. Quod item vsitatum esse apud Palæstinos constat hoc ipso libro, cap.29. vbi qui vno loco Satrapæ, alio dicuntur Principes. E quorum numero videtur fuisse Achis, qui cap.27. Rex appellatur Geth. Hi igitur siue Satrapæ, siue Principes de summa rerum in Azoto conuentu prouinciali deliberant. Erant autem quinque in Palæstina præfecturæ, quarum moderatores, & Principes, Iosue c.13. Reguli vocantur.

27. *Responderuntque Gethæi.*] Apparet Geth præfecturam esse omnium nobilissimam, quæ ius haberet primo loco dicendæ sententię. Ex ea fuit Achis, qui summum locum habuisse videtur inter Regulos alios 1. Reg. cap.27. Huius autem consilio subscripserunt alij ex eadem prefectura seniores, qui aliarum ciuitatum suffragia ad suam sententiam adduxerunt.

Circum

28. *Circumducatur arca Dei Israël.*]Hæc summa fuit Gethæorum sententia, ne in vno loco contineretur Arca, sed per varia Palæstini soli loca traduceretur. Quæ verò ratio Satrapas in illam adduxerit sententiam, non constat ex textu; est tamen verisimile, quod Lyra docet, atque Procopius, dubitasse in illo prouinciali conuentu Satrapas, an ab Hebræorum Deo, aut ab Arca capta, quod idem erat in illorum sententia, lues illa tetra prouenisset; an ab aliqua terræ, aërisque dispositione maligna. Quare ab Azoto summoueri iubent Arcam, vt re ipsa cognoscant, vnde tam grauis, tamque repentina calamitas ingruerit. Id verò ex eo fit plusquàm verisimile; quia postquàm aliæ etiam ciuitates, quas lustrauit Arca, iisdem affectæ plagis, & incommodis afflictæ sunt; adhuc tamen dubitant, an diuinitùs fuerit accepta plaga, aut ab aliqua naturali causa profecta. Ideò enim Arcam à vaccis sine vllo rectore in plaustro ferri iubent, vt ex illarum progressu, ac via illius calamitatis authorem agnoscant.

29. Vers. 9. *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis.*] Satis graue documentum diuinæ offensionis, & vindicis manus habuerunt Palæstini; quando nulla fuit ciuitas, in quam ingressa est Arca captiua, quam non inuaserit acerbissimus dolor, & dira lues. Neque enim leuior fuit diuina manus in alias ciuitates, quàm fuerat priùs in Azotum, quam, vt vidimus, fœdo percussit vlcere, & cadaueribus impleuit. Hanc verò manum vltricem, & duram primi post Azotios agnouere Gethæi, vt indicat illūd, quod statim additur, à Gethæis contra plagam illam aliquod quæsitum esse remedium, de quo statim. *Fieri manum* super aliquem iuxta Hebræorum idioma, est potentiam suam in aliquem ostendere, siue ornando, siue benefaciendo, siue deprimendo, aut alio quouis modo diuexando. Fauorem sanè, & auxilium significat, Psal. 77. *Fiat manus tua super virum dexteræ.* Sic sæpè facta fuisse dicitur manus Domini super Prophetas, cùm illos aut spiritu afflabat diuino, aut ad magnum aliquod opus roborabat. Ezech. cap. 1. v. 3. *Et facta est super eum ibi manus Domini.* Et idem de Elia dicitur lib. 3. Reg. cap. 18. Significat etiam aliquid durum, & hostile, Ezech. 13. cap. 9. *Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium.*

30. *Philistinorū morbus.* *Et computrescebant prominentes extales eorum.*] Vbi Vulgatus *extales*, Hebraicè est, עפלים *Apholim*: qua voce suprà significari diximus morbum illum, quo secretiora natium fœdè vexantur, quales sunt, quæ *marisca*, seu *ficus* appellātur: quæ etiam prominentes appellari possunt; quia dum tument, ab ore sacro; id est, à sua naturali sede extuberant, & emergunt. Quidam intestina putant, quæ ex sedis vitio molestè, ac periculosè pendent: quod accidit persæpè, cùm intestinum rectum in ipso excernendi nixu, atque conatu descendit, & cum ipsis quoque ciborum fæcibus deiicitur. Et hoc posterius videtur magis cum nostra translatione congruere: neque enim tam *extales* dici possunt partes illæ, quæ in sede à fico tument, quàm intestina, quæ è suis locis commota è sede defluunt, & pendent. Vbi Vulgatus, *cōputrescebant*, Hebraicè est ישתרן *,iisteru*; à radice סתר *satar*: vbi ש. ponitur pro ס. Quod variè à variis redditur. Pagninus: *Incognitæ erant eis marisca.* Caietanus: *Fuerunt abscōditæ eis marisca.* Quod ipse sic exponit: *Ad interiora corporis retracta plaga mariscarum.* Quomodò etiam explicuit Vatablus, & Rab. Dauid; & indicat Isidorus. Tigurina; *Vt laterent eis morbi.* Septuaginta, Chaldæus, & Hispanica antiqua translatio, *Hæmorrhoides* exponunt. Et in hanc quoque sententiam trahi possent illorum translationes, qui aliquid occultum interpretantur, exceptis paucis, qui morbum intrinsecùs exortum putant. Nam reuerà morbus ille, cùm partē totius corporis occultissimam vexet, occultus, atque etiam incognitus appellari potuit. Quis enim morbum illum, nisi ei, qui manus admouet medicas, aperuit, nisi qui mentem, aut pudorem amisit?

Sed, vt dicebam, mihi illud magis videtur verisimile, hîc significari præter hæmorrhoides, intestina defluentia, ac pendula, quæ è secessu illo emergunt, & prominent. Quod putat Lyra, Abulensis, & Gregorius, & quotquot intestina dicunt à muribus fuisse corrosa. Et quidem in extremam illam partem, per quam excernuntur confecti cibi reliquiæ, non tam extorum nomen conuenit, quàm in viscera, quorum pars intestina sunt. Nisi dicas illa, quæ propriè dicuntur exta, computruisse, & iam in saniē resoluta per secessum egesta; quod non nemo putabat. Et fortasse hoc est, quod lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 15. minatus est Deus per Eliam Ioram: *Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Quod impletum est, vt habes statim v. 19. *Sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit.* Quomodò autem id fieri possit, viderint anatomices periti. Ego enim alienam materiam satis iam pro mea facultate, imò plus satis tractasse videor. 31.

Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.] Apparet primùm ab Azotiis ad Gethæos Arcam fuisse traductam: quando isti omnium primi dicuntur illud de pelliceis sedibus consilium iniisse; nisi dicamus illos, vtpote omnium Principes, in communi de re Palæstina, ac publica deliberasse. Hæc verba non inueniuntur in Hebraico codice; atque ideò recentiores Interpretes omiserunt, imò ex antiquis nonnulli, vt Chaldæus, neque in aliquibus Septuaginta codicibus, vt in Complut. sed Theodoretus illam apud Septuaginta lectionē agnoscit, licèt non legat *pelliceas sedes*, sed *aureas*. Erat, opinor, vbi ille legit χρυσᾶς: id est, *aureas*, βυρσᾶς: id est, *pelliceas*, seu *scorteas*. Sed licèt in Hebræo, aut in Græco non esset; non tamen quasi superfluum reiici debuit à nobili quodam nostrę ætatis Interprete, cùm neque vbique Hebraici, Græcique codices incorrupti sint, & illis insit ab Ecclesiæ iudicio Canonica fides. 32.

Quæ fuerint, aut quid spectauerint *sedes* istæ pelliceæ, videndum est. Quidam, teste Theodoreto, hunc locum sic exponunt, vt *sedes* nihil sit aliud, quàm pars illa corporis, quæ ventris excipit, & egerit onus, quæ à Latinis honesto vocabulo *sedes* appellatur. Καὶ ἐξειλύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι. *& vndique resolutæ sunt eorum sedes.* Quæ explicatio commodior erat superiori clausulæ, vbi Philisthinorum extales extabuisse, seu cōputruisse dicuntur. Sed planè vt Vulgata, sic etiam Septuaginta translatio hæc à superioribus secernūt. 33.

Quidam *sedes* esse putant molliùs substratas, puluillis è pellicea materia, pluma, aut aliquo mitiori tomento infertis, vt sine dolore commodiùs sederent: aut quia naturalis *sedes* tumens, 34. *Sedes pelliceæ quæ.*

aut saucia laborabat, aliam sibi *sedem* assuerunt, quam secum quocumque locorum circumferrẽt. Ego puto *sedem* hoc loco significare tegumentum illud, quod partes illas vestit, & celat, quibus homines sedent, quasque morbus ille molestè vexabat. Si enim intestina defluebant, minùs viderentur cautè suæ valetudini consuluisse, si nihil adderent, quod illa colligeret, ac sustentaret; neque si illa deessent, adhiberi poterant medicinæ, aut splenia, quæ parti illi omninò decliui aliquod possent afferre subsidium. Nam vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Cãtica, ad illud cap.5. *Crura illius columnæ marmoreæ*; Hebræis, quod etiam de Palæstinis sentiendum,

35. nulla fuere fœminalia. Rationes ibi plures adduximus, ex illis has accipe. Leuit. cap.6. & 16. Sacerdos ingressurus Sanctuarium iubetur assumere femoralia; ex quo intelligitur, aliis temporibus ac locis illa non habuisse. Et Exod. 20. prohibetur Sacerdos ascendere per gradus ad altare, ne ipsius turpitudo nuda reueletur; à quo periculo tutum illum redderent femoralia, si illa gestaret. Quæ femoralia, vbi suo munere perfunctus esset in Tabernaculo Sacerdos, in Gazophylacio deponebat, sicut alia sacerdotalia vestimenta. Ezech.c.44.v.18. Cùm ergo fæminalibus Palæstini carerent, quæ morbo magno videbantur futura subsidio, illa sibi confecerunt è pellibus; quia illæ magis erant firmæ, & ad sustinendum intestinorum pondus opportunæ. Hoc mihi magis videtur ad veritatem; quod enim alij dicunt, sedes illas pelliceas eo consilio fuisse comparatas, vt mures arcerent, neque sinerent intestina diffluentia corrodere, mihi nunquã probari potuit. Quid enim mures nocumenti Philisthæis attulerint, satis explicat Scriptura, neque vllam nobis coniecturam offert, vt talia cogitemus, qualia hi de muribus aut sentiunt, aut coniectant. Deinde, quia illorũ nonnulli tunc dicunt aut in laceras nates, aut in prominẽtia intestina mures irruere, cùm ipsi ventris onus deponerent: at tunc fœminalia illa è pellibus consuta nullum vsum contra soricum insidias, & molestiam afferrent, cùm partes illæ tunc essent nudatæ necessariò, quas infesti mures tantum appeterent.

Palæstini nõ vsi femoralibus.

36. *Sedes* porrò pro *sedis*; id est, natium integumento sumi nouum non est, cùm id sit Scripturæ sacræ, & profanæ quoque disciplinæ non infrequens, vt ornamentum, aut vestis illius partis nomen sibi vendicet, quam ornat, aut tegit. Sic *pedes* pro calceamentis sumuntur, Deut.8.v.4. Esdrę l.2. c.9.v.21. *Corpus* pro corporis tegumẽto, Exod.21. v.3. vbi Vulgatus: *Cum qua veste intrauit, cum tali exeat.* Hebraicè, *Cum quo corpore intrauit.* Et ita vertunt Pagninus, & Vatablus. Plura in omni lingua habes in nostris Commentariis super Cantica, prol.9. Cùm ergo fœminalia partes illas corporis velent, quæ *sedes* appellantur, ipsa quoque nominantur *sedes*.

Vestibus, & parti vestitæ commune nomen.

A Vers. 10. *Miserunt ergo arcam Dei in Accaron.*] 37. Cùm Gethæi non minùs graue diuinam manum essent experti, quàm priùs Azotij, ad Accaronitas Arcam transmittendam curarunt. Erat autem Accaron copiosa ciuitas, & lauta, quæ Regulum habuit, sicut & Geth, vt constat ex Iosue c.13. Placet quod Iosephus putat, per omnes Palæstinæ satrapias circũductam Arcam, & secum, quocumque pergeret, pestilentem illam plagam circumtulisse. Quod inde mihi fit certum; quia si non omnes illæ quinque prouinciæ, siue satrapiæ non fuissent illo morbo percussæ, non misissent Philistæi cum Arca anos quinque aureos, & totidem mures pro prouinciarum numero. Vt apertè dicitur c.6.v.5. vbi omnes illæ satrapiæ eodem vulnere dicuntur

B esse percussæ. Percutiebantur autẽ illæ ciuitates quas Arcam Domini ingredi contingeret. Neque de quinque tantùm ciuitatibus, quæ prouinciarũ erant capita, atque metropoles; sed de singulis etiam ciuitatibus, quæ illarum iurisdictioni subserant, intelligendum est. De omnibus enim dicitur: *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis.* Sed Scriptura breuitatis gratia non omnes enumerat; sed posteà variis modis non obscurè significat, vt statim v.12. & c.6.v.5. Qua de re satis Abulensis q.18. vbi etiam quærit, an sicut Dagonem Arca deiecit, & contriuit; sic etiam aliarum ciuitatum Deos eodem etiam modo turpauerit, confregeritque. Et docet, vnum tantùm Dagonem in

C ea regione fuisse contritum. Quia aliter rem tantam Scriptura non tacuisset; præsertim cùm de aliis ciuium plagis satis fuerit diserte locuta. Qua de re nos aliqua c.6.n.17.

Vers.12. *Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium.*] 38. Ex his verbis fit verisimile, plurimos ex illa regione ad aspectum Arcæ mortem subiisse repentinam, ad eum modum, quo viri Bethsamitæ, cùm ad illorum conspectum appulit Arca, perierunt. Hìc enim duo videntur constitui hominum genera; alterum illorũ, qui fœdo illo, atque occulto morbo laborarunt; illorum alterum, quos Arcæ conspectus, aut aduentus extinxit. Quasi dicat Historicus sacer, Philisthinorum alios subita fuisse morte sublatos, alios vlcere correptos intolerabili.

D *Ascendebat vlulatus vnius cuiusque ciuitatis in cælũm.*] 39. Hyperbolicum dicendi genus, quo, quæ magna sunt, ad cælum ascendere dicuntur. Sicut Deut.1. v.28. ciuitates dicuntur ad cœlum vsque fuisse munitæ. Et Psal.106. de graui tempestate dicitur: *Ascendunt vsque ad cælos, descendunt vsque ad abyssos.* Neque id minùs apud profanos vsitatum. Vnus Virgilius lib.2. Æneid. plurima suppeditabit exempla:

——*Penitúsque cauæ clangoribus ædes*
Fœmineis vlulant, ferit aurea sydera clamor.

Et iterùm de Lacoonte:

Clamores simul horrendos ad sydera tollit.

IN

IN CAPVT VI. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

SEPTEM menſibus inter Palæſtinos Arca Domini commorata eſt, & cùm iam ſtatuiſſent in locum ſuum omninò fore reducendam, de modo deliberant. Sacerdotes autem, atque Diuini, quorum iudicio res ſumma permiſſa fuit, cenſuerunt, nullo modo vacuam Arcam in ſuam ſibi ſedem fore reducendam. Quare cenſent pro prouinciarum numero, quæ in ea regione fuerunt quinque, totidem aureos mures, & anos item aureos eſſe conflandos, quæ Arcam ad ſuam vſque regionem comitentur. Addunt præterea plauſtrum fabricandum eſſe nouum, & ad illius iugum alligandas vaccas iugi ad illud vſque tempus expertes; quæ cùm vitulos lactent, ab illis tamen retentis domi diuellantur. Quod vt probarunt, eodem modo re ipſa præſtiterunt. Pergebant autem vaccæ rectà, continenti ſemper inceſſu: cùm tamen vitulorum, qui domi remanſerant, acuto, miſeróque mugitu non ſolùm retardari, ſed etiam reuocari potuiſſent à curſu. Vbi ventum eſt ad agrum Bethſames, Palæſtini, qui ſequebantur Arcam & euentum ſpectabant, cùm ex eo didiciſſent, ab Arca ſe fuiſſe tot illis infortuniis afflictos, reuerſi ſunt. Ad Arcæ porrò conſpectum exultauerunt Bethſamitæ plurimum, & ſuper lapidem extruxerunt aram, cui vaccas impoſuerunt, & plauſtro nouo ſuppoſuerunt ignem, vt ex Philiſthinorum bonis legitimum Domino offerretur holocauſtum. Sed ſubitam illam lætitiam ſubitus etiam dolor, luctuſque turbauit. Nam cùm curioſiùs Arcam Bethſamitæ conſpicerent, ex eo populo plurimi ceciderunt exanimes. Quo miſerabili caſu Bethſamitæ perterriti, Arcam in ſuam ciuitatem adducere non ſunt auſi; ſed egerunt cum viris Cariathiarim, vt illam ad ſuam ciuitatem diuerterent. Quod illi fecerunt non grauatè.

CAPVT SEXTVM.

1. FVit ergo arca Domini in regione Philiſthinorum ſeptem menſibus.

2. Et vocauerunt Philiſthiim ſacerdotes & diuinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum ſuum. QVi dixerunt:

3. Si remittitis arcam Dei Iſraël, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & ſcietis quare non recedat manus eius à vobis.

4. Qui dixerunt: Quid eſt quod pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderúntque illi:

5. Iuxta numerum prouinciarum Philiſthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & ſatrapis veſtris. Facietíſque ſimilitudines anorum veſtrorum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram: & dabitis Deo Iſraël gloriam: ſi fortè releuet manum ſuam à vobis, & à diis veſtris, & à terra veſtra.

6. Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor ſuum? nónne poſtquàm percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt?

7. Nũc ergo arripite & facite plauſtrũ nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi.

8. Tolletíſque arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exſoluiſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam ad latus eius: & dimittite eam vt vadat.

9. Et aſpicietis: & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, minimè: ſciemus quia nequaquã manus eius tetigit nos, ſed caſu accidit.

10. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vitulóſque earum concluſerunt domi.

11. Et poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos & ſimilitudines anorum.

12. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dextram, neque ad ſiniſtram: ſed & ſatrapæ Philiſthiim ſequebãtur vſque ad terminos Bethſames.

13. Porrò Bethſamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos ſuos, viderunt arcam, & gauiſi ſunt cum vidiſſent.

14. Et plauſtrum venit in agrum Ioſue Bethſamitæ, & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccáſque impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino.

15. Leuitæ autem depoſuerunt arcam Dei, & capſellam quæ erat iuxta eam, in qua erant vaſa aurea, & poſuerunt ſuper lapidem grandem. Viri autem Bethſamitæ obtulerunt holocauſta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.

16. Et quinque ſatrapæ Philiſthinorum viderunt, & reuerſi ſunt in Accaron in die illa.

17. Hi ſunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philiſthiim pro delicto, Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Aſcalon vnũ, Geth vnum, Accaron vnum.

18. Et mures aureos ſecundùm numerum vrbium Philiſthiim, quinque prouinciarum, ab vrbe murata vſque ad villam, quæ erat abſque muro, & vſque ad Abel magnum, ſuper quem poſuerunt arcam Domini, quæ erat vſque in illum diem in agro Ioſue Bethſamitis.

19. Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent arcam Domini: & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eò quòd Dominus percuſſiſſet plebẽ plaga magna.

20. Et dixerunt viri Bethſamitæ: Quis poterit ſtare in cõſpectu Domini Dei ſancti huius? & ad quem aſcendet à nobis?

21. Miſerúntque nuncios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philiſthiim arcam Domini, deſcendite, & reducite eam ad vos.

IN CAP. VI. LIB. I. REGVM,

COMMENTARII.

Verſ. 1. *Fuit ergo arca Domini in regione Philiſthinorum ſeptem menſibus.*

1. THEODORETVS, vt dicebamus ſuprà, exiſtimauit Arcam toto illo tempore fuiſſe in agro; vox enim שדה *Sadeh*; quam vulgatus Interpres *regionem* conuertit, etiam agrum ſignificat. Fuit autem in agro; quia cùm in ciuitate magnam edidiſſet hominum ſtragem, & peſtilentem morbum inuexiſſet; è re ſua exiſtimarunt fore Palæſtini, quando iam ſteterat, illam ad antiquum locum, & poſſeſſionem non eſſe referendam, in agro relinquere, & deſerto ab hominibus loco; vt non haberet, in quos vim ſuam hoſtilem, cuius aculeos tanto ſuo malo fuerant experti, conferret. Sed neque defuerunt Domino arma, quibus regionem illam ab habitatoribus deſertam popularetur, & perderet. Vt enim Ægyptios culicibus, & ranis malè vexauit, & immiſſis crabronibus è ſuis ſedibus Chananæos exegit; ſic etiam Philiſthinos agros erumpentibus vndecumque muribus vaſtauit, & iacta ſemina, aut iam enata, atque adulta corrupit.

Arca aliquandiu in agro Palæſtino.

2. Quòd ſi ſeptimo menſe, ex quo capta fuit Arca, reſtituta eſt, cùm illa tempore meſſis triticeæ fuerit reducta, veriſimile eſt ad menſem Nouembrem geſtum eſſe bellum, quo ad Philiſthinorum manus Arca peruenit: nam ex eo ad triticeam meſſem, quæ in Maij plerumque extremum tempus incurrit, ſub feſtum videlicet Pentecoſtes, ſeptem interiecti ſunt menſes. De hoc tempore Abulenſis cap. 6. q. 3. qui tamen, contra quàm putabat Theodoretus, cenſet totum illud tempus per alias, aliaſque ciuitates circumductam Arcã. Illud mihi minùs placet, quod dicit Theodoretus, Arcam locatam eſſe in ſubdiali loco; neque enim videmus ſic à Palæſtinis Arcam eſſe deſpectam, vt in aperto loco, imbribus, ac ventis; imò & agreſtibus animalibus peruio locari debuerit; Exiſtimo potiùs in honeſta aliqua & ſplendida domo fuiſſe religioſè concluſam, quales in lautis ciuitatibus, in ſuburbano tractu reperiuntur plurimæ.

Quo tempore Arca capta.

3. Verſ. 2. *Et vocauerunt Philiſtiim ſacerdotes, & diuinos, dicentes: quid faciemus de arca Domini?*] Cùm ægrè affici corpora, & vaſtari agros, ac vineas viderent Palæſtini, ſtatuerunt omninò è ſuis finibus quamprimùm ablegandam Arcam: ſed quia quod ad modum attinet, quia ad ſcientiam ſacerdotalem, ſeu auguralem pertinere exiſtimabant; quia res erat ſacra: ideò Augures, ſeu Diuinos, ac Sacerdotes in conſilium aduocant. A quibus non rogant, an Arca remittenda ſit: iam enim hoc ipſi decreuerant; ſed quid circa Arcam, pietas, ac religio præſcriberet; ne dum auertere à ſe ſtudent, inflammarent potiùs, & acuerent diuinum furorẽ. Vocãt autem Sacerdotes; quia hi, cùm ſacra tractant, ſacros etiam ritus, & ceremonias didicere; quibus ſocios addunt Diuinos, & Aruſpices, qui futuros rerum euentus prænoſcere, aut coniectare, & ſi quid impendeat aduerſi, illud auertere, aut frangere poſſe exiſtimantur.

4. Verſ. 3. *Si remittitis arcam Dei Iſrael, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.*] Primùm, ſtatuunt Sacerdotes, & Diuini non oportere Arcam ad ſuas ſedes vacuam remitti, ſi placare Dominum vellent, & exorare pro communi vulnere medicinam. Vt enim hoſpes ab amico ingenuo, & liberali domum ſine apophoreto reuerti non ſolet; ſic etiam Arca, quæ aliquandiu apud Palæſtinos hoſpitata fuit, vt cum bona gratia dimiſſa videretur, ſine aliquo munere dimittenda non fuit. Audierant fortaſsè à Iudæis; quia

Deo debentur dona.

quia illos vicinos semper,& aliquando subiectos habuerunt, solemne fuisse illis,ne vnquam vacuas afferrent manus, si conspectum Dei subire vellent, iuxta illud Exod.23.v.15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Atque ideò monet,ne sine munere ex suis sedibus abire patiantur.Et addunt aliquid pro peccato deberi Deo Israel; & si id, quicquid est, ritè,ac religiosè retulerint, sanitatē à vulnere, & vbertatem in agris,quos mures corroserant, pollicentur.

5. *Peccatum pro peccati expiatione.* Vbi Vulgatus: *Quod debetis,reddite ei pro peccato*; Hebraicè est: *Reddite illi:* ושם *asam*;id est,*peccatū*. Sumitur autem in Scriptura sæpè *peccatum*, pro eo, quod pro peccato debetur, quale est sacrificium, aut munus. Quo sensu Christus dicitur pro nobis *factus esse peccatum*; id est, sacrificium pro peccato;& Sacerdotes *comedere populi peccata*; id est, oblationes, quas populus offert pro peccatis.

6. *Peccata etiam à diis gentium punita.* Peccatum intercessisse facilè Sacerdotes, & Diuini ex accepta plaga, & agrorum vastitate coniectant. Quia id aut in fabulis, aut in veris etiam historiis audierant, vbi Gentium dij suas vlciscuntur iniurias, dum illos seuerè puniunt, à quibus contempti, aut violati creduntur. Multa habes, & in hanc sententiam exempla accommodata apud Valerium lib.1. cap.1. de obseruata, aut neglecta religione. Solere autem Gentilium deos (quo ipsi modo, aut qua simulatione faciant,non disputo) solere, inquam, cùm quis dolere se de peccato aliquo vel munere, vel obseruantia profitetur, sanitatem reddere, aut commoditatem, quam abstulerant, docet ex eo, quod sæpè obseruarat Ouidius, lib.1. de Ponto, eleg.1.

Vidi ego Niligenæ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos antè fedare focos.
Alter ob huic similem priuatus lumine culpam
Clamabat,media se meruisse via.
Talia cælestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid valeant numina, teste probent.
Sæpè leuant pœnas, ereptáque lumina reddunt,
Cùm bene peccati pœnituisse vident.

7. *Dij gentiū muneribus placati.* Didicerant etiam muneribus placari offensa numina, & fieri beneuola, in illos, quos infenso priùs animo insectabantur. Nonius *dona* appellari dicit, quæcunque placandorum deorum causa templis inferebantur. Et Cicero lib.2.de legibus, vetat, ne quis impius oblatis donis Deum placare audeat.Et cùm non dissimilia pateretur Aristæus in apibus extinctis, atque Palæstini in agro à muribus euerso, munera iubetur deferre ad deorum aras, & eorum placare offensos animos.

—Miserabile Nympha
Exitium misere apibus; tu munera supplex
Tende petens pacem, & faciles venerare Napæas.

Ouid. lib.3.de Arte.

Munera, crede mihi, placant hominesque deosque:
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Ex hac displicina Sacerdotes, & Diuini oblatis muneribus placandum esse dicunt Deum Israel.

8. *Et scietis, quare non recedat manus eius à vobis.*] Septem ipsos menses, vt apparet, in viros,agrosque Palæstinos diuina manus sæuiebat: & tamen quo erant aut mentis stupore, aut in Hebræos odio,dimittere nolebant captiuam Arcam, aut sibi persuadere, diuinitùs esse plagam illam immissam;sed dubitabant,an calamitas illa publica potiùs esset profecta à naturali causa.Horū itaq;cogitationi dubiæ respondent Sacerdotes,& rerum obscurarum coniectores,facilè ex suo cōsilio cogniturōs esse Palæstinos, vnde clades illa tanta suis & ciuibus, & agris aduenisset. Si enim Arca cum muneribus ad propria dimissa,pestis illa cessaret;tunc Arcam præsentem illius extitisse indubitatam causam; sin verò adhuc illud perseueraret incendium,aliā quærendam esse causam, illíque diuersum opponendum esse remedium.

9. *Obstinati, ac stolidi animi mirum exemplū.* Illud hìc admirandum, aut tam fuisse stolidos & pingues Palæstinos, vt tot mensibus, & tam claris experimentis diuinitùs inflictum esse malū non agnouerint; aut tam in suo consilio pertinaces,vt tamdiu diebus singulis accipere grauia detrimenta maluerint, quàm Arcam ad suos cum honore, & donis post tot suorum funera remittere. Miramur Pharaonis siue obstinationem,siue amentiam; quem cùm Exod. cap.8. v. 10. diuina vrgeret manus, & dira populus vexaretur plaga, audisset que à Moyse: *Constitue mihi, quando deprecer pro te, & proceres tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ a te, & à domo tua*; Ipse tamen respondet,*cras*; cùm vrgere debuisset, vt nullam interponeret moram; sed quamprimùm, & quàm arctè incumberet in preces.Multò ego hìc admiror magis Palæstinorum insaniam, qui cùm vlulatus vndecumque ad cælos ascendant, multique quotidie cadant, & agri à muribus corrosi squalescant,& pereant;ipsi tamen non minùs septimestri spatio hæreant obstinatò, & tot hominum penè continenti funere suam insaniam tueri, & sustentare velint.

10. Vers.5. *Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos.*] Planè admirabile, aut illud donum tam vile, ac sordidum oblatū esse Deo, aut certè ex auro, à quoquam sano fuisse formatum. Gregorius aliquid hìc contemplatur altius,& ad mores egregium; quem tu vide. In summa hìc Arcæ; id est, Deo, vt Sacerdotes, & Diuini clamabant, aureos mures,& totidem anos deberi ait, quos offert Deo vera pœnitentia, quæ deformitatem, & turpitudinem suam, quam habet à peccato, & diabolo, ante Arcam proponit, & suam solemni, & quasi legitima forma ignominiam fatetur,vt à Deo scelerum exoret veniam, & supplicij acerbitatem declinet. Id enim est *dare gloriam Deo*, qui gloriæ sibi ducit,cùm gloriam suam,atque omnipotentiam parcendo maximè, & miserādo manifestat. Quare ille dicitur *dare Deo gloriam*,qui sua Deo confitetur peccata. Quod dixit Iosue Achā, cap.7.v.19.*Fili mi,da gloriam Domino Deo Israel,& confitere, atque indica mihi quid feceris.* Quæ dicendi forma familiaris videtur fuisse Iudæis;quando cæco à natiuitate dicunt,dum monent, vt verum fateatur, *Da gloriam Deo*, Ioan.c.9.Hoc ipsum dicunt Sacerdotes statim:*Et dabitis Deo Israel gloriā*; dum supplices ingenuè, quod ipsa horret pudica cogitatio,non diuinis solùm, sed humanis etiam oculis obiiciunt.

Vera pœnitentiæ exēplum.

Gloriam dare Deo quid.

11. *Quo modò ex peccatis possit Deo gratū aliquid offerri.* Item gloriosum est Domino, quod vile natura sua est, aspectu horridum, & auditu fœdum, si illud idem iam per pœnitentiam deletum, & occisum sit. Quemadmodum immundæ bestiolæ, quales mures sunt, & lacerti, dum spirant, & viuunt,odiosæ sunt, & nauseam mouent: at illi iidem ex auro conflati, & pro natiuis maculis, gemmis,aut alio pretioso ornamento distincti, in deliciis habentur à viris,quorū lauta est,& splendida supellex. In quinque anis,& totidē muribus

quinque sensus considerat Gregorius, Angelomus & Glossa; illi cùm sordida, & quæ à mudo, & carne tetrum aliquid olent, immoderatè captant; id est, cum planè voluptarij sunt, planè à muribus, qui in terræ visceribus latent, & è terræ corruptione generantur, non longè discedunt, & ab his partibus, quas natura verecunda celauit, cùm indecore ab infami, & sanioso vlcere putrescunt. Quid turpius oculis, quos libido distorquet, & transuersim inuerecundè spectare facit, ex quibus scintillas excutit furor, & emissitios facit esse cupiditas? Quid odiosius maledica lingua, quæ vel apertè lacerat, vel occultè mordet, & sensim immedicabile venenum instillat? Quid auribus illis minùs purum, quæ & obscænis verbis, & detractionibus patent, & tanquam publicæ foricæ, quicquid est sordium aut in priuatis domibus, aut in publicis ciuitatum conuentibus excipiunt? Hęc tamen omnia iam aurea, & munda, quæ melioribus studiis vacant, & quæ magnorum scelerum administra fuerant, iam pietatis, & religionis instrumenta sunt. Quod Paulus monet ad Rom. 6. *Sicut exhibuisti membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Sic Magdalena, quæ, vt canit Ecclesia, facta est ex lebete phiala, lenocinia, & blandimẽta libidinis in Christi honorem, & obsequium impendit. Et similes extitere quamplurimæ, quæ cùm priùs ex sordido ac meretricio quæstu sordes contraxissent longè turpissimas; pòst tamen cùm illas excoxisset pœnitentiæ fornax, tanquam aurea, & pretiosa munera Dominus accepit.

Instrumẽta peccati quomodo offerri Domino possint.

12. Adde, quòd quemadmodum hostes viui, præferoces; & qui militare signum in nostrum caput extulerunt, terrori nobis sunt, neque illos beneuolis spectamus oculis: at cùm iam strenuè superati nostræ gloriæ, atque triumpho seruiunt, libenter intuemur, eorum imagines ex auro expressas nobiscum circumferimus, celamus in gẽmis, gestamus in annulis tanquam nobile generis stemma, & æternum virtutis bellicæ monumentum. Sic quæ Deo, cùm fuere viua, odiosam sui præbuere memoriam, eadem iam mortua, lõgéque proiecta eidem tantum honoris, ac lætitiæ præbent, quantum odij atque offensionis ante præbuerant. Fuerat priùs Nicanoris manus armata ferro terrori Iudæis, qui pro patria religione certabant; at eandem cum humero abscissam Machabæus Hierosolymam attulit, illamque ad populi voluptatem, & gloriam contra Templum suspendit, 2. Machab. cap. 15. vers. 30. & deinde.

Peccata calcata, & mortua gratum Deo donum.

13. Illud ad extremum addo (licèt hoc alienum valde fuerit ab Allophylis; id est, ab illis, qui Euãgelicis legibus informati non sunt) à viris, quos cælestis patriæ desiderium inflammat, quique stimulis agitari se sentiunt ad virtutis studium, aut à præcipiti vitiorum semita reuocari, instrumenta, quibus ad illorum salutem vsus est Deus, amari plurimùm; & eo haberi in pretio, quo ea, quæ magnæ nobis voluptati, atque honori fuerunt, quæ homines illustri statuunt loco, curantque, vt oculis quàm frequenter occurrent. Noui ego hominem, qui sæpè contractam osculabatur manũ, quia ab illius priùs dolore, deinde deformitate admonitus, de melioris vitæ forma cogitare cæpit. Neque pauca eiusmodi occurrunt exempla. Sanè ita putabat Dauid, qui humiliatus didicit, quod felix, & potens ignorarat; Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Docuerunt idem hoc loco Philisthæi, qui aureos Deo offerunt mures, qui ipsorum agros, ac vineas populati sunt, & illius morbi simulacra, à quo sanioso vulnus, & insigne dedecus acceperunt.

Amanda sunt illa licet dura, quæ ad virtutem iuuant.

Quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris.] Eodem modo Principes, & Satrapæ, & popularis turba laborarunt, & fœdato corpore turpi plaga, & vastatis agris à murium infesta multitudine. Cùm autem quinque tantùm Satrapiæ fuerint, & earum cuiuslibet vna plaga, atque eadem genere, non autem individuo numero, optimè Sacerdotes inferunt, & Diuini, quinque anos, & totidem aureos mures esse conflandos. Quare non placet, quod quidam, in quibus sunt Gregorius, Chaldæus, & author traditionum Hebraicarum, quicumque est, existimarunt, tot fuisse mures ex auro conflatos, quot in ea prouincia fuerunt ciuitates, & vici. 14.

Facietisque similitudines anorum vestrorum.] Iosephus statuas esse dicit hominum; neque fortasse malè, tametsi communiter alij contrà sentiant; quia aliter non videtur, quomodo ex figura separata, ac sola cognosci posset, quid sibi vellet inusitata species, & hominum oculis à natura summota. At in humana forma exprimi posset pars illa tumefacta, & saucia, & situs ipse facilè ostenderet, quod esset morbi genus. Sicut adamas, aut lapis alius quicumque pretiosus separatus, aut pictus in tabula, aut fictus ex solida materia, difficilè; inclusus tamen in annulo facilè cognoscitur. Alij communiter, &, vt opinor, meliùs, partem illam à toto corpore secernunt, eamque in circularem formam effigiant, cui à marisscis additus tumor, & quæ à morbo illo, vbi duriùs incruduit, abesse non solent. 15.

Et similitudines murium, qui demoliti sunt terram.] Hinc fit mihi plusquàm verisimile, mures non tam in homines sæuiisse arrodendo extales, quæ prominebant è secessu, quàm in agros, & vineas, quibus assiduo, ac pestilenti morsu pernicie, & tabem attulerunt: sicut aliæ quoque faciunt minutæ bestiolæ. Quod autem animalia quædam exigua non tam viribus, quàm multitudine infesta, non oppida solùm, sed etiam insulas totas suis ciuibus, ac cultoribus spoliarint, docet Plinius lib. 8. cap. 29. vbi tradit à talpis ciuitatẽ in Thessalia fuisse suffossam; & ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus esse fugatos. Et quod nũc à muribus Palæstinos passos fuisse dicimus, id quoque aliis ab eadem murium incursione contigisse scribit lib. 10. cap. 65. Cùm enim de murium incredibili fœcunditate egisset, addit: *Itaque desinit mirum esse, vnde vis tanta messes populetur murium agrestium.* Vbi etiam tradit ita plurimos ad Troadem prouenisse, vt iam incolas inde fugauerint. 16.

A bestiolis loca quædã euersa.

Si fortè releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra.] Ex hoc loco fit verisimile, non solùm homines ab vlcere, & agros à muribus malè fuisse vexatos; sed etiam Palæstinorũ deos; quod licèt alibi sacer Historicus tacuerit, non tamen nunc silent Sacerdotes, qui cùm sacra, deósque pro suo instituto curarent, sicut Dagonem Azotij; sic etiam ipsi deos alios ex suo loco deturbatos, & allisos terræ, & grauiter contritos aspexerãt. Sicut cùm Christus ingressus est Ægyptũ, omnia simulacra corruerunt, sicut prædictũ antè fuerat Isaiæ cap. 19. Quod tacitè Scriptura significasse videri potuit, dũ in aliis ciuitatibus aggrauatã dicit Domini manũ; & cùm morbi tãtùm sedis, & extaliũ meminisset, de muribus siluit; 17.

Simulacra variis in locis ab Arca collisa.

siluit; cùm tamen grauè à muribus plagâ accepissent. Sic etiam ibidem intellexisse videtur simulacra collisa, licet illa speciatim non expresserit. Hæc ego coniectando dixerim. Abulensis q. 18. in cap. 5. contrarium probat, & fortasse vere; quæ de re nos ca. 5. n. 37.

18. Vers. 6. *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus?*] Non ignorabant Palæstini, sicut neque alij vicini populi, quid olim Hebræorum populo contigisset, siue cùm Ægyptiũ iugum excussit è ceruicibus, siue cùm vario successu mueterauit in deserto. Atque ideò Sacerdotes harum rerum magis periti Ægyptiorũ exemplo Philisthæorum satrapas deterrent, ne diutiùs apud se captiuam Arcam obstinatò detineant, ne talia patiantur, qualia Ægyptii quondam, dum captiuum populum toties admoniti liberum ab se discedere non sinunt. Sic etiam Achior dux Ammonitarum, Iudith cap. 5. de Hebræorum gestis longam pertexuit narrationem. Monent igitur, ne sicut Ægyptij variis affecti plagis, obduruere tamen, donec tandem confecti sunt; sic ipsi, dum plagis non admodùm diuersis exagitantur; & tamen pertinaciter in eadem hærent sententia, simile pòst à Deo patiantur exitiũ.

19. *Quæ Deo oblata aliis seruire aut seruiisse non debent.*

Vers. 7. *Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum.*] Indignum putabant Sacerdotes, si plaustrum portaret Arcam Domini, quod rustico ministerio, aut humanis commodis antè seruierat. Quare id primo loco statuunt, vt plaustrum nouum fiat, quod tunc primum, etsi quando posteà, vni Deo seruiat. Quod etiam fecit Dauid, qui plaustro item nouo Arcam imposuit, cùm illam ex Cariathiarim transtulit in domum Obededon, 2. Reg. 6. v. 3. Norunt id Sacerdotes ab ipso naturæ lumine illustrati. Sanè Christus, quàm id diuinam maiestatem deceat, in seipso non obscura documenta dedit: nam quando cum aliqua maiestate, & triumphali plausu Hierosolymam ingredi decreuit, pullum asinæ sibi afferri voluit, in quo nullus hominum antè sedisset. Sic enim Marci cap. 11. v. 2. *Inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit, soluite illum, & adducite.* Et Lucæ 19. v. 29. hoc idẽ iisdem penè verbis iteratur. Et cùm de Cruce depositus est, viri religiosi, ac pij id etiam curarunt, inspirante sine dubio Spiritu sancto, vt in sepulcro nouo, quod nullum illatenùs cadauer imbuerat, conderetur: Lucæ cap. 23. v. 53. sic de Ioseph: *Posuit eum in monumento excisò, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Neque mihi dubium est, sindonem, quæ Christi corpus ad sepulturam inuoluit, illum primum vsum habuisse. Quod ideò mihi persuadeo, quia illa à Matthæo cap. 27. munda vocatur; & Marcus cap. 15. v. 46. illam à Iosepho emptam esse significat: emi autem eiusmodi vestes à viro locuplete, & nobili, qualis esse dicitur Ioseph, non solent nisi nouæ. *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento.* Quis autem credat, cùm in emendo arómate ad vngendum corpus Iesu tam fuerint liberales viri pij, vt aloës, & myrrhæ libras quasi centum attulerint; in comparanda sindone tam fuisse illiberales, & parcos, vt illam tritam, & aliis anteà vsibus applicatam attulerint? Neque est improbabile, vestes, quas Christus in mortali statu induit, à nullo vnquam homine gestatas esse priùs. Certè de interiori, atque inconsuta tunica, quam Virgo mater acu contexuit, aut opere textili confecit, sentiunt nonnulli, & probat Euthymius, qui in cap. 27. Matthæi ait, id se accepisse è traditione Patrum: hanc accepit Iesus infans attemperatam tunc infantili corpori; quæ tamen crescente corpore ipsa quoque crescebat, donec ad illam magnitudinem ascendit, quam habuit Christus, dum actus est in Crucem. Ita Salmeron tom. 10. tract. 38. vbi hoc ipsum docet de vestibus filiorum Israel, quæ toto tempore, quo in solitudine fuerunt, attritæ non sunt; quas dicit tale incrementum accepisse, quale sensim accipiebant paruulorum corpora. Quod item refert Abulensis in cap. 8. Deut. q. 1. ex Hebræorum sententia, quam ipse non improbat. Quare Christus toto vitæ tempore nullam aliam videtur habuisse tunicam, nisi quam à matre infans acceperat; atque adeò nullum habuisse vestimentum interius, quod alieno esset imbutum sudore, aut quod alienum vnquam corpus attigisset. Ex quo probabilis duci potest coniectura, B. Virginem sine vlla originalis culpæ labe fuisse conceptam. Si enim Christus vestẽ non habuit, aut viuus, aut mortuus, quæ alienis vsibus seruiisset (nisi cùm ignominiæ causa purpuram ab illudentibus oblatam indutus est), quomodò est verisimile carnem induisse acceptã à Maria, quæ aliquando sub diaboli potestate fuerit? Quòd si diabolus indui dici potest illis, quos subiectos habuit, & suo inustos stigmate & proprio charactere notatos, quomodò Isaiæ cap. 49. v. 18. Deus hominibus iustis tanquam ornamento dicitur esse vestiendus; planè dicendum esset (quod aures horrent, & auersantur piæ) Christum illam indutum esse carnem, quam pro ornamento diabolus ante gestauerat.

Virgo sine vlla originali labe concepta.

Est itaque hoc diuinæ Maiestati debitum, vt 21.
norunt etiã ipsi Gentiles, ne quid illi alienis vsibus attritum offeratur, ne quid priùs ex oblato munere libarit humana commoditas. Neque sine causa sacri præcipiunt canones, ne vlla consecretur Deo, nisi cui sit illibatus virginitatis flos; licèt enim Deus coniugatas amet, & viduas, quæ humanum, & corruptibilem torum inierunt; tamen nobiliori quodam modo sponsæ dicuntur, quæ pudorem seruant intaminatum, & integrum, neque viriles vnquam amauerunt amplexus. Cum his se se Deus oblectat, vt cantat Ecclesia: *Qui pascis inter lilia septus choreis Virginum.* De his Apocal. cap. 14. v. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, & sequuntur agnum, quocumque ierit.*

Virginitas Deo gratissima.

Et duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.] Multa hìc congerunt Sacerdotes isti, atque Diuini, quorum tamen nihil videtur otiosum. Eò enim spectant illorum consilia, vt explorent, an ab offenso Deo, vel à naturali causa illam Palæstini plagam, aut illorum agri vastitatem acceperint. Quare illa proponunt documenta, & signa, quæ nunquam, aut rarò solet edere natura mortalium; vt illa à Deo potiùs, quàm à natura edita nemo non agnoscat. Difficile est, indomitas vaccas, quæ neque ceruicem iugo, neque dorsum oneri subiecerunt, iugum subire, & plaustrum trahere, neque declinare de via; cùm tamen neque rhedarius regat, aut stimulis adigat, aut illa vis aliena adhibeatur, quæ durum illud, & insuetum ministeriũ obire cõpellat. Difficile est, cùm libero vaccæ progrediantur incessu, vitulorum amore, & iterato sæpiùs vagitu non reuocari de medio cursu. Hæc sanè neque natura efficit, neque vllo modo

22.

Miracula sunt quæ natura horret.

Sindon, qua Christus inuolutus, noua.

20. *Vestes Christi à nullo vnquã gestatæ.*

patitur, niſi inuita. Quare ſi id vltrò, neque ab aliis inſtimulatæ vaccæ præſtiterint, argumentum eſt prudentibus, rémque ſuis momentis explorantibus, diuinum eſſe negotium, non humanum. Natura enim horret graue, & inſuetum opus: & indocile collum detrectat potiùs, & excutit, quàm admittit iugum. Et filij, qui pars ſunt, & viſcera parentum, non deſeruntur, niſi diſruptis, laceriſque præcordiis: quocirca vnus eſt Deus, qui tot poteſt vincula diſrumpere, tot impedimenta ſuperare.

23. *Fœta dicitur ea etiã quæ peperit.* *Fœtæ* dicuntur *vaccæ*, cùm tamen iam fuerint vitulos enixæ: neque tamen hîc aliquid dicitur inuſitatum, aut infrequens. Licèt enim fœta dicatur illa, quæ nondum fætum edidit, quem gerit in vtero; tamen apud eos etiam, qui non vulgare nomen obtinent inter Latinos, illæ etiam appellantur *fœtæ*, quæ iã partu ſolutæ, atque leuatæ ſunt. Exempla nos, & huius nominis cauſam adduximus ad illud Iſaiæ cap. 40. *Fœtas ipſe portabit.* Plinius lib. 8. cap. 42. de equa poſt editum pullum: *Hippomanes, quod ſtatim, edito partu, deuorat fœta.* Et Virgilius lib. 3. Georg. vaccas, quæ iam vitulos alunt, *fœtas* vocat, eaſque mulgeri vetat, ne vitulis à materno vbere alimentum deſit.

——— *Nec tibi fœtæ*
More patrum niuea implebunt mulctralia lacte,
Sed tota in dulces conſument vbera natos.

In eadem ſignificatione habes Geneſ. 32. v. 15. vbi ſic de Iacob: *Separauit camelos fœtas cum pullis ſuis.*

24. *Religioſi vitæ typus.* Hic ego pro Religioſorum Ordinum commendatione aliquid ſupra naturam, & multiplici nomine admirandum inuenio; quod ſanè probat inſtitutum illud planè Apoſtolicum, & diuinum, neque inuentum eſſe humano conſilio, neque ad illius ſtudium, & amplexum homines ab alio agi, quàm à diuino motu, qui vim omnem, & nutum naturalem, ſi non omninò extinguit, at certè vehementer obtundit, atque debilitat. In vaccis enim, quæ indocile priùs collum iugo ſummiſerunt, neque curarunt quid vituli relicti mugiendo requirerent; ſed licèt graui quodam ſenſu, ac dolore compunctæ, cæptam tamen perſequuntur viam, quam ingreſſæ fuerant; Religioſi viri ſtudium, & officiũ agnoſco, & Dei ipſius in illud hominum inſtitutum, & genus ſingularem prouidentiam, & curam. Cùm enim magnum ſit, ſuorum viſcerum; id eſt, affectuum, & appetitionum obliuiſci, & reluctantes naturæ ſentientis impetus frænare, & diuinæ legis imperio ſubiicere, neque vnquam deponere Euangelici iugi pondus, quod inexperti ducunt intolerabile; Deus tamen ipſe ſuaui ſua prouidentia efficit, ne quid in ea contentione durum, & in re, quæ naturæ videtur bellum intuliſſe, nihil niſi à naturali ſenſu profectum appareat.

Abnegationis ſymbolum.

25. Verſ. 8. *Et vaſa aurea, quæ exoluiſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam ad latus eius.*] Vas latiſſimam apud Hebræos habet ſignificationem. Hebraicè קלי *keli.* hîc pro anis aureis, & muribus item aureis, vſurpatur. Hos verò in capſa, aut arcula quadam incluſos ad Arcæ latus conſtituerunt: neque enim, vt apparet, illam ſunt auſi reſerare, vel quia aliquid in ea ſacrum reuerebantur, aut quia ſi quid in illam tentaſſent audaciùs, horribile aliquod ſupplicium metuebant.

26. *Et dimittite eam, vt vadat.*] Iubent Sacerdotes, vt nullus plauſtro imponatur auriga, ſed ſine rectore pergant vaccæ, quocúmque illarum feratur appetitus; perſuaſi illis pro rectore, & auriga futurum eſſe Dominum, qui eò ageret quantumuis inuitas, & obluctantes vaccas, vnde ſumi poſſent de illatæ calamitatis cauſa certæ cõiecturæ. Et planè ita accidit; ea enim vaccarum progreſſio fuit, vt dubitare Gentiles illi populi non potuerint, plagam illam tam deformem, & duram contigiſſe diuinitùs. Simili conſilio S. Ignatius Pater noſter explorare voluit, cùm adhuc eſſet rudis in Chriſtiana militia, quidnam Deo, cuius ſe iam obſequio totum manciparat, magis eſſet acceptum. Cùm enim Agarenus quidam de Matris Chriſti Mariæ perpetua virginitate loqueretur audaciùs, dubitare cæpit, an ab illo Chriſtiana pietas exigeret, vt quem ratione conuincere non poterat, pugione conficeret, eoque modo puriſſimæ Virginis vlciſceretur iniurias: tandem ſtatuit, equo, quo vehebatur, habenas permittere; & ſi, cùm ventum eſſet ad biuium ad oppidum diuerteret, quò Agarenus ille declinaret, eriperet illi ſceleratum ſpiritum, quo in B. Virginem impia verba formauerat: ſed rexit tunc Dominus equum, cui rector deerat, ſicut modò plauſtrum ab auriga vacuum moderatus eſt.

S. Ignatius de Loyola quo modo Dei voluntatẽ explorauerit.

Verſ. 9. *Et ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande.*] Vſitatum fuit antiquo illo ſæculo, vt homines certum inter ſe ſignum conſtituerent, vt ex eo cognoſcerent quidnam facto opus eſſet, & qualis expectari poſſet rerum euentus. Quod etiam ſignum Ionathas adhibuit infrà, cap. 14. quibus interdum Deus pondus aliquod ineſſe voluit, qui ſortes ab hominibus in ſinum, vrnámve coniectas ipſe moderatur. Prouerb. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in ſinum; ſed à Domino temperantur.* Sic temperatæ ſunt ſortes, quibus Achã anathematis reus, Ioſue cap. 3. & lib. 1. Reg. cap. 14. Ionathas violati ieiunij indicti à parente deprehẽſus eſt. Sic ſortes, quibus vſus eſt Nabuchodonoſor, Ezech. cap. vt exploraret, quid magis ſibi futurũ eſſet ex vſu, mouere ne cõtra Ammonitas caſtra, an contra Ieruſalem. Qua de re nos pluribus ad illum Ezechielis locum. Sic ergo nunc explorare Palæſtini volunt, an Deus fuerit illius cladis, & ignominiæ author, aut à naturali cauſa res tota prouenerit. Iudicium verò ſumendum eſſe ſtatuerunt è vaccarum progreſſu, quæ ſi rectà, relictis aliis viis, quæ ſe in eo curſu paſſim offerebant, pergerent Bethſames, quæ prima in Iſraelis finibus occurrebat, illud eſſe ſignum voluerunt diuinæ vindictæ; ſin ſecùs, naturali cauſæ infortunium illud eſſe tribuendum. Deus autem vſus illorum ſiue inepta, ſiue inſpirata cogitatione (de hoc enim nihil habemus certum) directo in Bethſames plauſtro diuinitùs inflictam eſſe plagam edocuit.

27. *Signis explorari ſolita diuina voluntas, & rerum euentus.*

Verſ. 12. *Et itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes.*] Tradit Ioſephus Arcam in triuio poſitam, & vaccas rectam; id eſt, mediam tenuiſſe viam, neque in alterutram partem diuertiſſe. Ego plures vias, ſiue à recta via plurima fuiſſe diuortia non dubito; neque enim aliter aliquid valeret illa Palæſtinorum coniectatio de vaccarum progreſſu in Bethſames, ſi vna tantùm eſſet via, par quam neceſſariò pergendum eſſet. Puto etiam ante illa viarum diuortia plauſtrum eſſe poſitum, & vaccas iugum ſubire coactas; quæ vbi ad illa peruenere diuerticula, rectam tenuerunt; id eſt, mediam viam. Et illud eſt in di-

28.

rectum

rectum iuisse vaccas, & vno itinere fuisse progressas; quia si ad alterutrum latus deflexissent, via iudicari posset aliqua ratione diuersa. Hoc porrò opus esse Dei, qui eo modo suum hominibus voluit aperire consilium, sentiunt communiter Interpretes, ita Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 17. Theodoretus q. 13. ipsam Arcam sic fuisse dicit onus plaustri; vt etiam illius fuerit auriga. Vnus est Origenes, quod ego viderim, homil. 16. in cap. 23. Numer. qui contrà sentiat: putat enim progressum illum vaccarum, quo explorare voluerunt Palæstini, an plaga illa à Deo potiùs offenso, quàm à causa prouenirent naturali, fuisse à dæmoniaca potiùs, & auguratrice scientia, quàm à diuino instinctu; & opus illud à Dæmone potiùs, quàm à Deo temperatum. *Quis*, inquit, *præscientiam hanc, quæ de boum directione prædicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compositam, & non operatione quadam dæmonum ministratam?* Vbi plura in hanc sententiam.

29. Pergebant mugientes vaccæ, quia mugientes audiebant vitulos, & quasi suam orbitatem lugentes, quibus ipsæ materno admugiebant affectu; & licèt dolerent, pergebant tamen non intermisso gressu, neque tantillùm à directa via declinantes; cùm tamen, vt diximus, vrgeret nemo, nemo regeret. Quod egregium est symbolum illius, qui legem portat Dei inclusam, nō in Arca, sicut vaccæ, sed insculptam in corde, quæ iubet, vt relinquamus vitulos, & à recta, licèt arctâ, via non declinemus.

30. Vers. 13. *Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle.*] Messis triticea in illud incurrebat tempus, in quo Pentecoste celebratur, in qua primæ illius anni fruges offeruntur; id est, *Panes primitiarum duo de duabus decimis similæ fermentatæ*; vt habes Leuit. cap. 23. Cùm autem triticea messis, sicut etiam Pentecoste sub finem Maij frequenter incurrat; ducta videtur in regionem Philisthinorum Arca sub mensem Nouembrem, ex eo enim ad Maium vsque extremum septem intersunt menses, quot Arca Domini apud Palæstinos exulauit.

31. *Et eleuantes oculos suos viderunt arcam.*] Non difficile fuit Bethsamitis Arcam illam Arcam esse testamenti cognoscere; tum ex forma, quam habuit cum aliis arcis non communem; tum ex splendore, qui non poterat esse non eximius, cùm tam intùs, quàm foris laminis tegeretur aureis, quæ à sole percussæ radios vibrabant solaribus quamsimillimos. De splendore, ac fabrica vide Exodum cap. 25. Quòd si tecta, sicut in deserto, vehebatur Arca; non fuit difficile illam agnoscere, cùm non minùs, imò multò magis ex tegumento cognoscere potuerint, quod magis erat notum, quàm Arca, quæ nunquam, aut perquàm rarò nuda oculis patuit popularium. Gauisi sunt autem vehementer Bethsamitæ, vbi reducem Arcam conspexerunt; qui suo exemplo docent, quàm exultare debeat homo, cùm aliqua bona coniectura ducitur, vt putet rediisse ad se Deum, quem priùs à se peccando repulerat, & illius in se odorem aliquem sentit, & quasi splendorem ex laminis aureis intuetur.

32. Vers. 14. *Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri*, &c.] In agro Iosue Bethsamitæ, ad quem peruenit, & vbi primùm constitit plaustrum cum Arca, lapis erat magnus, qui altaris loco suffectus est, in quo Bethsamitæ pro illo tanto, támque insperato beneficio gratias agunt, & quam à Palæstinis paratam habuere materiam, non omiserunt. Habuerunt autem ab illis plaustrum nouum; id est, mundum lignum, & nulli nisi sacro oneri, ac ministerio subiectum, quo ignem in holocaustum accenderent; & vaccas, quas in illo altari oblato potiùs à natura, quàm ab arte ædificato comburerent. Quare plaustrum dissipant, & ligna illius ad incendia disponunt; & ex duabus vaccis luculentum faciunt holocaustum. Quod eo nomine gratum videri potuit, quia nulla mora interposita, statim oblatum fuit. Vt enim acutè Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 5. *tantū de gratia demis, quantum adiicis moræ.* Et paulò pòst idem cùm de Beneficiis, ac muneribus ageret: *Multum*, inquit, *celeritas fecit, multm abstulit mora.* Neque alio fortasse consilio (licèt in hac promissione alij iudicium, & prudentiam desiderent) Iephthe, Iudic. 11. promisit Deo, si de Ammonitis victoriam esset consecutus, oblaturum se quicquid obuium è domo sua primū habuisset, quàm vt celeritate offerendi aliquid sacrificio adderet ponderis, & gratiæ.

Celeritas dono gratiā auget & pondus.

Iephthe cur primū quodque Deo promisit.

Vers. 15. *Leuitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam*, &c. *& posuerunt super lapidem grandem.*] Hìc duo obseruanda. Primum, lapidem illum grandem, qui fuisse dicitur in agro Iosue Bethsamitæ, non fuisse saxum aliquod excisum è monte; quale à Latomis ad extruendas domos erui solet è lapidicinis: sed esse grande aliquod, & naturale saxum, quod in illa sede primùm induruit, seu quod ibi primum, & solum natum est. In quo satis fuit spatij, vt in eo statui posset cum dignitate Arca, & quasi in altari magnum aliquod offerri sacrificium.

33.

Deinde Leuitas, in quibus etiam Sacerdotes numerantur, non vnam habuisse ciuitatem, aut sortem in Israelitide terra definitā; sed habuisse ciuitates varias à Iosue cap. 21. per omnium Tribuum funiculos variè dispersas; ex quarum numero fuit Bethsames, vt ex eo cap. v. 16. liquet. Quare verisimile est, ex messoribus illis Bethsamitis aliquot ex genere natos esse Leuitico. Quare non mirum si ad præstanda illa, quæ muneris essent Leuitici, tam facilè ex eo ordine aliquot accesserint. Quare vt Leuitæ; id est, qui erant ex familia Leui (in quibus etiam Sacerdotes intelligo; quia filiis Aaron Sacerdotis assignata dicitur Bethsames) Arcam dicuntur deposuisse ex plaustro; sic etiam dicendum est, eosdem holocaustum illud, & alias, de quibus statim, immolasse victimas: neque enim à profana turba sacrum illud munus administrari debuit. Hi ergo Leuitæ Arcam depositam ex plaustro statuerunt in lapide, cuius alia pars vicem obtinuit aræ, in qua holocaustum ex vaccis, & alia etiam sacrificia peracta sunt.

34.

Quærit hoc loco Abulensis q. 19. an in hoc holocausto offerendo peccatum fuerit à Bethsamitis, & multa obiicit, quæ difficilè illos vendicant à culpa. Quia cum victimæ esse debeant è masculino genere (Lex enim fœmineum genus prohibet ab altari) illi tamen vaccas immolarunt. Deinde quia alienum opus Bethsamitæ tentarunt; cum enim hoc sacrum esset, & sacerdotale ministerium, illud tamen obiit laica, atque profana turba. Addo ego, quia extra Tabernaculum offerri sacrificium non debuit, neque in altari, quod non esset ritè ad illud sacrificale negotium comparatum: at quæ sanctitas, aut

35.

quæ

quæ destinatio legitima in illo saxo, quod nulla munitio à cælorum iniuria, aut ab armentorum conculcatione tuebatur?

36. *Bethsamitæ in sacrificando non peccarunt.* Concludit Abulensis, in eo sacrificio peccasse Bethsamitas: Primùm, quia in holocausto fœmellis non erat locus. Ego ex nullo capite arbitror ab illis esse peccatum; neque enim puto Scripturâ tacituram fuisse peccatum istud, cùm causam reddidit, cur tot ex eo populo, ac tractu sub illud idem tempus periissent: vt enim aliam tradidit, hanc non omisisset; in qua, si quid esset peccatu, longè videbatur esse grauius. Deinde, quia aliquid apparebat in illis vaccis singulare, propter quod ea immolatione non viderentur indignæ; neque Bethsamitæ credebant, vt est verisimile, vaccas illas ab hominibus eò esse deductas, cùm nullus appareret auriga, aut stimulus, qui reluctantes illas, & triste aliquid mugientes impelleret. Quare eò illas existimabant actas, & ad illud opus ex numeroso grege sumptas esse diuinitùs. Quare quod à Deo sumptum esse crediderant, id deberi Deo, & ad aram adduci posse arbitrabantur. Quid enim aliud de re sacra, & quam Dominus sibi delegisset, fieret honestè? Casus itaque rarus, & qui aliquid in vaccis diuinum ostenderet, prudenter Bethsamitas in illam cogitationem induxit. Adde, quòd lex illa, quæ masculum exigit ad holocaustum, fœminam repudiat; tunc videtur vim habere, quando id solemni fit modo in destinato, ac legitimo loco, vt in Tabernaculo, temporibus à lege definitis. Quòd si aliquando in aliquo graui rerum articulo, extra ordinem, casu videlicet extraordinario fiat; non puto fœminas, si masculorum desit copia, ab holocausti religione depelli. Quale fuit holocaustum illud, quod Reg. 3. cap. 18. obtulit Elias, vbi multa sunt, quæ nemo auderet in Tabernaculo, si legitimo faceret, atque solemni ritu. Nam primùm obtulit extra Templum, obtulit non Sacerdos, adhibuit aquam, & victimam iterùm, ac tertiò respersit aqua. Multa præterea Samuel fecit statim, cap. 7. in offerendo holocausto, quæ lex sacrificalis non admitteret, in quibus nemo Prophetam accusat violatæ legis; quia illius articuli exigebat necessitas, neque maior tunc commoditas occurrebat. Sic ergo cũ casus ille rarus esset, neque maior sese commoditas offerret, arripuere Bethsamitæ quod habuere primum, quodque ab ipso Deo oblatum sibi ad illud opus existimabant.

37. *Victima aliquando non mascula.*

38. *Bethsames vrbs sacerdotalis.* Secunda ratio Abulensis minùs habet impeditum nodum. Vt enim diximus suprà, Bethsames ciuitas erat sacerdotalis; atque ideò Sacerdotes, sicut alij plures, Bethsamitæ vocantur. Quare cùm à Bethsamitis oblatum dicitur sacrificium, sine dubio res dicitur à Sacerdotibus peracta.

39. *Extra Templum aliquando oblatum sacrificium.* Quod ad locum attinet, non nimis premit. Vt enim solemni ritu, & cùm legitimus paratus est locus, alibi sacrificari non licet; si tamen neque locus sit aptus, & necessitas vrgeat, etiam extra Templum, aut Tabernaculum sine vlla violatæ legis suspicione offerri potest holocaustum. Id satis confirmat Samuelis, & Eliæ, quod modò produximus, exemplum; qui extra Tabernaculum sacrificarunt: neque tamen viros hosce sanctissimos, & diuinæ legis, reique sacrificalis non ignaros, quisquam aut imperitiæ, aut temeritatis accusauit. Accedit, quòd cùm præcipua Tabernaculi pars esset Arca, & illius quasi species, & anima; censeri non debuit extra Tabernaculum immolasse victimas, qui in Arcæ conspectu obtulit holocaustum. Neque enim sine causa dicitur super eundem lapidem Arcam esse locatam, & duas vaccas super plaustri ligna fuisse combustas.

40. At dices, ab aliis, licèt alieno in loco, excitatas tamen esse aras: de Elia expressum habemus: quod item de Samuele existimandum. Respondeo; satis esse probabile nouam aram à Samuele non esse constructam: quia cùm hostis insperatus vehementer vrgeret, non videbatur excitari potuisse. Sed quicquid illud sit, nihil ab hac re oritur incommodi, si modò verum est, quod putant Hebræi, vt in eorum Traditionibus refert Hieronymus, lapidem illum grandem aram esse, quam excitauit Abraham, & in qua ipse sacrificauit. Quod si ita est, satis esse debuit tanti Patriarchæ memoria, vt sanctus esset lapis ille, & ad sacrificandi ministerium idoneus. Sed nobis suprà probabilius visum est, saxum esse, quod eo loco natura posuit, non quod ars expoliuit. Veruntamen in saxo naturali, ac viuo, quid obstat, quominùs offerri sacrificium posset? Neque improbabile est, saxum illud à posteris vocatum esse Altare, siue Aram Abrahæ. Quemadmodum saxum quoddam, vbi cæsa victima fœdus inter Pœnos, atque Romanos percussum fuit, vocatum fuit *Ara Habnibalis*, siue *Africanæ*, vt putant communiter authores ad illud lib. 1. Æneidos.

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.

Quòd verò Abraham in illo saxo sacrificauerit, aliquod nos infrà vestigium adducemus.

41. Vers. 16. *Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt.*] Sequebantur Philisthinorum Satrapæ, non regebant plaustrum, vt iuxta Sacerdotum, Diuinorúmque consilium explorarent, quò tandẽ appelleret. Vbi verò conspexere in Bethsamitarum finibus constitisse, certi quòd Hebræorum Deus illam tantam cladem, & stragem edidisset, domum reuertuntur, neque vltrà progressi sunt; tum quia nihil habebant, quod præterea requirerent; tum etiam quia tutum in hostium suorum fines, aut conspectum venire non putabant.

42. *Arca restituta. probabile est cessasse Palæstinorum plagam.* An consecuti fuerint Palæstini, quod optabant; nempe vt à suis corporibus fœdam illam plagam depellerent, & agros suos à murium vastatione vendicarent, ex Scriptura non constat. Est tamen probabile, cessasse tunc vtramque plagam, cùm restituta fuit Arca, cuius gratia grandis illa calamitas ingruerat. Neque aliter cognouissent Palæstini, diuinitùs immissam esse luem illam, & non proueniisse ex naturali causa, quod ipsi scire studebant, si transmissa Arca, adhuc tamen perseueraret morbus, qui corpora; & mures, qui agros vexarent, & arroderent.

43. Vers. 17. *Hi sunt autem ani aurei.*] Quinque fuisse aureos anos nemo dubitat, siue illi separati à corpore formati fuerint, siue simul cum tota hominis figura, vt suprà dicebamus ex Iosepho. De murium numero res est magis dubia, quia locus iste de muribus magis implexè, atque obscurè loquitur. *Et mures*, inquit, *aureos secundum numerum vrbium Philisthiim, quinque prouinciarum ab vrbe murata, vsque ad villam, quæ erat absque muro.* Ex quibus verbis putat Gregorius, & Hebræi, vt in libro Hebraic. tradit. refert

Hierony

Hieronymus, Petrus Comeſtor, qui Iſidorum citat, apud quem ego non inuenio; indicat tamen alter Iſidorus recentior, cum Vatablo, tot fuiſſe mures, quot in regione Palæſtinorum fuerunt ciuitates, & vici. Sed alij fermè omnes quinque tantùm mures fuiſſe putant; & illos ex auro ex omnibus ciuitatibus, ac vicis corrogato fuiſſe conflatos. Ita Lyra, Hugo, Dionyſius, Emanuel Sa, Mariana. Sanè tranſlationes aliæ magis indicant, quàm Vulgata; neque tamen Vulgata ad hanc ſententiam difficilè trahitur.

44. Et primùm obſeruo pro poſteriori hac ſententia, quæ tantùm mures ex omnium ciuitatum collatione, ac ſymbolo conflatos eſſe putat, mihi valde videri veriſimile, ciuitates illas inhoneſta illa, atque ſecreta plaga fuiſſe percuſſas, in quas Arca captiua ingreſſa eſt. Quare quinque illæ ciuitates prouinciarum capita, quæ eo morbo fœdè laborarant, aureos conflarunt anos numero quinque: in fines tamen omnes Palæſtinorum arbitror graſſatos eſſe mures. Quod ſupplicij genus ad quinque ciuitates, quæ Arcæ Domini aut inſultarunt, aut illam captiuam concluſere, pertinuit. Quomodò enim illæ alimenta compararent, ſi ciuitates vicinæ, atque ſubiectæ, vnde vitæ conquiri poſſent neceſſaria ſubſidia, nullum aut ex vite, atque arbore, aut ex ſemente facta fructum retuliſſent? Hæc mea coniectura eſt,

45. Ex his ego colligo accommodatè ad poſteriorem ſententiam, ciuitates omnes, & vicos, quorum nullus ab illa murium ſtrage fuerat immunis, contuliſſe aurum, vt ex illo conflarentur murium ſimulacra, quæ veros, atque viuentes mures aut extinguerent, aut ex patriis finibus aliò relegarent: Sicut multis antè ſæculis Hebræi, vt aureum effingerent vitulum, ornamẽta ex vxorum, ac filiarum auribus ſublata contulerunt. Tunc autem Vulgatam lectionem nõnihil implexam ſic inſtituo, atque ordino: Hi sũt aurei ani, quos reddiderunt Philiſthini; nempe quinque: & mures; nempe totidem ſecundùm numerum ciuitatum, quæ quinque ſatrapis, ſiue prouinciis præerant, corrogato auro ex omnibus ciuitatibus, ac vicis, qui in qualibet continebantur ſatrapia; ex qua penſione nullus excludebatur locus ſiue vallatus eſſet mœnibus, ſiue à murorum ambitu nudus, & apertus. Ita videtur non incõmodè Vulgatæ lectioni ſatisfieri, quæ aliter de anis, ac de muribus aureis videtur locuta.

46. Nihilominùs ego tam quinque anos, quàm quinque mures (neque enim plures eſſe arbitror) ex collecto ex omnibus ciuitatibus auro conflatos eſſe puto; quod authores ſentiunt aut omnes, aut plerique, quos ſuperiùs adduxi. Neque id grauatè ferrent ciuitates aliæ, cùm eadem mala aut paterentur, aut timerent. Et recta exigit ratio, & adminiſtratio prudens, vt quando ad publicam, & communem ſalutem illud conſilium ſpectat, ex publicis etiam, ac communibus expenſis aureum illud donarium fiat, quod duram Domini manum ſuſpendat, aut auertat. Dixit hoc Hiſpanica tranſlatio, quam iam olim conuerterunt ex Hebræo Iudæorum doctiſſimi, cuius hîc verba referam; quia communem Hebræorum cogitationem expromunt. Dixerat eſſe quinque illos anos, quos quinque ciuitates aliarum capita obtulerunt, Azotum, Gaza, &c. & addit: *e los ratones de oro* (quos nempe illæ quinque obtulerunt ciuitates) *a cuenta de todas las villas de los Filiſteos.* Vbi vocem Hebraicam

A מספר *miſpar*; quam Vulgatus *numerum* reddidit, ipſi tranſtulerunt *cuenta*; id eſt, *rationem*; fortaſſe quia quælibet ciuitas pro ciuium facultate, ac numero aſſignatam ſibi partem conferebat.

Et vſque ad Abel magnum, ſuper quem poſuerunt arcam Domini. 47. Apparet Bethſames primam eſſe ciuitatem, quam è ſua regione ingrediuntur Palæſtini; & Abel magnum eſſe partem illam Bethſamitici agri, quã Palæſtinorum fines proximè attingunt. Dum ergo dicuntur ciuitates munitæ, & apertæ ad illum vſque locum, ad conflanda illa donaria, aut plagarum monumenta pecuniam, aut aurum contuliſſe, dicuntur nullæ ciuitates eſſe reliquæ, quæ non pro ſua quæque facultate aliquid impenderit. *Abel magnus* lapis ille eſt, qui depoſitam ex plauſtro Arcã excepit, & in quo ſuper ligna plauſtri cõbuſtæ ſunt vaccæ. Cur lapis ille dicatur *Abel*, obſcurum eſt. Quidam אבל *Abel*, poſitum eſſe putant pro אבן *eben*: quæ vox *lapidẽ* valet. Ita Rab. Dauid. Facilis autem eſſe potuit literæ vnius in aliam commutatio. Alij *Abel* lapidem illum; id eſt, ſaxeam molem, quæ ex illa planitie in dorſum erupit, dictum eſſe coniectant, quia ibi magnus excitatus eſt Bethſamitarum luctus; propter ingentem cladem, quæ in eo loco magnam illius populi multitudinem ſtrauit. Sicut etiam Geneſ. 50. v. 11. locum, vbi Ægyptij Iacob ſepulturã funebri planctu proſecuti ſunt, אבל *abel* appellarunt. *Idcirco vocatum eſt nomen loci illius planctus Ægypti.* Et hoc poſtremum mihi non diſplicet. Solent autem Scriptores in omni idiomate nomen adhibere, quod paulò, imò longè pòſt rebus inditum eſt. Vt cap. 4. v. 2. diximus, vbi obſeruauimus *Lapidem* tunc *adiutorij* perprolepſim vocari illum, cui poſteà cap. 7. nomen illud datum eſt.

Quæ erat vſque in illum diem in agro Ioſue Bethſamitis. 48. Quid referat illud, *quæ*, obſcurum eſt. Quidam ad *Arcam* pertinere exiſtimant; ſed non video, quo ſenſu. Alij ad lapidem, ſuper quem Arca fuit poſita, & holocauſtum immolatum, referendum putant. Quod ego magis probo. Sed duo obſtant maximè: alterum eſt, quod lapis generis eſt maſculini; hîc verò *quæ* ponitur, quæ vox generis fœminei. Alterum, quia ſuprà diximus, lapidem illum mobilem non eſſe, aut è latumiis erutum; ſed viuum, & terræ adhuc, ex qua emerſerat, infixum. Prior pars non multùm mouet eos, qui norunt genus ſæpè in tranſlationibus ſeruari, quod in originali fuerat; quod exemplis optimis aliunde probauimus in noſtris Commentariis in Iſaiam c. 7. ad illud: *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Sic Apocal. 2. candelabra dicuntur *ſtantes*, quia λυχνίαι Græcè generis ſunt fœminei. Et ex Hebræis eſt illud Geneſ. 3. *Ponam inimicitias inter te, & mulierem, & ſemen tuũ, & ſemen illius: ipſe conteret caput tuum.* Illud *ipſe* non refert Latinã vocem *ſemen*, quæ generis eſt neutrius; ſed Hebraicam זרע *zerahh*, quæ maſculini generis eſt. Sic *quæ* non refert *lapidem* maſculini; ſed אבל *Abel*, quæ fœminei generis eſt.

In tranſlationibus genus ſeruatur linguæ originalis.

Neque ſecunda ratio admodùm vrget: nam licèt viuum, ac naturale ſaxum moueri non ſoleat, ſicut illud, quod exciſum eſt; tamen ab agricolis moueri ſolet, vbi eſt in agro opimo, & pingui, & in media valle, qualem ex v. 13. conſtat illã fuiſſe, in qua ſegetes metebant Bethſamitæ. Quòd ſi verum eſt, quod ex Hebræorum ſententia putabat Hieronymus, Abrahã in illo ſaxo ſacrificaſſe, quod ex hoc loco nõ parùm accipit firmamenti, non eſt vulgaris ratio, cur dicatur lapis ille ad

illum

ilium vsque diem perseueraſſe, cùm ex eo viri pij propter tanti Patriarchæ memoriam, aliquam partem ad ſuarum ædium ædificationem excidere potuerint, imò & fortaſſe debuerint.

49. Quærit hic Abulenſis, q. 13. & 14. quid factum de capſella fuerit, quæ aurea claudebat illa Palæſtinorum ſiue anathemata, ſiue vota; ac tandem definit, aut in vaſa ſacra ad Tabernaculi miniſterium fuiſſe conuerſa, aut certè ibi ad tanti caſus æternam memoriam eſſe reſeruata. Sicut poſteà gladius Goliath, & Holophernis conopæum, tanquam diuinæ virtutis monumentum ſeruata ſunt. Vt enim Gentes vota ſuſpendunt ad deorum altaria, quibus illorum ſiue potentiam, ſiue benignitatem profitentur; ſic certè non eſt improbabile, in Tabernaculo primùm, deinde in Templo à Salomone conſtructo multa fuiſſe vota, multa à multis ſuſpenſa donaria, aut certè diuinæ iuſtitiæ teſtimonia. Sic Numer. 21. ſeruatus eſt æneus ſerpens, qui prædicaret ab ignitis ſerpentibus peccatores fuiſſe percuſſos, qui vſque ad Ezechiæ tempora ſeruatus abſque dubio in Tabernaculo priùs; deinde in Templo, cùm aliquid eſſet ſacrum, & formatum à Moyſe. Et Numer. 16. ſeruata ſunt in Tabernaculo thuribula eorum, quorum Dominus rebelles, ac peruicaces animos morte puniuit; vt diuinæ vindictæ æternum extaret monumentum. Quæ eo conſilio ſeruata ſunt in Tabernaculo, licèt in laminas producta, vt dicitur ibidem, v.40. *Vt haberent poſteà filij Iſrael, quibus cõmonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio eius.* Ad hunc modum arbitror in capſella ſeruata illa anorum, muriúmque ſimulacra, quæ diuinæ potentiæ, & conculcatæ religionis renouarent memoriam; aut certè in laminas producta, ſicut thuribula, de quibus proximè, in quibus aliquod eſſet ſignum impreſſum, quod ex aureis ſimulacris factas eſſe doceret. Quomodò tam in Salomonis, quàm in Gentilium templis ſolita eſſent vota, aut ſigna proponi, quæ depulſum malum, aut illatum oſtenderent, diximus in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam ad cap. 38. in principio Cantici Ezechiæ.

Diuinæ virtutis, atque iuſtitiæ monumenta in Templo ſeruata.

50. Verſ. 19. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent arcam Domini.*] Quærunt hîc Interpretes, cur tanta, ac tam dira clades in Bethſamitarum finibus acciderit? neque vulgaris videtur fuiſſe cauſa, quæ tot hominum millia tam breui, támque inopinatò concidit. Variæ à variis adducuntur cauſæ: quidam dicunt, ideò viros illos periiſſe; quia Arcam Dei nudam conſpexere; quod putat Abulenſis, q. 26. & alij plures, Lyra, Hugo, Dionyſius; & ex recentioribus Caietanus, & Serarius. Id verò Numer. cap. 4. ſeuerè præceptum eſt à Deo, & v. 15. & 19. propoſita capitali pœna prohibitum, ne quis tangat ſanctuarij vaſa. Et v. 20. eadem capitis proponitur pœna illis, qui Tabernaculi inſtrumenta conſpexerint non inuoluta. *Alij nulla curioſitate videant, quæ ſunt in ſanctuario, priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.* Placet mihi Abulenſis ſententia; & addo Arcam à Philiſtæis miſſam eſſe tectam eodem prorſus modo, quo ab Iſraelitis fuerat in aciem educta; neque ideò occiſos eſſe Bethſamitas, quòd Arcam vidiſſent inuolutam; alioqui periiſſent omnes, qui in caſtris fuerunt Iſrael; quia omnes, vt apparet, illam coopertam aſpexerunt; & in deſerto cùm morerentur caſtra, haud dubiè illam infinita peregrinantium millia conſpexere. Fuit ergo peccatum, quod Deus non leuiùs, quàm ſupplicio puniuit capitali; quia curioſiùs, quàm patria religio permittebat, detracto integumento nudam aſpexerunt Arcam. Et hoc propriè ſignificat videre Arcam Domini: neque enim illa videre dicimur, niſi admodùm impropriè, quæ velata noſtris obiiciuntur oculis. Quis vnquam didit ſe vidiſſe imaginem obtento velo, aut faciem laruatam, aut quam flammeum in nuptialibus ſacris celat, & obnubit?

Arcam nudam videre non licebat.

51. Alij grauius aliquod peccatum agnoſcunt; nempe non ſolùm Arcæ detractum inuolucrum; ſed etiam Arcam reſeratã, & quid in ea clauſum lateret, curioſiùs fuiſſe inueſtigatum. Ita Rab. Dauid, cuius ſententiã Emmanuel Sa, & Ioannes Mariana non improbant; idque indicari putant ab Hebraico textu, qui non tam exterius aliquid, quàm interius oſtendit. Ad verbum ſic habent Hebræa, *Eò quod aſpexerant in arcã Domini.* Tigurina: *Quod introſpexiſſent in arcam Domini.* Pagninus: *Quia aſpexerant quæ erant in arca Domini.* Et hoc videtur mihi non improbabile, non quidem propter textum Hebraicum, cuius verba non cogunt, vt aliquid ibi intelligamus interius, & in Arca concluſum; ſed quia veriſimile eſt, id feciſſe viros Bethſamitas, & quia hoc peccatum non mitiori pœna videbatur eſſe puniendum, & quia cauſæ non deerant, quæ curioſos animos ad reſignandam Arcam excitare poſſent. Primùm, quia nulla videbatur poſteà futura facultas, ſicut neque antè fuerat, ſpectandi Arcam, & tabulas legis, quas Dominus ſuo tetigerat, & conſignarat digito. Illud autem, quod latebat intùs, dignum videbatur, quod homines cum magno etiam rerum diſpendio ſpectandum curarent. Deinde, quia cùm diu apud Palæſtinos exulaſſet Arca, timere non immeritò poterant, ne ab illis, qui à Iudæorum religione & ſacris longè erant alieni, aliquid eſſet ab Arca ſublatum, ſeu additum aliquid, quod minùs Arcæ ſanctitatem deceret. Sicut viderant in capſella aureos anos, & mures fuiſſe concluſos, qui cùm natura ſua aliquid eſſet ſordidum, & vile, ignominiæ, atque ludibrij cauſa formatos, & adhibitos Arcæ ſuſpicari poſſent. Hoc igitur ſtudium, quod plus curioſæ intemperantiæ, quàm pietatis habuit, Dominus tam ſeueri ſupplicij acerbitate mulctauit. Aliæ ab aliis afferuntur cauſæ, quas conſultò prætereo; quatuor adducit Lyra, quas Abulenſis optimè confutat.

Arca videtur à Bethſamitis reſerata.

52. De numero etiam illorum, quos Arcæ conſpectus interemit, variè Interpretes cogitant. Quidam exiſtimant non plures Septuaginta eo rerum articulo periiſſe: quòd verò hominum deinde quinquaginta millia interfecta traduntur, variis modis aut ſaluant, aut eludunt. Alij dicunt, occiſos fuiſſe ſeptuaginta, qui tamen ſic erant robore, & ingenio præſtantes, vt pro quinquaginta hominum millibus cenſeri potuerint. Ita Hebræi, vt refert Hieronymus in tradit. Hebraicis, & Lyra; quibus nonnihil fauet textus Hebraicus, qui ſic ad verbũ habet: *Et percuſſit in populo ſeptuaginta viros, quinquaginta mille viros.* Quaſi dicat, illos inſtar habere quinquaginta millium: quomodò de Dauide dicitur lib. 2. Reg. cap. 18. *Tu vnus pro decem millibus computaris.*

53. Alij quinquaginta millia hominum fuiſſe putant in eo populorum concurſu, qui ad Arcæ inopinatum appulſum conuenerunt, & ex eo numero

mero septuaginta tantùm periisse: ita vt sit sensus, de populo, qui quinquaginta mille habebat hominum capita, septuaginta à Domino percussi ceciderunt. Cui explicationi non parùm suffragatur textus Hebraicus, qui, vbi noster legit: *Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis*: ipse habet: *Et percussit de populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum.* Vbi copulatiua coniunctio non est, quæ duos illos numeros adiungat; neque est in fine *plebis*. Hanc explicationem apud certum aliquem authorem non inuenio; tacito tamen nomine ab aliis citari video, vt à Mariana, Serario, & Emanuele Sa; qui ad hanc explicationem difficilis non est.

54. Ego, quid in hac controuersia mihi magis videatur verisimile, breuiter expedio. Et primùm dico, mihi valde videri verisimile, ex ea multitudine, quæ ad quinquaginta hominum millia peruenit, occisos esse duntaxat septuaginta. Quod dixit apertè Iosephus lib.6. cap.11. tenet Lyra, & doctores Hebræi, & omnium acerrimè tuetur, & probat Abulensis, q. 27. Quod vt credam, multa, eáque non vulgaria firmamenta faciunt. Primum, quia hæc accidisse videntur eo die, quo ad Bethsamitarum fines plaustrum appulit; neque tunc alij præter Bethsamitas conuenisse dicuntur; certè ex illorum numero interiisse dicuntur, quotquot ad aspectum Arcæ perierunt. Quis autem credat ex oppido non admodùm copioso quinquaginta hominum millia oppetiisse mortem, & plurimos alios esse relictos, qui contribulium suorum funera lugerent? Deinde, quia, vt magis iudicabamus esse probabile, dirum illud supplicium ideò inflictum fuit Bethsamitis, quia nimis curiosè reserata Arca videre studuerunt, quæ latebant intùs. Et cùm illis, quibus videre contigit, repentinus aduenerit interitus (vt nemo, sicut opinor, dubitabit; quod probat mors Ozæ subita, cùm minùs grauis intercessisset culpa) sanè nimis alij forent aut stupidi, aut vitæ non amantes, qui cùm viderent alios cecidisse repentè, neque mortis causam ignorarent, auderent tamen propiùs accedere, & ab irato Deo dirum illud infortunium subire. Neque parum est, si vrgente diuina vindicta, & tam durum, ac velox supplicium repetente, septuaginta ex quantocumque numero accedere ausi fuerint ad reseratam Arcam, & quid conclusum esset intùs, aspicere.

55. Iuxta hanc sententiam ordinari litera sic poterit: *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia aderant*; facilè autem hoc verbum suppleri solet. Seu certè hoc modo: *Percussit de populo quinquaginta millium virorum*: seu *in quo erant viri quinquaginta mille, viros septuaginta*: ita vt illud *quinquaginta millia*, ab illo *de populo* dependeat, & in secundo casu collocetur. Ligari verò particulam aliquam cum remotiori, apud Hebræos nō est inusitatum, aut infrequens. Tradidit hanc regulam Pagninus, lib.4. Institut. cap.16. quam multis confirmat exemplis, quorum nos hîc aliqua producemus. Psal.138. v.14.

REGVLA. *Vsitatum est apud Hebræos particulam, cum remotiori ligari.* Psal. 138.

A *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Illud *nimis* ligandum esse dicit cum *opera tua*, nō cum verbo *cognoscet*; in hunc sensum: *Mirabilia opera tua nimis.* Et Psal.118. v.8. *Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas, vsquequaque.* Illud *vsquequaque*, quod idem est quod *valdè*, seu *omnino*, cum *custodiam* ligatur. Et iterùm Psal.98. v.7. *Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Hoc postremum cum Moyse, atque Aarone ligatur, non cum Samuele, quia ille Sacerdos non fuit. Sic ergo hîc illud *de populo*, cum quinquaginta virorum millibus coniungo, non cum septuaginta. Putóque numerum hunc quinquaginta millium, non esse

B illorum, qui metebant triticeam messem, aut qui ex vrbe videndæ Arcæ studio fuerant egressi; sed illorum, qui vrbem incolebant, quæ tot incolarum capita numerabat. Neque enim verisimile est, tam breui ingentem illum numerum conuenisse, aut ciuitatem omninò nudatam esse ciuibus. In quam sententiam, & explicationem inclinant Mariana, & Emanuel Sà, licet communem aliam amplectantur. Abulensis textū hunc corruptum esse putat, quasi ab eo aliquid detractum sit, aut additum interuersum; ego integrum puto, & in hanc explicationem, & sensum non inuitum venire.

Pſal.118. Pſal. 98.

56. Sed quando alij frequentes in aliam sententiā

C feruntur, illam nos etiam amplectamur; plurimum enim roboris ex multorum, eorúmque sapientium sensu, atque authoritate sumit quæuis opinio, quæ se vel hoc solo fundamento ab omni reprehensione, atque calumnia tuetur. Tunc autem sensus est, quem adducit Caietanus, septuaginta viros supra quinquaginta mille interiisse. Est autem apud Hebræos familiare, vt in computando minor plerumque numerus antecedat.

57. *Luxitque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.*] Post cædem illam adhuc supererat populus, vnde nonnulla coniectura sumitur, non esse tantam multitudinem interfectā,

D quanta reperiri vix queat in ciuitate magis, quàm Bethsames, copiosa. Neque exigua fuit plaga, quæ populo, quantumuis frequenti, septuaginta viros, eósque, vt est verisimile, præcipuos ademit. Sed, vt dixi, communem sententiā libentiùs amplector.

58. Vers.20. *Et dixerunt viri Bethsamitæ, quis poterit stare in conspectu Domini?*] Deterriti Bethsamitæ graui illa, atque inopinata plaga, & veriti, ne diuina manus grauiùs in reliquos, qui è cæde supererant, sæuiret, statuerunt ab se quamprimùm ablegare. Quare mittunt ad vicinam ciuitatem, quæ, vtpotè lautior, atque frequentior, honestiùs apud se retinere poterat, vt quamprimùm diuinitùs restitutum donum ad se transmittant.

E Quantum porrò temporis Arca Dei apud Bethsamitas commorata fuerit, non constat; non diu tamen in illorum hæsisse finibus verisimile est. Quia neque viri Cariathiarim se præbuere difficiles, neque ipsi admodùm videbantur cupidi illam apud se diutiùs retinendi.

IN CAP. VII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM iam annis viginti in Cariathiarim insedisset Arca, Samuel, qui iam grandior Israeli præerat, edixit toti populo, vt ad Deum, à quo illorum plurimi ad idolorum insaniam abducti fuerant, Deum verum, verè & ex animo colerent, & si qua apud ipsos inuenirentur Gentilium Deorum simulacra, ea statim abiicerent. Quod illi præstiterunt non illibenter, & conuenienter simul in Masphath, id egerunt hortante Samuele, vt Deum sibi ieiunio peccatorúmque confessione placarent. Interea Palæstini arma comparant contra Israëlem, qui non tam ad pugnandum, quàm ad lugendum, orandúmque conuenerant, quo subito Palæstinorum consilio territi, suam, populique salutem Samuelis precibus commendant; quo orante, & pro secundo populi successu sacrificante, adfuit Deus, & subita coorta tempestate, tonante, ac fulgurante cælo, perterriti hostes tum in ipso certamine, tum in fuga, quam ad Lapidem vsque adiutorij produxerunt, ingenti clade perierunt. Qui deinde Samuele regnante instaurare bellum, neque conati, neque ausi sunt. Quibus ereptæ sunt ciuitates, quas ex Israelitide regione sustulerant, & si quod Philisthini Hebræis imposuerunt iugum, illud Samuel ex suorum ceruicibus excussit. Cùm autem otium nactus esset à bellis, liberè obibat commissos sibi populos, eorúmque causas, & iudicia tractabat.

CAPVT SEPTIMVM.

1. VEnerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcã Domini, & intulerunt eã in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini.

2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israel post Dominum.

3. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominũ, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.

4. Abstulerunt ergo filij Israel Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli.

5. Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israel in Masphath, vt orem pro vobis Dominum.

6. Et conuenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Israel in Masphath.

7. Et audierunt Philisthiim quòd congregati essent filij Israel in Masphath, & ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Israel. Quod cùm audissent filij Israel, timuerunt à facie Philisthinorum.

8. Dixerúntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deũ nostrum, vt salues nos de manu Philisthinorum.

9. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudiuit eum Dominus.

10. Factum est autem, cùm Samuel offerret holocaustũ, Philisthiim inîere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel.

11. Egressíque viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum qui erat subter Bethchar.

12. Tulit autem Samuel lapidem vnũ, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixítque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.

13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltrà vt venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis.

14. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: iberauítque Israel de manu Philisthinorum, erátque pax inter Israel & Amorrhæum.

Iudica

15. Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ:

16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Maspha, & iudicabat Israelem in supradictis locis.

17. Reuertebatúrque in Ramatha: ibi enim erat domus eius,& ibi iudicabat Israelem : ædificauit etiam ibi altare Domino.

IN CAP. VII. LIB. I. REGVM, COMMENTARII.

Vers. 1 *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam.*]

1. MIRVM,si ciues Cariathiarim gnari tantam illam multitudinem, quam communis sententia probat, esse sublatam, reducere ad se voluerint restitutam Arcam; ex quo ad priorem cogitationem nonnihil accedebat momenti. Venerant tamen, quia sibi honori esse putabant, eximium illud donum apud se habere; & quia aliorum edocti periculo euitare se posse existimabant, quod Bethsamitæ infortunium subierunt.

2. *Et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa.*] Erat in ea ciuitate è Leuitico genere, vt inquit Iosephus;de quo nos infrà lib.2.c.6.vir opinione religionis, atque iustitiæ celeber, qui domũ habuit in Gabaa, ad quam, tanquam ad opportunum, & religiosum hospitium, Arcam transtulerunt ciues Cariathiarim.Porrò Gabaa non est ciuitatis nomen, vt putauit Lyra; sed loci editi, aut collis in ea ciuitate. Gabaa enim Hebraicè גבעה, collẽ significat,vnde ciuitas quædam nomẽ accepit, quæ in sublimi loco ædificata fuit in Tribu Beniamin, vbi natus Saul. Hîc tamen locum significat, qui in ciuitate magis erat sublimis, atque munitus, quique magis videbatur dignus, qui Arcæ Dei religiosum, & tutum præberet hospitium. Sicut Dauid, cùm eandem Arcam transmisit Hierosolymam, arcem elegit Sion, quæ ciuitas appellatur Dauid, locũ nimirùm maximè in ea ciuitate sublimem, quò vis hostilis aspirare non possit. Quod non obscurè constat ex lib. 1. Paralip. cap .13. v. 6. vbi quæ hîc *Gabaa* dicitur,*collis* appellatur, *Ascendit Dauid; & omnis vir Israel ad collem Cariathiarim*, &c. *vt afferret inde arcã Domini de domo Abinadab.*

3. *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam.*] Sanctificare idem est, quod destinare, vt diximus in nostris Commentariis super Ieremiam ad illud cap. 1. *Antequàm exires de vulua, sanctificaui te.* Est autem destinatus Eleazarus ille, vt curam haberet sedulam dati sibi negotij, ne quid illi indecori accideret, vel aduersi. Sacerdotẽ summum fuisse non puto; quia nõ videtur ortus de familia Heli,à qua sacerdotium summum ablatum non fuit ad tempus vsque Salomonis, qui repudiato Abiathar, Sadoc ad tanti nominis titulum asciuit.

4. Vers. 2. *Erat quippe iam annus vigesimus.*] Viginti iam erant anni, neque Arca Domini egressa erat de Cariathiarim, de loco nimirùm Palæstinis vicino, & de extremis finibus Israel; quò commodè ex aliis Tribubus pietatis ergo accedere non poterant Hebræi. Quomodò verò, & quo tempore ad alia loca fuerit translata,suis dicemus locis;nunc enim importuna esset, & præpropera tractatio. Illud tantùm dico, aliquando inde ad Hebræorũ castra adductam esse Arcam, sicut accidit, quando capta fuit à Philisthæis, vt constat 1. Reg. cap. 14. v. 18. vbi Arca dicitur fuisse in castris Saul, sed inde ad domum Abinadab esse relatam: vnde post multos annos aliò translata fuit à Dauid, vt habes lib. 1. Paralip. cap.13. & lib.2. Reg. cap.6.

Arca aliquando educta ex Tabernaculo.

Et requieuit omnis domus Israel post Dominum.] 5. Nil aliud est,opinor, quàm domum Israel, quæ lubrico vacillabat vestigio, quæ modò in hanc, modò in illam religionem incerta ferebatur,tandem mutato animo, & meliori iam studio, vnum elegisse Deum, cuius adhæreret auspiciis, & mandata compleret.Illud autem est requiescere post Deum, & in eius obsequio gradum figere stabilẽ, & certum. Vnde autẽ illa tanta, támque opportuna mutatio contigerit, statim declarat.

Vers. 3. *Ait autem Samuel ad vniuersam domum* 6. *Israel, dicens: Auferte deos alienos,* &c.] Rationem reddit, cur populus ab impietate, & idololatria, ad quam antè defluxerat, reuocatus aũtam religionem rursus amauerit, coluerítque: quia nempe Samuel, cuius erat apud omnes singularis authoritas propter morum probitatem, & Prophetiæ donum, cuius non semel documenta dederat, suis exhortationibus seu publicis ad hominum cœtus, seu priuatis ad singulos perfecit, vt puderet illos superioris vitæ, & de meliore fruge cogitarent. Quod præstare cæpit,non quidem anno vicesimo, de quo nunc; sed toto tempore, quo sublato Heli, illius loco suffectus est, non vt Sacerdos esset, sed Iudex, qui rem curaret, & tueretur publicam. Ita Abulensis, q. 24. & Lyra, Caietanus. Anno verò vigesimo illam habuit orationem ad populum, de qua mox; qua id agit, vt abiiciant prorsus Israelitæ quicquid reliquiarum ex impia, atque aliena religione supererat. Quam orationem antequàm explicare aggredior, operæ pretium est,explorare,quo tempore, aut qua ætate Reipublicæ clauum Samuel tenere cæperit. Quod quidem hîc leuiter, accuratiùs tamen, cùm ventum erit ad illud,cap. 13. *Filius vnius anni erat Saul.*

Qua in re varias video inter authores fuisse 7. sententias. Quidã constitutum esse Iudicem putant anno ætatis suæ quadragesimo. Ita Augustinus Tornielus ad annum mundi 2940. n. 1. Alij aliter putant. Canus lib.11. de locis cap. 5. Genebrardus in Chronic.quod Serario nostro placuit,iniisse principatum post viginti illos annos, atque ideò grandior iam erat,& supra adolescentiæ annos, quando Iudex esse cæpit in Israel. Placet, quod nobis visum est in nostris Commentariis super Acta ad illud cap. 13. *Dedit eis Saul filium Cis virũ de Tribu Beniamin annis quadraginta*: Vbi diximus, illum cùm adhuc esset adolescens, obtinuisse principatum. Quod tenet Abulensis in cap. hoc 7. q. 23. Dionysius in cap. 13. lib.1. Reg. Et hoc mihi omninò videtur esse dicẽdũ;quod nõ obscurè ipse docet Samuel infrà cap.12.vbi ab adolescẽtia tenuisse aut dicit,aut indicat,locũ illũ,aut gradũ,quẽ tunc habebat,quando à se magistratũ illum abdicauit. *Itaque conuersatus corã vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diẽ, ecce præsto sum. Loquimini de me corã Domino,& corũ*

Samuel quo anno iudicare cæpit.

Christo eius; vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquẽ, si de manu alicuius munus accepi, &c. Hæc omnia, quæ in sua vita ab adolescentia explorari iubet Samuel, illius sunt peccata propria, qui cum potestate est: quare cùm in suam adolescentiam de eiusmodi rebus inquiri iubet, planè docet Samuel, ab adolescentia se Israelitici imperij tenuisse clauum.

8. Cùm ergo viginti annis, ex quo vita functus est Heli, constitutus iam populi Iudex Samuel cũ populo egisset, vt mores deponerent, qui superiorum Iudicum incuria, & nimia Sacerdotũ siue intemperantia, siue conniuentia sensim inoleuerant, illud sic est assiduitate, & studio consecutus, vt dici potuerit populus requieuisse post Dominum, quo sensu à nobis explicatũ est. Cùm tamen adhuc ex eo, quod popularium animis ex veteri contagione altiùs insederat, superesset exurendum; neque tutum putaret vir sanctissimus renouare bellum, si aliquid esset intùs, quod magis debilitaret vires, quàm hostilis furor, admonet, vt nihil secum residere patiantur, quod impietatem oleat antiquam; sed abiiciant idola, & vnum Deum, quem ipsorum coluerunt parentes, venerentur, quo patrono, atque auspice, nihil timeri potest aduersum.

9. Hic tu pro moribus obserua, plus esse à nobis ipsis cauendum, quàm ab hostium copiis, quantumcúmque ad omne oppugnationis genus potenter instructis; atque ideò magistratus male saluti consuluisse publicæ, si contra externum hostem machinas comparent, & militem vndecumque conscribant, nisi priùs cruentum bellũ peccatis; id est, domesticis hostibus, & omnem munitionem sensim corrumpentibus indixerint. Viginti annos Dux optimus, & Imperator Samuel in corrigendis subditorum moribus impendit; neque segniùs cum illis toto hoc tempore, quàm cum Palæstinis vno, aut altero die dimicauit; neque dubitauit de victoria, cùm à suorum finibus inteſtinos illos hostes excessisse cognouit. Atque ideò dicit audacter.

10. *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominũ, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth*, &c. *& eruet vos de manu Philisthiim.*] Litera obscura non est. Conuerti ad Deũ toto corde, vt satis explicant, quæ proximè succedunt, est, sic ad vnum aspirare, vt nihil ex corde, nihil ex animo alienæ religionis sordibus adhæreat; sed vnum Deum nostræ spectent cogitationes, atque consilia. Baalim, aut commune est nomen Gentilium deorũ, aut quia Baal deorum erat præcipuus, & maximus, cuius vicini populi sacra cõplexi sunt, in illo dij alij inferiores intelliguntur. Sed sanè ista coniunctio Baalim, & Astaroth, quæ aliis locis etiam inueniuntur coniuncta, aliquid significat occultiùs latere; maximè cùm in numero inueniatur plurali. Vt Iudic. cap. 2. v. 13. cap. 3. v. 7. cap. 10. v. 6. & infrà 12. v. 10. Quare illud, quicquid est, eruere tentemus.

11. Baal quis. Vox ista *Baal*, vt pluribus ostendimus in cap. 2. Oseæ ad illud: *Et non vocabit vltra Baali*; aliquid significat eximium, & excellens, nempe *Dominũ*; quo nomine Gẽtiles deos suos appellabant & vxores viros suos obseruantiæ, atque amoris ergò. Quare si hoc nomen idolorum monstris, & fædis dæmonum simulacris non esse impositũ à Gentibus, ad Deum etiam verũ accommodari posset, quem in eundem sensum אדוני *Adonai*; id est, *Dominũ meũ* appellamus. Verùm sicut δαίμων, *dæmon*, vox est honestissima, quam, si non diabolo foret quasi propria nota familiariter imposita, in beatos spiritus, & Sanctos omnes aptare possemus; quia non valet aliud, nisi *fortunatum*, & *felix*; nihilominùs vocẽ illam, propterea quòd rei turpissimæ penè solùm, certè familiariter adhæret, abominamur omnes, & horremus. Sic etiã, quia *Baal* honoris gratia mutis simulacris adhibuere Gentiles, à Deo vero remouent viri pij, ne quid Deus verus cum diis falsis, vanísque Gentilium videatur habere commune.

12. *Baal cõmune nomen.* Porrò hoc nomen generale est, & vsque adeò patet, vt non solùm masculis diis, quos finxit antiquitas; sed etiam deabus accommodetur. Sanè Theodoretus generale putat esse nomen. Septuaginta quidem nomini *Baal* articulum plerumque præponunt fœmineum, vt Ieremiæ cap. 2. bis: & cap. 7. Imò & apud Paulum, cap. 11. v. 4. Sed puto *Baal* generatim vsurpari pro diis masculis; *Astaroth* autẽ pro fœmellis à præcipua aliqua dea, quæ Venus esse creditur, quam à Sidoniis acceperunt Hebræi; de qua 3. Reg. cap. 11. Syros autem, & Palæstinos coluisse deas iam suprà docuimus, dum Dagonem formam diximus habuisse fœmineam. Et quidem Ouidius lib. 4. Fastor. Palæstinas vocat deas, non Deos.

Astaroth quid.

Sæpè Palæstinas iurat adesse deas.

Est præterea *Astaroth* in plurali numero forma fœminea, sicut Baalim masculina forma. Quare admonere videtur hoc loco Samuel illos, qui in populo nondũ abiecerant Gentilicæ superstitionis studium, vt deos deásque omnes, & eorum phylacteria procul abiiciant, & animos assumant prorsus Israeliticos; hoc est, Israele progenitore dignos, & vni Deo omninò consecratos.

13. Vers. 5. *Congregate vniuersũ Israel in Masphath, vt orem pro vobis Dominum.*] Quia orasse dicitur Samuel in Masphath, existimant Lyra, Angelomus, & author tradit. Hebraic. in ciuitatem illã Arcam esse translatam, & inde in Galgala, inde in Nobe, inde in Gabaam; posteà à Dauide in domum Obed Edom. Quorum sententiam optimè confutat Abulensis, q. 10. Quia Dauid, vt satis liquet ex lib. 2. Reg. cap. 6. & lib. 1. Paralip. cap. 13. Arcam transtulit ad domum Obed Edom ex Cariathiarim ex domo Abinadab. Neque clariùs quisquam id significare potuit. Audi nunc verba ex lib. 1. Paralip. *Congregauit ergo Dauid cunctum Israel à Sihor Ægypti vsque dum ingrediaris Emath, vt adducerent arcam Dei de Cariathiarim. Et ascendit Dauid, & omnis vir Israel ad collem Cariathiarim*, &c. *Imposuerúntque arcam Dei super plaustrum nouum de domo Abinadab.*

14. Aduocauit autem populum in Masphath, quia locus erat opportunus magis, in quem populus latè dispersus posset conuenire commodiùs. Vocauit autem, vt pro illis & cũ illis simul oraret. Quomodò autem orare, & sacrificare potuerit Samuel, cùm Sacerdos non esset, diximus pluribus cap. 2. v. 35. ad illud: *Suscitabo mihi sacerdotẽ fidelẽ*. Neque habeo aliquid amplius, quod adiiciã. Fuit autem illa oratio pro pœnitentibus, & vt dixi, cum pœnitentibus; neque enim tantùm orat Propheta, sed etiam alios aut orare docet, aut orando præit, aut etiam orantes comitatur. Quæ enim sequuntur, opera sunt, & verba pœnitentis populi.

15. Vers. 6. *Et conuenerunt in Masphath, hauserúntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.*] Qui priùs diuinæ legis immemores, alienam coluerant, suą consilia condemnant, sibíque à Deo

pacem

pacem, & veniam petunt. Quare ad orationem dolentem, & supplicem, alia adhibent orationis subsidia, quæ offensum Deum ad lenitatem, & misericordiam inflectant. Quale est ieiunium, quod alimenta subtrahit & corpus sublatis etiam necessariis attenuat. De aqua hausta, illáque in Domini conspectu effusa, varia meditantur Interpretes: neque mirum, cùm hoc tantùm loco audiamus in dolore, ac luctu de peccatorum grauitate concepto effusam esse aquam. Quid Hebræi antiqui existimauerint, docet Hieronymus in traditionibus Hebraicis; quæ hîc libet adducere, licèt longè abesse putem à vero, atque germano sensu. Sic autem ibi Hieronymus, aut quicunque est, qui opus illud concinnauit: *Hebræi tradunt, quòd coram Domino in eandem aquam maledicta congesta sint. Et sicut in lege mulier, Zelotypa hausta aqua, probatur, ita & hîc idololatræ hac aqua probati sunt: hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt enim, quòd quicunque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra separare posset. Hoc indicio idololatra deprehendebatur, & interficiebatur. Quod & sequentia demonstrant in eo, quod ait: Iudicauitque Samuel filios Israel in Maspha. Iudicare in hoc loco idololatras secundùm legem, morti tradere intelligendum est. Dicunt etiam, quòd Moyses hoc modo idololatras, qui sibi vitulum fecerant, probauerit, quando arripuit vitulum, & combussit, & contritum vsque ad puluerem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* Hæc Hebræi, qui sæpe sua commenta nobis pro oraculis venditant; ego in alia omnia libentiùs abeo. Hoc probat Rupertus, & Historia Scholastica docet quibusdam visum esse, quos tamen non nominat, quoddam Idolum redactũ esse in puluerem à Samuele, & mixtum aqua propinatum populo, sicut quondã fecit Moyses, & in illorum barbis esse cognitum, quis esset idololatra. Quod etiam tenet Hugo. Sed planè diuinant, qui ita cogitant.

Aqua cur à Samuele effusa in sacrificiis.

De vitulo aureo quid Hebræi.

16. Alij hanc aquam metaphoricam putant, & pro lacrymis sumunt, quæ compunctum produnt & pœnitentem animum. Ita quidam ex Hebræis; lacrymæ autem aqua sunt, quæ ex liquefacto corde, & in hunc humorem resoluto hauriuntur, & effunduntur foras. Sumitur autem metaphora à fontis scatebris, quæ in terræ visceribus conceptæ, per venas tandem in omnium erumpunt aspectum. Id spectasse videtur Ieremias, cap. 9. v. 1. vbi fontem optat, vnde lacrymas hauriat. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Fontem statuit in capite, vnde ad oculos lacrymas deriuet, quæ pòst in terram defluant. Cum Hebræis sentit quoque Gregorius; cuius hîc verba lubens adiiciam. *Quid est*, inquit, *aquam haurire, nisi de profunda animæ pœnitentis confusione lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum quàm profunda iniquitate cecidimus considerantes plangimus. Quã profectò aquam in conspectu Domini effundimus, si cum pœnitendo compungimur, de eiusdẽ compunctionis fletu non quærimus fauorẽ sæculi, sed solum fructum diuinæ placationis. Sed & dũ mens flendo compungitur, necesse est, vt etiã caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur.*

Lacryma quale sacrificium.

17. Alij aquam propriè sumunt, sed variè interpretãtur; nempe vt eluant sordes, quas, dũ pœnitentium speciẽ, & personam assumunt, contraxerunt. Nã lugentes, & tristes omnium penè Gentiũ consuetudine in squallore iacent, in puluere cubant, cineré aspergunt capiti, omnẽ denique mũditiã, & elegantiam euitant. Vt hæc igitur, quæ ex hoc vitæ modo pœnitentiũ adhæsere corporibus, eluant, aquam hauriunt, & illã cum sordibus simul, quas deterserunt, in conspectũ Domini effundunt. Ita ex authore non bono dicit Serarius; quod neque ipse probat, neque alicui viro cordato probari potest. Hoc tamen tempore, in quo Hæretici horrent, & exagitant Confessionis, & Pœnitentiæ nomen, habemus ab Hæretico (talis est enim illius sententiæ author) optimum Confessionis, atque sacramentalis Pœnitentiæ symbolum. Illa enim eluit animæ sordes, & ita in conspectum Domini effundit, vt animã illuuie priùs deformen, & fœdam, mundet, atque purificet. Facit enim Pœnitentiæ sacramentũ, quod aqua quædam est expiatoria, quod baptismalis aqua, quæ, quas inuenit in anima sordes, detergit, & quod reperit contaminatum, emaculat.

Pœnitentiæ sacramenti, seu confessionis vis, & quale sacrificium.

18. Alij hanc aquam effusam corã Domino symbolũ esse putant eorum, quæ in animis occultè fiunt, cùm quis operam dat animæ expiandæ, aut ad grande aliquod diuinæ liberalitatis beneficiũ disponendæ; qualis est Oratio, quæ si vera est, totam coram Deo animam effundit. Sicut cap. 1. dixit Anna, quam cùm ex orandi contentione Heli Sacerdos temulentã putasset, ipsa respondit; non illa signa esse à temulenta; sed quòd animam suam effudisset corã Deo. Porrò quid sit *animam effundere*, diximus eo loco. Aut certè eo symbolo significant sic fuisse ex animis peccata depulsa, sicut è vase aqua sic effunditur, vt nulla in eo gutta remaneat. Aut, vt Rab. Salomon citatus à Lyra, symbolum est animi, qui de se humiliter sentit, ac loquitur: quasi, effusa aqua coram Domino, dicant viri illi, quos anteactæ vitæ pœnitet, & pudet, se omninò, dum suis indulgent affectibus, effusæ aquæ similes extitisse. Vt enim effusa aqua perit, neque recuperari potest, vbi illam terra arida bibit; sic illi, qui se peccatores agnoscunt, doléntque, quòd quas acceperunt à Domino dotes, sic in terra defossæ fuerint, & abiectæ, sicut aqua effusa, quæ in lutum abiit, neque apparet vspiam.

Pœnitentiæ proprietas.

19. Glossa ordinaria aliquid hîc videt veræ pœnitentiæ proprium: quòd videlicet qui eo nomine digni sunt, illi sic omnem sibi peccandi facultatem præciderunt, vt ad errata vitæ liberioris omnem præcluserint aditum, omnes illecebras, omnia blandimenta sustulerint. Quemadmodum ille satis probat, se nihil velle haurire de poculo, qui quicquid erat liquoris in poculo, ad extremam vsque guttulam effundit.

Veræ pœnitentiæ symbolum.

20. Hæc sanè non abs re, & quod ad moralẽ sensum pertinet, egregia. Ego tamen addam aliquid, quod mihi si minùs ad ritus, consuetudinésque sacrificiorum; at certè ad mores non videtur alienũ. Et primum puto verum esse, quod q. 28. censet Abulensis, aquam in sacrificiis offerri non posse; quia nunquam illius in re sacrificali nomẽ auditum; nisi forte ad lauandas victimas, & Sacerdotum munditiem; & ideò mare æneum in Templo fuit, & prope Templum probatica piscina: sed aqua legitimè, quod ego viderim, nunquam oblata. Nisi fortè dicas, oblatam à Dauide aquam, quã viri fortes illius desiderio auidiùs, & audaciùs, quã ipse vellet, obsecuti hauserũt de cisterna Bethlehẽ. Illa enim oblatio, neque à Sacerdote fuit, neque legitima, vt fieri solet ad altare: sed qualis fieri solet à profanis, cùm propter

Dei obsequiũ aliquo se priuant commodo, quod appetebat animalis natura. Vt si quis propter Deum cohibeat manum ab hoste, quem ante pedes prostratum habet, contineat prurientem libidinem; ac tandem id à se prorsus depellat, & resecet, ad quod natura impetu ferebatur præcipiti. Qua de re nos plura suo loco.

21. Nihilominùs puto verè, ac propriè effusam esse coram Domino aquam; non quia sacrificium, aut libamentum fuerit; sed quòd actione illa externa, ac hieroglyphica aliquid significaretur, quod latebat in animo. Quid verò illud sit, non obscurè, vt opinor, docet, quod proximè sequitur; de quo statim. Quòd autem illa cæremonia in vsu fuerit Hebræis, qua significent nihil sibi fuisse reliquum in quolibet genere, mihi argumento est; tum quia id sonat hic locus, qui cùm optimè possit in significatione propria sumi, non est cur ad metaphoricos sensus torqueatur; tum deinde quia in Scriptura sacra sæpiùs videmus, cùm aliquid funditùs exinanitum ostenditur, per aquam effusam significari. Quod

22. *Effundi sicut aqua pro omninò.* igitur metaphorico verbo sæpè, quid mirum si idem hieroglyphico signo nonnunquam exprimatur? Id ergo iam nonnullis Scripturæ testimoniis in argumentis valdè inter se diuersis explicemus. Dicitur Deus iram suã effundere in aliquos; quando totam iram, quam in diuino pectore peccator condiderat, aut (vt cum Paulo loquar) thesaurizarat, euomit; ita vt totum expromat, quod latebat intùs; id dicitur effundi sicut aqua. Oseas cap. 5. *Super eos effundam, sicut aquam, iram meam.* Deuter 12. *Comedes absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram sicut aquã effundes.* Sic ab animali sanguinem exprimes, vt ne gutta quidem supersit in venis. Et idem cap. 15. Hinc Deus Psal. 21. cùm significare vult nihil fuisse sanguinis in corpore, quod pro hominum salute nõ expenderit: *Effusus sum sicut aqua.* Et Genes. 49. Iacob ad filium Ruben: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Id est, totum te in libidinem laxasti, ita vt nullam in te pudoris, aut temperantiæ particulam reliqueris: Meminit autem Scriptura tam hoc loco, quàm aliis, aquæ potiùs quàm liquoris alterius; quia alij, vt maximè cupias, studeásque, non ita effunduntur è vase, vt non in illo aliquid adhæreat; oleum puta, mel, vinum, quorum in vase manet saltem color, odor, sapor: at ex aqua sic purum manet vasculum, vt nemo iudicet in illo vnquam aquam fuisse conclusam.

23. Hac ergo similitudine, actionéque hieroglyphica docent hi viri, quos ad veram conuersionem Samuel, & vt vestigium hactenùs lubricum in vnius Dei religioue firment, hortatur; aiunt, tam à se proiiciendam impietatem antiquam, & deorum dearúmque omnium execrandam esse memoriam, vt non minùs excedant ab animo, quàm aqua, cum è vase, in quo conclusa fuerat, effunditur; cuius neque sapor manet vllus, neque odor, vsque adeò tota vanescit, & perit. Admirabile hoc symbolum est animi verè pœnitentis, qui nihil apud se retinere vult vitæ, cuius illum pœnitet, & pudet.

24. *Iudicauitque Samuel filios Israel in Maspath.*] *Iudicare* sub hoc Samuelis tempus idem est, quod moderari, ac regere; vnde qui ante hoc tempus rem administrarunt Israeliticam, vocati sunt Iudices. Ex eo tempore habuisse videtur stabile domicilium, & quasi imperij sedẽ in Maspath, cùm ante illud tempus aliis, atque aliis locis statuisset. Cùm enim nactus esset Rempublicam profligatam, & perditam, in qua tot videbat excitatas aras, quot apud Gentes, deorum, dearúmque nomina colebantur; neque illos, vtpotè in varia studia, religionésque distractos, ad locum vnum facilè posset conuocare, aut cogere, nisi priùs ad vnam religionem, & fidem conspirassent; necessarium illi fuit per varia loca subinde discurrere, & omnes officij proditi, & neglectæ religionis admonere. Quod vbi consecutus est in Maspath, vbi qui adhuc religioni adhæserant alienæ, Baalim, & Astaroth; id est, deos, deásque omnes sic abiecerunt, vt neque illorum odoris aliquid esset, aut saporis reliquũ; sicut neque aliquid aquæ manet in vasculo, ex quo effusa est: stabilem sibi constituit sedem in Maspath, vbi ius diceret, & rem moderaretur publicam.

Vers. 7. *Et audierunt Philisthiim, quod congregati essent filij Israel in Maspath.*] Ex quo tempore decessit Heli, satis habuerunt filij Israel, confirmare se ab illa plaga, quam acceperant à Philisthæis, quando capta est Arca. Neque fortasse Philisthæi, cùm iam essent in se ipsis, & in agris experti seueram Dei manum, ausi sunt iterùm aliquid contra Israelitas bellicum moliri. Quare ad hoc vsque tempus; id est, ad annum vigesimũ ab Arca restituta, ab vtraque parte siluerunt arma; quia satis habuerunt vtrique curare sua; neque tutum putabant, aut opportunum aliena turbare. Vbi verò vident in Maspath à summo præside haberi comitia, suspicati aliquid in suum caput ab aduersariis adornari, ipsi quoque parant arma, & delectus habent militares, ostentant metum, ac tandem in Israeliticos fines hostiliter irrumpunt. 25.

Vers. 9. *Tulit autem Samuel agnum lactentem vnũ, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.*] Expauit Israel iamdudum desuetus arma tractare, cùm hostiles acies in suos terminos inuectas videt: & quia Samuelẽ Deo multis indiciis gratũ esse cognouerant, in eius precibus spem victoriæ, & dubiæ fortunæ felicẽ exitum statuunt. Quare obsecrant, ne ab oratione cesset, & suam apud Deum causam tueatur. Quod ipse fecit diligenter iuxta aliorum vota, & ad preces sacrificij quoque illud genus adiecit, quod Deo ideò putabatur esse maximè gratum, quòd totum cederet in ipsius gloriam, nec ex eo sibi aliquid homo vendicaret, quod est holocaustum. Sumpsit igitur agnum tenerum, qui nondũ erat à lacte depulsus, totúmque Deo tradidit, & in eo etiam populũ, cuius ipse curam, atque tutelã Deo commendante susceperat. Non quæro hîc, quomodò, cum Samuel Sacerdos non fuerit, sacrificauerit; quia ea de re pluribus egimus cap. 2. ad illud: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* Quidam dicunt, sacrificasse quidem Samuelem, per Sacerdotem tamen, cuius erat sacrum illud ministeriũ. Quemadmodum Princeps id fecisse dicitur, quod vt alij facerent, ipse curauit. Sed necesse non est ad illam solutionem confugere, cùm aliquando etiam nõ sacerdotes vrgente aliquo grauiori casu sacrificauerint, vt eo loco diximus; sicut fecit Elias; & in Samuele granior apparet, & propria quædã ratio. Quod ad altare attinet, diximus cap. 6. ad illud v. 14. *Imposuerunt super ea holocaustum.* Hic credo altare raptim esse constructum, quia hostis vrgebat, neque satis tunc erat otij, vt excitaretur accuratiùs. 26.

Vers. 10.

27. Vers.10. *Factum est autem cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium.*] Cùm superiori plaga grauiter foret afflicta Palæstina, & ciuibus, qui tueri possent, & amplificare Rempublicam, orbata, externum sibi asciuerunt auxilium à vicinis populis, à Tyriis puta, & his, qui Tyriorum suberant imperio. Sic habes ex Eccli. cap. 46. vbi cùm sermo esset de hoc ipso tempore, profligati dicuntur cum Philisthæis Principes Tyri. *Intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam: & contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim.* Hi igitur omnes ea celeritate in Israelitarum fines irruperunt, & ad illum vsque locum progressi sunt, vbi princeps Samuel conuentus habuerat, vt priùs illatum viderint bellum Israelitæ, quàm comparatum audirent. Quare inermes erant, vtpotè quia magis religionis gratia, & aliis de rebus essent instituta comitia, quàm vt hostibus tunc bellum inferrent, aut illatum à patria propulsarent. Deus tamen, quocũ Samuel sacrificiis, precibusque certabat, totam illam belli molem repentè disiecit; & pro populo sibi iam abiectis idolis conciliato sic pugnauit è cælo, vt vno illo congressu plus amiserint honoris, & virium Palæstini, quàm multis anteà bellis cum hoste collatis.

28. *Deus pro suis pugnat.* *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel.*] Hæc eadem habes Eccl. cap. 46. quæ omnia optimè describit Iosephus lib. 6. Ant. cap. 2. *Priùs*, inquit, *quàm totam victimam flamma absumeret, nondum sacro peracto, hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans, interceptis Iudæis imparatis ad pugnam, & tantùm non inermibus, vt qui non in eum locum ad hoc conuenerant. At longè aliter accepti sunt, quàm crederent, etiamsi quis prædixisset. Primùm enim terra, iubente Deo, sub pedibus eorum intremuit, & vacillante vestigio nutabant, nonnulli etiam in improuisos hiatus prolabebantur: deinde fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulguribus oculos, ac manus semiustulati, vt ne arma quidem retinere possent, in fuga spem totam ponebant.* Huiusmodi Deus sæpè bella pugnauit pro populo, vt tempore Gedeonis, & Deboræ, & infrà, cap. 14. cùm Ionathas, & eius armiger stragem magnam in Palæstinorũ castris ediderunt. Neque Euangelij sęculis desunt exempla, quæ docent adesse Dominum suis, & temporis momento disperdere, quibus mortalis nulla potentia obniti posse videbatur. Vnde prudens quisque facilè cognoscet, inuictas esse acies, quas armat, & moderatur Deus, & murum esse ahæneum, cùm nulla in castris culpa grassatur.

29. *Beneficiorũ Dei conseruanda memoria.* Vers.12. *Et vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij.*] Vsitatum fuit superioribus sæculis, vt beneficiorum omnium, quæ quisque accepisset, aliquod eo ipso in loco monumentum relinqueret, quod apud posteros æternam conseruaret memoriam. Sic Iacob excitauit altare, vbi illustrationẽ accepit à Deo singularem. Sic Iosue notatum voluit esse locum, per quem Iordanem sicco gradu traiecit. Sic modo Samuel, ne tanti apud posteros beneficij memoria periret, excitauit lapidem, cui nomen imposuit ab eo beneficio, quod eo in loco cæsis, fugatisque Palæstinis, populus accepit. Hoc porrò nomen per prolepsim audiuimus cap. 4. Quia Samuel, à quo euentus ille literis mandatus est, scripsit multis annis, postquàm feliciter eo tempore pugnatum est, cùm iam locus illo esset nomine consignatus; & fortasse tunc scripsit, cùm iam esset regni administratione defunctus.

A Ad hunc ego locum aliquid inuenio apud Tertullianum contra Psychicos, quod ego non intelligo. Indicat enim in aqua illa, quam hausерunt, effuderuntque in Masphath viri Israelitæ, aliquod fuisse peccatum; quod vnde ille suspicari, aut coniectare potuerit, diuinare non possum. Neque quod statim addit, benè pastos irrupisse Palæstinos, illis autem Hebræos occurrisse ieiunos; quorum ieiunio videtur insignem illam tribuisse victoriam, non Samuelis precibus. Verba illius audi aduersus Psychicos cap. 7. & quid significare voluerit, tute ipse coniecta. Sic autem ille: *Deliquerat Israel in aquatione apud Masphath congregatus à Samuele: ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum prælij simul fugerit. Cùm maximè Samuel offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audimus Dei clementiam, quàm abstinentia populi. Et Allophyli prælio admouebant, ibidem Dominus intonuit voce magna super Allophylos, & confusi sunt, & corruerunt in conspectu Israelis. Et processerunt viri Israel ex Masphath, & persecuti sunt Allophylos, & vsque Betheor ceciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium Deo, cœlum pro eiusmodi militat. Habes formam præsidij etiam spiritalibus bellis necessariam.* Hæc Tertullianus; in quibus multa inuenio, quæ non satis accommodo textui, aut cohærere video cum historia. Tu illa, si plus habes otij, accuratiùs expende; mihi sat fuerit illa in medium attulisse. 30.

B

Vers. 13. *Nec apposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israel.*] Vt paulò antè Palæstini plaga diuinitùs immissa perterriti, nihil hostile contra Israelitidem gentem moliti sunt; sic etiam nunc, cùm stare contra se Deum non dubia coniectura cognoscerent, continuere se intra fines suos, neque turbarunt pacem, quam toto Samuelis tempore Dominus Israeli largitus est. Sed est difficile statuere, quomodò verum esse possit, non vltrà Palæstinos in Hebræorum fines rediisse, cùm sciamus, regnante Saule, rediisse sæpe, & malè vexasse rem Israeliticam. Quidam hîc non simpliciter negant rediisse Palæstinos, sed eo tantùm tempore, quo vixit Samuel. Ita Historia Scholastica. Ego hanc vocem *vltrà* sic exponendam puto, sicut exposui apud Isaiam cap. 2. ad illud: *Nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Vbi ostendi, sicut *æternum, sempiternum*, & similia non semper significant, quod fine caret, sed quod diuturnum est; sic etiam *non vltrà, non amplius*, & quæ eiusdem sunt significationis, non aliquid omninò negare, sed protrahere longiùs. Quomodò Isaiæ cap. 23. de Sidone dicitur: *Non adiicies vltrà, vt glorieris*; & tamen priori fortunæ restituta gloriari potuit. Et idem de Tyro Ezechiel affirmat, c. 26. *Et sonitus cythararum tuarum non audietur amplius.* Et paulò pòst: *neque ædificaberis*, cùm tamen iterùm ædificata fuerit, & ad veteres cantus; id est, tractandas merces iterùm reuocata. Sed vtrumque contigit, postquàm plures iam dies exacti sunt. Quare cùm toto Samuelis tempore Palæstini nihil contra Israelitas tentauerint hostile, iuxta hunc Hebræorum vsum dici optimè possunt, non vltrà in illorum fines esse reuersi. Ita etiam putat Abulensis, q. 32. & Adrianus Finus lib. 7. oppositione 5. ad 4. quod etiam hoc loco tenet Serarius. 31.

C

D

REGVLA. *Non vltra, non amplius, & similia, non semper aliquid omninò negant.*

Sed addo ego, idem videri esse dicendum, cùm aliquid licèt non longè pòst fiat, minùs tamen fit sæpe, aut non eodem euentu, quo priùs. Aperta sunt exempla. lib. 4. Reg. cap. 6. v. 23. vbi Syri non dicuntur *vltra* venisse in terram Israel; & ta- 32.

REGVLA. *Illud negat futurum, quod minus fit sæpe, aut non eodem euentu.*

E

men paulò post Benadab Rex Syriæ armasse traditur exercitum, & inuasisse Samariam. Et Genes.30. v.10. dictum ab Angelo Iacob: *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israël erit nomen tuum.* Et tamen statim v.20.appellatur Iacob,& alibi millies; non tamen ita frequenter sicut anteà, neque legitimo, & proprio, sed iam deposito, & quasi alieno nomine. Illud itaque dicitur *non vltra* fieri, quòd extraordinario modo fit, & extraordinario plerumque successu. Quomodò etiam ex vsu Scripturæ, quod inutile est, aut exitu caret, quem aliquis captabat, fuisse negatur. Redierunt sanè Philisthiim tempore Saulis, & adhuc viuente Samuele; imò fortasse aliquando Samuele regnante; licèt id rarò,& successu nullo: verùm quia post longum tempus, & irrito conatu,dicuntur non vltrà rediisse. Quod autem diebus Samuelis aliquando Palæstini rediisse videri potuerint, sed infelici planè successu, indicat illud, quod statim sequitur: *Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis.* Indicat, inquam, non probat; quia fieri potuit,etiamsi id ex Scriptura non habeamus, vt potiùs Samuel Palæstinorum fines sit ingressus vindice manu, quàm vt Palæstini Samuelis regnum; id est, Israëlis terminos acie tentauerint. Sed id habemus certum, quocumque id acciderit modo,rem Palæstinorum votis accidisse contrariam.

33. Vers.14. *Et redditæ sunt vrbes,quas tulerant Philisthiim ab Israël, Israëli.*] An vltrò Palæstini reddiderint vrbes, quas ab Hebræis antè sustulerãt, vel vi ab illis Samuel eripuerit,ex Scriptura non constat; quia tantùm dicuntur *reddita*, quod idẽ valet, quod *reuersa*. Vox enim Hebraica תשובנה *Tasobna*, *redierunt* significat; & vox Hebraica, quæ generis est fœminei, cum Philisthiim conuenire non potest. Et Septuaginta, licet obscuriùs,id tamen in sua translatione significant. *Et redditæ sunt ciuitates,quas ceperant alienigenæ de filiis Israël; & reddidere se ipsi Israëli ab Ascalone vsque Azob: & terminum Israël abstulerunt de manu alienigenarum.* Res planè est incerta; sed in hoc posterius magis inclino, qua de re posteà pluribus, cap.15.

34. *Liberauitque Israël de manu Philisthinorum.Eratque pax inter Israël,& Amorrhæum.*] Duo hìc contigisse dicuntur in aureo verè Samuelis dominatu; alterũ,Israëlem excussisse iugum, quod ipsorum ceruicibus imposuerunt antè Palæstini; alterum,vicinos alios populos,qui hìc Amorrhæorum explicantur vocabulo, à bellis etiam abstinuisse, quæ habuerunt omnibus propè sæculis assidua. Quare nihil deerat, quominùs tempus illud videretur ex omni parte fortunatum. Hìc tamen Abulensis hæret,neque,vt vides, sine graui causa; quia cum hac libertate non aptè conuenit, quod infrà cap.13. v.19. traditur; vsque adeò videlicet oppressos fuisse Hebræos à Palæstinis, vt neque fabrum habere ferrarium permiserint, non modò qui arma cuderet, sed neque qui obtusa rustica ferramenta, ligonem puta, falcem, securim, & vomerem acueret. Id verò non est liberos esse à Palæstinis, sed ab illis duriùs, & inclementiùs tractari, quàm à domino seruos. Quid autem durum magis,quàm in toto populo, cùm esset iam intentus ad bellum, ipso adhuc viuente,licet non iam regnante Samuele, nullum aut gladium, aut hastam reperiri, nisi in Rege Saul, & in eius filio Ionatha? Respondet ad hæc Abulensis, q.26. non omninò liberatum esse Israelem à Palæstinorum dominatu, sed releuatum ab illorum iugo; & si qua esset seruitutis species, illam longè fuisse mitiorem. Quare tributum adhuc Palæstinis pendebat Israel, neque bellicum aliquod instrumentum siue cudere, siue gestare secum permittebatur, donec tandem Dauid superauit illos, & tulit ab eis frænum tributi. De quo lib.2. Reg. cap. 8. *Percussit Dauid Philisthiim, & humiliauit eos,& tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthiim.* Quare non tam ab illis liberati sunt Hebræi, quàm eorum compressa vis, & audacia, vt nouas agerent prædas; & licèt ab illis aliquot essent ciuitates ereptæ, non tamen omnes. Qua de re,cùm ventum fuerit ad cap.13. pluribus agemus; nunc satis sit hæc paucis tetigisse.

Fortasse ideò in toto exercitu Saul nõ inueniebantur arma, quia cùm Samuelis tempore silerent Palæstini, neque pacem, & otium turbarent Amorræi, in quibus, vt dixi, vicini populi, & alienæ religionis asseclæ intelliguntur, arma noua conflata non sunt; & vetera, vt fieri assolet, vbi nullus bellorum strepitus aut sonat, aut timetur, conuersa fuerant in arma rustica; quod sæpe audimus tam in Sacra, quàm in profana eruditione. Id sanè in tempus Euangelicum promittit Dominus,Isaiæ cap.2. v.4. *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens cõtra gentem gladium.* Hoc idem de eodem tempore cecinit Zacharias cap.9. v.10. *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli.* De militaribus armis in rustica conuersis, dum affulgente pace,nullus se ab hoste metus ostentat, est illud Martialis lib. 14. epigr.34. cuius titulus;*Felix ex ense.*

Pax me certa ducis placidos conflauit in vsus;
Agricolæ nunc sum, militis antè fui.

35. 36. Cur autem Amorrhæus pro omnibus,qui in Chananæo solo Hebræis occurrerunt armati; hìc, & aliis locis vsurpetur, diximus ad illud Amos cap. 2. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum.* Duas autem eo loco adduximus rationes; altera est,Amorrhæos Chananæorum omnium esse fortissimos,vt eo loco ostendit Amos, & terram habitare vberem,& lætam, & ab ipsa natura expugnatu difficilem; vnde à regione præcipua nationibus aliis nomen datum est. Altera,quia ea regio omnium prima Hebræis occurrit armata, & omnium prima cognita, & superata est: fieri autẽ solet,vt locus, aut ciuitas, quæ prima exploratoribus,aut nauigãtibus occurrit,nomẽ suũ toti accõmodet,communicetque prouinciæ. Quare cùm de omnibus nationibus loqueretur Deus,quæ incoluere terram Chanaan, Amorrhæorum tantùm meminit; quia illud nomen habuere commune. Gen.15.v.16.*Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.*

Amorrhæi pro habitatoribus antiquis terræ promissionis.

Vers. 15. *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ.*] Ex hoc dicendi modo colligo, paulò postquàm defunctus est magistratu Samuel, defunctum fuisse vita. Cùm autem mortuus fuerit paulò pòst Saul; hinc etiam colligo, Saulis regnum non fuisse diuturnum, sed durasse tantùm biennio, vt expresè Scriptura docet infrà cap. 13. Est autem vsitatum, in Scriptura, vt cùm ex magno numero exiguum aliquid detractum est,nihil existimetur fuisse detractum. Quare omnes dicuntur esse mortui, cùm ex ingenti numero pauci fuere superstites; & nullus dicitur aliquid fecisse, cũ ex magno numero fecere pauciſſimi. Cùm ergo annos plurimos Samuel Rempublicam

37. *Samuel paulò post depositum magistratum vita defunctus.*

publicam fuerit moderatus, & duobus tantùm annis extremis vitæ suæ ab illa administratione cessauerit; optime dici potest toto vitæ tempore Israelem iudicasse. Hæc mihi solutio facilis est, & cum innumeris aliis locis cómunis, in quibus eadem omninò difficultas est. Vide regulam, quam adduximus, confirmauimusque exemplis, ad cap. 1. Actuum n. 5. & Ezech. c. 17. n. 37. Ieremiæ 9. n. 19. & 20.

38. Alia videri posset non importuna ratio, si dicas tamdiu iudicasse Samuelem, quandiu per ætatem, & valetudinem licuit; hoc etenim iuxta cómunem loquendi modum est toto vitæ tempore iudicare: nam tempus rebus agendis ineptum, quacumque id ex causa proueniat, viri prudentes neque vitale iudicant, neque ad vitam pertinere existimant, cùm mortis habeat vices. Vide quæ diximus cap. 2. ad illud, *Dominus mortificat, & viuificat.* Sic sanè quando Samuel præfecturam suis filiis, & deinde Sauli tradidit, iam censeri potuit, quoad graue illud pondus, quod sustinere non poterat, è viuis excessisse. Quomodò mortuus dicebatur Abraham, & vxor Sara, comparatione generandæ prolis, licèt adhuc in viuis ageret, egerintque postea diebus non paucis. De quibus Paulus ad Roman. cap. 11. v. 12. *Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sydera cœli in multitudine, & sicut arena, quæ est ad oram maris innumerabilis.* Et ad Rom. cap. 4. v. 19. *Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.* Vt ergo quoad generationis opus mortui censebantur duo illi coniuges; sic etiam Samuel quoad iudicandi; id est, administrandi populi negotiũ, mortuus existimari potuit, cùm tantum pondus efœto iam & exhausto præ senectute corpore sustinere non posset. Vtraque solutio satis videtur facere obiectioni; neque mihi promptum est, vtram illarum magis probem.

Abraham cur dictus mortuus cũ viueret.

Ad Rom 11.

Ad Rom. 4.

39. Vers. 16. *Et ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath.*] Quandiu per ætatem licuit, nunquam cessauit Samuel, neque passus est suos in officio, aut in legis obseruantia torpere. Quóque datam sibi à Domino prouinciã posset obire, & moderari commodiùs, tres in ea ciuitates constituit, in quibus certis anni temporibus conuentus ageret, & ius diceret, & ortas inter suos controuersias ex lege, aut ex æquo, bonóque componeret. Quod item fecerunt nationes aliæ, quæ cùm durum esse existimarent, ad vnum locum populos latè dispersos iudicij gratia cogere, ciuitates quasdam constituerunt, quas appellauere conuentus, vbi de suis controuersiis quisque iudicium audiret. Exemplo nobis sit in Hispania prouincia Bethica, in qua Romani quatuor designauerunt conuentus; id est, quatuor fora, in quibus constituti sunt Iudices, qui causas cognoscerent, & de rerum statu deliberarent. Audi Plinium lib. 3. cap. 1. *Bethicæ iuridici conuentus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis.* Ad hunc modum tres ciuitates maximè opportunis in locis designauit Samuel, Bethel, Galgala, Masphath, in quibus, cùm prouinciam lustraret, subsistebat aliquandiu, dicebatque ius & de regni statu docebatur: lustrata tandem prouincia reuertebatur in Ramatha, vbi forum habuit stabile, & proprium, atque natale domicilium.

40. Aliqui in harum ciuitatum, seu conuentuum nominibus aliquid inueniunt, quod rectam ostẽdit in iudicando viam, à qua si quispiam aberrauerit, non poterit rectum, at legitimum ferre iudicium. *Masphath* speculationem valet, quam si Iudex non adhibeat, sed temerè præceps in iudicando feratur; labatur necesse est, & commissam sibi causam omninò conturbet, & prodat. *Bethel* domum significat Dei; in qua disceptari debent causæ; quod tunc faciunt Iudices, cùm in iudicando vnum spectant Deum, ad cuius voluntatem, & legem, totam iudiciorum rationem attemperant. Quod tunc denique faciunt, cùm statuunt apud se, Dei sibi commissum esse munus, atque ideò se Dei supremi Iudicis sustinere personam. Quod audierunt Iudices 2. Paralip. 19. ad quos sic Iosaphath: *Videte*, ait, *quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Deum Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Tertia ciuitas fuit *Galgala*, in qua locati sunt duodecim lapides, quos è Iordanis alueo sumpserunt Hebræi tanquam siccati fluminis illustre testimonium, & in quo circuncisi sunt, qui multis antè annis lapideũ circuncisionis cultrum non subierant; Vnde, vt habes Iosue cap. 5. locus ille nomen accepit. Ex his duo habent Iudices documenta præclara; alterum sumptum ex duodecim lapidibus, in quibus sedent ad iudicandum, quia illi ciuitatis, quæ posteà Galgala vocata est, prima fuerunt fundamenta, cùm priùs collis esset nudus, non locus habitatus, & frequens. Vt ergo lapides, qui priùs delituerunt fluctibus summersi, in arduum locũ emerserunt, deposueruntque quicquid humidum erat, & cœnosum; sic expedit maximè, ne quid sit in Iudice lubricum, & cœnosum, cui adhæreant aliena, sicut lapidi, aut sabulo, quod in alueo cõditur fluminis, adiunguntur arenæ, quæ inolescunt illi, faciuntque, vt accretione noua ex aliena substantia sensim augeatur. Id planè faciunt Iudices, qui humana venantur commoda, quæ fluentes aquæ, & sua natura instabiles adumbrant, quos in profundos gurgites demersit cupiditas, aut alia quæuis turpis, & lubrica voluptas. Oportet igitur, vt occultas illas, & cœnosas sedes derelinquant, & se ad aridum locum, & patentem efferant, vbi nihil occultè moliantur, nihil sine testibus faciant, nihil attrahant ad se ex alienis opibus, quod in sua tandem commoda conuertant.

Recta iudicandi ratio.

Iudices quales esse debeant.

Deinde in Galgalis circuncisi sunt, qui multis iam annis præputium aluerant: sic in iudiciis circumcidere se debent ipsi iudices, & illa amputare, quæ rectum transuertunt iudicium; manus nimirùm, quas cõtinere debent à rapinis; oculos, ne externam hominum speciẽ intueantur, & personas accipiant; & illa tandẽ omnia, quæ excœcãt oculos, & animos alliciunt. Debent præterea illa omnia in aliis circuncidere, quæ exorbitant à lege, quæ tam priuatis, quàm publicis rationibus officiunt; & illa præcipuè, quæ in ea corporis parte significantur, & exercentur, quam lapideus Hebræorum gladius circuncidit in Galgalis. In quo etiam intelligo voluptarios sensus, quibus malè institutus animus, & indomitus appetitus obsequitur.

41.

Vers. 17. *Ædificauit etiam ibi altare Domino.*] Quia ibi Samuel plerúmque morabatur, altare constructum esse voluit, quod haberet sibi familiare, & in quo frequentiùs, quàm alibi (si modò alibi esset sacrificandi vsus, aut facultas) immolarentur

42. *Sacrificia an extra Templum offerri possint.*

larentur victimæ. An liceret offerre sacrificia extra Tabernaculum, aut Templum, diximus cap. 6. ad illud v.15. *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.*
27. Theodoretus q. 15. & Procopius sentiunt ante Templum ædificatum, variis in locis sacrificium offerri potuisse; cautum tamen esse, ne gens ad idololatriam prona, si vbique locorum sacrificari posset, ad idolorum cultum gentium more difflueret; ne extra Templum, aut Tabernaculum excitarentur aræ, & mactarentur hostiæ. His tamen qui eo periculo carerent, omnem locum esse sacrum, & victimis immolandis idoneum; qualis erat Samuel, & Elias, & Dauid, qui toto illo progressu, & cursu, in quo Arcam transtulit ex domo Obed Edom in ciuitatē suam, sexto quoque passu sacrificia peregit. De quo lib. 2. Reg. v. 13. *Cúmque transcendissent, qui portabant Arcam Domini, sex passus, immolabat bouem, & ouem, & arietem.* Lyra hæc facta ex Dei dispensatione putat; cuius voluntatem viri Prophetæ non videntur ignorasse. Hæc fortasse vera. Abulensis hoc Prophetis permissum esse dicit. De quorum sententia iudicabunt alij; ego non improbo, quia res est obscura, neque aliquid inuenio, in quo omninò acquiescat animus. Quid sentirem, exposui ad similem difficultatem cap. 6. ad v. 14. & 15.

IN CAPVT VIII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CONFECTVS iam ætate Samuel, & impar tanto labori, quantum afferre solet administratio tam latè patentis Imperij, duos filios socios tam molestæ gubernationis assumpsit. Qui cùm longè à paternis moribus, ac continentia recessissent, odium sibi s imò & parenti suo viro sanctissimo à concitata plebe conflauerunt. Quare formam aliam optat populus infensus moderandæ Reipublicæ, qualem nationes habent aliæ, quibus non Iudices præsunt, sicut in Israele; sed Reges, quibus summum est, & vnicum imperium. Quod Samueli perquàm molestum accidit: qui à Deo per orationem quæsiuit, quid tunc maximè opus esset facto? Cui Deus, licet ipse quoque populi consilium non probasset; conniuendum tamen dixit illius postulatis, ita tamen, vt illius prius exprobret accepta beneficia, & Regum imperium durū, quodque non multùm distat à tyrannico, denunciet. Neque tamen ab illo consilio, quod obstinatò fuerant amplexi, destiterunt. Retulit Samuel ad Dominum peruicacis populi obfirmatum animum, cui Dominus respondit, vt multitudinis postulatis annueret. Quare in præsentia Samuel populares, in suam quemque ciuitatem, dimisit, vt euocatis posteà comitiis, de eligendo Rege, & constituenda Republica ageretur.

CAPVT OCTAVVM.

1. FActum est autem cùm senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel.

2. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee.

3. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.

4. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha,

5. Dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.

6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quòd dixissent: Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum.

7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.

8. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.

9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos.

10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se regem,

11. Et ait: Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.

12. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.

13. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas.

14. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.

15. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus

reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis.

16. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo.

17. Greges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei serui.

18. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex A enim erit super nos,

20. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.

21. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.

22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

IN CAPVT VIII. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Cùm senuisset Samuel, posuit filios suos Iudices Israël.*]

1. QVID longo illo tempore, quo Genti Israëlitidi præfuit Samuel, gestum sit, extremis verbis complexus est Samuel, cùm dixit, fractam esse Palæstinorum audaciam, & reddidisse vrbes, quas ex Israëlis finibus acceperant, aut certè fuisse ab illis contra pugnantibus, & inuitis ablatas. Deinde aut initum esse fœdus cum Amorrhæis; id est, cum vicinis hostibus, quicumque forent; aut certè vsque adeò illos sibi timuisse, atque cauisse ab Hebræorum armis, vt benè secum actum existimauerint, si ipsis otio, & pace liceret in patria frui. Cùm autem cessarent arma, & datus esset locus legibus, quæ inter tumultus bellicos silere solent; ipse lustrabat prouincias, & instaurata, atque roborata religione, quæ magna ex parte collapsa fuerat, vtilem, & pacatam operam dabat iuri dicundo, atque in officio, ac fide continendæ Reipublicæ. Cùm autem in pacatis vrbibus rarò aliquid accidat inusitatum, & grande, quod historiæ mandetur, paucis Samuel multorum temporum historiam absoluit. Postquàm autem vrgente, atque tardante senectute sustinere Propheta non potuit molem illam ingentem præfecturæ, quam integrè, ac sedulò ad illud vsque senile tempus obierat, partitus est cum filiis prouinciales curas; vnde magnæ sunt exortæ turbæ, & magna facta rerum mutatio. Hinc iam multa habuit Samuel Annalibus digna ad diem vsque mortis, quæ minutiùs persecutus est.

2. Cùm graue esset præfecturæ pondus, & latior prouincia, quàm vt ab vno, eoque iam æuo, laboribusque confecto lustrari quotannis, & gubernari posset; retinuit sibi Samuel bonam prouinciæ partem, & illam, quæ ad Austrum pertinet, filiorum fidei, ac curæ commendauit. Qui, vt pater Ramatham, sic illi Bersabee nobilem, & ad extremam oram Australis plagæ ciuitatem elegerunt. Iosephus alterum filiorum Samuelis consedisse tradit in Bersabee, alterum in Bethel; sed vnde id acceperit, non video. Scriptura sanè vnius tantùm meminit Bersabee, & non obscurè indicat, vtrumque filium in ea ciuitate iudicasse. Quid enim aliud sonat illud: *Nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi Abia Iudicum in Bersabee?*

3. Vers. 3. *Sed declinauerunt post auaritiam, accepe-* B *runt munera*, &c.] Vetus est Latinorum prouerbium: *Heroum filij noxæ.* quo significabant magnorum parentum filios valdè à parentum moribus esse degeneres, quacumque id ratione consideres. Ab strenuis enim, & fortibus imbelles nascuntur, & timidi; à sapientissimis stolidi, & bardi, quos non valdè à belluarum natura secernas; à viris iustissimis, sanctissimisque filij, in quibus nulla iustitiæ, ac religionis vestigia deprehendas. Sed cùm in omni conditionum genere id obseruarint antiqui, & nos hodie passim obseruemus; tamen id in excelso nomine, atque potentia videmus quotidie, & gemimus: tunc C enim posteri planè pessimi, nisi vt ab egregiis parentibus genus hæreditarunt, & opes, sic etiam hæreditarios habeant ingenuos, & religiosos mores. Exemplorum adducit satis Ælius Spartianus in Seuero, vbi hac de re nonnihil. Sed habemus in Scriptura non pauca, in qua viri omnium sanctitate, ac religione principes, nequissimos dicuntur genuisse filios. Moyses diuinæ gloriæ zelator, & vindex posteros genuit non solùm idololatras, sed idolorum antistites. Quis sceleratior Absalone à sanctissimo patre Dauide genito? A pio maximè Ezechia ortus est D impius Manasses. A Iosia Rege sanctissimo nati sunt filij vitæ omninò profligatæ, qui coluerunt idola, & eò adegerunt diuinum furorē, vt ciuitatem, & Templum sibi cōsecratum omninò vastauerint. Exemplum recens habemus in filiis Heli, quorum vita nihil videtur esse potuisse scelestius: & nunc in filiis Samuelis, quorum neque parentis integritas, neque domestica disciplina potuit aut cohibere manus à rapina, aut animos à peruertendo iudicio. Quod verò dixi de filiorum moribus, qui ab optimorum principum parentū ingenio, ac disciplina, toto cælo dissentiunt, vsque adeò notum erat, & frequens, vt illud sic esse fato comparatum dixerit quidam è profanis (hic est Demosthenes) vt heroum filij sint plerumque indigni, qui ex illa illustri stirpe procreentur. Ælius Spartianus in Seuero ita omninò sentit. *Reputanti mihi*, inquit, *Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum virorum optimum, & vtilem filium reliquisse satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere.*

Principum filij sæpe non boni.

4. *Filij sanctorum sæpe pessimi.*

Quærit

5. Quærit hîc Theodoretus q.16. cur cùm vſque adeò in parente Heli punierit Dominus filiorum peccata; non tamen exegerit à Samuele pœnas eorum, quæ filij cùm eſſent cum poteſtate, in ſubditos ſibi populos admiſerunt? Reſpondet autem, plura peccata, eáque grauiora commiſſa à filiis Heli, neque filiorum peccata Samueli fuiſſe comperta, quemadmodũ Heli; atque ideò in Samuele nullam hæſiſſe culpam, quam remouere à ſua vel inertia, vel mollitie non poterat Heli. Legimus enim à filiis Heli profanatum eſſe Tẽplum, cùm auſi fuerint cum fœminis, quæ religionis, & voti gratia excubabant ad oſtium Tabernaculi concumbere: cùm ſacrificiorum ritus, & ordinem peruerterint, ſibique applicuerint, quæ Deus honori ſuo ex omni victimarum genere vendicarat. At Samuelis filij tantùm dicuntur accepiſſe munera, & dum ſuis commodis, ac ſtudiis ſeruiunt, peruertiſſe iudicia. Id verò pater, quia procul aberat illorum præfectura, non agnouerat; ingeniũ verò ſuum nondum prodiderant, cùm adhuc eſſent in parentis domo, & illius metus, & obſeruantia in officio, & patria diſciplina continerent. Atque ideò pater optimus excuſari potuit, quòd filiis prouinciam illam, quæ integritatem, & conſtantiam requirit, commendaſſet. Ita Gregorius in hunc locum. Vbi tu pro moribus obſerua, quãtum faciat ad morum honeſtatem parentum diſciplina; quantum moribus libertas, & poteſtas officiat. Vixerunt Samuelis filij moderatè atque integrè, quando priuatam egerunt vitam ſub paterna ferula: ſed vbi ſuo ſe arbitratu moderati ſunt, & cum poteſtate in magiſtratu vixerunt, mutauerunt ingenium, & mores. Et breui ſic à ſe ipſis defecerunt, vt in Samuelis filiis, non iam filios Samuelis agnoſcas. Rara auis planè eſt, quam non mutat, atque peruertit præfectura.

Plurimùm moribus officit libertas & poteſtas. Filij Samuelis in libertate, ac magiſtratu mores profligarunt.

6. Verſ.5. *Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem.*] Hæc verba ſunt maiorum natu, qui Patres appellari poterant patriæ, quos natura ipſa videbatur ad publicam patriæ, communemque cuſtodiam patronos elegiſſe. Hi nihil in Samuelis gubernatione codemnant, neque aliud vident impedimentum, quominùs poſſit tam grauem ſuſtinere perſonam, niſi quòd illi prouectior ætas, atque debilior ad tantam molem ſuſtinendam vires, & facultatem ademiſſet. In filiis alia inueniunt, & accuſant, quæ illos ad gradum illum publicum aſpirare non ſinunt, cùm illa deſint aut ingenij, aut animi ſubſidia, ſine quibus ſtare diu non poteſt publica ratio, aut inter ciues conſeruari tranquillitas. Quocircà cùm patrẽ ætas grauior, & laboribus fracta; filios verò auaritia, morumque peruerſitas à gubernãdo deterreant, ſtatuunt omninò viri illi proceres, natuque maiores, nouã induci oportere iudicandi, ac moderandi formam. Sed errant in eo, quòd illam optant, exiguntque, quam Gentibus à vera religione alienis placuiſſe vident, illa repudiata, quã Deus primùm in electum ſibi populum introduxit. Neque ea de re Samuelem conſulunt, aut per otium ſecum ipſi deliberant; ſed præcisè dicunt: *Conſtitue nobis Regem:* ſic offirmato in eam ſententiam animo, vt propoſitis etiam his incommodis, quæ declinari non poterant, ſi Regia inducatur, & peregrina forma; ab eo tamen conſilio, quod ſemel arripuere, dimoueri non poſſint.

7. Verſ.6. *Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eò quòd dixiſſent: Da nobis Regem.*] Non tam dolebat Samuel, vt apparet, quòd ipſe, aut filij depellerentur à regno, aut à præfectura Regiæ ſimili, quàm quòd Regia induceretur gubernandi ratio: quæ cùm åliquid ſecum videretur importare ſupremũ, non poterat non eſſe communibus rebus importuna. Hoc indicat ipſa litera, quæ dolendi cauſam ex Regio nomine ſumit, & commutata iudicandi forma; non ex iniuria ſibi, aut familiæ ſuæ in poſterum illata. Ita Ioſephus lib. 6. cap. 4. *Hæc*, inquit, *populi voluntas vehementer Samuelem contriſtauit, qui propter innatam iuſtitiam non amabat Regiam poteſtatem, vt nimiam. Valde enim optimatum gubernatione delectabatur, non aliam ad felicitatem populi conducibiliorem exiſtimans.* Deinde ea cura ſic eſſe dicit Samuelem afflictum, vt ſollicitus de re ſumma neque ſomnum capere, neque ægritudinem ex animo detergere potuerit.

Et orauit Samuel ad Dominum.] Non temerè Samuel, ſicut fecerunt qui maiores natu erant in Iſrael, de regni ſtatu, moderationéque deliberat. Non affectione ducitur, aut priuatæ commoditatis ſtudio; atque ideò dimiſſo populo, quocum, inconſulto Deo, deliberare tutum non putabat, in ſeceſſum abit, ibique ad preces, ſicut in aliis fermè rebus, intentus, rem Deo totam commendat, & ab illo, quod futurum ſit ex vſu populi, conſilium exquirit; quem in re vſque adeò graui authorem magis, & ducem ſequi vult, quàm tumultuantem populum, aut prudentiam ſuam, quę ſæpè in rebus etiam minùs obſcuris cæcis errat veſtigiis. 8.

Verſ.7. *Audi vocem populi, &c. non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.*] Non diu ſuſpendit Dominus Samuelis vota, aut diſtulit reſponſum; ſed ſtatim docuit, quid tunc factum magis eſſet ex vſu. Monet autem vt conniueat poſtulatis à populo, neque grauiter ferat, ſe ab illis, quorum antè ſaluti, tanto ſtudio, atque auiditate ſeruierat, tam videri contemptum. Et à ſe ipſo diſcat, quomodò accipi interdum debeant homines ingrati; quàm patienter ferendæ, quæ videntur, imò quæ reuerà iudicantur iniuriæ; cùm non minùs ipſe contemptus fuerit, qui rationem illam antiquæ gubernationis induxit, quàm Samuel ipſe, qui à præfectura, in qua meliora ætatis tempora poſuerat, abiectus eſt. Quod graue documentum eſt, & honeſtiſſima ratio, quæ homines adducere, imò & cogere debeat, vt iniurias æquo ferant, & libenti animo, & condonent quicquid contra ipſos peccatum eſt; quãdo Deus, cui etiam fit iniuria, cùm ipſius conculcantur præcepta, liberaliter largitur, imò vltrò prouocat, & inuitat ad veniam. 9. *Iniuria quomodò Dei exemplo ferenda.*

Quærit hîc, multiſque modis diſceptat Abulenſis, à q.7. an peccauerint Iſraelitæ, dum Regem petierunt; nam peccaſſe certũ eſt, cùm Deus ipſe dixerit non tam Samueli, quàm ſibi ipſi illatam ab Iſraelitis iniuriam; cum Deus antè regnauiſſet in Hebræorum populo, nunc autem inducta noua iudicandi forma ipſe videatur à gubernatione deiectus. Ac tandem conſtituto, monarchiam eſſe licitam, neque Hebræorum populo fuiſſe negatam, (alioqui neque Deus nunc cõceſſiſſet, vt Rex præficeretur populo, neque Dauid poſteà Deo ipſo iubente foret vnctus in Regem, neque Deut. c.17. præſcriptus eſſet modus, & forma conſtituendi Regis) nihilominùs docet in ea petitione graue interceſſiſſe peccatũ. Quod Samuel ipſe exprobrauit apertè c.12. v.17. & 20. confirmauitque miraculo; & ipſi confeſſi ſunt Iſraelitæ ibid. v.19. 10. *Iſraelita qua in re peccauerunt eligendo regem.*

Peccarunt primùm, quia Samuelem reiecerũt, cuius experti fuerant aſſiduam operam, & vtilem 11.

reipubli

reipublicæ, cùm domuisset Palæstinos, & eò adduxisset finitimos populos, vt ne hiscere auderent Samuele regnante, & collapsam morum, religionisque disciplinam abiectis idolorum sordibus instauraret. Deinde quia Regem postulant, sicut cæteræ habent nationes: qua in re leges illas respuisse videntur, quas Regibus Israelitis Dominus indixit, Deut. cap. 17. & illas admisisse, quas authore diabolo barbari Reges & idololatræ aut tulerunt ipsi, aut ab aliis acceptas coluerunt. Quæ & impiæ fuerunt, & reipublicę noxiæ, & mores aluerunt approbatione publica, & scelerum impunitate corruptos. Quam verò Gentilium Regum mores secuti fuerint Israelitæ Reges, tam qui in Iuda, quàm qui in Israele regnarunt, hinc apertè liquet, quod ex omnibus tres tantùm sunt inuenti, qui non aliquando aberrarint à patria religione, & ad Gentilium simulacra diffluxerint. Id docet Ecclesiasticus cap. 49. v. 5. *Præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt leges altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.* In *peccato* verò idololatriam intelligi docent communiter Interpretes: neque enim quisquam negauerit peccatum commisisse Dauidem, illudque grauissimum, & multiplex. Et in Ezechia aliquod etiam peccatum reprehenditur. Hi tamen tres nunquam in peregrinum cultum dicuntur prolapsi, imò dicuntur ab idololatriæ sordibus purgasse regnum. Alij verò omnes aut conuincũtur idola coluisse, aut saltem non sustulisse excelsa; id est, lucos, & aras in idolorum cultum excitatas. Quare sic videtur regnasse, sicut Reges, quos habuerunt nationes aliæ.

12. *Deus quomodo Iudicum tempore regnare dicatur.*

Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.] Quomodò Iudicum tempore potiùs Deus in Hebræorum populo regnauerit, quàm quo Reges eiusdem populi tenuerunt gubernacula, tradit Abulensis q. 9. vbi docet, quomodò populus dum Regem petit, Deum Regem suum, & Dominum abiiciat. *Cùm enim*, inquit, *Regem non habebant, Deus erat immediatus Rex, & Dominus eorum; cùm autem acciperent Regem, haberent præter Deum, aliũ, quem vocarent Regem, & Dominum. In quo licèt non possent auferre Deo supremam potestatem, quæ est sibi naturalis in omnes res, auferebant tamen sibi immediationem dominij, cùm alium immediatum Dominum, & Regem cognoscerent. Et ita ipse dixit ad Samuelem, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Hæc Abulensis. Hoc idem docuit Theodoretus q. 17. dum ait: *Dominus Deus domini, & Regis impleuit munus. Propheta autem erat, administer, & veluti quidam præfectus, aut dux, & imperator.* Quod item Iosephus docet lib. 6. cap. 4. Hoc idem nos aliquando docuimus in nostris Commentariis in Isaiam ad illud cap. 1. *Et restituam Iudices tuos, vt fuerunt priùs: post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Vbi nos sic ibi. Superiores Iudices non tam ipsi regnabant, quàm Deo, & populi principibus iuxta formam à Deo traditam gubernandi, ac iudicandi potestatem permittebant. Quare non ad suum siue arbitratum, siue libidinem rem administrabant publicam, sicut Reges, & Principes, contra quos Isaias hîc acriter inuehitur; sed iuxta modum à Dominò præscriptum. Quocirca cùm populus more aliarum gentium Regiæ potestati subesse voluit, repulso Samuele, qui Iudicum postremus reipublicæ præfuit Iudaicæ, quasi Reges suo potiùs arbitratu, quàm diuino consilio rem essent gubernaturi publicã, dicit illi Deus: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnẽ super eos.* Et Gedeon non Rex, sed Iudex Israel, cùm ipsi, eiusq; posteris iuxta Regũ consuetudinem populus summam rerum detulisset, respondit, Iudic. 8. *Non ego dominabor in vos* (id est, non ero Rex) *nec filius meus; sed dominabitur in vos Dominus Deus vester.* Quare cùm Abimelech non tam ad Dei voluntatem, atque præscriptum, quàm ad suam, rem nõ tã regeret, quã peruerteret Israeliticam, eodem Iudicum tempore vocatus est, nõ Iudex, sed Rex, Iudic. 9. Eam ob rẽ omnes Iudices Israel sancti fuerunt, de quibus Paulus ad Hebr. 11. magnificè loquitur, & Eccles. 46. illorũ memorię fausta precatur: *Et Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non auersi sunt à Domino, vt memoria illorũ in benedictione & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum sanctorum virorum gloria.* Cùm tamen e Regibus, qui Iudicum ordini successerunt, pauciissimi fuerint non idololatræ. 13.

14. *Reges Israeli multa inuexerunt mala.*

Dici præterea possunt Reges abiecisse Deum; quia vixdùm Regium nomen in suo populo audierat Israel, cùm veri Dei nomen aut abiectum est, aut vile apud plurimos haberi cæpit. Qui tertius Regium nomen inter Israelitas obtinuit Salomon, finitimarum Gentium idolis supplicauit: vix quartus Rex Roboam regnum iniuit, cùm decem Tribus, paterna religione aut omninò prodita, aut magna ex parte contempta, aureos conflarunt vitulos, & gentilicos mores amplexæ sunt. Neque minùs acriter cum Tribu Iuda, quæ patriã obtinuit religionẽ, bellum gesserunt, quàm alij populi, qui nunquam idem cum illis institutũ, eandem vitæ rationem tenuerunt. Neque duæ aliæ Tribus fuerunt illius tam inuerecundæ, ac stolidæ impietatis exortes: nam etiam coluerunt idola, & delubra, & aras passim excitarunt; denique sic se in illam impiam superstitionem effuderunt, vt decem alias Tribus non æquarint solùm, sed etiam superarint, vt sub metaphora Oolla, & Ooliba expressit Ezechiel c. 23. Si peccarũt Israelitæ Regem petendo, quomodò Rex illi à Domino concessus? Non erat prohibitum in lege Regem præponi, vt constat Deut. c. 17. v. 14. modò seruarentur leges ibi præscriptæ. Prohibitus tamen erat ille Rex, quem illi penè cõuitio postulabant, iuxta morem Gentium. Et ideò Deus ita illorum reprehendit petitionem, vt tamen iubeat illorum postulatis annuendum: quia fieri poterat, vt Reges non Gentilico more moderarentur populum; sed iuxta datas prius à Domino leges. Id quod curauit Samuel Domino iubente. Quare iure reprehensus est populus, quasi alienum saperet, atque Gentilicum: neque male cõcessus est Rex; quia fieri poterat, vt aliter rem administraret publicam, quàm tunc populus ille meditabatur.

15. *Mala interdum permittenda, vt maiora vitentur.*

Illud hîc pro facili, prudentique Reipublicæ administratione obseruandum, interdum à summo iure, quæ summa nonnunquam iniuria iudicatur, peruerti commune bonum, & maximè in hominum cætu necessariam pacem cum magno publicarum rationum incommodo turbari. Quare prudentis est cõniuere postulatis, licèt non admodũ aut nostris, aut cõmunibus rebus opportunis, si maius ex cõtrariis studiis dispẽdium timeatur. Sæpè enim dum iusta obtinere nitimur, iniusta patimur; & dũ commoditatẽ captamus, iniuriã subimus. Quod dixit acutè Comicus in Adelphis: *Pecuniã in loco negligere maximũ interdum est lucrum.*

Et alius quidam, qui dixit subeunda esse minora detrimenta, neque nostra pertinaci studio esse repetenda, aut conseruanda, si maiora timentur incommoda, aut maius aliquod expectatur bonum.

Munera, quæ dederas, habeat sine lite iubeto,
Esse solent magno damna minora bono.

16. Audierat aliquid de se grauius Saul, 1. Reg. cap. 10. v. 27. ille tamen accommodauit se temporis articulo, & cum verba audiisset ignominia plena, illa tamen audire se dissimulabat. Notum est, quid viri ætate iam, & iudicio maturi consilij dederint Roboam, cùm tumultuans populus ab illo tributorum laxationem oraret; qui monuerunt, vt cum bona gratia populum dimitteret, & conniuendo regnum stabiliret, quod tunc primùm inierat. Quod cùm à iuuenibus, quos seorsum in consilium adhibuit, seductus respuisset, & opinionis plurimum, & maximam imperij partem amisit. Necesse est enim, si quando stringere necesse fuerit, quod euitari sæpiùs in longa administratione non potest, quæ minùs in præsentia videbantur ex vsu, opportunè laxemus: officiis enim, & clementia demeremur animos, nobisque ad difficilia etiam munera obsequentes habemus; summo autem iure, & ingenio instituto morosiùs alienamus. Quod si accidat, frustrà Imperator contra impetum conabitur fluminis, frustrà ad officium adducet repugnantes. Hoc consilio vsus est Deus, vt meditatur Tertullianus contra Psychicos cap. 4. dum præcepta laxat, & quædam hominibus in cibum permittit, quæ negarat priùs. Illum nunc accipe. Quæsierat enim, cur in primordio herbidum tantùm, & arboreum hominibus addixisset in pabulum; post verò exacto diluuio, sicut anteà fruges, & olera, sic animalia omnia, tam quæ gradiuntur in terra, quàm quæ innatant aquis, & volant in aere, in cibum largitus est. *Omnis*, inquit, *itaque iustitiam iudicij præministrans, materiam libertatis emisit, per veniam supparans disciplinam, permittens omnia, vt demeret quædam plus exacturus, si plus commisisset, abstinentiam imperaturus, cùm indulgentiam præmisisset.*

17. Vers. 8. *Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Aegypto.*] Consolatur Samuelem Dominus, cùm illum à culpa liberat, docetque à morum, ingeniique leuitate potiùs ortum esse illud populi consilium, quàm quod causa alia vrgeret grauior, quæ illam administrationis nouam formam exigeret. Ille enim inueteratus, aut innatus fuit viuendi modus ab illo etiam tempore, quo ex Ægyptia seruitute liberatus est. Neque mirandum, si à Samuele, eiusque familia defecerit, cùm Dominum etiam, à quo magnũ aliquod diebus singulis beneficium acceperat, sicut illo proximo tempore, sic etiam à sui generis exordio, reliquerit; & nouam semper religionem, nouam viuendi formam singulis propè momentis amouerit.

18. Vers. 9. *Veruntamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.*] Cæco maiores illi natu ferebantur consilio, & illa obstinatò cupiebant, quæ minùs ex eorum vsu videbantur futura. Quare monet Deus, vt illis Samuel suo nomine leges illas edicat, quas ipsi rerum ignari vltrò à Regibus imponi volunt, ne suo desit muneri bonus Antistes, si illos in errore hærere patiatur; neque alij causari possint, vbi in medios aculeos indui se, ac stimulari sentiant, sibi qualis esset futurus exitus, non prædictum. Contestari autem est, publica forma, & denunciatione legitima alios admonere.

19. Vers. 11. *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis.*] De hoc Regio iure, quale sit, vide S. Thomam lib. 3. de Regim. Principum, cap. 11. & lib. 2. cap. 9. & 12. q. 105. art. 1. & 2. Non hîc significatur, quid Reges iure possint; sed quid audeant, & pro suprema potestate, quam habere se putant, contra naturæ leges, & omnem humanitatem tyrannicè decernant. Tales optabant maiores illi natu gubernatores habere, quales exteræ habuere nationes; Reges videlicet, qui non communi consilio populum, sed suo tantùm arbitratu rem versarent publicam; neque haberent vllum, cuius timerent potentiam, & expectarent assensum. Sed cùm id solùm captarent, declinare non potuerunt, quod Regiam potentiam, & superbos spiritus plerumque comitatur. Nam quæ externi Reges, & Israëlitidi regioni vicini licere sibi existimarunt, vt grauia ex subditorum bonis exigerent vectigalia, vt onera imponerent quotidie, quæ miserorum humeri sustinere non possint, vt ingenua corpora seruituti subiicerent, & ad illa adigerent ministeria, quæ seruis etiam essent ignominiosa, qualia nũc Propheta ex ore Domini singulatim persequitur; eadem Reges Israël, aut non valdè dissimilia in liberam antè, atque ingenuam regionem induxerunt. Quæ autem hîc dicuntur de variis, sordidisque ministeriis, quibus filios, filiasque Hebræorum alligabunt Reges, explicatione non egent; tantùm significant, quicquid Regibus erit operis vrbani, aut rustici, pecuarij, aut bellici, id totum nullis Regiis impendiis administratum iri; sed abductis à parentum sinu filiis, filiabusque, siue è gregibus iumento, ac pecore, aut addecimatis siue ex area, siue ex vindemia fructibus, rem totam esse peragendam.

Regia ingenia.

20. Quàm grauia Reges subditis imposuerint vectigalia, docuit Salomon, qui populum sic grauauit vectigalibus, vt ab illis se releuari voluerit. Quare vbi primùm Roboam relictum à defuncto patre imperium occupauit, ad illum aduolant Principes populi, dicuntque: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Neque filius leuiora cogitabat; sed cùm supremum se dominum existimaret, & populi bona suam esse possessionem arbitraretur, sic respondit inclementer, & barbarè: *Pater meus aggrauauit iugum vestrum; ego autem addam iugo vestro: Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus.* Neque mirum, cùm Reges, contrà quàm Iudices anteà soliti, magnum haberent satellitium, domos fabricarent eburneas, equos alerent, & quadrigas, & concubinas haberent non paucas, easque pro Regia magnificentia luculenter instruerent: quid, inquam, mirum, si tam in subditos essent inclementes, & duri, cùm sibi, suisque tam intemperanter indulgerent? Didicerunt fortè Reges Israëlis à Regibus Syriæ, qui in concubinarum sumptus, & ornatum, totas impendebant ciuitates. Sic Cicero Actione 5. in Verrem, vbi hanc Regiam appellat consuetudinem: *Anno*, inquit, *tertio Verres consuetudine vsus est Regia. Solere aiunt barbaros Reges Persarum, ac Syrorum plures vxores habere; hi autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo: Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum,*

21. *Concubinas Reges alere soliti immodicis sumptibus.*

lum, hæc in crines. Ita populos habent vniuersos non solùm conscios libidinis suæ, sed etiam administros. Quod feciſſe Antiochum, qui regnauit in Syria, habes, lib. 2. Machab. cap. 4. v. 39. vbi legimus duas Ciliciæ nobiliſſimas vrbes datas eſſe in ſumptus Regiæ concubinæ. Quod inſigne dedecus vſque adeò tulerunt impatienter ciues, vt contra Regem ipſum excitata ſeditione rebellarint. *Cùm hæc*, inquit, *agerentur, contigit Tharſenſes, & Mallotas ſeditionem mouere, eò quòd Antiochi Regis concubinæ dono eſſent dati.* Cùm autem Salomon, 3. Reg. cap. 11. vxores haberet quaſi Reginas ſeptingentas, trecentas concubinas, quantos in eas ſumptus factos fuiſſe oportuit; quibus tamen plebs infelix, & ſubdita, neceſſaria ſuggeſſit?

22. Verſ. 18. *Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exaudiet vos Dominus.*] Quando clamauerint Iſraelitæ à Regum ſuorum oppreſſi tyrannico potiùs, quàm paterno aut regio dominatu, non habemus, quod ego viderim in Scriptura. Sed contigiſſe non dubito, cùm ita Scriptura futurum ſignificet; & occaſiones in variis rerum articulis inciderint, quæ homines laborum, & iniuriarum impatientes, & natura querulos, clamare, & queritare compellant. Nam ſi toties contra Moyſem, qui populi ſui amantiſſimus erat, *& mitiſſimus omnium, qui morabantur in terra*, indignati clamarunt; & nunc proximè, cùm Samuelem vrgent, vt more Gentium ſibi Regem præficiat, cùm tamen ipſi apertè fateantur, nullam ſe vim, fraudem, aut calumniam à Samuele paſſos; quid illos feciſſe exiſtimandum eſt, cùm grauia à Regibus acceperunt imperia, cùm ſpoliati ſunt bonis, cùm filios, ac filias è ſuo complexu ad Regias delicias, & vile miniſterium transferri viderint? Clamarunt quidem ad Roboam, vt promixè diximus, dum leuari ſe poſtulant à paterno iugo prorſus importabili; neque tamen auditi ſunt, ſed ad reſtim potiùs, & crucem amandati. Non eſt dubium, quin clamauerit Naboth, cùm non ſolùm vineam, ſed vitam etiam auferri ſibi videret à cupido, & inclemente Rege. Clamauit certè Zacharias filius Ioiadæ, cùm dixit lib. 2. Paralip. cap. 24. *Videat Dominus, & requirat*; neque tamen mortem ideò declinauit. Cùm verò clamarent ad Deum, ſicut olim in Ægypto, vt duram illam ſeruitutem liceret effugere, aut illam, quæ à Regibus impendebat iniuriam declinare, nihilò tamen mitiùs cum illis actum eſt.

Qui reges Iſrael in ſuos inclementes.

Verſ. 19. *Noluit autem populus audire.*] Obdurue- 23.
rat iam in ſua cogitatione populus, & nunc præciſè negat vllam ſibi admittendam gubernandi formam, niſi Regiam; deuorat omnia, quæ ex Dei ore à Samuele denunciantur, & malle ſe dicit incommoda illa ſubire omnia, quàm Regis imperio non ſubeſſe. In quo imaginem quandam ſpectamus eorum, qui iam apud ſe ſtatuerunt omninò faciendum eſſe aliquid, quod, repugnante lege, animalis natura, & cupiditas ineffrænata præciperet. Vt videmus in eo, qui vindictam appetit, & cum aliis ideò inimicitias ſuſcipit; qui illa fermè ſuſtinet à tyranno non minùs inclemente, & barbaro, quàm à Rege, quem tantoperè optat, & exigit Iſrael. Idem de libidine dicendum, quæ homines viliſſima facit eſſe mancipia; quæ corpus hominum plagat, & perdit, honorem obſcurat, diuitias adimit; omnia denique tam vitæ ſubſidia, quàm animi, ac corporis ornamenta deterit.

Verſ. 20. *Egredietur ante nos & pugnabit bella* 24.
noſtra.] Deſcriptio hæc eſt Imperatoris, & Ducis. Plura ſine dubio dixerunt Iſraelitæ, quæ tamen non ſunt à Samuele commemorata: neque enim integræ orationes referuntur ab hiſtoricis ſacris; ſed eorum ſumma, aut aliqua ex multis, vt notauimus in noſtris Commentariis in Acta Apoſtolorum, cap. 2. n. 98. Et quidem egiſſe tunc de Naas Ammonitarum Rege, qui tunc bellum contra Iſraelitas adornabat, conſtat infrà, cap. 12. v. 12. ipſo referente Samuele: *Videntes autem quòd Naas Rex filiorum Ammon veniſſet aduerſum vos, dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis.*

Verſ. 21. *Audiuit Samuel omnia verba populi, &* 24.
locutus eſt ea in auribus Domini.] Nihil agit Samuel niſi ex Dei præſcripto: conteſtatus fuerat populum, vt Deus antè præceperat; nunc quid populus nihilominùs cogitet, ac velit, ad Dominum refert, & quid à ſe factum velit, expoſcit; ne quid res tanta ab humano ſenſu, atque ratione capiat. Iubet Deus, vt Regem populo iuxta illius poſtulata conſtituat. Nec recuſat Samuel; ſed iubet inſtantem populum in ſua quemque domicilia reuerti, donec ipſe conſultò iterùm Domino cognoſcat, cuinam ex toto populo regium illud, ſiue onus, ſiue honos imponi debeat, qui magis ex voto, atque vſu publico futurus ſit.

IN CAP. IX. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

SAVL filius Cis vir eleganti, atque procero corpore, cuique facies erat imperio non indigna, eo tempore dimiſſus à Patre, cum illius itineris, atque laboris ſocio, aſinos quærebat, quæ à paterno grege procul errauerant. Cúmque iam deſperans, de reditu ad patrem cogitaret, admonitus à ſocio Samuelem ea de re conſulere, conſtituit. Porrò Samuel iam antè à Domino didicerat, venturum illa hora virum de tribu Beniamin, quem ipſe ad regnum ex omnibus elegerat; quem ſtatim ipſo docente Domino cognouit Samuel, & illi, licet paulò obſcuriùs, ſignificauit, quid à Domino de illius regno conſtitutum eſſet: ille cauſatur Tribum ſuam omnium eſſe minimam, & in

ea familia cognationem suam esse nouissimam, quare non bene tantum nomen in tam exiguum, ac vile caput conuenire. Nihilominus Samuel illum inuitauit ad mensam, & inter conuiuas, quorum magnus erat numerus, primam sedem attribuit, & talem illi victimæ partem dedit, qualis decebat eum, qui Rex esset futurus, imò quæ Regis esset non ignobile symbolum. Peracto prandio seorsum ab aliis euocat Saulem, vt illi quod accepisset à Domino mandatum, edisserat.

CAPVT NONVM.

1. ET erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seor, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore.

2. Erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.

3. Perierant autem asinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium suum: B Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim,

4. Et per terram Salisa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per Terram Iemini, & minimè repererunt.

5. Cùm autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni & reuertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis.

6. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit, nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.

7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: & sportulã non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud.

8. Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea, quarta pars D stateris argenti, demus homini Dei vt indicet nobis viam nostram,

9. (Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.)

10. Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei. E

11. Cúmque ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est Videns?

12. Quæ respondentes dixerunt illis: Hic est, ecce ante te, festina nunc: hodie A enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.

13. Ingredientes vrbem, statim inuenietis eum antequàm ascendat excelsum ad vescendum: neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

14. Et ascenderunt in ciuitatem. Cúmque illi ambularent in medio vrbis, apparuit Samuel egrediens obuiam eis, vt ascẽderet in excelsum.

15. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quàm veniret Saul, dicens:

16. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de Terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israel: & saluabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me.

C 17. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.

18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.

19. Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te manè: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.

20. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel? nonne tibi & omni domui patris tui?

21. Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

22. Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium; & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati: erant enim quasi triginta viri.

23. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi & præcepi, vt reponeres seorsum apud te.

24. Leua

24. Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

25. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saule in solario: strauitque Saul in solario, & dormiuit.

26. Cúmque manè surrexissent, & iam eluceſceret, vocauit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge & dimittam te. Et surrexit Saul egressíque sunt ambo, ipse videlicet, & Samuel.

27. Cúmque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero vt antecedat nos, & transeat: tu autẽ subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

IN CAPVT IX. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Et erat vir de Benjamin nomine Cis.*

1. VIA primus Rex in Israelitide Gente fuit Saul, de quo magna pars huius libri texitur historia, ideò de illius genere prædictum oportuit. De quo nihil habemus aliud, quàm fuisse de tribu Beniamin, natúmque parente Cis, qui fortis fuisse dicitur robore; vt ex hoc intelligamus, fortem quoque robore fuisse Saulem, & quoad hanc partem oblato sibi muneri non ineptum. Sanè verum est, quod Lyricus dixit, si robur tantùm corporis intueare (nam de ingenio, ac moribus alia ratio est, vt capite præcedenti diximus) à fortibus, strenuíque parentibus robustam generari sobolem, & masculam virtutem.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

2. Vers. 2. *Et erat ei filius vocabulo Saul, electus, & bonus.*] In Principe multa considerari solent, quę dignum illum publico honore, & Regia dignitate faciunt. Quæ omnia fuisse in Saule, quo tẽpore ad regni fastigium euocatus fuit, mihi dubium non est. Primùm in Principe virtus desideratur, morum integritas, & bonitas, quæ nemini nocet, & ad benè de omnibus promerendum prona est. Quæ omnia, meo iudicio, his verbis à Samuele; id est, à sacro huius temporis historico descripta sunt: nam hic, vt Gregorius putat, & Abulensis, animi bona, & ornamenta virtutum intelliguntur; & probat Iosephus, qui illum corporis, animique dotibus eximium esse tradit. Alterum est, vt ipsa species externa aliquid aliis maiestatis ostentet, ne despicabilis forma, his qui externam tantùm speciem intuentur, vt planè vulgò homines plerúmque faciunt, optimæ naturæ, & incorruptis moribus authoritatem detrahat. Quare homines olim eos existimabant imperio dignos, quos exterior forma, & augusta persona commendabat. Qua de re nos aliquid in 1. cap. Danielis ad illud: *Pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma.* Ita sanè docuit Aristoteles l. 4. Polit. c. 4. vbi tradit id fuisse apud Æthiopes penè legitimum, *vt secundùm magnitudinem, aut secundùm pulchritudinem, magistratus, honoresque publici distribuerentur.* Idem Lucretius affirmat lib. 5. qui antiquissimis illis sæculis proximus fuit:

Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque,
Et pecudes, & agros diuisere, atque dedere
Pro facie cuiusque, & viribus, ingeniisque:
Nam facies multùm valuit.

Hoc ergo etiam Deus spectare voluisse videtur in eo, quem Hebræorum populo præposuit; ne quid in Rege suo Gens illa nouarum rerum studiosa requireret, quod Gentium pleræque in suis commendarent Regibus. Hoc autem extremum significatum puto in eo quod sequitur, quod quidem externam tantùm speciem ostendit, sicut quę proximè anteceſserunt, internam.

Regum quæ esse debeant naturæ bona.

Quæ facies reges deceat.

3. *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.*] Magna hominibus commendatio est à corporis proceritate, quæ etiam plurimum ad pulchritudinem facit; vnde qui corpore sunt pusilli, pulchri esse negantur. Sic Arist. lib. 4. Ethic. cap. 3. *Pulchritudo in magno corpore consistit: parui verò vrbani quidem sunt, & membris appositi; sed non pulchri.* Et qui fortes habiti sunt, & Heroës, iidem excelso, & magno corpore esse dicuntur. Sic Maro lib. 8. Æneidos de Anchise:

Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipsum
Laomedontiadem: sed cunctis altior ibat
Anchises.

Et idem lib. 7. de Turno, quem in re bellica strenuum prædicat.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.

4. Vers. 3. *Perierant autem asinæ Cis patris Saul.*] Sicut viri rusticæ, atque armentariæ rei studiosi greges alunt boum, equorum, & pecorum; sic. etiam asinarum ad asinorum sobolem, quorum in Palæstina neque exiguus est numerus, neque infrequens vsus. Cùm enim tunc equorum rarus esset, ac mulorum vsus, quia quadrigæ, ac currus perquàm rari ad ætatem vsque Salomonis; illorum vsum etiam honestum sustinebant asini, qui non solùm ferebant onera, aut trahebant aratrum, sed etiam magnorum Principum corpora cum dignitate portabãt. Quare sæpè audimus Iudices Israel, & illorum filios sedisse super asinos, qui non minùs antè alebantur delicatè, ac molliter, quàm nunc ad Principum gloriam, atque delicias nutriuntur equi. Sanè

Asinorum greges nutriri soliti.

nè Iudic.5. de Principibus dicitur,v.10. *Qui ascẽditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio.* Et de Iair Iudice Israel scribitur, Iudic.10.habuisse triginta filios, totidem ciuitatum principes, *Ascendentes super triginta pullos asinarum.* Et Abdon, Iud. 12. habuisse traditur *quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes ascendentes super triginta pullos asinarũ.* Quare cùm ad sarcinas, honestioresque vsus familiares essent asini in Palæstina, quorũ illi subiugales dicuntur, hi nitentes; non mirum, si viri etiam Principes, qui aliorum animantium copiosos aluerunt greges, asinarum quoque greges numerosos habuerint. Sic sanè Genes. 36. v. 24. Anna pauisse dicitur asinas in deserto. Et Iob.cap. 1.v.3. inter alios greges ouium, camelorum, & boum, quingentas asinas aluisse scribitur. Quod item fecit Iacob, vt constat ex Genes.cap.32.Sic, puto, Cis greges pauit asinarum, ex quibus deerrarunt aliquot, ad quas perquirendas missus est Saul.

5. *Et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum vnũ de pueris, &c. & quære asinas.*] Hîc nobis aliquid obseruandum, quod posteà magno erit nobis vsui ad expediendos nodos, qui valdè authoribus existimantur implexi. Quàm videlicet grandis natu fuerit Saul, quo tempore ad regnum vocatus: nã fuisse adolescentem probat, & quod negotium illi datum sit à patre, quod frequenter non nisi adolescentibus committi solet; vt scilicet per loca varia, atque aspera discurreret, qualia sunt illa maximè Palæstinæ loca, in quibus errant, & pascuntur armenta; quod non facilè admittit, aut patitur grandis ætas, & eo nomine ab eiusmodi laboribus immunis. Deinde, quia viri ætate iam grandi, quique rem possunt curare suam, non solent patriæ subesse potestati. At contrà stat, quia si adolescens tunc esset Saul, neque aptus videretur regno, quod non tam lacertos desiderat, & vires, quàm prudens, maturumque iudiciũ, quod secum importat ætas, & variarum rerum experiẽtia multiplex. Deinde, quia quo tempore regnũ iniit; id est, hoc ipso tempore, quo inuestigandis asinis operam dabat, filium habuit Ionatham, ea ætate vt Chiliarchus à patre cõstitutus sit; id est, præpositus mille viris: hoc verò munus adultam desiderat ætatem, robustum corpus, & prudentiã talem, qualem in iuuenili ætate non videmus. Hęc dubiam reddunt, difficilemque quæstionem. Ego paucis expediam, quid mihi magis videatur ad veritatem.

Saul qua ætate Rex electus.

6. Dico igitur, videri mihi plusquàm probabile, quo tempore Saul vocatus est ad regnum, annos esse natum supra quinquaginta, imò & parùm ab anno abesse sexagesimo. Id probabitur latiùs, vbi cap.13. explicabimus, quot annis Saul regnauerit super Israel; vbi statuemus duos tantùm annos tenuisse sceptrum, vt apertè docet litera. Id verò probari potest; quia statim atque regnum iniit, eius ętatis erat Ionathas, vt arma tractare, & exercitum moderari posset, vt constat ex lib.1. Reg. cap.13. & cùm mortuus est Saul, secũndo videlicet anno postquàm regnare cæpit, filium habuit annorum quadraginta: quare genitus est anno Saulis vt minimùm decimò sexto, aut decimo octauo; nam ante annum decimum sextũ, aut decimum octauum, vt communiter fert hominum natura, nondum est ætas gignendis liberis matura.

Saul non lõgè à sexagenario Rex electus.

7. Neque illa ratio vrget, quæ durum putat, & inusitatum, hominem tam grandem in domo adhuc contineri paterna, & patris subesse imperio, mittique ad opus, quod imponi solet illi, qui ætatis est vegetæ, & duris illis ministeriis idoneæ. Respondeo primùm, laborem illum non esse grauem, cùm iter illud non necesse fuerit pedibus conficere; id quod litera ipsa non obscurè indicat, cùm illi à patre datus sit comes viæ. Deinde inusitatum non esse, vt filij in ætate etiam graui sint in domo parentum, quandiu illi sunt in viuis, & illorum mandatis, sicut anteà iuuenes, obsequantur. Exempla sunt illustria in Scriptura sacra, quæ priusquàm adducam, obseruo vsitatum esse, & fortasse legitimum apud Hebræos, vt filij, qui iam familiam habent, & vxorem, in paterna tamen domo commorentur. Exemplo nobis esse potest Abessan, Iudic.12. v.8. qui ex more Gentium videtur coniugatos filios retinuisse apud se domi, & filias in domum parentum generorum suorum transmisisse. *Iudicauit Israel Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foris maritis dedit: & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores introducens in domum suam.* Quare non videtur Saul, tametsi coniugem haberet, & filios, excessisse ex parentis domo, neque illi parere desiisse, licèt hoc consuetudini patriæ obsecutus fecerit, siue pietate adductus, & parentis amore. Quòd verò filij ætate iam grandi, ex paterno non excedant limine, & patrum summittantur imperio, probat Iacob, qui multò erat Saule grandior, neque tamen sese à parentis emanciparat potestate: cùm enim egressus domo, vt fratris declinaret insidias, Mesopotamiam profectus est, septuagesimum septimum agebat annum. Quod ex eo liquet, quia quo tempore ingressus est Ægyptum, annum agebat centesimum trigesimum, vt habes Genes.47. quo tempore Ioseph annos natus erat triginta nouem: nam cùm locum obtinuit Regio proximum in Ægypto, annos iam impleuerat triginta; cùm verò pater in Ægyptum ingressus, ad Regis conspectum admissus est, iam septem anni vbertatis, & duo alij sterilitatis exacti fuerant. Quare Iacob centum & triginta anni in annos Ioseph triginta nouem inciderunt, quos si ex centum & triginta detrahas, reliqui erunt vnus & nonaginta Iacob. Ex his rursus detrahe annos quatuordecim (nam anno decimo quarto, ex quo Mesopotamiam attigit Iacob, natus est Ioseph) ex tota illa summa supererunt anni septuaginta septem, quot tunc habuit Iacob, cùm ex paterna domo egressus est, in qua patriæ suberat potestati. Quid igitur mirum, si Saul in paterna domo, eodem quo Iacob animo, apud patrem commoratus illius se submiserit imperio, cùm vir dicatur bonus, & animo fuerit vsque adeò modesto, atque humili, vt oblatum regnum, quàm maximo potuerit studio, recusauerit?

Filij in paterna domo etiam ætate grandi.

Iacob anno ætatis suæ 77. egressus è paterna domo.

9. Alterum exemplum fuit filiorum Iacob, quorum aliqui non longè aberant ab ea ætate, quam impleuisse dicebamus Saulem; nempe illi, qui primùm orti sunt è Lia, vt Ruben, Leui, Simeon, & Iuda. Hi tamen omnes cùm iam vxores duxissent, ex illisque numerosam filiorum syluam suscepissent, paternos tamen pascebant greges; & cùm iam illorum aliqui annum impleuissent quinquagesimum, aut ab illo non longè recessissent, missi sunt in Ægyptum, vt inde frumenta comportarent. Hæc omnia grauiora sunt, quàm quæ Sauli à patre negotia commendata sunt: quare

quare nihil hîc magnum, aut inusitatum appa-
ret in Saule.

10. Vers. 6. *Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit.*] Postquàm tot locis tam latè, sollicitéque lustratis, nullum inueniunt asinarum vestigium, ad patriam redeunt; sed accidit percommodè, vt per locum transirent, vbi tunc agebat Samuel, sicut maiorem anni partem solitus. Tunc autem ab ipsa Prophetæ habitatione admonitus seruus, quem viæ comitem habebat Saul, censuit ea de re consulendum esse Samuelem, cuius in rebus dubiis, aut etiam occultis explorandis, comperta iampridem fuerat admirabilis scientia, & cælitùs inspirata cognitio. Dicitur autem *nobilis*, non credo quoad natales spectat; sed quia multis nominibus notus, & suspiciendus in Israel: quia videlicet vir sanctus, quia Propheta, quia Iudex, quia domitis Palæstinis, & re Israelitica probè constituta, pace tunc, & otio fruebatur Respublica.

11. Vers. 7. *Quid feremus ad virum Dei?*] Quidam hoc esse putant diuinationis pretium, quasi aliter non putaret Saul fore, vt à Samuele aliquid diuinatorium audiret. Ita ex sententia Hebræorum dicit Hieronymus in Tradit. Hebr. & Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 5. Theodoretus q. 18. Sed mihi difficile est, tanti viri ingenium, tam exploratum omnibus, ignotum esse Sauli, qui non procul aberat à Ramatha, vbi & commune forum habuit Samuel, domicilium stabile. Quare, vt ego potiùs arbitror, ingenui est hoc, & obseruantis animi, non eius, qui emendum pretio putaret esse vaticinium. Licèt enim pseudoprophetæ, & qui spiritu instigabantur pythonico, venales haberent suas nugas, quas oracula nominabant diuina; quorum tunc erat non exiguus numerus: tamen de Samuele longè cogitabant aliter, cuius animum integrum agnouerant, & purum, & manus abstinentes à munere. Quare non agunt de vaticinij pretio, sed de stipe, aut eleemosyna, quæ pauperum leuat necessitatem; aut de munere, quo significatur in superiores obseruantia. Quo modo nemini ad Persarum Reges vacuis à dono manibus accedere licebat.

Magna Samuelis parsimonia, & tenuitas.

Vnde obseruare licet, quanta Samuelis fuerit modestia, quanta parsimonia, quando quodcumque donum, quantumcúmque leue, non existimatur, tanquam vile foret, & exile, ab illo repudiandum. Non dubitaret Saul, si modò panis aliquid superesset in sitarciis, illud adducere ad Samuelem; neque inurbanum putabat seruus Saulis offerre quartam partem stateris; id est, denarium vnum, qui ex viæ sumptibus supererat; quod item probauit Saul. Quod quidem eius est, qui mauult pauperis subuenire necessitati, quàm ornare locupletem, & Iudicem. Longè aberat Samuel, qui tenuiculo victu, atque paratu contentus erat, quique non dedignaretur tractari se vt pauperem, & eo haberi loco, vt neminem suppuderet, cum vulgari, ac rusticano munere ipsum adire: longè, inquam, aberat Samuel, vt immania subditis imponeret tributa, vt agros addecimaret, & vineas; vt subditorũ opes faceret suas, cùm exiguã illam siue stipẽ, siue donum lubens admitteret. Non autem sic qui Iudicibus Reges succesſere, qui cùm domos molirentur eburneas, insanas substructiones, & regios conciperent; id est, arrogantes spiritus; non facilè admitterent panes è sitarciis, aut sportulam, aut quartam partem stateris argentei.

Hîc nobis tria vocabula explicanda sunt. *Sitarcia*, Græcum est vocabulum, σιταρχία. Quæ vox commeatum significat, qui dari militibus solet; aut viaticum, seu demensum, quod pro diebus, aut mensibus singulis militibus, aut operariis datur. Hoc tamen loco pro manticis, aut sacculis viatoriis vsurpatur; in quibus aut operarij, aut milites suas portare solent alimonias: sumitur autem res contenta pro continenti; sicut contra res continens pro contenta; quo modo *poculum* sumitur pro *vino*; *discus* & *ferculum* pro *cibo*; quod est in omni lingua frequentissimum. Hebraicè est כליהם *kelenu*. quod idem est atque *in vasis nostris*, nempè in sacculo, aut pera. 12. *Sitarcia quid.*

Sportula propriè est quod sonat, nempè fiscella, aut cista; quia tamen in sportula demensa mitttebantur, seu diarij cibi, fit vt *sportula*, seu sportella sumatur pro victu diurno. Talia, opinor, munera mittebantur amicis, aut clientibus; aut his quibus de victu, siue clementer, & officiosè, siue ex lege, aut conuento prouidemus; quales sunt serui, aut qui nostra curant, aut qui eam ob rem fores frequentant nostras, & matutino tempore salutant. Hîc puto donum significat, quod officij, beneuolentiæ, aut obseruantiæ gratia mittimus; quale esse solet hospitale munus, quod *xenium* vocatur, aut quid simile. Hebraicè תשורה *tesurah*: quod hoc loco vulgatus *sportulam*, plerique alij *munus*, aut *donum* conuertunt. 13. *Sportula quid.*

Vbi Vulgatus, *quarta pars stateris*, Hebraicè, *quarta pars sicli*. Est autem *siclus* æreus, argenteus & aureus; hic autem *argenteus* est, & staterem Græcum valet, vt indicat Vulgati translatio. Est autem *stater* tetradrachmus; quare Saulis famulo reliqua erat è viatico vna drachma argentea, quæ denarium valet. *Staterquid.*

Vers. 9. *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.*] Hic dicendi modus multis diebus ante hæc tempora historiam scriptam esse docet: nam iam exoleuisse videbatur vox illa *Videns*, qua vsus est Saul; & eius loco suffecta vox *Propheta*; quam esse tunc in vsu docet sacer historicus. Ex quo dubitare quis posset, aut existimare potiùs, hæc non fuisse à Samuele conscripta, quando eadem fuerunt Saulis, & Samuelis tempora; quæ fuerunt extrema vitæ Samuelis. Et ita mihi videtur verisimile. Scripserunt, vt diximus Prolegomeno 1. & constat ex lib. 1. Paralip. cap. 29. in fine, gesta Dauidis priora, & nouissima, Samuel Videns, Natham propheta, & Gad Videns. Quare fieri potest, vt hæc, in quibus nostra in præsentia versatur commentatio, à Natham propheta scripta fuerint, qui nouerat Samuelem, qui ætate præcesserat, vocatum esse *Videntem*; cùm tamen ipse, qui propheticum etiam habuisset spiritum, non *Videns* diceretur, sed *Propheta*. Sed puto verum esse, quod communiter censent authores, ad caput vsque 25. historiam Saulis, & Dauidis à Samuele conscriptam. Neque huic cogitationi admodùm incommodat *videntis* compellatio: nam cùm Samuel à primis annis spiritu afflatus esset prophetico, cùm puer adhuc esset, *Videns* compellatus est; quia in prima Samuelis ætate eo nomine appellabantur Prophetæ: posteà verò exactis, vt opinor, annis quinquaginta, aut eo circiter, quando hæc texebatur historia, mutatum erat *videntis* in *prophetæ* nomen. Quòd autem nomen antiquum maneat in eo, qui illud 14.

REGVLA. *Nomina ā exoleta in aliquibus cōseruata.*

de se primis annis audiuit, etiamsi nomen iam obsoleuerit, nouum non est; & omnes, vt arbitror, nationes exemplis abundant. Apud Hispanos exempla sunt optima. Noui ego, cum adhuc essem adolescentulus, Sacerdotes iam ætate graues vulgò hominum appellari *Abbates*, cùm tamen Sacerdotes alij iuniores aliis compellarentur nominibus; quia posteriori illa ætate *Abbatis* nomen ab illo sacro ordine prorsus exciderat. Id autē ex eo prouenerat; quia illi primùm, cùm nomen illud adhuc esset in vsu, *Abbates* dicti sunt, qui verè, & optimè dicere possent de se: qui nunc dicuntur Sacerdotes, aut presbyteri, olim dicebantur *Abbates*; cùm tamen ipsi eodem tempore non aliud de se nomen audirent. Beda citatus hìc à Lyra, putat hæc verba non fuisse Samuelis, sed posteà addita ab Esdra, qui Scripturam exilij tempore restituit. Sed ego apud Bedam non inuenio, neque necesse puto ad hanc exoluendi nodi rationem confugere.

16. Vers. 12. *Hic est, ecce ante te.*] Verba sunt puellarum, quæ descenderant de vrbe, quæ erat in excelso loco sita; vt haurirent aquam siue de fonte, siue de cisterna: neque enim constat eo in loco aquam esse iugem. Illud *ante te* non significat ante Saulis oculos esse Samuelem, neque enim illū viderat, neq; vidit posteà, nisi cùm ingressus est ciuitatē. Illud igitur *ante te* locū designat, in quo tunc erat Samuel; sumitur enim locus pro eo, qui continetur in loco: erat autem Samuel ante Saulem, quia è conspectu Saulis erat locus, vbi tunc habitabat Samuel.

17. *Quia sacrificium est hodie populi in excelso.*] Quo tempore hæc agebantur, nullus erat locus in quo Tabernaculum esset, aut domus Dei: nam licèt structura tunc esset antiqui Tabernaculi, erat tamen ab Arca vacuū, quæ erat quasi forma, & vita Tabernaculi; Arca verò à Tabernaculo separata Domus Dei appellari non poterat: quare tunc non erat destinatus, ac certus sacrificio locus. Hinc fiebat, vt omnis locus rei sacrificali videretur opportunus, cùm intermitti religiosum illud opus non oporteret, neque locus vllus alio videretur magis idoneus, modò honestus, & pro rei tantæ sanctitate decens. Quare variis locis sub hæc tempora videmus, tum à Samuele, tum ab aliis fuisse sacrificatum. Qua de re nos satis multa cap. 7. in fine, & cap. 6. ad v. 14. & 15.

18. *Excelsus locus sacrificio cur magis idoneus.*

Sed licèt omnis locus in eo rerum articulo non videretur importunus; tamen aptissimus omnium visus est, qui non esset depressus, & obscurus propter arbores densas, & lucos, quos deorum suorum religioni sacrauit delusa Gentilitas; licet hæc excelsa quoque loca impiæ religionis abominatione polluerit. Sed in excelsis oblata præsertim fuisse sacrificia, indicat illud lib. 3. Reg. cap. 3. vbi sic Salomonis tempore antequam ædificatum esset Templum: *Populus immolabat in excelsis; non enim ædificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum.* Et statim v. 4. inter omnia excelsa maximum esse dicitur Gabaon; vbi cùm Salomon mille hostias in holocaustum obtulisset, apparuit illi Deus, dixítque: *Postula quod vis, vt dem tibi.* Quod signum est, neque locum, neque sacrificium displicuisse Deo. Sed in excelso Gabaon alia fuit ratio, quæ honestaret Salomonis victimas, vt dicemus suo loco.

19. Quod autem fuerit excelsum istud, in quo sacrificatum est à Samuele, incertum est, cùm potuerit esse locus sublimis, à populari strepitu secretus extra vrbem, aut in ipsa vrbe. Ego potiùs in vrbe reor esse sacrificatum; quia in eo videtur esse paratum conuiuium, & reliqua peracta, quæ à sacrificiis separari non solent. Et quidem in sublimē locum fundatam esse ciuitatem multa docent. Nam v. 11. Saul ascendisse dicitur in cliuum ciuitatis; & statim v. 14. ex cliuo adhuc in ciuitatem ascendisse. Nihilominùs puto excelsum illud fuisse extra vrbem, popularemque turbam; alioqui non erat, cur admonerent puellæ, vt festinaret, quò inueniret Samuelem in vrbe, antequàm ascendat in excelsum.

20. Hìc Rab. Salomon, vt Lyra refert, & Abulensis, aliquid somniauit suo dignum ingenio. Ait enim puellas longiorem protraxisse sermonem, quàm oporteret, cum Saule; vt illius eximia pulchritudine liceret frui, quem omnium videbant esse pulcherrimum. Quàm honestum fuerit suo generi, virgines habere tam in loquendo profusas, & in videndo leues, ipse viderit.

21. *Mensa benedici atque sacrari solita ante cibum.*

Vers. 13. *Quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt, qui vocati sunt.*] Hinc colligunt multi, & sanè meritò, vsitatum esse quondam Hebræis, sacrare mensam, quæ ante benedictionem videretur profana. Quod certè fecit Christus, iuxta piam, opinor, populi consuetudinem; de quo Lucæ cap. 24. v. 30. *Accepit panem, ac benedixit, ac fregit.* Benedixisse item dicitur, & fregisse panem, quo tempore quinque panibus, & duobus piscibus multa hominum millia pauit in solitudine, vt scribit Lucas cap. 9. v. 17. Matth. 14. v. 17. Mar. 6. v. 38. Sanè egisse Hebræos de more gratias post sumptos cibos, diximus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 5. *Et opus Domini non respicitis.* Cuius rei Hebræos habuisse aliquod præceptum, indicat illud Deut. cap. 8. v. 10. *Vt cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Eò spectant quæ dicuntur Psal. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Et Hymnus, quem Christus cum Discipulis peracta cæna modulatus est. Nunc verò Iudæi, vt ex eorum rituali libro constat, seorsum cibum, & potum benedicunt. Imò & quoties nouum aliquid in mensam adducitur, siue illud poculētum, siue esculētum sit aut etiam quod odorandi sensus oblectet, benedictio, & gratiarum actio iterùm, & sæpiùs iteratur. Dicunt autem tunc, vt est in rituali ipsorum: *Benedictus sis Domine Deus noster creator, qui bonus es, & bene facis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus*, &c.

Luc. 14.

Gratiæ agi solitæ post cibum.

Psal. 21.

22. Reuelare aurē *quid.*

Vers. 15. *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis.*] Pridiè quàm ad vrbem accederet Saul, iam Dominus de illius aduentu Samuelem admonuerat. Atque eam ob rem partem illi victimæ seruarat, in qua Regij muneris, ad quod destinatus erat, pondus, & labor exprimebatur. Reuelare autem aurem, ex Hebræorum idiomate; nihil est aliud, quàm verbis aliquem docere, & illi, quod erat occultum, aperire. Sumitur autem antecedens pro consequenti; id est, dispositio aurium, vt cum fructu, & intelligentia audiant, pro ipsa doctrina, quæ dispositis, seu reuelatis auribus instillatur. Quod cùm in omni auditione necessarium sit, (neque enim opertæ, & obseratæ aures vocem excipiunt) multò magis quando loquitur Deus: quia tunc aures humano maius aliquid audiunt, & magis arcanum

arcanum, quàm vt à natura comparatæ, atque disposítæ capere possint. Atque ideò in Scriptura frequens est, cùm Dominus aliquem alloquitur, *aperire*, siue *reuelare aurem*. Iob. 33. v. 16. *Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* Isaiæ cap. 48. v. 8. *Neque audisti, neque cognouisti, neque extunc aperta est auris tua.* Et cap. 50. *Dominus aperuit mihi aurem, & ego non contradico.* Hoc etiam aliquando de hominum sermonibus accipitur; infrà cap. 20. v. 13. Ionathas ad Dauid: *Reuelabo aurem tuam, & dimittam te.*

Iob. 33. Isai. 48. Isai. 50.

23. Vers. 16. *Quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.*] Quærere hîc non nemo posset, quomodò hæc consentire possint cum his, quæ cap. 8. v. 18. dixit Deus, vbi negat audiendas esse populi voces, cùm in afflictione clamauerint. Sed non est difficilis solutio; Deus enim non omninò negat futurum se facilem, & exorabilem populi clamoribus, cùm aliquid acciderit aduersum, & durum; sed cùm aliquid patietur à Regibus, quos ipse sibi præponi voluit, & quorum leges antè prædixerat. Nunc autem non oritur dolendi causa à Regum inclementia; sed ab hostium, qui tunc aut vexabant Hebræorum fines, aut venturi propediem timebantur, iniuriis. Qualis fuit Naas Rex Ammonitarum; aut Palæstini, qui sub hæc extrema Samuelis tempora aut ingressi fuerant, sicut anteà sæpè, in terram Hebræorum, & grauibus illam detrimentis affecerant; quod mihi valdè probabile est. Qua de re posteà redibit sermo cap. 13. v. 19. Aut certè cùm res esset Ammonitarum irruptione turbata, venturi credebantur, cùm aditum ad vlciscendas veteres iniurias apertum viderent.

24. Vers. 20. *Et cuius erunt optima quæque Israel? nonne tibi, & omni Domui patris tui?* Conditionata isthæc promissio est, quæ regnum Sauli, & eius posteritati in perpetuum offert; si diuinis nempè præceptis obsequatur. Quod posteà satis explicuit Samuel, cap. 13. v. 13. qui sic ad Saulem; *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Deus regnum tuum super Israel in sempiternum.* Porrò illud, *optima quæque Israel*, regnum est, quod hominum opinione optimum existimatur, & summum; tametsi qui bene hæc, & ab omni cupiditate, atque ambitione liberati cogitant, onus potiùs, quam honorem esse meditantur.

25. Vers. 21. *Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel?*] *Filius Iemini*, aut *vir Iemini*, idē est, qui Beniaminita. Adiectiua quippè nomina, quę vel à maioribus, vel à patria deriuantur, quæque latiori forma appellari possent patronymica, hanc plerūque terminationē habent, vt עברי *hibri* Hebræus, מצרי *misri*, Ægyptius, לוי *Leui*, Leuita, ישראלי *iisraeli*, Israelita. Sic etiam ימיני *Iemini* idem est, quod Ieminita, seu Beniaminita. Deinde obseruandum, sæpe ex nominibus compositis vnam tantùm conuerti compositionis partem. Quod ostendimus in cap. 7. Isaiæ n. 5. vbi qui dicitur *relictus Iasub*, Hebraicè est *schar iasub*: vbi prior pars Latinè conuersa est, posterior mansit inuariata.

REGVLA. *Ex Hebraicis nominibus compositis vna tantū pars compositionis conuerti solita.*

26. Præterea, quia hoc nomen *Iemini* in hoc libro frequenter occurrat, obseruandum item est, in nomine composito vnam interdum partem compositionis omitti, & frequenter priorem. Qui Iudith cap. 4. v. 5. & 11. vocatur *Eliachim*, idem sublata priori parte cap. 15. v. 9. vocatur *Ioachim*. Est autem *Ioachim* idem, qui *Iachim*. Ierusalem

REGVLA. *Ex nominibus compositis interdum pars prior omittitur.*

A *Salem* vocatur, & Hierosolyma *Solyma*. Et qui Gen. 19. dicitur *Ben ami*; id est, *filius populi mei*, communiter vocatur *Amon*, qui & *Ami*. Qui 1. Paralip. cap. 20. v. 5. vocatur *Bethlemites*, Hebraicè *Lemites* dicitur. Et Ruth cap. 1. *Bethlehem* in Hebraico textu priorem partem deterit, & vocatur *Lehem*.

Ex his constat *Iemini* sublata priori parte, idē esse, quod *Beniemini*; seu *Beniaminita*; item *filius Iemini*, vbi ex dictione composita prior tantum Latinè conuersa est. Et sanè Septuaginta nō proprium viri nomen esse indicant, sed patronymicum, dum *virum Iemini*, conuertunt *virum Iemineum*; id est, ex familia Beniamin: & aliquando B expressè de terra Beniamin, vt infrà cap. 22. v. 7. & lib. 1. Paralip. c. 27. v. 12. Et apertè Chaldæus hanc vocem semper transfert *filium Beniamin*. Et in hac ipsa materia est argumentum; nam Cis Saulis pater, qui hoc loco vocatur *filius viri Iemini*, eodem appellatur nomine Esther c. 2. v. 5. vbi Mardochæus dicitur *filius Iair filij Semei, filij Cis, de stirpe Iemini*. Et idem cap. 11. v. 2. dicitur *filius Iair, filij Semei, filij Cis de tribu Beniamin*. Vbi aliorum nominum consensio manifestè probat, *Iemini* non esse alium, quàm qui de Beniaminitica familia natus est. Contrarium tenuit Abulensis; sed hæc sententia firmiori authorum, atque rationum fundamento nititur.

27. *Filius, seu vir Iemini, idem qui Beniaminita.*

C *De minima tribu Israel.*] Non ideò minima vocatur Tribus, quia minimus fratrum omnium fuit Beniamin; sed quia propter fœdum, atque inauditum scelus, quod in Leuitæ vxorem admisit in Gabaa, aliarum Tribuum conspiratione ad paucos numero ex magna multitudine redacta; ad viros nempè sexcentos, qui, cæsis aliis, ad petram Remon confugerunt. Iudic. cap. 20. v. 47. vsque adeò verò Tribus illa sub illud tēpus vilis habebatur, vt nullo penè haberetur in numero. Quare cùm constet ex duodecim Tribubus duas adhęsisse domui Dauid, decem aliis ad Ieroboami castra dilapsis, vna tamen Tribus Iuda secuta dicitur domum Dauid, quia Tribus Beniamin nulla D tunc post stragem illam, quæ non dudùm antè contigerat, censebatur. Lib. 2. Paralip. c. 11. de Roboam scribitur: *Imperauit super Iudam, & Beniamin.* Et duæ istæ Tribus in Scriptura sæpe inueniuntur cōiunctæ; nihilominus vna tantùm tribus secuta dicitur domum Dauid. 3. Reg. 11. sic Ahias propheta ad Ieroboam: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid.* Et cap. 12. *Nec secutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iuda solam.* Et l. 4. Reg. c. 17. *Iratúsque est Deus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodò*: Cùm tamen constet Tribum Beniamin nunquam esse separatam à Iuda. E Vnde etiam factum, vt Beniaminitæ penè nomen amiserint, & communicata cum Iuda appellatione dicantur ipsi quoque Iudæi. Sic sanè vocatur Mardochæus sæpè, quem tamen, vt diximus, constat fuisse de stirpe Iemini, siue de Tribu Beniamin. Quare non sine aliqua ratione suspicabatur Saul, ingratum futurum aliis Regium nomen, si in illa familia consedisset, quam omnes præ suis nullo prorsùs habuissent in pretio. Id verò, quod addit, suam cognationem inter alias familias omnes de Tribu Beniamin fuisse nouissimam, non est vnde id habere possimus, nisi ex hoc Saulis de sua cognatione testimonio. Ex quo intelligimus, quàm haberet animum alienum

28. *Tribus Beniamin cur omniū minima.*

Tribus Beniamin adscripta Tribui Iuda.

3. Reg. 11.

3. Reg. 12.

Mardochæus cùm esset de Tribu Beniamin cur vocatus Iudæus.

num à regno, qui tot opponit, aut fortasse fingit impedimenta.

29. *Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?*] Quærunt hîc aliqui, vndenam colligere potuerit Saul, se ad regnum à Propheta vocari, cùm Samuelis verba magis essent obscura, quàm ab homine armentario, ac rustico possent intelligi? Hebræi (vt author est Hieronymus in tradit. Hebr.) aliquod existimant illius honoris Saulem habuisse præsagium. Quia viderat, inquiunt, per somnium se in palmæ vertice collocari, vnde coniectarat parari sibi regnum, & illud iam animo securo conceperat. Sed hæc Hebræorum sunt commenta, qui dum aliquid producant ad plausum, de veritate non admodùm laborant. Sed planè nimis esset pinguis, & tardus, qui in verbis Samuelis nõ intelligeret, quod esset in Israelitide Republica summum, regnum videlicet, aut supremum ordinem, qualem obtinuerunt Iudices Israel, antequàm in illo populo Regium nomen esset auditum. Præsertim cùm ignorari non posset, quod maiores natu proximè tam obstinata contentione postulassent; qui cùm essent ex omnibus Tribubus, verisimile est iam per omnes Tribus latè fuisse dispersum.

30. Vers. 22. *Introduxit eos in triclinium.*] Sicut sacrificium peractum, sic etiam conuiuium instructum fuerat in excelso extra ciuitatem, vt constat ex vers. 25. vbi exacto conuiuio de excelso dicitur Samuel descendisse in oppidum. *Comedit*, inquit, *Saul cum Samuele in illa die: & descenderunt de excelso in oppidum.* Quid sit *Triclinium*, nemo nescit; propriè significat locum tribus lectis discubitoriis instructum; hinc ducta nominis notatio; vsus tamen latior est, & ad omnem locum extenditur, vbi conuiuæ siue discumbunt in triclinari lecto, aut alio etiam modo, siue assident mensis. Vox sanè Hebraica שכתה *sechathah*, ita accubitum significat, vt nullum præterea connotet numerum. *De triclinio* multa profani, quæ hîc referre eius est, qui diffluat otio, & illo abuti honestum esse ducat.

Vers. 24. *Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul.*] Cùm accepisset Samuel à Domino
31. *Onus Regũ graue.* sequenti die, & hora etiam certa venturum esse hominem, quem regno iam anteà destinarat; decreuit statim illum ad conuiuium accersere, atque ideò partem illi victimæ reseruauit, à qua ipse quasi hieroglyphico symbolo cognosceret, quid à se Regium nomen, & titulus exigeret; pondus videlicet esse graue, quod Gygantæos humeros requirat, imò quod gygantæos frangat humeros, & vires debilitet. Seruarat autem ex Samuelis præscripto cocus armum pro Saule, quæ pars supponi solet oneri. Quare sicut è victima armus debetur Sacerdoti, quia ille pro sui muneris ratione neque cessare debet ab opere, neque à labore, atque molestia liberari: sic quia Regum institutum & cura non longè absunt à Sacerdotum assiduo, atque molesto pondere, armus illi de toto victimæ corpore conceditur, quia ille de totius populi corpore, quod immolata victima repræsentat, armus est, aut humerus destinatus oneri, si modò Regij nominis indignus censeri non vult. Fuit optimus Princeps, & Principum forma, & specimen Emanuel; id est, *nobiscum Deus*; qui tamen vt tanti nominis mensuram impleret, labores subditorum tulit, & dolores portauit, qui virgam regni suis imposuit humeris, non declinauit in alienos. De quo Isaias cap. 9. v. 6. *Factus est principatus super humerum eius.*

Vbi Vulgatus *armus*, Hebraicè est, שׁ֫ *soc.* Septuaginta reddunt κωλαιὰν: id est, *pernam.* Aquila Κνήμην: id est, *crus*, seu tibiam; vtrumque valet vox Hebraica, & eandem vtrumque significationem habet allegoricam. Nam vt crura totum sustinent corpus, & eo consilio formata videntur à naturæ, vt oneris aliquid perpetuò subeant; atque ideò plurimùm dedit ex ossea, parùm autem de carnea materia, quia hæc mollis est, & infirma: sic etiam Regem osseum esse oportet, quem non incuruet, aut frangat imposita moles; non carneum, qui facilè labatur, & defluat. Item neque nimis extolli debet, quantumcumque aut nimis blandus, aut plus satis timidus populus aduletur; sicut neque crus, quantumcúmque graue portet onus, & suum munus peragat strenuè, ideò subesse desinit toti corporis moli; neque recusare potest, licèt vehementer horreat, atque repugnet, quominùs ferat necessarium, & naturale pondus. Ita Thodoretus: *Sicut hæc*, inquit, *cùm sint breuiora aliis membris animalis, portant totã molem compacti corporis, & firmiter suffulciunt: ita etiam Regium robur etiamsi ad virum vnum contrahatur, sustinet totum corpus reipublicæ, & non sinit cadere.*

Qualis Rex futurus, aut qui aliis præst.

Quia de industria seruatum est tibi.] Non temere Samuel partem illam victimæ Sauli segregauit; vt aliquid nempe disceret ex illo hieroglyphico signo: illud nimirùm, quod proximè in armo, siue tibia significari diximus. Neque enim hæc in animali maximè sunt siue ad palatum, siue ad valetudinem apta; esse tamen in deliciis docet Ezechiel cap. 24. v. 3. *Congere frusta eius in eam omnem partem bonam, femur, & armum:* Vbi nos ea de re nonnulla. Talia autem hoc signo exigit à Rege, qualia lex sacrificalis exigit à Sacerdote. Datur autem Sacerdoti de victima armus dexter, in quo plus est roboris, atque constantiæ; non siniſter, qui citiùs lassescit, & claudicat, & in quo ad laborem, & pondus multò minùs est roboris; quem puto à Samuele datum esse Sauli, quia sicut Sacerdotis, sic etiam Regis officium commendat, & ministerium adumbrat. Origenes homil. 5. in Leuiticum ad illa verba cap. 7. v. 32. *Pectusculum autem erit Aaron, & filiorum eius; armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis.* Cuius verba adducere non grauabor, quia non minùs Regium, quàm sacerdotale officium declarant: *Quod*, inquit, *sacerdotis pectus, aut quale? Plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni diuina intelligentia, imò plenum Deo. Quale brachium?* (in brachio armum etiam intellige) *multa sollicitudo, labor, vigiliæ, quibus conuertat peccatorem.*

Qualis esse debeat sacerdos.

Vers. 25. *Et locutus est cum Saule in solario.*] Pro solario Hebraicè est גג *Gag*, quæ *tectum* significat, actiuum nempe; id est, quod regit domum, quale est in Palæstina, quod appellatur *doma*, seu *solarium*; tectum videlicet planum, & deambulatorium, quod Hispani vocant *terrado.* Hoc verò loco sæpe *solarium* dicitur, quia cælo, ac soli patet; qui locus aptus est familiaribus colloquiis, quæ amici mutuò inter se conferunt deambulãtes. Sed quomodò lectus Sauli in solario constratus, in loco nimirùm subdiali? Nã locus apertus neque honestus est, neque salubris, neque conueniens illi, quẽ honorare volumus; vt certè Propheta voluit illum, quem futurum esse Regem antè cognouerat. Respõdeo, tempus fortasse fuisse æstiuum, quare nihil esse timendum

Solarium quid.

à cælo

à cælorum inclementia, illis præcipuè qui vitam egissent ruri, neque fortasse aliud cubiculum admisit Saul, quod splendidiùs instruxerat Propheta, propter modestiam; aut certè in solario tabernaculum fixerat, sicut in agro faciebant in Palæstina viri etiam delicati, ac Principes, maximè cùm haberent iter; quale Absaloni positum est lib. 2. cap. 16. v. 22. Hebræi codices nihil habent de lectulo in solario Sauli constrato, neque Chaldæi, neque translationes nouæ, neque Latinorum quamplurimi, quos refert ad hunc locum Franciscus Lucas; habent tamen codices A à Sixto correcti. Si partem illam tollas, res minus habet difficultatis, quia confabulari homines commodè, non ita tamen commodè cubare in solario possunt. Sed potuit ea esse temporis ratio, atque commoditas, vt commodissima fuerit subdialis illa dormitio. De solario sic Hieronymus ad Sumniam, & Fretellam, non procul à fine: *In Palæstina*, inquit, *& Ægypto, vbi vel scripti sunt diuini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel Solaria, vel Menniana vocant; id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustinentur.*

IN CAPVT X. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM primùm Samuel sine arbitris cum Saule agere potuit, illum inunxit, Regemque salutauit, prædixitque fore, vt populum ex eo die suæ creditum fidei ab hoste vicino liberaret; & ne de præfectura, & rerum euentu sollicitus ambigeret, signis illum firmissimis in illa prædictione confirmat. Quorum vnum fuit, occursurũ ipsi Prophetarum cuneum, & diuino insiliente spiritu, vaticinaturum cum ipsis & alium futurum esse deinceps, atque fuisset ad illum vsque articulum rerum: & ita prorsùs ad vnum contigerunt omnia. Quod cùm alij, qui ipsius antè mores, & ingenium agnouerant, intuerentur, tam subitam, tantamque mutationem admirati, quasi instar esset prodigij, dicebant inter se: Num & Saul inter Prophetas? *Quæ vox ex eo tempore Hebræorum vulgò prouerbiali in specie vsurpari cœpit. Cùm autem redisset domum, deque rebus aliis esset multa loquutus; de regia tamen designatione mirum silentium. Samuel verò postquàm eò res deducta fuit, comitia populo confestim indixit; & cùm acerbiùs foret in populum inuectus, cùm tandem ad Regis electionem ventum est, rem totam statuit committendam esse sortibus, quæ Saulem ex omnibus Regem declararunt. Qui tamen cùm tantum nomen, & pondus horreret, abdiderat sese, neque fortasse tam facilè esset inuentus, nisi latentem ipsum Dominus prodidisset: tunc autem frequens populus Regem salutauit, & sequutus est illum, cùm in patriam secederet; licet ex eo numero non pauci electionem, & Regem fastidirent, quasi nihil ab illo, aut sani, aut commodi sperari posset.*

CAPVT DECIMVM.

1. TVlit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem.

2. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulcrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicéntque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

3. Cúmque abieris inde, & vltrà transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad B Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.

4. Cúmque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

5. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum: & cùm ingressus fueris ibi vrbem obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum C & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.

6. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.

7. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

8. Et descendes ante me in Galgala, ego

(ego quippe descendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.

9. Itáque cùm auertisset humerum suum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

10. Venerúntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obuius eis: & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.

11. Videntes autem omnes qui nouerant eum heri & nudiustertius, quòd esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?

12. Respondítque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? propterea versum est in prouerbium: Num & Saul inter prophetas?

13. Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum.

14. Dixítque patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quò abistis? Qui respónderunt: Quærere asinas: quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuelem.

15. Et dixit ei patruus suus: Índica mihi quid dixerit tibi Samuel.

16. Et ait Saul ad patruum suum: Indicauit nobis quia inuentæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei quẽ locutus fuerat ei Samuel.

17. Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maspha:

18. Et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos.

19. Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis & tribulationibus vestris: & dixistis: Nequaquam, sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per familias.

20. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors tribus Beniamin.

21. Et applicuit tribum Beniamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus.

22. Et consuluerunt post hæc Dominum, vtrumnam venturus esset illuc. Respondítque Dominus: Ecce absconditus est domi.

23. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde: stetítque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum.

24. Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex.

25. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino: & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

26. Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

27. Filij verò Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera, ille verò dissimulabat se audire.

IN CAP. X. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1 *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius.*]

Reges vngi soliti in Israel. 1. HIc nobis paulisper immorandum est, quia in his libris sæpiùs occurrit vnctionis nomen, quo in Israele, & Iuda designantur, & quasi inaugurantur, & initiantur Reges, vt apparet in Saule, in Dauide, in Salomone, & in Iehu, & aliis; de quibus suo loco pluribus. Et primùm non inuenio de hac Regum vnctione vllam in Scriptura sacra legem sicut de sacerdotali: vsum tantùm reperio, illúmque, vt apparet ex ipso loquendi modo, legitimum; quando Deus vngi iubet eos, quos regno præfectos esse vult. De Saule habes statim cap. 15. v. 1. *Dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem.* Et cap. 16. v. 1. *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam ad Isai Bethlehemitem; prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Et lib. 4. Reg. cap. 9. v. 1. Elisæus iubetur à Domino vngere Iehu.

Item Reges externi. 2. Secundò, videtur longè ante hæc tempora in vsu fuisse in his populis, quos habuit sibi finitimos Terra promissionis, vt vnctio legitimo ritu designaret, atque inauguraret Reges. Id indicat longè ante hæc tempora apologus, quo ad Sichimitas vsus Ioatham, Iudic. cap. 9. vbi v. 8. dicitur: *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem.* Et v. 15. vbi Vulgatus habet: *Si verò me vobis Regem constituitis.* Hebraicè est, משחים *moschim*: id est, *vngitis.* Apologi autem, & allegoricæ omnes

omnes locutiones ex eo plerumque sumuntur, quod magis vsitatum, & notum est. Sanè Reges Syriæ legitima quadam vnctione inaugurari solitos discimus ex lib. 3. Reg. c. 19. vbi Deus Eliæ iubet, vt Azaelem Syriæ Regem vnctione designet. Vide Serarium in cap. 9. Iudic. q. 10.

3. Tertiò, hæc vnctio effusione fiebat in Regum capita; vt apertè docet hic locus, qui sic habet: *Et effudit super caput eius.* Et eadem verba adhibentur 4. Reg. 9. in vnctione Iehu. Quare figmentum merum est id, quod tradit Rab. Salomon, vt refert Lyra 3. Reg. cap. 1. ait enim Rabbinus iste, vnctionem hanc fieri in fronte inter palpebras per modum coronæ. Quod item refert Genebrardus ad illud Psal. 88. v. 21. *Oleo sancto meo vnxi eum*: vbi latè agit de hac Regum vnctione. Sicut Abulensis hic per plures quæstiones; vbi multa quærit, quæ nos hùc strictim in pauca redigemus, eo ordine quo ab ipso tractata res est.

Quo in loco vncti Reges.

4. Primò dubitat, an Reges, qui vncti dicuntur in Scriptura, aut etiam alij, quos etiamsi Scriptura taceat, vnctos tamen fuisse verisimile est; vncti fuerint oleo communi, vel sacro. Ac tandem statuit, vtroque oleo Reges potuisse, aut solitos esse perungi; & adducit exemplorum satis, quo vtrumque factum esse probat. Primùm dicit, cùm Dauid vnctus est in Regem super Iudam, non potuisse oleum adhiberi sacrum; quia illud tunc erat in Gabaon, quò translatum fuerat Tabernaculum; Gabaon autem tunc tenebatur ab Isboseth filio Saulis, quocum tunc erat Dauidi longa concertatio. Deinde quia Elias profectus est in Damascum, vt vngeret Azeal Regem Syriæ, lib. 3. Reg. cap. 19. & Iehu Regem Israël: sed tunc quia procul aberat à Tabernaculo, non potuit secum oleum afferre sacrum; quia tunc non est profectus ex eo loco, vbi tunc erat Tabernaculum; sed ex Oreb, aut Sinai, vbi sacri olei copia non erat.

Quo oleo Reges vncti.

5. Quòd verò ad Regum vnctionem sacrum aliquando adhiberetur oleum, probat apertè Salomonis vnctio. De quo 3. Reg. cap. 1. *Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & vnxit Salomonem.* Oleo prætereà sacro vnctum esse Dauidem, ipse docet Dauid Psal. 88. v. 21. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.* Hoc idè oleum effusum esse super caput Saulis licèt quibusdam videatur aliter, mihi est valdè verisimile; quod etiam putat Abulensis. Primùm, quia idem Samuel, qui vnxit Dauidem oleo sacro, idem etiam vnxit Saulem, vtrúmque ex imperio Domini: neque grauior erat tunc ratio, cur alter sacro, alter vulgari, atque profano vngeretur oleo, cùm vterque tunc esset iustus, & vterque futurus esset Rex in Israël. Et quidem vt vngeret Saulem, multò faciliùs posset sumere ex Tabernaculo sacratum oleum, cùm summam in Israële, atque in Templo potestatem haberet, quàm cùm Saulis loco posteà vngere voluit in Regem Dauid. Tunc enim timebat vehementer Saulem, neque proficisci audebat in Bethlehem, vt constat ex cap. 16. v. 2. *Et ait Samuel, quomodò vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me.*

Oleo sacro aliquando Reges vncti.

Psal. 88.

6. Non displicet mihi Abulensis cogitatio, sed puto illam cum aliquo discrimine esse intelligendam; quam ego hoc modo sine aliquo incommodo videor temperare posse; vt si quando Rex esset vngendus Israëlis, cùm nondum erant decem Tribus ex magno illo corpore distractæ, aut post diuisionem illam Reges Iuda; tunc sacrum adhiberi oleum, & vnctionem fieri à sacerdotali manu, aut ab eo, qui sacerdotalem habuit potestatem; qualis fuit Samuel, aut alius fortasse Propheta. Quo modo vnctus est Saul, Dauid, & Salomon, qui Reges fuerunt Israël. Et Reges posteà Iuda, quos vnctos omnes fuisse arbitror; licèt nihil de illorum vnctione Scriptura doceat. Sic sanè Ioas, de quo 4. Reg. 11. & 2. Paralip. 23. v. 11. *Et constituerunt eum Regem, vnxit quoque illum Ioiada Pontifex, & filij eius.* Et 4. Reg. 23. v. 3. Ioachaz: *Vnxerunt eum, & constituerunt eum Regem pro patre suo.* Et Absalom, cùm Rex esset à populo proclamatus, vnctus quoque fuisse dicitur, 2. Regum, cap. 19. v. 10. De Regibus autem Israël, postquàm decem Tribus à duabus aliis fuere dissectæ, alia ratio est, qui non tã fuerunt sacro, quàm oleo communi delibuti.

7. Secundò dubitat, quænam fuerint ceremoniæ in constituendo, atque inaugurando Rege: & dicit, licèt aliquot ceremoniæ in Regum constitutione fierent; illas tamen inductas esse à consuetudine potiùs, quàm à lege. Primùm infundebatur oleum super Regis caput, vt docent exempla superiùs adducta. Offerebantur item victimæ; quod probat hæc ipsa Saulis inauguratio: nam quando publicè Saul Rex est constitutus, immolatæ sunt victimæ, vt habes cap. 11. in fine. Et 2. Reg. 15. v. 12. immolatæ sunt victimæ, cùm Rex est proclamatus Absalom. Sicut etiam 3. Reg. cap. 1. v. 9. cùm Rex proclamari voluit Adonias, antecesserunt holocausta. Deinde in Regis manum tradebatur lex, cuius Rex esse deberet custos, & vindex; quod solum video ex omnibus ceremoniis à lege præscriptum. Deuter. cap. 17. v. 18. *Postquàm autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus; & habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Hoc autem extremum seruatum esse puto in electione, & inauguratione Saulis; licèt nihil habeamus in Scriptura expressum. Neque enim verisimile est, legem illam ignoratam, aut prætermissam esse à Samuele, qui legem habuit familiarem; neque parum habuit otij, vt videret quid in constituendo Rege publica forma opus esset facto.

In rege constituendo immolatæ victimæ.

Liber legis Regi dari in electione solitus.

8. Ad extremum accedebat gratulatio populi, & acclamatio festiua, quæ Regi & vsuram vitæ longam, & perpetuam felicitatem precabatur, hac solemni forma, aut alia simili: *Viuat Rex.* Quod audiuit de se Adonias lib. 3. Reg. v. 25. cùm acclamauit populus, *Viuat Rex Adonias.* Et ibidem v. 39. acclamatum est, *Viuat Rex Salomon.* Hæc fermè omnia seruata sunt in Rege Ioas lib. 4. Reg. cap. 11. v. 12. *Produxitque* (Ioiadas Sacerdos) *filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium* (id est, legem, seu Deuteronomium) *feceruntque eum Regem, & vnxerunt, & plaudentes manu dixerunt; Viuat Rex.*

Gratulatoria acclamatio in constituendo Rege.

9. Quòd verò dicitur osculum libatum à Samuele, non puto ortum habuisse à lege, vel à consuetudine; sed potiùs à beneuolentia: neque enim in aliorum Regum constitutione quicquã de osculo in Scripturis habemus; esse autem hoc etiam inter extraneos familiare beneuolentiæ signum, nemo ignorat. Quare non dubito, etiamsi oleum in Saulis caput non foret effusum, non

esse illius oſculi omittendum officium, quod ſolet conſociare animos, coniungere ſtudia, & inter duo etiam corpora, quoad eius fieri poſſit, nullam esse diſtantiam. Quod maximè eo tẽpore videbatur esse neceſſarium, cùm Rex tunc imperitus, & nouus, à Samuelis conſilio datam ſibi deberet gubernare rempublicam.

10. *Tulit autem Saul lenticulam olei.*] Non dubium, quin *lenticula* vas ſignificet, ſeu guttum olearium; cur tamen ita dicatur, non eſt adeò explicare promptum. Abulenſis à liniendo dictum putat, quia oleum, ſeu balſamum, quod in eo continetur vaſe, emollit, & linit: quod ſumpſiſſe videtur ex Iſidoro lib.20. cap.7. Alij à figura, quia in lentis ſimilitudinem efformatum eſt; & hoc mihi potiùs. Sed huic cogitationi nonnihil incommodat, quod vox Hebraica, פך *pac*, non ſignificat lentem, ſeu lenticulam, ſed generaliter *vas*, quod effundit, quem habet liquorem; qualis eſt guttus, ſeu gutturnium, aut ampulla, quæ ideò recipit in ſe vnguentum, vt guttatim inſtillet, & conuiuas, aut menſam, aut aliquid

11. aliud conſpergat, & irroret. Ego hîc diu hæſi, & in huius nominis inueſtiganda ratione aliquid operæ, & ſtudij poſui; Dicam hîc breuiter meam coniecturam. Ego *lenticulam* vas eſſe opinor olearium, quacunque illud figura, vel magnitudine ſit. Cur verò à vulgato *lenticula* ſit appellatum, cùm tamen nomen hoc in Scriptura tantùm reperiatur, neque vas vllo modo ſignificet apud alios, quod ego viderim, authores; ortum puto ex Septuaginta tranſlatione, qui aliquid hîc, ſicut alibi ſæpè, figuratum, & improprium induxerunt. Hebraicum nomen פך *pac*, generale, vt diximus, nomen eſt, quod vas ſignificat, quod vnguentum effundit, aut liquorem quemcumque. Id apud Græcos valet λέκυθος: quod præterea *legumina* ſignificat, qualia ſunt fabæ, piſa, lupini, lentes. Septuaginta reſpectantes ad Græcam vocem, quæ tam *vas* olearium, ſeu vnguentarium ſignificat, quàm *lentem*, & *fabam*, ſeu *lenticulam*, φακὸν, reddidere, quæ *lentem* ſonat, & alteram explicat partem Græcæ vocis *lecythi*. Neque verò id rarum eſt, tam apud Sacros, quàm apud profanos authores, vt ex duabus ſignificationibus aſſumant minùs propriam; deinde facta quadam metalepſi, ad propriam, & illius loci germanam ſignificationẽ aſcendant. Quod quia alicui durius fortaſſe videbitur, aliquot nobis exemplis confirmandum eſt.

Lenticula olei quid.

Lenticula vas oleariũ.

Lecythus vas & legumen.

REGVLA. *Interpretes ex duabus ſignificationibus interdum ſumũt minùs propriam.*

12. Ex profanis accipe hæc pauca. Virgilius lib.1. Æneid. ſæuum appellat Hectorem, cùm tamen illum ingentem, & acrem appellare vellet; quia iſtæ duæ voces, aut earum ſignificationes in hac voce *immanis* inueniuntur, alteram ſumpſit, & per hanc gradationem ad alteram aſcendit, hoc modo: eſt ſæuus, ergo immanis, ergo acer, & ingens; nam quæ magna ſunt, illa etiam vocantur immania. Χειμὼν *tempeſtatem* ſignificat & *hyemem*, hinc fit vt hyems pro tempeſtate interdum vſurpetur. Virgilius lib.1. Æneid.

Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Alethæ
Vicit hyems laxis laterum compagibus, omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.

Apud Philoſophos decreta quædam, ſeu placita, quæ iam ſunt in ſcholis conſtituta, quæque omnes quaſi aliquid certum, & ineluctabile ſtatuũt, *dignitates* vocantur; quia Græca vox ἀξίωμα, tam *dignitatem* valet, quàm admiſſum illud communi A conſenſione decretum.

Ex Sacris habemus plura, hæc tu pauca accipe. Vox Hebræa, רשפה *riſpah*, & Græca ἄνθραξ, *prunam* ſignificant, & *carbunculum*, lapidem pretioſum, & inſtar igniti carbonis ſplendentem. Cùm autem Iſai.6. de carbone proculdubio ſermo eſſet, vt conſtat, quia forcipe de altari ſumptus eſt; tamen altera ſumpta eſt ſignificatio, quæ minùs erat eo loco propria: *Volauit*, inquit, *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* μόχλος *ſtolonem* ſignificat, *& vitulum*; & cùm de *ſtolone* ſermo eſſet, tamen Interpres alteram ſignificationem adhibuit, Sap.4. v.3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* Et Hebraica vox סוריים *ſorerim*, & Græca ἀπειθεῖς, *rebelles*, & *non credentes* ſignificant; cùm de B rebellibus eſſet ſermo, vulgatus tamen Pſal. 67.v. 20. tranſtulit *non credentes*.

13. Iſai. 6. Sap. 4. Pſal. 67.

Sic igitur hoc loco cùm λέκυθος, *lecythus*, *vas* olearium ſignificet, & *lentẽ*, Septuaginta poſteriorem adhibuere ſignificationem; quæ tamen priore ſumitur. Ex eo verò factum eſt, vt *lenticula* vox & hoc loco, & nonnullis aliis olearium, aut vnguentarium *vaſculum* ſignificet. Vt lib.4. Reg.v.1.& 3. Quod ſi ita eſt, non erit, cur exiſtimemus modicum olei Sunamitis caput irroraſſe, quaſi *lenticula* exiguum ſit vaſculum, neque multum poſſit olei continere. Vnde dixit Gregorius in hunc locum: *Lenticula quidem paruum eſt vas. Quid ergo eſt, quod lenticula olei Saul vngitur, niſi quia in fine reprobatur? Velut enim lenticula olei parum habuit, quia ſpiritalem gratiam proiiciendus accepit.* C Ego, vt dixi, nomen puto fuiſſe commune, ſicut *lecythus* neque habuiſſe figuram aliquam certam, aut definitam aliquam capacitatem; ſicut neque *cornu*, de quo ſtatim. Iſidorus lib.20. cap.7. *lenticula*, inquit, *modicum vas æneum, vel argenteum quadrangulum in latere apertum, quod & lecythus.* Idem ex eo Petrus Comeſtor; vnde tamen id probari poſſit, non video.

14. *Lenticula non eſt vas exiguum.*

15. *Cornu vas pro quocunque liquore.*

De *cornu* idem puto dicendum, quod de *lenticula*; nempè generale vas eſſe, in quo continetur, & ex quo effunditur quicumque liquor: quare idem iubetur facere Samuel, aut quicumque alius, cùm iubetur ſumere *lenticulam olei*, aut *cornu* implere oleo. Quod etiam docuit Abulenſis in cap.16. Reg.q.1.vbi cùm refutaſſet Lyræ ſententiam, qui cum Hieronymo putat *lenticulam* eſſe vas exiguum, & fragile; *cornu* verò durum, & capacius, quo ſignificabatur regnum Saulis, qui oleo ex *lenticula* conſperſus eſt, non futurum eſſe diuturnum; contrà verò Dauidis, qui vnctus fuit oleo ex *cornu* diffuſo, fore perpetuum, ait. *Sed in hoc nihil differt, quia aliquando ponitur in Scriptura Lenticula, & aliquando Cornu; nec fit in hoc magna differentia.* Sed quod *cornu* vas omne ſignificet, ſiue illud ſit poculum ad bibendum, ſiue ad continendum vnguentum, multa probant. De vnguento habemus in vnctione Dauidis, & Salomonis; de poculo, ſine vlla certa differentia, ac nota, probat Græcorum vſus frequens, qui millies pro calice vaſeque potorio κέρας adhibet, quod idem valet E quod *cornu*; & cùm vaſa olim prioribus ſæculis ex cornea materia fingerentur, factum eſt, vt cornua nunc etiã dicantur pocula ex quacũq; materia conflata; ſicuti cornua dicuntur tubæ, ac litui, etiamſi ex ærea, aut argentea materia formentur. Ita putat Rhodiginius lib.27. cap. 27. Et probatur, quia vinum infundere, aut propinare, aut miſcere, ex Græco nomine κέρας, κερανύω dicitur

Cornu, & lenticula idem.

dicitur, aut κεράω : & κεράλης vas dicitur *potorium*, quasi κεραλής. Denique ἀπὸ τῆ κέρως deducuntur plurima, quæ ad res pertinent poculentas. Vnus nobis Athenæus plurima suppeditabit exempla, quæ hoc loco referre non grauabor, neque otiosa in eo sumetur opera, quando in his libris non semel *Lenticulæ*, ac *Cornu* nomen occurret. Quæ autem ille lib. 11. cap. 8. nos in hunc locum carptim conferemus.

Cornu varios habet vsus.

16. Antiquos ait in bobillis cornibus potare solitos, & eam ob causam Bacchum κεραλοφνῆ : id est, *cornutum* fingi, quasi suæ artis, aut genij in capite manifesta portaret insignia ; & ταυρόμορφον : id est, *taurina facie* fingi in Cyzico. Vsum præterea frequentem fuisse poculorum è materia cornea, illud non difficilè confirmat, quòd vinum aqua temperare, quod in ipso potorio vasculo plerúmque fit, κεράσαι, dicitur ; id est, *in cornu miscere* ; & vas ipsum κράλης appellatur, quasi κεραλής. Addit deinde, suis temporibus abacum corneis instrui solitum poculis, quæ ἐύλα appellari dicit. Deinde plurima adducit testimonia Poëtarum, qui inducunt antiquos bibentes è cornu. Sic Pindarus in Centauris. Xenophon lib. 6. ἀνάβασ. Adducit præterea exempla Paphlagonum, Thracum, Perrhæborum, Philippi Regis Macedonum, Regum Pæoniæ, Athenienſium, qui tam in mensis, quàm in sacrificiis corneis vtebantur calicibus.

17. *Cornua dicuntur vasa ex quacunque materia.*

Neque quæ dicuntur *cornua*, semper erant è cornea materia, quæ ex fronte sumuntur bubulorum, aut boum, licèt principiò, in rudiori nempè sæculo, non aliud antiqui habuerint magis familiare poculum. Interdum enim cornua fingebant ex auro, vel argento, sicut alia vasa, quæ tamen cornu dicebantur. Quod item docet Athenæus suprà, qui ex Theopompo tradit, corneis poculis addi labra ex auro, vel argento à Regibus Pæonum. Et Æschylus in Perrhæbis ait, Perrhæbos habuisse argentea cornua, quibus aurea indidere labia. Sophocles in Pandora ab eodem citatus Athenæo, cornu meminit aurei ; & Athenienses argenteis vtebantur cornibus. Hæc sumpta sunt ex Athenæo carptim.

18. *Instrumẽta idem retinent nomen quod habuerunt antea, quacumque accedat mutatio, dummodò idem sit vsus.*

Cur verò vasa hæc, siue sint potoria, siue vnguentaria, ex auro, aut argento, siue ex qualibet alia materia formata, *cornua* dicantur, ea ratio est, quia prima, & rudiora sæcula his primùm vtebantur rebus, quas acceperunt à natura ; quarum retinuerunt nomen, licèt forma mutaretur, & materia, dummodò idem vsus maneret. Sic arundinem vocamus, auenam, fistulam, tibiam, & cornu, instrumenta musica, licet è ligno fuerint, seu ex ære formata, dummodò inflatu sonent : sic testudinem, seu chelim appellamus lyram, quia ex testudinis tegumento priùs compacta : sic vasa quædam supernè aperta, & lata conchæ dicuntur, quia primum illum præbuerunt vsum. Sic sanè Horatius Salinum vocauit lib. 1. Sat. 3. *Sit*, inquit, *mihi mensa tripes, & concha salis puri.* Et idem lib. 2. ode 7. *Funde capacibus vnguenta de conchis.* Sic igitur *cornu* vas appello quodcumque, in quo liquor aliquis continetur, quæcumque illud siue materia componat, siue species informet. Quod item puto dicendum de *lenticula*, quamcumque habeat figuram, dummodò apta sit liquori fundendo. Neque inter *cornu*, atque *lenticulam* Samuelis arbitror aliquid esse discriminis ; neque ex alio vase sumptum oleum, quo priùs Saul, & quo posteà

A in Regem vnctus fuit Dauid ; neque plus in vno, quàm in altero olei fuisse consumptum. Hæc mihi visa sunt de huiusmodi vasis ; alij aliter cogitant. Quisque, vt volet, statuat ; mihi sat est cogitationem meam aperuisse.

Et deosculatus est eum.] Hæc à nobis nuper n. 9. explicata sunt, vbi diximus, osculum ortum potiùs esse à beneuolentia, quàm à lege, siue consuetudine, quæ seruari solet in vnctione, qua inaugurantur Reges. 19.

Et liberabis populum tuum.] Hæc vsq[illegible]*d, cùm abieris*, excluſiuè, non sunt in textu Hebraico, neque in aliquibus Latinis, neque id habent Septuaginta, neque Chaldæus ; tametsi C[illegible]onicam B obtineant authoritatem. Vnde id acciderit, incertum est ; fieri potuit, vt è margine irrepserit in textum. Quod putant Dionysius, & Lyra. Ego magis crediderim, Interpretem nostrum habuisse Hebraicos codices magis correctos, ex quibus temporum iniuria exciderunt illa, quæ Vulgatus Interpres Latinè reddidit. 20.

Vers. 2. *Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Bẽjamin in meridie.*] Expediebat maximè, vt Saul sibi persuaderet vnctionem illam non esse ab homine, sed diuinam ibi quoque authoritatem interceſſisse. Atque ideo signa illi dat certa, quæ nemo nisi illustratus à Domino nosse potuisset. Quæ omnia eodem prorsus or- C dine euenerunt, quo fuerant prædicta. Sed illud duriusculum videtur ; quia Rachel sepulchrum non habuit in finibus Benjamin ; sed in Ephrata, quæ est Bethlehem, & magis pertinet ad tribum Iuda, vt habes Genes. cap. 35. v. 20. Sed hoc explicationem habet non difficilem ; neque enim mortua dicitur Rachel in Ephrata, & erectus in ea monumenti titulus ; sed in via, quæ ducit Ephratam, quæ est Bethlehem ; quare sepulchrum illius excitari longiusculè potuit ab Ephrata. Deinde quia illud *in finibus Benjamin*, non significat duos illos viros esse in terra Benjamin, sed ad extremum terminum Benjaminicæ tribus. Hebraicè namque vox est גבול *guebul*, quæ non D tam possessionem valet, quàm possessionis terminum, & limitem. Quare nil aliud significari puto, dum viri duo dicuntur inueniendi in finibus Benjamin, quàm inueniendos esse in illo loco tribus Iuda, vbi sese duarum Tribuum termini contingunt ; id est, in ipso duarum Tribuum confinio. Hebræi aliquid hîc supplent, dum hoc modo hunc locum exponunt : *Occurrent tibi in finibus Benjamin duo viri, qui modò sunt iuxta sepulchrum Rachel.* Sed non est necesse ad hunc durum interpretandi modum confugere. 21.

Vbi Vulgatus, *in Meridie*, Hebraicè est, צלצח 22. *selsach*, quæ vox vmbram claritatis sonat ; quam noster Vulgatus optimè conuertit *meridiem*, quia E ex eo tempore declinante iam die, iam luci aliquid admiscetur vmbræ. Septuaginta *meridiem* conuertunt, sicut Vulgatus. Alij Australem putant esse regionem, ita vt duo illi viri futuri sint ad illam cæli plagam, vbi se vtriusque Tribus fines attingunt. Alij loci nomen esse putant : nihil planè certum. Ego quod dicebam, in *meridie* significari tẽpus meridianũ, magis probo ; tũ quia valde est incertũ transeundũ esse Sauli è Ramatha, vbi tũc erat Samuel, ad Gabaa, quæ erat Saulis patria, per illam partem, vbi ad Austrum sese Iudæ ac Beniamin termini contingunt. Deinde, vt demus ita fieri, planè otiosum erat illud signum, ne dicam ineptum, quod futurum erat necessarium.

Nam si eundum erat Sauli necessariò ex Ramatha per locum, vbi duarum Tribuum confinia concurrunt, cur Propheta quasi aliquid nouum, & rarum, qualia esse solent signa, quæ dantur à Deo, signa illa præberet, quæ nemo nisi peregrinus, & hospes ignoraret? Quod perinde est, atque si quis dicat; hoc erit tibi signum, quia cras orietur sol; aut occurrent viri in illa via, per quã incesseris; mirum si in alia, quam non esset ingressus. Septuaginta hîc addunt ἀλλομένους μεγάλα: *saltantes granditer*, id est, gradientes velociter. Vnde id sumpserint, non video. Sed dum plura, & minuta magis signa proponuntur, maior dictis conciliatur fides.

Vers. 3. *Et veneris ad quercum Tabor.*] Non est hîc *Tabor* mons, qui pulcher est, & nobilis; quia ille est in tribu Zabulon, vt tradit Hieronymus in locis Hebraicis; eo autem loco non potuerunt duo illi viri occurrere Sauli. Quidam putant Tabor nomen esse proprium aut viri, qui quercus illius erat dominus, aut loci, vbi speciosa erat, aut robusta quercus. Nihil est certum.

Inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel.] Cùm eo tempore Tabernaculum vacuũ esset ab Arca, & Arca in loco non suo, fas erat, vt diximus, aliis in locis sacrificare; quod fiebat sæpiùs in excelsis locis, vt diximus cap. 9. n. 18. Cùm autem *Bethel* locus esset iam olim religiosus à tempore Iacob, & suo ipsius nomine illustris, & sacer (dicitur enim *Bethel*; id est, *domus Dei*) ad illum locum, tanquam idoneum magis religioni, conuenerunt tres illi viri, sicut etiam conuenisse plures alios verisimile est, vt dona illa, seu sacrificia in locum deferrent, quem sibi Dominus ad opus illud iampridem destinasse videbatur.

Vers. 5. *Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorũ.*] Collis iste variè à variis accipitur. Rab. Salomon putat esse Cariathiarim, qui ideò *collis* dicitur *Dei*, quia ibi tunc erat Arca. Sed errat longè, cùm eo sit loco collis ille (si tamen collis) vt in eo progressu nullo modo illos attingere, aut videre potuerit Saul, cùm pertineret ad tribum Iuda, Iosue cap. 15. & 18. ex cuius finibus iam fuerat egressus Saul. Nam, vt nuper diximus, tres viri in finibus Beniamin occurrerunt Sauli. Lyra locum esse credit, vbi erant Prophetæ, qui cùm Deo vni præcipuè seruirent, & vacarent, *collis* potuit appellari *Dei*. Mihi maximè probatur, quod Abulensis putat, *collem* nempe *Dei* esse ciuitatem Gabaa, vbi natus, & educatus Saul. Quod optimis suaderi potest coniecturis. Primùm, quia in Hebraico textu, vbi noster *collis*, est גבעה *ghibaa*; quæ vox ita *collem* significat, vt etiam sit proprium ciuitatis nomen, quæ ex loci situ nomen accepit. Sicut autem hîc dicitur in colle fuisse statio Philisthinorum, sic etiam infrà cap. 13. in Gabaa Beniamin Philisthinorum statio à Ionatha dicitur fuisse percussa. Deinde, quia eo in loco viros habuit sibi cognatos Saul, vt patet statim, v. 14. vbi nonnihil de patria Saulis. Deinde quia illius siue ciuitatis, siue collis habitatores probè nouerant Saulem, & eius parentes. Quare cùm inter Prophetas prophetare cæpit, admirati sunt omnes, cùm neque illum, aut parentem eius de Prophetarum cætu antè cognouissent. Atque ideò dixerunt: *Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas? Respondítque alius ad alterum: Et quis pater eorum?* Hæc meo iudicio satis probant, collem illum esse Gabaa patriam Saulis.

Sed illud iam explorandum, cur dicatur *collis Dei*. Mihi hoc loco placet; ciuitatem illam vocatam esse *collem Dei*, seu potiùs *Gabaa Dei*, vt distinguatur ab alia eiusdem nominis ciuitate: tale autem nomen videtur obtinuisse; quia ibi erat cætus, & veluti schola Prophetarum, qui aut diuino afflati erant spiritu, aut diuinas laudes ex voto, ac religione, aut ex instituto modulabantur; de quo mox accuratiùs. 26.

Vers. 5. *Vbi est statio Philisthinorum.*] Ex his manifestè constat, *collem Dei* esse Gabaa, quando cap. 13. in ea dicitur esse statio; id est, militare præsidium Philisthinorum. De quo alio in loco agendum nobis necessariò. Illud nunc obiter obseruandum, quod tradiderunt Interpretum plerique, licet Philisthini, vt vidimus cap. 7. à v. 13. humiliati, fuerint sub Samuele, neque vltrà venerint in terminos Israel, & ciuitates, quas ab Israele sustulerant, redditæ fuerint à Philisthinis; non tamen sic ab illis ereptam fuisse, aut fractam potestatem, quam priùs habuerunt in Israelem, vt non in aliquibus ciuitatibus præsidium militare reliquerint, quod Israelitas ad pensitanda vectigalia cogeret, & sub Palæstinorum imperio contineret. Sicut etiam nostrc tempore fieri videmus. Qui enim prouinciam aliquam armis subiugarunt, antiquis possessoribus ea lege habitandam, fruendámque permittunt, vt ibi habeant arcem munitam, & in ea perpetuã præsidiariorum militum stationem, quæ terrori sit ciuibus, si quando noui aliquid moliri tentauerint. Huic porrò stationi commodissimus locus visus est Gabaa; quia & ipsa munita erat à natura, vtpotè quæ sita esset in excelso loco, & ad continendum in officio populum opportuna. Ita putant Abulensis, Lyra, Caitanus, & Hugo. Quàm autem præsidiariæ hæ stationes infestæ fuerint Israelitis, dicemus infrà cap. 13. v. 19. 27. *Præsidia Israelitis à Palæstinis imposita.*

Obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium.] Plura sunt *Prophetarum* genera; aut si mauis, plura ministeria. Quidam propriè, & secundùm nominis notationem dicuntur *Prophetæ*, qui nimirum futura prædicunt. Alij, licèt minùs ad propriam nominis rationem, *Prophetæ* tamen vere sunt, qui absentia, & quæ iamdudùm præteriere norunt, quæ nulla naturali facultate, sed tantum diuina quadam illustratione cognoscuntur. Quo modo Moyses verè *Propheta* fuit, dum in libro Geneseos, quæ facta sunt in mundi primordio, & tẽporibus aliis obscuris, à diuina illustratione accepta sacris mandauit monumentis. Alia sunt munera, quæ licèt non sint omninò prophetica; quia tamen illis operam assiduam impenderunt Prophetæ, prophetica dicuntur; non quia illi, qui ea præstitere, Prophetæ fuerint; vt edere opera, quæ naturæ exuperant vires, qualia sunt excitare mortuos, & alia eiusmodi patrare miracula, interpretari Scripturam sacram, & illius tradere rudioribus populis intelligentiam. Sed præcipuè illi dicuntur Prophetæ, qui diuinis laudibus celebrandis vacant, licèt longè absint ab afflatu diuino. Et quia hæc pars nobis in præsentia necessaria est, ideò in illa nobis plusculum operæ ponendum. 28. *Propheta nomen latè patet.*

Multi in Scriptura sacra dicuntur Prophetæ, qui tamen Cantores tantùm sunt, aut qui instrumentis vtuntur musicis. Id planè constat ex lib. 1. Paralip. cap. 15. vbi v. 22. cantantium, seu laudantium Dominum chorus, *Prophetarum chorus* nominatur. Nam cùm præcessissent plurimi, qui 29. *Prophetæ qui [illegible] laudes canebant.*

qui Cãtores dicuntur, & in cymbalis æneis concrepantes, & qui in nabliis arcana cantarent, quique in cytharis pro octaua canerent epiniciũ, ſtatim additur: *Chonenias autem Princeps Leuitarum prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam: erat quippe valde ſapiens.* Et ſtatim. v. 27. *Chonenias princeps prophetiæ inter cantores.* Et eodem lib.cap. 25. v. 1. electi dicuntur à magiſtratu, & Rege Dauid, qui prophetarent in cytharis: ſed Prophetæ non eliguntur ab hominibus, cùm non humano, ſed diuino ſpiritu afflati loquantur; Cantores autem optimè, cùm homo de vocis ſuauitate, & artis peritia iudicare poſſit. *Igitur Dauid, & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſoph, & Hemam, & Idithum, qui prophetarent in cytharis, & pſalteriis, & cymbalis ſecundùm numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes.* Et iterùm, & tertiò, eodem capite alij dicuntur in organis, & muſicis inſtrumentis prophetare.

30. Illud præterea obſeruandum, horum Prophetarum fuiſſe quædam collegia, vbi in arte muſica, atque harmonica exercerentur. Quod meo iudicio ſatis probat, quod modò dicebamus de Chonenia, qui prophetiæ; id eſt, hymnodiæ præerat, quia erat valdè ſapiens. Et lib.1. Paral. cap. 25. v. 7. quidam dicuntur *Doctores, & qui erudiebant canticum Domini.* Hi porrò in Scriptura ſacra etiam dicuntur *Patres*, ſicut etiam alij doctores, & magiſtri. Geneſ. 4. v. 21. *Iubal ipſe fuit pater canentium cythara, & organo.* Neque fortaſſe aliud intelligitur ſtatim, cùm de Prophetarum patre agitur, v. 10. Hoc docuit Hieronymus in tradit. Hebr. explicans illud de Saul: *Et quis pater eorum? Pater*, inquit, *magiſter vocatur, ſicut Eliſæus Eliam patrem; id eſt, magiſtrum vocat*, 4. *Reg.*2. *Et in lib. Iob cap.* 34. *Heliu Eliphaz patrem; id eſt, magiſtrum vocat.* Hæc Hieronymus. Neque mihi dubium eſt, cùm Geneſ. 45. dicit de ſeipſo Ioſeph: *Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum vniuerſæ domus eius, ac Principem in omni terra Ægypti; Patrem* eo loco ſignificare *magiſtrum.* Nam cùm illa verba numeraret Dauid Pſal. 104. v.21. illud, *patrem*, ſic explicuit, vt nemo dubitare poſſet illis verbis ſignificari *magiſtrum.* Sic autem Dauid: *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Cùm cætera aliquid habeant certum, quo referantur, poſteriora ad illud opinor referuntur: *Fecit me quaſi patrem Pharaonis*; Quaſi dicat, vt ita principes alios doceret, ſicut Pharaonem ipſum antè docuerat. Talis fuiſſe dicitur Prophetarum cuneus, cui præerat Samuel, 1. Reg. 19. v. 20. ad quem cùm veniſſent Saulis nuncij, ipſi quoque prophetarunt; quod item fecit ſtatim ipſe Saul, ſicut hic antè fecerat. Vide Abulenſem in cap. 19. q. 31. vbi dicit à Samuele plurima inſtituta collegia. Fuiſſe præterea Prophetarum cætum in Naioth in Ramatha, & in Bethel, & Iericho, ipſa docet Scriptura. De Bethel. 4. Reg. 2. v. 3. *Egreſſi ſunt filij prophetarum, qui erant in Bethel.* De Iericho, 4. Reg. cap. 6. *Dixerunt autem filij prophetarum ad Eliæum: Locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt.* De Naioth in Ramatha habes infrà cap. 19. vbi iterum prophetaſſe dicitur Saul inter Prophetas; ibi etiam v. 20. dicitur fuiſſe Prophetarum cuneus. Simile, opinor, collegiũ fuit horum Prophetarum, qui diuinis laudibus cantandis aſſuefcunt, in Gabaa patria Saul, quam ideò appellari diximus, collem Dei. Quòd verò hi cãtores, aut pſaltæ potiùs fuerint quàm futurorum annunciatores, ipſa inſtrumentorum muſicorum nomina non obſcurè ſignificant. Vt quid enim illos antecederent pſalterium, tympanum, tibia, & cythara, & illi tunc ſimul prophetarent, niſi quia bellè cum harmonico horum inſtrumentorum ſono humanarũ vocum ſymphonia conſentit? Quòd ſi propheticæ voces inanes non ſunt, neque numero, ac varietate confuſæ, vt quid in ſolitudine tot Prophetarum voces, vbi aut audiret nemo, aut admodùm pauci? Neque ſi voces forent verè 32. propheticæ, illarum ſignificationem, & pondus Scriptura ſacra tacuiſſet. Hoc authorum pleriſque probari video. Ita tenent Chaldæus hîc, q. 5. Abulenſis, Lyra, Caietanus, Torniellus ad annum mundi 2545. num.14. Hugo, & Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ. Et hi fermè omnes dicunt & meo iudicio non improbabiliter, Samuelem fuiſſe primum patrem Religioſorũ ordinum; qui collegia inſtituit, vbi docerentur muſicam, & diuinis laudibus aſſiduè vacarent. Vide Abulenſem infrà in cap.19. q.31.

Samuel primus pater Religioſorũ ordinum.

Illud hîc notandum, quod nonnulli ex au- 33. thoribus ſuprà citatis obſeruarunt, in his tot prophetãtium; id eſt, pſallentium collegiis fuiſſe aliquos, qui verè diuino inſtincti ſpiritu prophetarent. Quod mihi perſuadet, quòd antequàm ab Elia, ſiue ab Eliſæo accepiſſent, qui ex eo Prophetarum numero morabantur in Bethel, futurum, vt Elias tolleretur à Domino, ipſi iã nouerant. Atque ideò cùm progreſſi eſſent obuiam Eliſæo; dixerunt 4. Reg. 2. v. 3. *Nunquid noſti, quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te?* Non diſputo, an omnes hoc ex diuina reuelatione didicerint; ſatis enim habeo id illorum ſaltem vni fuiſſe reuelatum, à quo id reliqui noſſe potuerunt. Sanè Auguſtinus exiſtimare videtur veros hoſce fuiſſe Prophetas, & verè, ac propriè prophetaſſe, cùm Saulem ad illorum imitationem verè, ac propriè prophetaſſe affirmat. Sic autem ille Pſal. 103. ad illud; *Qui protegis in aquis ſuperiora eius* (Sic enim ipſe legit) cùm docuiſſet dona quædam ſupernaturalia ſceleratis interdũ hominibus concedi, addit: *Propheta quale munus eſt? Prophetauit Saul malus Rex, & tunc prophetauit, cùm Dauid ſanctum perſequeretur.* Et ſtatim impletum eſſe dicit ſpiritu prophetandi. Et de aliis, qui miſſi antè fuerant, vt Dauidem comprehenderent, qui etiam prophetaſſe dicuntur, ait: *Impleti ſunt ſpiritu prophetiæ, qui miſſi ſunt, & prophetauerunt.* Neque aliud videtur ſentire S. Thomas 2.2.q. 172. in corp. vbi ait, filios Prophetarum habitaſſe ſimul cum Eliſæo, *quaſi ſolitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur à dono prophetiæ.* Idem Theodoretus q.24. Sed, vt dixi, illud pleriſque probatur, qui ea de re ex inſtituto diſputant; & rationes, quas ſuperiùs adduximus, & latiùs Abulẽſis perſequitur q. 5. omninò probant.

Magiſtri dicuntur patres.

In collegiis Prophetarũ aliqui fuerunt propriè prophetæ.

31. *Quadã Prophetarum collegia ſi-*

At dices, ex pſalterio, & tympano, & aliis harmonicis inſtrumentis, non ſatis firmã ſumi 34. iecturam, vt credamus hos non tam eſſe Prophetas in ſignificatione propria, quàm Cantores: quia ſuauis, & harmonicus ſonus ſpiritus excitat Prophetarum, & ad accipienda oracula diuina diſponit. Quod docuit Eliſæus, lib.4. Reg. 3. v. 15. qui cùm explorare vellet diuinã voluntatem, dixit: *Nunc autem adducite mihi Pſaltem: Cúmque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus*

manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus. Dicemus hac de re suo loco pluribus. Nunc satis sit dixisse, vt Abulensis q. 5. docuit, eo loco non cantasse, aut instrumentum pulsasse Prophetam; sed alium psaltem adduxisse, quo pulsante, ipsius spiritus ad diuinam illustrationem disponeretur.

35. Vers. 6. *Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cũ eis, & mutaberis in virum alterũ.*] Optimè hîc Abulensis, q. 6. docet, spiritũ illum, qui insilit in Saulem, non fuisse spiritũ Prophetiæ, sed spiritũ deuotionis, quo vellet, & facultatẽ aliquã, qua posset in diuinas laudes cum illo Prophetarum cætu ardentiùs incumbere. Planè hominem rusticum, neque musicam doctum, neque ministerio illi assuetum, quod tam erat supra illius facultatem, & captum sublime, inter eximios illos psaltas neque indoctè, neque indecorè psallere, non est humani ingenij, atque artificij; sed spiritus diuini, qui vt talia in hominibus operetur, neque tempore eget, neque illis artibus, quibus humana vtitur solertia. Quare mutatus dicitur Saul in virum alterum, ex rusticò videlicet, & asinarum, pecorúmque custode, in psaltem, & in eum, qui agreste illud, & pastorale negotium non exercet; & ab eo, qui humana quædam, & humilia curabat, & illis esset assuetus, & fortasse ad alia parùm idoneus, in illum, qui iam esset ad grauiora, & ad Regium nomen, & munus non ineptus. Itaque cùm contribules, & Gabaitæ ciues talia viderent, qualia nunquam viderant, neque expectarant à Saule, & egregium psaltem agnoscerent in homine priùs inculto, & ab studis vrbanitatis alieno, admirati repentinam illam metamorphosim, dicunt ea, de quibus statim vers. 11.

Saul quomodò mutatus in virum alterum.

36. Vers. 7. *Fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.*] Illa signa dedit Sauli Samuel regni à Domino concessi; quæ cùm primùm acciderint, iubet illum bono esse animo, & à Domino felicem sperare successum in rebus omnibus, quas tentauerit. Ita plerique exponunt illud: *Fac quæcunque inuenerit manus tua.* Quare admonetur Saul, vt agat quodcumque occurrerit, seu venerit ad manum; ac si dicat: Age quodcumque volueris; neque enim tibi vsquam aberit Deus, quem auspicem habebis, & patronum. Alij dicunt admoneri Saulem, vt quicquid ad Regiam dignitatem, & officium spectat, audacter aggrediatur, certus de successu, qui nunquam deerrabit à voto. Id autem ex eo sperare iubetur, quia cùm Rex à Deo designatus sit, quæ Regij sunt muneris, ipse secundabit. Ita videntur sentire Doctores Hebræi, vt indicat Hieronymus in tradit. Hebr. *His signis*, inquit, *noscere poteris, quia Deus te Regem fore voluit: & idcircò ad omnia, quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est.* Ex quibus verbis aliam ego sententiam informo, & fortasse magis ad Hebræorum mentem, nempè vt in omnibus, quæ occurrerint, seu ad manum venerint, Regiũ assumat animum, & Regio more tractet atque disponat.

37. Aliter explicat Chaldæus, nempè vt paret sibi vasa, seu instrumenta regni: illa videlicet, quæ Regiam decent personam, aut quæ Regiis ministeriis, & studiis commodare, atque seruire possunt. Ego coniungendo Chaldaicam expositionem cum Hebraico, atque Vulgato textu, hanc addo ad reliquas expositiones; vt Regium nimirùm assumat animum, & populum nondùm solutum à Palæstino iugo, ad libertatem omninò vendicare studeat; neque illorum potentiam, aut apparatum bellicum reformidet; neque illius spiritus frangat, aut debilitet, quod oppressi Israelitæ Palæstinorum imperio, neque arma habeant (vt enim habes cap. 13. v. 22. in toto exercitu tantùm Saul, & Ionathas hastam habuerunt, & gladium) neque fabros, qui illa cudendi aut arte, aut facultate polleant: sed faciat nempè arma bellica, quæcumque primùm ad manum venerint, siue sit vomer, & ligo, siue duri stipites, siue præusti sudes; denique quicquid telorum fors, & fortuna ministrauerint: nam quæ natura sua infirma sunt, illa, duce atque auspice Deo, magnorum telorum vsus, & pondus habent. Quæ sententia non omninò displicet mihi, licèt quæ principiò dixi, magis mihi probentur.

38. Vers. 8. *Et descendes ante me in Galgala.*] Non constituit certum aliquem diem, quando profecturus sit in Galgala; sed tantùm aut prædicit, aut monet vt descendat in Galgala, & ibi ipsum septem expectet dies. An tempus tunc illi præstituerit, cùm eò esset profecturus, non constat ex hoc loco, neque (quod ego viderim) ex vllo Scripturæ sacræ testimonio. Illud videtur certum, septem illos dies non esse numerandos ab hoc tempore, quo vnctus est primùm à Samuele Saul; neque ab eo tempore, quo hæc signa regni constituti cognouit Saul; quia tot acta referuntur ex hoc tempore ad illam Saulis profectionem, vt septemdiali illo spatio peragi non potuerint. Suspicor tamen in certum aliquod tempus condictam esse profectionem; quod licet subobscurè, indicat tamen, quod de illo spatio legimus infrà, cap. 13. vbi post aliquot dies descendisse dicitur Saul in Galgala, ibique ad septimum vsque diem expectasse. Quid autem illi contigerit, & quid acciderit mali, quia totos septem dies non expectauit, eo loco videbimus. Abulensis q. 11. putat hoc generale fuisse mandatum, vt quoties res aliqua occurreret, quæ consilium, & deliberationem desideraret, secederet in Galgala Saul, & Samuelem accerseret, expectarétque septem dies, vt immolatis victimis consuleret Deum, ediscerétque ab eo, quid facto esset opus. Idem etiam non improbat Caietanus; cùm tamen priorem sententiam studiosiùs esset amplexus.

39. Vers. 9. *Itaque cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuele.*] Ab actione, motúque corporis significatur Saulis à Samuele digressus. Nam cùm ab aliquo discedimus, illi terga conuertimus, & in contrariam partem faciem offirmamus. Vnde cùm Deus homines à suo congressu, aut obseruantia recessisse significat, illorum ad sese terga conuersa fuisse dicit. Ierem. 2. v. 27. *Verterunt ad me tergum & non faciem.* Et iterùm repetit cap. 32. vers. 33.

40. *Immutauitque ei Deus cor aliud.*] Vbi euocauit Deus Saulem ad regni gubernacula, mutauit illi, quos antè habuerat, abiectos fortasse, & ignobiles spiritus, quales esse plerúmque solent in illis, qui ruri degunt, vitámque agunt incultam, & agrestem; & inspirauit Regios, ita vt maiora conciperet, quàm anteà solitus; priores abiiceret cogitationes, neque periculis oblatis desponderet animum, aut mentem haberet, sicut anteà fortasse, pinguem, & obscuram. De alia mentis mutatione, cùm ab spiritu repentè mutatus est, & abreptus, & inter psaltes cecinit, paulò antè dictum est. Illa enim fuit dissimilis longè mutatio

Quomodò cor Saulis mutatum.

tatio, quæ illum egregium fecit psaltem; hæc verò alio spiritu Regiam indidit mentem, & regno reddidit non ineptum.

41. Vers. 10. *Insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.*] Hæc à nobis explicata sunt nuper ad illud: *Et insiliet in te spiritus Domini.* Hebræi dicunt (vt ait Hieronymus in traditionibus Hebraicis) verè, & propriè vaticinatum esse Saulem de futuro sæculo, de Gog, & Magog, de iustorum præmiis, malorúmque supplicio. Sed Hebræis faciliùs est fingere, quàm probare, imò quàm cogitare quod fingunt. De hac Saulis Prophetia optimè Augustinus lib. 2. ad Simplicium q. 1. tom. 4. *Tantùm*, inquit, *distat inter prophetiam Prophetarum, sicut Isaias, sicut Jeremias, & cæteri huiusmodi fuerunt, atque istam transitoriam, quæ in Saul aparuit, quàm distat inter loquelam humanam, quam loquuntur homines, & cum eadem loquela humana propter necessarium prodigium asina locuta est, in qua sedebat Baalam Propheta. Accepit enim hoc ad tempus illud iumentum, vt Deus, quod statuerat, demonstraret, non vt habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur.*

42. Vers. 11. *Quænam res accidit filio Cis?*] Ex hoc ego coniecto, parentem Saulis Cis hominem esse rusticum, incultum, & longè alienum ab omni ingenua, atque vrbana disciplina. Quare cùm contribules, & ciues canentem audirent Saulem, mysteria videlicet arcana ex Scriptura desumpta, & diuinas laudes in illo Prophetarum cœtu celebrantem, non sine causa admirãtur filium eius, qui nunquam ceciniſſet, neque ad illud psallendi ministerium filios instruxisset, tam cum Prophetis aliis cantasse numerosè, & Scripturæ sacramenta quàm pauciſſimis nota tam proferre, & insonare sapienter. Atque ideò admirabundi dicunt:

43. *Num & Saul inter prophetas?*] Sicut prouerbiorum plurima ex re admodùm difficili, ac rara habuerunt originem, quæ quod rarum est, & à rerum natura vehementer alienum familiari formula significat: Sic etiam cùm Saulis studia longè essent à Prophetarum; id est, Cantorum instituto, & moribus aliena, in prouerbialem speciem abiit hæc Saulis inter Prophetas repentina modulatio. Atque ideò dicunt, *Num & Saul inter Prophetas?* Ac si dicant, res planè admirabilis, & prodigio similis, Sauli sumprum esse psalterium, & ad eius numerosos sonitus rusticam, & agrestem vocem attemperari, & in voce non solùm non docta, sed etiam ad musicos numeros indocili, aliquid resonare ad sententiam graue, ad suauitatem concinuum, quasi esset longo studio, & singulari quadam arte perfectum. Sic quæ maximè distant, coniungere solemus, ad hanc dicendi prouerbialem formam, cùm prodigiosum aliquid significare volumus. Quale est illud κόρχορος ἐν λαχάνοις: corchorus inter olera. ὄνος ἐν μελίτταις: *asinus inter apes.* κόλοιος ἐν ταῖς μούσαις: *corvus inter Musas.* Quod aliter expressit Maro ecloga 9.

Prouerbia plurima à voce scripta.

Nam neque adhuc Varo videor, neque dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

44. Vbi omnes has fermè prouerbiales formas sumptas esse ex musica, cùm indoctus, & in canendo absonus, & agrestis cum vocalissimis, ac suauissimis cantoribus componitur. Neque alienæ sunt ab hac etiam sententia tritæ illæ loquendi figuræ, quæ etiam à vocis suauitate, & musica ducuntur, in quibus longum in eo genere spatium constituitur: *Asinus ad lyram.* Et adhuc magis ad nostrum institutum Persianum illud, Sat. 5. vbi homines vasto, ac procero corpore, & rebus iam antea rusticis, aut pecuariis assueti, quales fuerunt Arcades, & qualis videtur fuisse Saul, inepti iudicantur & pangẽdis hymnis, & tractandis musicis instrumẽtis; vbi cùm solutum animum, & mollibus assuetum difficilè ostendit posse ad bonã frugem traduci, cum homine comparat, qui cùm sit longo, & vasto corpore, Lyram poscit, & cygnæũ melos meditatur.

Sambucam citiùs caloni aptaueris alto.

45. Ex veteri itaque instituto, & domestica disciplina orta est admiratio. Sic cùm Solymitani ciues Apostolos Galilæos esse cognoscerent, piscatores videlicet, & qui omnium, qui in Terra promissionis agebant, censerentur tardissimi, & Actor. 2. tam audirent agentes eloquenter, & grauiter ad populum, stupebant omnes, & mirabantur dicentes: *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sũt? & quomodò!* &c. Ex patre item Christi (talem enim Iudæi putabant esse Ioseph um) mirabantur, quòd cùm ipse faber esset, à quo diuinam illam sapientiam haurire non posset, neque ad publicas scholas, & synagogas mittere, vbi à legis magistris eximiam illam doctrinam acciperet, tam loqueretur sapienter, & grauiter. Atque ideò dicunt: *Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi?* &c. *Nonne hic est faber filius Mariæ?* Fabrum appellant, quia fabri filium existimabant. Sic etiam dicebant de Saule, quem filium vocant Cis, à quo nihil putabant doceri posse ingenuum, & liberale: *Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas?* Ac si dicerent; monstri simile, tam vastũ & agrestem hominem, & tali natum parente, tam scite, atque suauiter modulari, & illa canere, quæ nunquam antè didicisset.

46. Vers. 12. *Et quis pater eorum?*] Non eodem omnes modo conuertunt, aut explicant hunc locum. Quidam ita explicant, vt in *patre* Cis intelligant; & ita hæc accipiunt, sicut nos superiora nuper exposuimus: Ecquis est pater Saulis, vt ab illo hanc prophetandi; id est, numerosè cantandi artem acceperit, cùm & ipse rusticus sit, & huius liberalis artis imperitus? Ita Hugo, Caietanus, & Lyra. Alij in *patre* magistrum intelligunt, & subitam hanc mutationem, qua homo amusus repentè in tantum vatem, & musicum euasit, Deo attribuunt, cui vt facile est subitò honestare pauperẽ, sic elingues disertos facere, & mutos, & absonos, canoros, & vocales. Tunc autem sic exponunt: Quis horum Prophetarum, aut Cantorum magister? Sanè non alius, quàm Deus, qui repentè vires, ingenium, & artem inspirat. Atque ideò quod à patre non potuit Saul, id à Domino rerũ omnium maximo, & præsentissimo magistro momento temporis accepit. Ita Hugo, Manuel Sa, Serarius, Abulensis, Dionysius. Aut certè hæc referenda sunt ad illorum patres, qui in illo conuentu simul cum Saule prophetabant: qui non videntur magis ad illud prophetandi genus instituti, quàm Cis Saulis pater. Quasi dicant viri illi, qui repentinam in Saule mutationem admirabãtur: Ecquis est illorum pater, quos in hoc prophetãdi genere socios habet Saul? An illi Prophetæ, an illi Prophetarũ duces & magistri? Quid ergo miramur, si Saul rustico natus parente prophetat cum Prophetis, cùm iste prophetandi spiritus, & facultas ab alio, quàm à parente deriuetur? Et hæc expositio præter cæteras placet. Hebræi, vt refert Hieronymus in traditionibus Hebraicis, sic explicant, Saulem, cuius tunc tantam vident,

Deus momento temporis obscura, & difficilia docet.

támque repentinam mutationem,ſic in pſallendo videri peritum, vt omnium poſſit eſſe magiſter; quod etiam tenet Angelomus: *patrem* verò pro magiſtro ſumi, iam ſuprà à nobis probatum eſt. Quæ ſententia minùs mihi placet, quàm aliæ omnes: Plures explicationes adhibet Hugo, quas hic referre neceſſarium non eſt.

47. Verſ.13. *Ceſſauit autem prophetare, & venit in excelſum.*] Egreſſus fuerat Prophetarum cuneus extra ciuitatem, & in ipſo montis cliuo occurrit Sauli, vbi à diuino ſpiritu afflatus, & impulſus adiunxit ſe Prophetis, & ad illorum exemplum diuinas laudes numeroſo cantico proſecutus eſt. Vbi autem ſpiritus ille deferbuit, & cantare deſiit, venit in excelſum; id eſt, in Gabaa patriam ſuam, quæ iuxta ſui nominis notationem *collem* ſignificat, & excelſum locum. A quo patruus familiariter interrogauit, quò inde diſceſſiſſet? Ex quo optimè colligit Abulenſis, illam patriam eſſe Saulis;alioqui non dixiſſet patruus,*Quò abiiſtis?* ſed,*vnde huc veniſtis?*aut,*quis caſus,aut neceſſitas huc adduxit vos?*

48. Verſ.17. *Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maſpha.*]In fine cap.8.præcepit Samuel populo,qui Regem ſibi poſtularat,vt in ſuâ quiſque ciuitatem diſcederet; quaſi conſulto Deo,citò eſſet illum euocaturus. Quare cùm iam eſſet exploratum, quid in deſignando Rege Domino placuiſſet, illum conuenire iuſſit in Maſpha, vbi ipſe,vt ſuprà vidimus cap.7.v. 16. conuentus cogere ſolebat. Quare, vt benè notáuit Caietanus, nó ideò in ciuitatem illam euocatus eſt populus; quia ibi eſſet Tabernaculum, aut Arca; ſed quia ad comitia, cauſarúmque diſceptationem locus

49. ille cenſebatur opportunus. Et quidẽ cùm adhuc Tabernaculum, & Arca forent in Silo, nihilominùs populus communi de re deliberaturus cogebatur in Maſpha, vt Iudic.20.v.1. Illud præterea adducere Samuelem potuit,vt illa populi comitia cogeret in Maſpha, quia ibi erat orationis locus & Oratorium nobile;qualia multa fuiſſe in terra promiſſionis docet Ioſephus in vita ſua longè poſt medium: *Sequenti*, inquit, *die populus conuenit in Proſeuchas, quam vocant precationis domum amplam.* Idem Philo de vita Moyſis: *Apud Iudæos*,inquit, *deſtinata oppidatim ſacris precationibus loca,quæ Proſeuchas vulgus nominat.*Epiphanius hęreſi 80.in principio: *Fuerunt antiquitus orationis loci tum inter Iudæos extra ciuitatem, tum inter Samaritas.*In hunc ſenſum explicui ego in Commentariis ſuper Acta illud cap.16.v.13.*Die autem ſabbathorum egreſſi ſumus foras portam iuxta fluuium, vbi videbatur oratio eſſe:& ſedentes loquebamur mulieribus,quæ conuenerãt.* Vbi pro *oratione*,Græcè προσευχὴ dicitur,quæ orationis eſt locus,ſeu Oratorium. Tale Oratorium celebre, ac nobile videtur fuiſſe in Maſpha; vt colligitur ex cap.20. Iudic. de quo proximè, vbi populus conueniſſe dicitur in Maſpha,vt ibi rem Domino commendaret, de qua tunc erat deliberatio. *Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſrael, & pariter congregati quaſi vir vnus à Dan vſque Berſabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maſpha.* Et clariùs l. 1. Machab.c.3. v. 46. vbi Iudæi, cùm orare non poſſent in Ieruſalem,quam hoſtes occupauerant, *congregati ſunt,& venerunt in Maſpha contra Ieruſalẽ, quia locus orationis erat in Maſpha antè in Iſrael.* Hæc itaque ratio adduxit,vt opinor, Samuelem, vt conuentus illi prouinciales haberentur in Maſpha.Sed erat præterea grauis illa ratio, quòd locus ille videretur habendis comitiis opportunus. Eam enim ob cauſam,Godolias, quem Nabucho-

In deliberatione adhibẽda oratio.

donoſor reliquiis populi præpoſuit, elegit ſibi quaſi præfecturæ ſuæ ſedem Maſpha, vt habes ex Ierem.c.40.& 41.

Ego eduxi Iſrael de Ægypto.] Hæc Samuel exprobrat Dei nomine populo vęſano,& beneficiorum immemori, quòd cùm tot eſſet ornatus à Domino beneficiis, cùm ex Ægyptio iugo,& deinde ex aliorum Regum ſeruitute toties ereptus; aliiſque paternæ ſedulitatis modis aut recreatus, aut ſublimatus fuerit; tamen ipſum abiiciat, & pro Deo Imperatore,ac Rege, ſuis capitibus hominem præponi voluerit. Quomodò Deus abiectus fuerit inducto Regio dominatu, diximus c. 8.ad illud: *Non enim te abiecerunt, ſed me,ne regnem ſuper eos.* 50.

Verſ.19. *Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras,& per familias.*]Sicut olim apud Romanos comitia fuere centuriata, & tributa; id eſt, per tribus, atque centurias diſtributa; ſic etiam nunc Samuel tribus, familiaſque diſtinxit, quò commodiùs explorari poſſit,ex qua familia, ac tribu ſumendus eſſet ille, cui ſumma in reliquos eſſet permittenda poteſtas. Nam ſi res erat committenda ſortibus,& primùm deliberãdum de tribu, deinde de familia, idque ſortitò, neceſſariũ erat, vt Tribus à tribubus,& à familiis familiæ locarẽtur ſeorſum. Quod aliis ſæpè locis, & ante hoc tẽpus, & poſteà factum eſſe puto.Sic Ioſue cap.7. v.14. *Accedetiſque manè ſinguli per Tribus veſtras,& quamcumque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas;& cognatio per domos, domuſque per viros.* Simile aliquid fecit Saul infrà cap.14. v.40.Cùm autem ſortes moderetur Deus,iuxta illud Prou.c. 16.v 33.*Sortes mittuntur in ſinum,ſed à Domino temperantur.*In huiuſmodi conſultationibus,quæ ſortitò fiunt, præmitti ſolet oratio; ſicut fecit Saul, infrà c.14.& Apoſtoli Actor.1. cùm ſortibus permiſerunt electionem eius,qui proditoris Iudę loco ſufficiendus erat. Hoc puto factum eſſe à Samuele, cùm in Maſpha;id eſt,in orationis locum populum aſciuit; idque ſignificatum arbitror illis verbis; *State coram Domino*: hoc enim orationem indicat, aut religioſum aliquod opus, quod Deum placet,aut ab eo lumen, & miſericordiam imploret. 51. *Oratio ſortibus præmittenda.*

Verſ.20. *Et cecidit ſors tribus Beniamin.*] Quod fuerit hoc genus ſortium,incertum eſt,quia Scriptura ſacra neque hoc loco, neque in vllo alio, quod ego viderim, cùm de ſanctorum agit ſortitionibus, certam aliquam tradit illarum formã. De diuinatione, aut ſortibus, quibus vſi ſunt Gẽtiles, alia ratio eſt, de quibus nos aliquid in noſtris Commentariis ſuper Ezechielem, ad illud c.21.v.21.*Diuinationem quærens, commiſceens ſagittas.* Et ad illud Actor.1.*Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Illud hîc obſeruandum, non ſemel ſorti rem eſſe commiſſam, ſed quater, aut fortaſſe ſæpiùs; primùm conſultum eſt de Tribu;ſecundò,de Cognatione,ac familia; tertiò, de domo;vltimò de viro cui concedenda eſſet regia poteſtas. Quod etiam factum videmus Ioſue cap. 7. in cauſa Acham, vbi quater per ſortes videtur facta diſcuſſio. 52. *Quæ ſortes in ſcriptura viſitata.*

Verſ.22. *Et conſuluerunt poſt hæc Dominum, vtrùm venturus eſſet illuc.*] Cùm comitia illa non obiiſſet Saul,deque illo quærẽdo laboraret populus, conſultus eſt Dominus,fortaſſe per ſortes orationę ſocia,quæ à ſortitione abeſſe neque debet,neque,vt reor,ſolita eſt.Aut certè adfuit quoque inter illos,qui conuenerant,Sacerdos ſummus, qui tunc erat; neque enim virum tantum in re tanta defuiſſe veriſimile eſt: ille autem afferebat tunc 53.

ſecum

secum Ephod, per quod Deum consulere,& quid facto opus esset, explorare potuit. Consuluerunt autem, an ipse venturus esset ad comitia; vel certè dimissis huc, illucque viatoribus quærendus. Videbatur autem durum, tantam multitudinem ibi diutiùs expectare;neque absente populo commodè poterat ille suscipi, atque acclamari Rex; aut ferri conditiones necessariæ, ac leges, quæ Regi ediceret; quid in suis humeris negotij, atque oneris susceperisset,qualisque esset in subditum sibi populum futurus;& quid obsequij, atque opis allaturus esset Regi,populo præscriberent. Id quod statim,præsente Rege,ac populo,præstitum est à Samuele.

54. *Saulis prudentia aliquando magna.*

Ecce abscondita est domi.] Cùm mutatus esset Saul in virum alterum, noua lux affulsit ingenio priùs inculto,ac rustico,vt ageret deinceps in regni administratione, aut in demerendis popularium animis prudenter. Plurimi autem intererat, si populus nosset nunquam ipsum de loco illo, ac nomine Regio cogitasse, neque habuisse animum,quem vnquam inflammasset, aut tetigisset ambitio;hæc enim odiosum faciunt Principem, & quemcumque alium magistratum.Mirè etenim Principem commendat modestia, quæ docet gratiorem esse priuatam vitam,quàm quæ in excelso loco sita est, & omnium oculis, atque opinioni seruit. Vbi in eo apparet etiam prudentia, quam omnes amant, atque suspiciunt, quod ostendit non tam ambitiose quæsitam, quàm vltrò oblatam præfecturam. Ex illa item mutatione ortum est,ne alio in loco abscóderetur quàm domi suæ, ne si abiisset aliò, subodoratus videretur Regiam dignitatem;quod probaret illius esse ambitiosum & arrogantem animum. Ex eadem mutatione prouenit, ne patruo suo quicquam de vnctione, verbisque Samuelis aperiret, ne quà ad populum aliquid de electione illa permanaret; vt potiùs à toto populo, seu sorte à Domino temperata, quàm ab vno Samuele assumptus ad Regium nomen, & locum videretur. Quod autem sequenti narratur capite v. 5. singularis prudentiæ documentum est.

55. *Regum modestia mirè conciliat populum.*

Cùm enim Rex esset electus, & cum omnium exultatione,ac plausu Rex acclamatus,nihilominùs ad opera consueta reuersus est, & boues egit sicut anteà, aut vt arator terram subigens vomere,aut armentarius illos pascens.Quò significabat non concepisse se spiritus insolentes, neque abiecisse modestum animum; ac perinde non succubuisse fortunæ Regiæ,sed illa se fuisse lógè superiorem.Est enim infirmi animi non posse sublimi fortunæ resistere, quæ ad superbas rapit cogitationes, & homines plerúmque de statu mentis deturbat,cùm de statu prioris conditionis euocat. Est enim cũ bona fortuna bonæ mentis perquàm rara societas.Dixit enim acutè,& verè, qui dixit, opes, atque diuitias non solùm homines superbos,sed etiam stultos facere. Si hæc fecit Saul iã à priori conditione mutatus,quò viam sibi expediret ad subditorum demerendos animos, inspiratæ à Deo prudentiæ satis graue documentum dedit. Sed fortasse id fecit potiùs, quia modestus tunc erat, & humilis, & oblatum regnum horrebat,adeò non amabat.Quare dictum est illi à Samuele c.15.v. 17. *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?*

Altior fuit vniuerso populo ab humero,& sursum.] Hoc iam explicatum est suprà,cap.9.ad v.2.

56. Vers.24. *Certè videtis,quem elegit Dominus,quoniam non sit similis illi in omni populo.*] Hîc laudat Propheta Saulem non ab animæ dotibus, quas non videbat populus; sed à corporis proceritate,atque habitu, in quo Regium aliquid apparebat, & de hoc tantùm iudicare poterat; neque enim ingenium hominis, aut animi dotes antè viderat,cùm neque illum nosset familiari conuictu, neque de illo quicquam ad illud vsque tempus audisset. Atque ideò dicit, *Certè videtis*, &c. ac si dicat; Externam videtis hominis speciem, secundùm quam nemo est illi melior in toto populo; ex illa vos reliqua coniicite.

57. *Lex regum à Samuele scripta.*

Vers.25. *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni: & scripsit in libro,& reposuit coram Domino.*] Ideò quæsitus,& accersitus Saul, vt simul cum populo leges audiret, quæ modum administrandi regni præscribunt, vt ipse nosset quid oneris cum regno suscepisset; & populus, quid Regio nomini deberet, vt re priùs legitimè, ritéque composita, solutior esset, atque pacatior regni moderatio. Scripsit ergo Samuel leges haud dubiè ex diuino præscripto, in quibus tam Regi, quàm populo rei communis, & publicæ proponeretur forma. Quibus cùm aliquid inesset sacrum,sicut alia sacia, coram Domino; id est, in Tabernaculo repositæ sunt, traditæque Sacerdotum fideli custodiæ. Quid actum fuerit de hoc libro, aut quam tradiderit Reipublicæ formam, ignoramus. Illud videtur certum, optimos Principes,qui non tam suis,quàm communibus commodis seruiebant, in illas leges tanquam in speculum intentos, se ipsos primùm, deinde rationes publicas temperasse.

58. *Quæ ad publicam & rectam administrationem pertinerent in Tabernaculo seruata.*

Illud præterea hîc obseruandum, quæ ad publicam administrationem essent instituta, quæque hominum calliditate corrumpi possent cum magno rerum publicarum incommodo, illa seruata esse in Sanctuario, in quod non admittebantur, quorum essent suspecti mores,& veteratorium ingenium. Quare lex in sacratissimo Tabernaculi loco; id est, in Arca testamenti claudebatur,lib.3.Reg.cap.8. & pondera,atque mensuræ, quæ leges etiam quædam sunt, quæ rerum quantitatem explorant, ad quæ alia vulgaria, ac publica examinarentur, seruabantur in Templo. Quare suo iure Samuel legem regni,quam acceperat à Domino, in Tabernaculo coram Domino asseruari voluit, ne fortè in illam hominum astutia labes irreperet.

59. *Libri sacri nonnulli perierunt.*

Vt autem alij plurimi libri ex Scriptura sacra perierunt, sic etiam Domino iuxta infinitã suam Sapientiam permittente, liber iste Samuelis interiit. Scripti fuerunt sacri Libri, quorum Scriptura sacra sæpè meminit,neque illorum aliquid est reliquum præter nomen.Liber Bellorum Domini citatur, Numer.21. Liber Iustorum, Iosue cap. 10. Quinque millia Canticorum Salomonis, lib.3. Reg. cap.4. ibidem de rerum naturalium Disputationibus. Liber Lamentationis Ieremiæ in Iosiæ funere, de quo 2. Paralip.35. Et alij plurimi,quorum tantùm supereſt memoria.In horum censu numeratur hic Samuelis liber de regno,qui etiam intercidit.

60. Vers.26. *Et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Dominus corda.*] Eo tempore,quo Nahas Rex Ammonitarum aliquid contra Israëlitas moliebatur hostile, nõ tam erat necessarius Rex, qui rempublicam constitueret, quàm qui ab imperij finibus propulsaret exultantem hostẽ.Quare secuti sunt Saulem non tam Senatores, quique vocari possent Patriæ parentes, quàm milites;

tes;neque ex eo numero omnes,ſed quos diuinus A ſpiritus ad illud regium obſequium, & debitum officium impellebat.Fuere verò ex illo etiam ordine non pauci, qui cùm ruſticum hominem eſſe cognouiſſent, & ex minima Tribu, à qua nihil aut magnum, aut bonum expectabant,iniquis illum,& obliquis oculis intuebantur.Quare neque munera obtulerunt,quibus ſuum in Regem teſtarentur ſtudium, neque vlla beneuolentis animi ſigna præbuerunt; ſed potiùs dicebant oratione planè petulanti, ac libera, à tali viro nullam debere, aut poſſe patriæ ſalutem expectari.

61. Verſ.27. *Ille verò diſſimulabat ſe audire.*] Hîc aliud habes ſingularis prudẽtiæ teſtimonium. Expediebat maximè, cùm primùm eſſet initum regnum, conciliare potiùs ſubditorum animos,quã abalienare. Cùm autem non poſſet non eſſe populo odioſum, & graue, ſtatim accipere duriùs, & punire illos,qui contra Regem aliquid aut feciſſent, aut obloquerentur; neque expediret,vt ſi quid eſſet dictum,factumve liberiùs,maneret impunitum; fecit prudentiùs Saul,quàm ab homine ruſtico expectari poſſet,vt ſimularet ſe nihil accepiſſe,aut noſſe illorum, quæ contra ſe obmurmuraſſent filij Belial, ne cogeretur ab illis ſumere ſupplicium, aut probare ea, quæ conſuetudo, & leges improbarent. Eſt autem hoc documentum his,qui præſunt,interdum valde neceſſarium; vt cæci ſint,ne videant;aut ſurdi, ne audiant ea, in quæ in certo quodam rerum articulo duriùs eſ-

Diſſimulare interdum oportet aliorum errata.

ſet agendum.Ita ſanè in ſuo Ænea, quem & fortem ducem,& prudentiſſimum imperatorem fingit, ait Maro, lib.1.Æneid.

—*Curiſque ingentibus æger*
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Et alius ex profanis Cicero l. 9. epiſt. docet, eos, 62.
quibus commiſſa eſt Reſpublica, vt ad effectum *Simulare,& diſſimulare interdum oportet.*
ſuorum conſiliorum veniant, oportere, vt multa ſimulent inuiti, multa diſſimulent cum dolore. Exemplorum plena eſt antiquitas.Illud vnum addam,vt multa præteream,quod Hieronymus docet, probatque in ſuis Commentariis ad cap.2. ad Galat.vbi non ſolùm diſſimulationem, ſed ſimulationem vtilem eſſe docet, exemplo Iehu, 4. B Reg.10.qui finxit ſe idolum velle colere;& Dauidis,qui faciem mutauit coram Abimelech,quo & ſuæ, & publicæ ſaluti conſuluerunt. Hoc vſus eſt conſilio Saul,quo tempore primùm appellatus eſt Rex:premebat enim dolorem in animo;vultu tamen præ ſe ferebat beneuolentiam, & gratiam. Quod aliquandiu pòſt fecit Eſter, quæ cùm ægro eſſet animo,ac timido, propter illud, quod toti Iudæorum populo imminebat,periculum; tamen hilarem præ ſe ferebat, & benè confidentem animum; quia præſenti rerum articulo habitum illum corporis,& ſpeciem oris nitentem, & hilarem opportunam putabat.Sic autem de illa c.15. Eſter:*Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis,ac nitentibus oculis triſtem celabat animum,ac nimio timore contractum.*

IN CAP. XI. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM ab hac Regis inauguratione exactus eſſet menſis vnus, Naas Ammonitarum Rex vrgebat bello Jabes Galaad, eóque obſeſſos adegerat, vt vltrò ſe dederent aduerſario, dummodò honeſtam conditionem admitteret. Nihil ille æquum, nihil humanum cogitat, dextros oculos exigit, neque aliter paciſci de pace cum illis vult. Porrò Iabeſitæ, cùm ab hoſte inſolente & barbaro nihil ſe honeſtum impetraturos exiſtimarent, ſeptem ſaltem dierum inducias ſibi concedi poſtulant. Quòd ſi nihil intereà habeant à cognato ſanguine ſubſidij, non egreſſuros ſe dicunt ad eum, neque recuſaturos, quidquid illi lubeat oneris imponere. Admittit hoſtis conditionem oblatam, quia futurum non ſperabat, vt ab auxiliaribus copiis præda illa certò eriperetur è manibus. Mittuntur ergo nuncij ab obſeſſo populo, ſubſidij gratia, ad vniuerſos fines Iſraël. Quod cùm Saul ex populi clamore, ac fletu didiciſſet, cùm reuerteretur ex agro, noua quadam, & inuſitata forma momento temporis magnam conſcripſit militum vim. Remittit ergo nuncios, & iubet obſeſſos bene ſperare, & in ſequentem diem ſalutem, libertatémque promittit. Cúmque ſub matutinam lucem incredibili quadam celeritate in hoſtium caſta repentinus irrumperet, ſic illa diſſipauit, vt ex tot agminibus, neque duo ſimul fugam capeſſerent. Hæc ſubita, inſperatáque victoria ſic populum affecit, vt miris Regem celebraret præconiis, & in illos inueheretur hoſtiliter, qui duriùs de Rege fuerant loquuti. Quos tamen Rex ipſe prudenter ſedauit, oſtendens non oportere cuiuſquam morte tam illuſtrem inceſtari victoriam. Neque Samuel occaſionem illam perire voluit, in qua tam habuit populum in Saulem beneuolum. Quare totum populum abduxit in Galgala,vbi oblatis victimis rurſus Saulem Regem ritu declarauit legitimo.

CAP.

CAPVT VNDECIMVM.

1. ET factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad. Dixerúntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.

2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponámque vos in opprobrium in vniuerso Israel.

3. Et dixerunt ad eum seniores Iabes: concede nobis septem dies, vt mittamus nuncios ad vniuersos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

4. Venerunt ergo nuncij in Gabaa Saulis: & locuti sunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam & fleuit.

5. Et ecce Saul veniebat sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.

6. Et insiliuit Spiritus Domini in Saul, cùm audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis.

7. Et assumens vtrumque bouem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nunciorum, dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.

8. Et recensuit eos in Bezech: fuerúntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia.

9. Et dixerunt nunciis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol. Venerunt ergo nuncij, & annunciauerunt viris Iabes: qui lætati sunt.

10. Et dixerunt: Manè exibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis.

11. Et factum est, cùm dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.

12. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.

13. Et ait Saul: Non occidetur quisquã in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.

14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.

15. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

IN CAP. XI. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersus Iabes Galaad.*]

1. EXACTVS iam mensis fuerat, ex quo electus est, & acclamatus Rex Saul, & tamen adhuc se continebat domi, agebatque vitam priuatam, intentus sicut anteà colendis agris, aut pascendis armentis. Accidit autem opportuna quædam occasio, vt otium illud, seu domesticum negotium abiiceret, & se ad grauiora, publicáque molimina tandem accingeret. Naas enim Rex Ammonitarum, qui iampridem contra Israëlitas bellum adornabat, cuius causa populus de sua, publicáque salute sollicitus, præponi sibi Regem postularat, vt habes cap. 12. v. 12. ciuitatem Iabes, quæ erat in regione Galaaditide, sic angustè premebat, vt nulla videretur reliqua spes salutis. Quare statuerant dedere se Regi Ammonitarum, illique licèt alieno à genere, religionéque, seruire, dummodò honestam aliquam conditionem admitteret. Cùm autem ille ad dolorem acerbam, ad ignominiam grauem obtulisset, neque ciues vllo modo subeundam putarent, paucorum dierum inducias impetrant ab Ammonita Rege, intra quos nisi ab sociis, & contribulibus submissum esset auxilium, se dederent Regi, & turpem illam, duramque conditionem admitterent.

Hîc pauca nobis breuiter explorãda. Primum, 2.
vt principiò diximus, ante hoc tempus iam Rex iste Naas bellum Israëlitis intulerat, neque cessaturus videbatur, donec Israëliticum genus funditùs extingueret: vt ostendunt hæ tam barbaræ, & insolentes minæ de eruendis oculis. Quòd verò iam antè Israëliticos fines bello tentauerit, ostendit Samuel, cap. 12. v. 12. *Videntes*, inquit, *quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis.* Quòd autem de alio quouis bello sermo sit, quàm de illo, quo nunc angustè obsidetur Galaad, non leuis est coniectura, quod non videbatur ignoraturus Saul, aut integrum mensem cessaturus à cogendo milite, vt nouas acies infensis Ammonitarum castris opponeret. Et ita putat Abulensis hîc q. 1. & expressè tradit Iosephus lib. 6. cap. 5. Antiq.

Secundum, non tam voluisse Naas Israëliticos 3.
fines

fines imperij sui finibus adiicere, quàm exsaturare Israelitarum sanguine odium antiquum, quod iam inde a constituto Hebræorum populo conceperat. Quod ex eo, q.2. probat Abulensis, quia cùm viri Iabes Galaad se vltrò dederent Ammonitis, vt illis seruirent, & consueta penderent vectigalia; ille tamen non tam amauit illorum fines, & tributa, quàm dolorem, ignominiam, & dedecus. Atque ideò petit oculos dextros, vt stigma maneret perpetuum seruitutis ignobilis; & in effodiendis oculis ferretur ab ærumnoso, & infelici populo acerba vexatio, & cruētus dolor.

4. Tertiò videndum, cur dextrum potiùs oculum eruere voluerit Rex iste barbarus, quàm sinistrū. Eius rationem reddit Iosephus, lib.6. Ant. cap.5. quia nolebat Naas cum hostibus victis quicquam in posterum habere negotij: atque ideò vt illos ad bellum redderet inutiles, dextros effodere volebat oculos. Cùm enim in pugna clypeos in sinistra gererent, necesse erat, vt sinistri obiecto clypeo impedirentur, quominùs viderēt hostem, & sine errore inferrent, aut declinarent plagam. Quare dextris effossis oculis perinde erant, atque si cæci forent, cum illorum tantùm vsus esset in bello. Ita etiam sentit Theodoretus, & Magister histor. Schol. qui etiam addit cum Iosepho, ante hoc tempus idem feciisse cum aliis Hebræorum vrbibus Naas, quas anteà bello subiugarat. Cur verò Naas dextro captos oculo, quàm omninò cæcos maluerit Hebræos, ea videtur esse ratio; quia cæci magis oneri futuri videbantur, quàm vsui, & à luscis nihil impendebat in bello periculi, & aliqua expectari poterant emolumenta, cùm idonei essent colendis agris, pascēdo pecori, & aliis ministeriis, quibus seruilem dant operam, qui capti sunt, aut subacti bello.

5. In dextro oculo eruto aliquid ad mores agnoscunt authores. Pro omnibus vnum accipe Gregorium Magnum in hunc locum: *Dexter*, inquit, *oculus noster est intuitus æternæ claritatis; sinister verò oculus est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, vt vltrà ad videnda cœlestia non aperiatur. Eruitur quidem oculus, quando à mente reproba sic lumen euellitur, vt radix ei nulla remaneat, de qua rediuiuum lumen erumpat. Naas ergo dextros oculos fœderatorum suorum eruit, quando gula sic deuictis abstinentibus prævalet, vt carnalia sola cupiant, & vltra quæ solebant amare, non attendant.* In oculo dextro felicitatem sibi statuebant antiqui; quare si cui oculus pruriret dexter; id est, videre cuperet, aliquid sibi ominabatur eximium. Hinc illud tritum ex Theocrito in Amaryllide; ἄλλεταί μοι ὀφθαλμὸς μὲν ὁ δεξιός: *salit mihi oculus dexter*; id est, aliquod bonum auguriū spectare videor, visio hæc est ab oculo dextro.

In dextro oculo æterna, in sinistro temporalia significantur.

In oculo dextro significata fœlicitas.

6. Bonauentura in dieta salutis tit. de virtutibus cap.2. dextrum oculum fidem appellat: *Fides*, inquit, *comparatur oculo dextro; sinister oculus est ratio, quæ solùm de naturalibus iudicat; dexter verò est fides, quæ omnia tam naturalia, quàm miracula determinat, & intellectum in obsequium Christi captiuat, vt dicit Apostolus 2. Corint. 10. Et sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis est ad bella, quia scutum operit sinistrum, & sic nullum habet oculum, quo videat ferire, aut cauere aduersarium: sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Vnde Naas dicit hominibus, vel viris Iabes Galaad: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium oculos dextros. Naas interpretatur serpens, vel coluber, & signat serpentem antiquum; id est, diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum; id est, fidem, vt ad bellum spirituale hominē reddat inutilem.*

Oculus dexter fides, sinister humana ratio.

Et quidem qui cum hoc Naas; id est, serpente venenato, ac callido fœdus inierit, illique subesse potiùs elegerit, quàm cum eo ad mortem vsque pugnare; oculum iam habet dextrum effossum, qui cælestia neque videt, neque curat, neque aliter viuit, quàm animantes mutæ, quas natura abiecit ad pastum, neque aliud aut quærit, aut cogitat, quàm quod affectibus seruit animalibus; quia oculum tantùm habet sinistrum, qui neque cœlestem intuetur, aut sustinet lucem; aut aliud spectat, quàm quod voluptarios titillat sensus. Hic si saperet, & non prorsùs cum pudore ipsam quoque mentem abiecisset, non solùm apud Deum, & Angelos; sed etiam apud homines verecundari debuisset, cùm vitam agat belluinæ similem, neque illum aliud præter humanam speciem, & inanem figuram à bellua secernat. Qualis fuit Nabuchodonosor, Dan.4. cui cor datum est belluæ, neque aliquid nisi fœnum, & ferinum victum cogitabat, donec datus est illi dexter oculus, quo cœlum aspexit. Hoc verò ignominiosum, & fœdum futurum fuisse, qui pactum cum Naas abiectis armis iniissent, ipse professus est Naas, cùm dixit iis, quos oculo dextro orbare studebat: *Ponam vos opprobrium in vniuerso Israel.* 7. *Qui à Diabolo victus, ad humana pronus.*

Vers.5. *Et ecce Saul veniebat sequens boues de agro.*] Quidam hîc aliquid indignum agnoscunt Regia persona, cùm Regem vident instare à tergo bobus; quod aratoris est, aut bubulci. Atque ideò putant illum animi gratia egressum esse rus, & casu in gregem, aut iuga boum incidisse, post quos ingenuè, & ad voluptatem rusticatus reuertebatur in vrbem. Ita Lyra, & Hugo. Sed hi nimis faciunt Saulem delicatum, & lautum; & dum commendare student, magna illum commendatione priuant. Quid enim magis dignum animo Regio, quàm neque elatum esse ambitiosè dignitate noua, neque illi succubuisse fortunæ, quæ magnorum virorum, quique vocati sunt Heroës, nō solùm humeros, sed animos depressit? Sic enim puto vocari debere animos illos, quos popularis plausus, & honoris aura sic ventilat, rapit, atque eleuat, sicut ventus stipulam. Quare rediisse Saulem post populares acclamationes, ad agros, & pascua, ad boues, & asinas, talis est laus constantis animi, quali fortasse in tota Saulis vita nulla maior. 8.

Neque mirum est, si designatus Rex, & vnctus Saul ad boues, atque aratrum redierit, cùm nullum tunc negotium incideret, quod Regiam sedulitatem, & pondus requireret; neque cùm primus esset Rex in Israel, neque Regiæ authoritatis exemplar habuisset inter suos, putabat indecorum ad opus redire, quod priuatus honestè priùs exercuerat. Quod etiam fecit Dauid, qui vnctus à Samuele, & vocatus ad regnum, vitam nihilominùs pastoritiam exercuit. Sanè Iudices Israel quorum Sauli proponebatur exemplar, non abhorrebant à rusticis ministeriis. Sangar, vt habes Iudic.cap.3.v.31. Philisthinorum multos occidisse dicitur vomere; eo nimirùm instrumento, quod habuit familiare. De his vide plura apud Abulēsem q.4. Quod viro principe ruricæ curæ nō sint indignæ, disces ex Columella lib.1. de re rust. in præfatione, & ex Varrone. 2. de re rustica. cap. 1. quibus gratulata terra, quod se à nobili manu exerceri sentiret, vberrimos reddebat optimosque prouentus. Audi Plinium lib.18. cap.15. *Quænam ergo tantæ vbertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri, vt fas est credere, gaudere terram* 9. *Saul, Dauid & alij designati reges ad rustica ministeria redierunt.*

terram vomere laureato, & triumphali aratore. Siue illi eadem cura femina tractabant, qua bella: eadémque diligentia arua disponebant, qua castra.

Quare alij frequenter sentiunt Saulem è Maspha, vbi Rex fuerat salutatus, ad rusticam, seu armentariam curam rediisse. Neque sanè sequi boues, aut greges in Scriptura aliud valet, nisi ego fallor. Genes.32. v.19. Iacob dedit mandata *cunctis, qui sequebantur greges.* 2.Reg.7. v.8. sic Deus ad Dauid: *Ego tuli te de pascuis sequentem greges.* Idem 1.Paral.17. v.7. Et Amos pastor dicit de se cap.7.v.15. *Tulit me Dominus, cùm sequerer gregem.* Quare non est, cur verba hæc ad inusitatos, & alienos sensus torqueamus. An bubulcus fuerit Saul, vel arator, incertum est. Abulensis aratorem putat, & in suam sententiam Iosephum adducit. Neque leuis coniectura sumitur ex eo, quod in textu habemus: *Et assumens vtrumque bouem.* Duo enim boues iugum vnum trahunt; neque bubulcus vnus duos tantùm pascit boues: & absoluto iam opere, dum aratra iugum referunt suspensa iuuenci, arator illos defunctos opere sequitur à tergo.

Saul arator potiùs, quàm bubulcus.

11. Vers.6. *Et insiluit Spiritus Domini in Saul.*] Spiritus multa significat, tam in profana, quàm in sacra literatura. Inter alia, significat quemcumque motum, aut affectionem animi, cuiuscúmque sit generis, siue ad malum, siue ad bonum impellat. Vnde in Scriptura sæpè audimus *Spiritum ardoris*, furoris, iræ, fornicationis, zelotypiæ, obstinationis; denique quodcúmque feruet, & æstuat in animo. Hinc de stulto dicitur Prouerb.29. *Totum spiritum suum profert stultus*: id est, nescit stultus cohibere acriores animi motus, seu tẽperare, sed quicquid efferuescit in animo, vomit, & effundit. Hoc autem loco spiritus est zelus pro patriæ defensione, & studium vindictæ, quo instimulabatur Regius animus, vt frangeret Ammonitarum insolentes animos, & barbaros spiritus, quibus, nisi effossis dextris oculis, negabant conditionem vllam pacis admittendam. Hunc verò esse spiritum inditum à Domino, indicat, quod statim sequitur: *Et iratus est furor eius nimis.* Talis fuit spiritus ille, qui irruisse dicitur in Samson, Iudic.15. v.14. qui ardorem iniecit, & inflammauit animum, & metum omnem excussit; ita vt inermis armatos mille viros aggrederetur, & sterneret.

Spiritus pro quocumque affectu, aut motu.

12. Vers.7. *Et assumens vtrúmque bouem concidit in frusta.*] Meminerat, opinor Saul, quid non multis antè diebus fecisset Leuita, cuius vxori oppressæ à Gabaitis in eadẽ ciuitate, in qua tunc ipse morabatur, prius castitatis honor, & deinde spiritus ereptus est, quem abstulit aut iniuriæ pudor, aut petulantium hominum immoderata vexatio. Ille ergo vt ad vindictam tam fœdi, barbaríque flagitij omnes tribus Israëliticæ gentis accenderet, vxorem in duodecim dissectam partes in totidem Israëlitarum funiculos dispersit. Quæ res sic inflammauit reliquas Tribus, vt hostile ferrum incredibili cõspiratione in cognata viscera distrinxerint. Id ergo adduxisse videtur Saulem, vt cõsilio nõ admodùm dissimili omnes Tribus Israël sibi iam omnium fermè ordinũ consensione subiectas, ad liberandos fratres, qui de sua libertate, aut vita actum esse credebant; sumendámque de hoste insolenti, ac barbaro vindictam accerseret. Et planè id, quod sibi faciendum proposuerat, consecutus est: nam momento temporis magni excitantur bellorum motus, magni vndecúmque fiunt militum concursus. Cùm enim omnes partes illas per Israëlem totum dissipatas ex Regiis bobus esse didicissent, neque mitiùs cum suis futurum esse iudicium, nisi quamprimùm ad Regium signum aduolarent; omnes nihil cunctandum esse rati, arma vndecúmque conquirunt, ea videlicet, quæ sors, aut necessitas obtulisset: nam neque habuisse gladios, aut hastas iam antè docuimus, & videbimus statim cap.13.v.19.

Est autem vis ad mouendum vehementior in rebus, quàm in verbis, in signis, quàm in literis, aut in lituo, ac tuba, quibus euocantur homines, & accenduntur ad arma. Sanè verum est illud Horatianum in arte poëtica. 13. *Fortius mouent, quæ oculis, quam quæ auribus capta.*

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Fuerũt pro lituo, & tuba, & pro imperatorio edicto laceratorum boum disseminata frusta, & adiunctæ minæ, quas omnes summi, atque infimi, docti æquè atque indocti intellexerunt. Quæ boum dissecta membra in publico aliquo, atque conspicuo loco proposita existimo, quæ terrorem spectantibus incuterent; sicut hodie magnorum scelerum rei, in quos actum est capitali supplicio, in plures conciduntur partes, & eorum mẽbra in viarum diuortiis, aut locis maximè frequentibus suspenduntur, quo alij à simili viuẽdi ratione deterriti, supplicium etiã simile declinẽt.

Quod in concidendis bobus fecit Saul, id etiã alij in feriendo fœdere fecere legitimè, qui talia sibi precabantur, si fallerent, qualia dissectum corã animal patiebatur. Sic ex sacris Ier.c.34. v.18. *Dabo viros, qui præuaricãtur fœdus meum, & non obseruarunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum* (id est, sicut vitulum) *quem conciderunt in duas partes.* Sic profani in feriendo, seu percutiendo fœdere, quod cæsa victima plerúmque fiebat, talem optabant plagam illi, qui initum violasset fœdus, qualẽ excepisset victima. Liuius lib.1.cùm ageret de Albanorum, ac Romanorum fœdere, sic loquentem Fœcialem inducit: *Populus Romanus prior non deficiet: si prior defecerit publico consilio, dolo malo, tu illo die populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantóque magis ferito, quantò magis potes, polléque. Id vbi dixit, porcum saxo silice percussit.* Plura nos in hanc sententiam in citatum locum Ieremiæ. 14. *In fœdere feriẽdo animalia lacerari solita.*

Vers.8. *Et recensuit eos in Bezech.*] *Bezech* illa existimatur esse ciuitas, in qua regnauit ille, qui ab hac ciuitate vocatus est *Adonibezech*, de quo Iudic.cap.1.v.5. *Inuenerúntque Adonibezech in Bezech, & pugnauerunt cõtra eum.* Porrò Adonibezech idem valet, quod *dominus Bezech.* Est autem planè mirabile, tantam hominum multitudinem tam breui tempore, & tanta animorum conspiratione conuenisse: coacta quippe sunt ex Israële trecenta; ex tribu Iuda triginta hominum millia, qui sic studiis in datas sibi partes consensere, quasi vir vnus foret. Id verò fecit ingens timor, quem eorum animis Dominus indiderat, qui illos otium, domúmque relinquere coëgit, & inerme pectus hostibus telis audacter opponere. Hic porrò timor esse potuit, ne Naas victoria insolẽs in aliarum vrbium fines irrumperet, & quod facere iam cæpisset, vniuersorum oculos dextros erueret; aut ne Saul, si minùs essent ipsius imperio audientes, quod concisis bobus fuerat comminatus, opere compleret. Hoc posterius putat Abulensis; negat Caietanus, qui dicit nõ fuisse perdendi boues timore perculsos, sed Dei timore, quasi timerent, ne si Regis à Domino constituti detrectarẽt imperiũ, aliquid ipsis diuinitùs accideret mali; aut inditũ esse Regis timorẽ ingenuum, vt illum obseruarent, 15.

seruarent,& promptum ad omnia præstarent obsequium. Sed quomodò idcúmque fuerit, magis timorem illum cóceptum esse puto ex Saulis siue obseruantia,siue minis,quàm ex Naas,qui extremum Israëli dedecus,& exitium minabatur.

16. Vers.9. *Et dixerunt nunciis,qui venerant.*] Nępe Saul, & Samuel, tunc enim duos illos esse simul in Gabaa, docet quòd proximè dictum est, v.7. *Quicumque non exierit,& secutus fuerit Saul,& Samuel, sic fiet bobus eius.* Quòd verò Samuel in castris fuerit,rémque publicam simul cum Saule administrauerit,ex eo constat, quòd vbi primùm cæsi,fugatique fuerunt Ammonitæ,dixit Samueli populus iam meliùs in Saulem animatus,v.14. *Quis est iste,qui dixit:Saul non regnabit?* Et idẽ Samuel populum victorẽ, & alacrẽ deduxit in Galgala, vt Saulem vngeret secundò, legitimísque comitiis,& publica forma Regem constitueret.

17. *Cras erit vobis salus, cùm incaluerit sol.*] Obscurum est, vnde crastinus ille dies numerandus sit; neque enim est verisimile sumendum esse ab eo tẽpore,quo nuncij fuerunt à Saule dimissi. Quomodò enim tam breui tempore instrui potuerũt acies ex infinita propè hominum multitudine,ac tandem vna tantùm interposita nocte ad Iabes Galaad, quæ propè non aberat, peruenire? Lyra putat vno die postquàm legati redierint; id est, die crastino ab illorum reditu,cùm sol incalesceret; id est, cùm iam ad meridiem declinaret, liberandam esse ciuitatẽ ab Ammonitarum armis, & metu. Et hoc mihi non displicet; statuerat enim,vt apparet,Saul subsequi præcedentes nuncios: quos videtur aliquot secũ diebus retinuisse,donec militares haberet delectus. Neque difficile fuit, cùm haberet obsequentes milites, & ita inter se consentientes, vt non maiori negotio cogeretur numerosum agmen, quàm si vir vnus foret. Quare eodem die crastino, quo viri Iabes dixerunt sibi egrediendum esse ad Ammonitas, sub meridiem concisa sunt illorum castra, & deleta funditùs.

18. Vers.10. *Manè exibimus ad vos,& facietis nobis omne, quod placuerit.*] Postquàm legatorum reditu, spéque certa iamiam aduenientis auxilij confirmati sunt obsessorum animi, vt securos redderent Ammonitas, & deditionis oblata expectatione suspenderent, crastino die prodituros se promittunt ex vrbe,nõ quasi pugnaturi, sed quasi accepturi quamcúmque fœderis, ac societatis conditionem, etiamsi oculos placeat dextros effodere,aut quascumque notas seruitutis inurere. Id enim valet illud: *Et facietis nobis omne, quod placuerit.* His verbis omnem hosti metum adimunt auxilij venturi.

19. Vers.11. *Et ingressus est media castra in vigilia matutina.*] Progressum est Hebræorum agmen magnis itineribus,& nocturno silentio,ita vt neque spectari posset ab hoste,nec sentiri; quod optimi imperatoris consilium est omnium fortasse maximũ: in celeritate enim, qui in re militari aliquid vident, maxima putant esse momenta. Quare priùs hostes semisomnes, & imparati inferri bellum,quàm comparari sentiunt. Accesserunt,opinor,Israëlitæ, sub mediam noctẽ; id est, ad tertiam vigiliam,& acie pro locorum,ac temporis opportunitate tripartita, ad quartam vigiliam, quæ hoc loco matutina vocatur, in castra inimicorũ irrumpunt; & donec sol incalesceret; id est, meridiem versus, ad horam puto diei tertiam, aut quartam, ita grassantur alacriter in hostium castris, & successu vsque adeò secundo, vt incalescente sole concisi fuerint, ac dissipati hostes,ita vt nulla tam copiosi exercitus extiterint reliqua vestigia.

Quia hic de castris, reque militari sermo est, militare quoq; ãdhibetur vocabulum. Noctẽ milites in quatuor distribuunt vigilias, quæ ternis horis cõstant; prima à vespere ad tertiam horam noctis producitur; inde ad noctis medium secunda; tertia ad horam noctis nonam; quarta ad lucem vsque, quæ ideò matutina dicitur. Quare hora ante lucem tertia inuasit Saul Ammonitarum castra,& sex horis dissipauit,& perdidit. Eadẽ matutina vigilia demersus est Pharao in mari Rubro, Exod.c.14.v. 24. Singulæ porrò vigiliæ certis in castris notabantur signis; sicut nocturna, diurnaque spatia, cùm abest bellorum strepitus, ac metus, horologij sonitus in vrbe distingunt. Id verò tunc accidisse tam in obsessa vrbe, quàm in Ammonitarum castris, quia in omnibus aliquid insidiosum timeri poterat ab hoste vicino, mihi verisimile est. Sanè hoc modo personante buccina, ineunte tertia vigilia excitati videntur vigiles noui, qui aliis succederent, Iudic.7.v. 19. *Ingressusque est Gedeon,& trecenti viri, qui erant cũ eo in partem castrorum,incipientibus vigilias noctis mediæ & custodibus suscitatis.* Hæc obscuriùs. Sed apertè profani buccinæ meminere, cùm de vigiliis aut exactis, aut incipientibus loquerentur. Atquè ideò sicut quartus, aut quintus lapis sumitur pro certo viarum spatio: sic etiam tertia, aut quarta buccina pro certo nocturni temporis interuallo. Liuius l.26. *Vt ad tertiam buccinam præsto essent.* Et idem lib.7. signi meminit secundæ vigiliæ, quod datum est à buccina. Vegetius item l.1.c.8. Frontinus l.1.c.5. à buccinatore dicit diuisas esse vigilias. Et Silius Italicus l.7. distingui dicit mediã noctem; id est, secundam vigiliam à tertia, buccinæ clangore.

Nox in quatuor diuisa vigilias, quæ certis notis distinguntur.

Buccinarũ sonitu significata vigilia.

—Mediam somni cùm buccina noctem
Diuideret, iamque excubias sortitus iniquas
Tertius abrupta vigilaret ad arma quiete.

Ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.] Prouerbium olet hic dicendi modus, quo significatur perturbata,ac præceps hominum fuga,cùm à tergo hostis imminet victor,qui confusis ordinibus fugam intendunt, cùm de suo tantùm periculo victi,pallantésque laborant,de sociis non curant, quia tunc societas impedimento est,& multitudo prodit eos,qui aliter forsitan laterent,& insequẽtis hostis oculos,& ferrum eluderent. Idẽ videtur significasse Ieremias cap.49.v.5. *Dispergimini singuli à conspectu vestro,nec erit, qui congreget fugientes.* Quod si prouerbialis hæc species est, non est necesse, vt duo in fuga coniuncti non fuerint: ad sensum enim prouerbialem satis est, si pallantes hostes nullo ordine suam fugam intendant; & quòd quisque suam quærat salutem, & de communi, aut de sociorum incolumitate non laboret. Sed puto hîc nullã esse prouerbialẽ formam, sed reuerà singulos separatim fuga fuisse dilapsos.

21.

Vers.12. *Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit?*] Hinc collige, Samuelem cum Saule simul exercitum duxisse, & illius consilio rem esse aut omninò, aut magna ex parte confectam. Sic autem res ex voto, & supra opinionẽ multorum expedita popularium animos conciliauit Sauli, vt communi studio ad mortem expetierint eos, qui Saulis detrectabant imperium,indignúmque putabant, quem debitis Regio nomini prosequerentur muneribus.

22.

Vers.13. *Et ait Saul,non occidetur quisquam in die hac:* 23.

hac: quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.] Audiuit Saul, quid populus Samueli dixisset, & quid contra viros Belial, qui durius in nouum Regem essent affecti, cogitasset; quorum consiliis occurrit prudenter, & mutatum ad vindictam animum hac ratione sedauit. Dixit enim diem illum Israëli toti illuxisse candidum, cùm insperata victoria concisus esset inimicus insolens, & aliorum animi, qui minùs fauebant Hebræorum gloriæ, aut illorum insidiabantur commodis, fracti cecidissent; neque fore ex vsu communi, aut è sua existimatione, si publicam lætitiam contribulium cædes incestaret. Porrò in successu rerum secundo, & publico gaudio iniurias solitas esse remitti, imò & vitam dari his, quibus lex, aut consuetudo prorsus ademisset, multa docent profanorum exempla. Ex Scriptura vnum, aut alterum producam. Quo tempore Dauid restitutus videbatur in regnum, ex quo ab Absalome poterat existimari depulsus, accessit Semei supplex, superioris errati veniam petens. Cùm autem Abisai diceret Dauidi: *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini?* Cui respondit Dauid: *Ergòne hodie interficietur vir in Israël? An ignoro hodie me Regē factum super Israël? Et ait Rex Semei, non morieris.* 2. Reg. 19. v. 20. Deinde illa consuetudo, de qua Matth. 27. dimittēdi in die solemni Paschæ vinctum vnum, vt est communis Interpretum sententia, originē habuit ab eo beneficio, quod populus accepit, cùm libertatem ab Ægyptio iugo consecutus est. Qua de re nos postea ad cap. 14. v. 45. Memor enim populus acceptæ sub id tempus libertatis, & vitæ, vinctum vnum capitalis supplicij reum ad vitam, de qua iā actum videbatur, libertatēque restituit.

In secundo aliquo euentu maior esse solet in parcendo, aut largiēdo liberalitas.

Vers. 14. *Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.*] Designatus fuerat Saul in Maspha, & salutatus Rex à frequenti populo; neque tamen ibi dicitur vnctus, aut immolatæ victimæ. Quod licèt ad solemnem, legitimamque inaugurationē necessarium non esset, cùm accederet populi cōsensio; nihilominùs ex ea ceremonia aliquid accedebat designationi pōderis, tum etiam populo ad religiosam Regis obseruantiam, cùm videret aliquid in ea constitutione intercessisse sacrum. Elegit autem Galgala, quia illa ciuitas vnus erat è tribus cōuentibus, vbi ius dicere, & vocare populum consueuerat Samuel, vt publica dignitas in conuentu publico traderetur. Deinde quia nō longè aberat ab eo loco, in quo tunc erat populus. Constat enim Galgala esse prope Iordanem, ex Iosue cap. 5. v. 9. Ibi vnctum opinor esse Saulē, licèt de vnctione hoc loco nihil audiamus, vt tradit Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 6. Neque obstat, quòd in Rama secretò iam antè fuisset vnctus, quia nihil tunc fuit actum publica, atque solemni forma. Sicut etiam Dauid publicè fuit vnctus in Regem in Hebron, lib. 2. Reg. c. 2. v. 4. & tertio c. 5. v. 3. cùm tamen secretò prius vnctus à Samuele foret in paterna domo. Neque capite sequenti Samuel nouum Regem appellaret Christum; id est, vnctum, nisi publicè vnctū esse constaret. Deinde in hac innouatione, siue inauguratione Saulis oblatæ sunt victimæ, de quibus nihil prius factum esse legimus. Porrò in designando, ac constituendo Rege, holocaustum adhiberi solitum diximus suprà, c. 10. in principio. Quomodò extra Tabernaculum offerri potuerint sacrificia, eo saltem tempore, quo Tabernaculum vacuum erat ab Arca, dictum est suprà, cap. 7. in fine.

IN CAP. XII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

ANTEQVAM populus à Samuele congregatus discederet, eodem loco, vbi Saul iterum appellatus fuerat Rex, orationem habuit ad populum, à quo mutata gubernationis forma reiectus antè fuerat: & cùm ipso clamante, ac testificante populo, suam omnibus innocentiam, integritatémque probasset, fiducia ex rectè factorum conscientia, ac populi totius testimonio concepta, obiurgat grauiter gentem illam ingratam coram Deo, quem vt priùs testem, nunc ad communem causam iudicem appellat. Obiicit primùm antiqua beneficia, quibus à Domino quondam populus ille cumulatus fuit. Deinde quam gratiam pro tam effusa liberalitate reddiderit, cùm salutem suam hominum solertiæ, ac fidei potiùs, quàm Dei potentiæ, cuius sæpe in rebus dubiis fidelem manum fuerat expertus, commendare voluerit, cùm regem optet hominem, Deum Regem, & Dominatorem abuciat. Cuius rei, diuinæque offensionis signum, quam primùm orante Samuele datum est de cælo: cùm enim tempus esset messis triticeæ, quo tempore rara est pluuia, & vix vnquam audita tempestas; repentè tamen tonante, atque fulgente cælo, procelloſi consecuti imbres, quibus populus sic grauiter cohorruit, vt peccatorum conscientia vulneratus, vitam suam, & pacem, quam in discrimen adduci existimabat, Samuelis precibus commendaret. Quod fecit Samuel non grauatè; & inducta rebus tranquillitate, iussit, si suis rebus bene consultum esse vellet, de meliori fruge cogitaret; sin aliter visum fuerit, tam ipsi populo, quàm Regi, quem præesse sibi voluit, pereundum esse.

CAPVT DVODECIMVM.

1. DIxit autem Samuel ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestrā, iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constituti super vos regem.

2. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porrò filij mei vobiscum

vobiſcum ſunt: itaque conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hanc diem, ecce præſto ſum.

3. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrùm bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis.

4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam.

5. Dixitque ad eos: Teſtis eſt Dominus aduerſum vos, & teſtis Chriſtus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Teſtis.

6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moyſen & Aaron, & eduxit patres noſtros de terra Ægypti.

7. Nunc ergo ſtate, vt iudicio contendam aduerſum vos coràm Domino de omnibus miſericordiis Domini, quas fecit vobiſcum, & cum patribus veſtris.

8. Quo modo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum, & clamauerunt patres veſtri ad Dominum: & miſit Dominus Moyſen & Aaron, & eduxit patres veſtros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc.

9. Qui obliti ſunt Domini Dei ſui, & tradidit eos in manu Siſaræ magiſtri militiæ Haſor, & in manu Philiſthinorum, & in manu regis Moab, & pugnauerunt aduerſum eos.

10. Poſtea autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & ſeruiuimus Baalim & Aſtaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum noſtrorum, & ſeruiemus tibi.

11. Et miſit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum per circuitum, & habitaſtis confidenter.

12. Videntes autem quòd Naas rex filiorum Ammon veniſſet aduerſum vos, dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed rex imperabit nobis: cùm Dominus Deus veſter regnaret in vobis.

13. Nunc ergo præſto eſt rex veſter, quem elegiſtis & petiſtis: ecce dedit vobis Dominus regem.

14. Si timueritis Dominum, & ſeruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaſperaueritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum.

15. Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.

16. Sed & nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro.

17. Numquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias: & ſcietis, & videbitis, quia grãde malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos regem.

18. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in illa die.

19. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem: & dixit vniuerſus populus ad Samuelem: Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis regem.

20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos feciſtis vniuerſum malum hoc: veruntamen nolite recedere à tergo Domini, ſed ſeruite Domino in omni corde veſtro.

21. Et nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt:

22. Et non derelinquet Dominus populum ſuum, propter nomen ſuum magnum: quia iurauit Dominus facere vos ſibi populum.

23. Abſit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.

24. Igitur timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro: vidiſtis enim magnifica quæ in vobis geſſerit.

25. Quòd ſi perſeueraueritis in malitia, & vos & rex veſter pariter peribitis.

IN CAPVT XII. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Verſ. 1. *Dixit autem Samuel ad vniuerſum populum Iſraël: Ecce audiui vocem veſtram.*]

1. HABVIT Samuel, vt anteà ſæpè, in Galgalis comitia, vbi cùm nouo Rege de populi ſtatu in communi decerneret. Sed priuſquàm populus diſſolutis comitiis dilaberetur, integritatem ſuam coram omnibus probari voluit, aut ſpectari Samuel. Quare concionem habuit plenam dignitatis, plenam officij; vitámque ſuam, & adminiſtrationis modum iniquis etiam iudicibus explorandum, & examinandum propoſuit; paratus reddere, ſi quidpiam iniquè

què ab aliquo ſuſtuliſſe arguatur: Neque verendum eſſe, cuiquam putabat, quominùs obiectare audeat quicquid in ipſius vita minùs probet, aut quod velit à lege, aut publico iudicio correctum, cùm iam ipſe, nouo creato Rege, dignitatem, quam habuit illucvſque ſupremam, & Regiæ proximam, depoſuerat; neque timendum, ne poſſit ablata reſtituere, aut illatum damnum inſtaurare, licèt iam extrema obrepſerit ſenectus, & cani aduenerint, qui ſunt aduentantis iam mortis fideles nuncij; cùm filij ipſius ſani inter ipſos, & incolumes viuant, qui præſtare poterunt, quod pater interceptus naturæ neceſſitate non potuit. Id enim, vt opinor, valet illud: *Et Rex nunc graditur ante vos:* Id eſt, ego iam nunc perſonam publicam, aut regiæ proximam non ſuſtineo, cum homine priuato vobis agendum eſt, qui nullam potentiam, aut authoritatem habet, quam opponat. *Ego autem ſenui, & incanui; porrò filij mei vobiſcum ſunt*: Id eſt, ſi ætas mihi iam grandis, & efœta vitam abſtulerit, ſuperſtites ſunt filij, qui, quod mearum eſt partium, ipſi præſtabunt.

Samuel adoleſcẽs ſuſcepit imperiũ.

2. Verſ.2. *Itaque conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hunc diem, ecce præſto ſum.*] Ex hoc loco, & ſuperiori coniecto, ad quadraginta fermè annos, certè ad triginta & octo, Samuelem ſummam in Iſraële tenuiſſe præfecturam. Nam in ea conſenuiſſe, & incanuiſſe, ex hoc loco manifeſtè liquet. Ita præterea fuiſſe à ſenectute cõſumptum, & debilem, vt tantam non potuerit ſuſtinere perſonam, ipſe docuit, cùm loco ſuo duos ſuffecit filios, qui prouinciam, quam ipſe depoſuerat, adminiſtrarent; quare neceſſe fuit, vt quicquid eſt temporis ab adoleſcentia ad grauem vſque ætatem, in reipublicæ adminiſtratione conſumpſerit; quod ſanè exiguum non fuit. Quod autem adoleſcens præfecturam inierit, hinc apertè conſtat, quia hic rogat, an aliquis nouerit aliquid à ſe vi, aut fraude fuiſſe ſublatum, ab eo tẽpore nempe, quo cum imperio fuit: nam quæ ibi commemorantur, non ab alio fieri potuerunt, niſi ab eo, qui pro ſumma poteſtate omnia ſibi licere putat: & hoc ipſum ab adoleſcentia explorari iubet; quia nempe ab adoleſcentia abuſus poteſtate, ſicut alij plurimi, opprimere potuit alios, auferre boues, aut aſinos; accipere munera, vt iudicia corrumpat.

3. Verſ.3. *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius.*] Ab his, qui prætorio munere, aut ſimili alio magiſtratu defuncti ſunt, exigi ſolet publica, ac ſeuera ratio obiti miniſterij. An excubias egerint, quas exigit Reipublicæ neceſſitas; an ſpoliarint ſubiectum ſibi populum, & publica commoda ad priuatos vſus conuerterint; an repetundarum crimen admiſerint, quod forẽſe vulgus reſidentiam appellat. Quod ab his, qui defuncti ſunt præfectura, exigit Reſpublica, id vltrò ſubire vult Samuel, iudicémque ſuæ vitæ, & cauſæ vult eſſe Deum, cuius intelligentiam nihil latet; & Regem ipſum tunc vnctum publicè, atque ideò Chriſtum Domini, cuius neque cenſuram reſpuit, neque imperium recuſat. Putat autem Ioſephus vſque adeò Samuelem auidè ſtuduiſſe, ſuam vitam, & mores in publico illo conuentu examinari ad ſeueriſſimam amuſſim, vt nõ ſolùm petierit, oraritque; ſed etiam per Deum adiurarit populum, vt de ſuis rebus diligẽter ſtatuat, videat, & ſeuera cenſura caſtiget, ſi quid in tot annorum adminiſtratione peccatum ſit. *Samuel,* inquit, *propheta, priuſquam comitia diſſoluerentur, ſic eſt allocutus populum: Adiuro vos per maximum Deum, qui vobis optimos illos fratres, Moyſem, & Aaron miſit, vt patres veſtros ex Aegypto educant, vt abſque pudore, ac metu, omnique affectu alio liberè dicatis, nunquid contra ius, & æquum fecerim, vel proprij lucri cupiditate, vel in alterius cuiuſquam gratiam. Coarguite me, ſi cuiuſquam vitulum, aut bouem, aut aliud quid tale accepi.*

Septuaginta addunt, *vel calceamentum:* quo nomine exiguum aliquid ſignificant; prouerbialiter enim *calceamentum* pro re ſumitur viliſſima, vt diximus ad illud Amos cap.2. *Pro eo quod vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamẽto.* Ideò autem in calceo res intelligitur ſordida, & vilis, quia calceamenta ſine vllo ferè impendio comparantur, & ipſa abiecta ſunt, vtpote quæ ſemper calcantur pedibus, neque vnquam à fimo, & puluere eleuantur. Sanè in calceis rem ſignificauit leuiſſimã Eccleſiaſticus cap.46. v.22. cùm de hoc ipſo Samuele loqueretur, ex quo fortaſſe calceamenti nomen ſumpſerunt Septuaginta, aut à Septuaginta forſitan Eccleſiaſticus: *Ante tempus finis vitæ ſuæ, & ſæculi teſtimonium præbuit in conſpectu Domini, & Chriſti, pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo.* Ex quo loco coniectare poſſe videor id, quod iam mihi dudum perſuaſi, non longè ab his diebus diem ſuum obiiſſe Samuelem, exacto videlicet vno anno, aut poſt illum vno aut altero menſe. Quod non obſcurè indicat, quod ſtatim adiungitur: *Et poſt hoc dormuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ.* Quem locum ſequenti capite fuſiùs explicabimus.

4. PROVER. Calceamẽtum *pro re vili.*

Et contemnam illud hodie, reſtituamque vobis.] Nõ eſt otioſum, aut ad ſpeciem tantùm hoc examen, quod ſubire ſtudet in hoc hominum conuentu Samuel, ſed quia nihil retinere cupit alienum, profitetur quamprimùm reſtitutum iri quicquid contra ius, & æquum fuerit ablatum. Id verò, quodcumque fuerit, adeò non amat, aut retinere cupit, vt etiam horreat, atque contemnat. Nã qui de rebus prudenter ſtatuunt, tam longè abſunt, vt in alienis, quæ furto, atque calumnia congeſſerunt, ſpem locẽt melioris fortunæ, vt ab illis potiùs labem metuant, & timeant, quæ non ſecùs poſſeſſiones euertant, & quæ ſanctè fuerant acquiſita, corrumpant, quàm tabes, & tinea illa arrodunt, & perdunt, quæ firma ſunt, & ſuo etiam in genere nobilia. Quare Habacuc cap.2.v.9. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ*: mala appellatur auaritia, qui rapit aliena, qui cõgerit nõ ſua: hic enim cùm ſtabilire ſtudeat domum; id eſt, familiam ſuam, illam poſteris tradit ab aliena poſſeſſione labefactatam, & debilem, vt ſuſtinere nequeat diuturnitatis pondus. Dixit hoc idem Iob cap. 27. v. 18. de alienorum bonorum direptoribus. Dixerat priùs v.13. *Hæc eſt pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum.* Deinde v. 18. *Ædificabit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum.* Dum terendo tinea ſibi domunculam conſtruit, domum ipſam debilitat, ac perdit, quia lignum corrumpit, quod aliàs diuturnum eſſet, & molem ſuſtineret ingentẽ. Quare olitor, aut hortorum curator, & cuſtos, cùm erucam, aut bruchum in oleribus vident, aut arboribus, vſque adeò illis non delectantur, quaſi aliquod forent hortorum, aut ſegetum incrementum, vt potiùs inde graue metuant arboribus, aut frugibus malum; atque ideò omni ſtudio curant, quicquid eſt eiuſmodi beſtiolarum, extinguere, & magni aliquid tunc ſe feciſſe putãt, cum

5. *Horrere homo debet furto, aut fraude ablata.*

Auaritia euertit potius quam ædificat.

6. *Male quæſita tanquam eruca, ſeu tinea abiicienda.*

cum è suo fundo illas quàm procul ablegauerint. Sic de rebus alienis cogitabat Samuel, quas iure plusquàm optimo tanquam domesticum malum contemnebat. Neque aliter, qui sapit, de rebus statuere debet, quas per vim, aut fraudem acquisitas rebus legitimè comparatis immiscuit, quæ erunt, quod tinea ligno, eruca arboribus, aut frugibus aurugo, aut pestis denique corporibus, quæ absque illa salutem obtinerent constantem, & firmam.

7. Vers.5. *Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam.*] Solent homines, vbi benè est illis, atque iocundè, aliter loqui, quàm cùm aliquid illis accidit, quod illorum animos mœrore contraxit. Tunc enim homines, maximè qui leui sunt ingenio, atque versatili, aliter solent quàm anteà de rebus sentire, ac iudicare: aut certè licèt idem sentiant, quando aliquid audiunt de se, quod minùs adlubescit, aliter loquuntur, quàm sentiunt, aut rem aliter interpretantur, aut aliquid affingunt veritati, aut occasionem quærunt, vt de aliorum fama indigniùs loquantur. Id ergo nunc cauet prudenter Samuel, dum vitam suã frequenti populo, omnium iudiciis examinãdam præbet. Futurum enim erat, vt illos statim, antequàm dissoluerentur comitia, seueriùs reprehenderet, & exprobraret aut vesaniam, aut ingrati animi detestabile vitium, cùm Deum abiecissent, à quo tot modis antè fuerant ornati, & ab homine mortali gubernari maluerint. Quare timere poterat, ne in vitam suam duriùs animati, & reprehensione exulcerati vehementi, aut aliquid fingerent falsò, aut quæ nunc probant, iniquiùs improbarent: quocirca nunc de sua integritate publicum, & frequens aduocat testimonium.

8. Deinde quia cùm iniquitas os soleat obstruere eorum, in quibus aliquid est pudoris, & mentis (nam de his, qui iam frontem perfricuerunt, alia ratio est) neque quisquam audet aliis quicquam obiicere, si conscius animus aliquid agnoscat, quod ab aliis sentiat obiici posse; quò ex innocentia explorata audaciam conciperet ad reprehendendum, probatam vult priùs Israëli toti suam innocentiam.

9. Causam aliam adducit Chrysostomus, cur hoc consilium Samueli placuerit, & quid in eo præsertim spectauerit, tom.3.homil. in dictum Apostoli: *Vtinam toleraretis paululum:* Vbi ostendit eo consilio suas laudes Samuelem prædicari voluisse, vt formam nouo Regi Rempublicam administrandi præscriberet. *Quia salutem*, inquit, *hominum duntaxat spectauit, illis gubernatorem ad sui expressit imitationem, in ea oratione, qua de gestis suis rationem dedit. Nam cùm ignarum sciret, odiosumque Regem adhortari, qui omnia coram erat auditurus, atque illi ceu formam præscribere Reipublicæ, quam scilicet mãsuetus esse debeat, quàm moderatus, quàm procul à munerũ corruptione, vt nemini vim inferat, vt nemini sit iniustus, neque diuitiis congerendis studeat; rursus tacendo cunctus populus in prædã traditus fuisset, prætextu excusationis vtrumque periculum declinauit, illũ docuit, cuiusmodi gubernatorem esse conueniat, simulque vitauit odium doctrinæ. Siquidẽ videtur circa res suas occupatus; instruit tamen, & præscribit, quanto studio, quaue via subditorum commodis aduigilare par sit.* Lege totam homiliam, quæ mirè extollit hoc Samuelis examen, & quot in eo virtutes, & optimi viri documenta præluceant.

Honesta Principum reprehensio, seu admonitio.

10. Vers.6. *Dominus, qui fecit Moysem, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti.*] Hæc clausula imperfecta est, quæ constare non potest, nisi aliquid suppleas. Neque meo iudicio obscurum est, quid suppleri debeat. In aliquibus codicibus est *adest*. Quod si admittamus, nihil est, quod addas, aut requiras: tunc autem illud *adest* ad Dominum refertur, & illum testem esse significat; nam testis adesse debet, & illa nosse, ad quorum fidem illius testimoniũ aduocatur. Sed licet vox illa non addatur; est tamen eadẽ omninò sententia. Illud enim, *testis*, quod antecessit proximè, repetendũ est, in hunc sensum: Vos affirmatis, Deũ esse testẽ; idem ego assero, & illum etiam testem voco eius integritatis, quã in me omnes fuisse cõfitemini. Aut etiã testem aduoco, quod id ad extremũ vobis edico, quod ex vsu vestro futurum esse arbitror, & ad quod me & gentis meæ charitas, & officij ratio ad extremum cogit. Sicut anteà Moyses, cùm ex præfectura discessurus esset, & vita, documenta dedit populo, quem oratione dignitatis, & seueritatis plena reprehendit, Deuter. cap.32. testes aduocauit cælum, & terram: *Audite cæli, quæ loquor; percipe terra verba oris mei.* Et Isai.cap.1.v.2. *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Sic etiam hoc loco videtur voluisse Samuel adhibere Deum testem, quòd populum admonuerit, edixeritque, quid opus esset facto, si se, rémque publicam incolumem esse vellet. Quod etiam fecit Paulus Actuum cap. 20. v. 26. *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium*, &c. *Attendite vobis, & vniuerso gregi.* Et epist.2.ad Timoth.4.v.1. *Testificor coram Deo*, &c. *prædica verbum.* Et in hanc posteriorem sententiam magis inclino.

11. *Conscientia bona audaciam parit.*

Vers.7. *Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino.*] Quando iam cõstat ab omni labe puram fuisse Samuelis vitam, neque esse quicquam, quod populus accũset, ipse audaciùs obiurgat populum, & Deum, quem priùs testem aduocarat, nunc iudicem appellat, in cuius conspectu quid in populo reprehendat, & exprobret, proponit. Obiicit primùm, quot fuerit à Domino beneficiis ornatus; deinde quam gratiam pro tam effusa liberalitate reddiderit; cùm salutem suam hominum solertiæ, ac fidei potiùs, quàm Dei potentiæ, cuius sæpè clementiam, & fidelem manum in rebus quibusque arduis experti fuerant, commendare voluerint, cùm Regem optent hominem, Deum Regem, & dominatorem abiiciant.

12. Vers.8. *Quomodò Iacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt Patres vestri ad Dominum, & misit Moysem*, &c.] Quærit Abulensis q.9. & 10. quare Samuel exempla renouet antiqua; & innumeris aliis prætermissis paucorũ meminerit, quæ nos statim, prout Commentationis ratio postulauerit, exponemus. Rationes adducit varias, quas cuilibet apud ipsum videre promptum est. Ego aliam inuenio, quæ mihi magis placebat, aliis fortasse non item, quam tantùm producam, ne longior sim. Petiit populus dari sibi Regem, sicut cæteræ habent nationes, cùm Rex Ammonitarum Naas bellum instruebat contra Israël, animo vsque adeò infenso, ac barbaro, vt non nisi dextris effossis oculis, fœdus cum illo pacis inire voluerit. Ea res ita concussit timidorum animos, vt statim de comparando exercitu, & Imperatore designando cogitarent. Quare cùm antiquam bellandi rationem minùs probarent, nouam exquirunt, & Regem optant, quem Regi Ammonitarum opponant. Id constat ex v. 12. vbi sic ad illos Samuel: *Videntes quòd Naas Rex filiorum Ammon*

Ammon veniſſet aduerſum vos, dixiſtis; nequaquam, A *ſed Rex imperabit nobis.* Quaſi dicerent, noſtram communémque ſalutem non niſi Regis fidei, atque tutelæ committemus. Vt autem illos Samuel aut ſtuporis, aut ingratæ cuiuſdam obliuionis coarguat, repetit non omnia beneficia, quæ Deus ſuperioribus ſæculis in populum illum aſſiduè contulit; ſed quæ illos in eo rerum articulo confirmare, & ad benè de bellorum exitu ſperandum excitare debuiſſent. Quare narrat, quoties populus aut timuerit talia, qualia nunc; aut etiam talia pateretur, qualia nunc populus horret, & declinare ſtudet: & tamen Deus, qui regnabat in populo, Duces præfecerit, & Iudices, qui auſpice ipſo, atque fauente Domino, ab illis expedierunt malis, & illa depulerunt pericula, quæ ab humana potentia propulſari poſſe non videbantur. Neque neceſſe fuit, vt homines Regem ſibi, aut ducem eligerent; ipſe enim aſſumebat; neque vllus fuit, qui modò vocatus eſſet à Deo, qui non obtinuerit, quod futurum erat populo ex vſu. Quod faceret etiam tunc Samuele duce, multò fortaſſe meliùs, quàm Saule Rege. Nam Samuel conſcriptum exercitum ſecutus eſt, & illius conſilio res adminiſtrata. Iam excutiamus ſingula, & eo ſe habuiſſe modo, quem expreſſimus, ſeorſum exploremus.

Deus adiutor in tribulatione.

13. Cùm duriùs vexarentur Hebræi ſub Pharaonis iugo, neque ſpem haberent vllam emergendi ex conditione miſera, & miniſterio ſordido, vltrò Deus, qui in eo populo regnabat, euocauit C Moyſem à paſtoritia cura, & ſæpiùs prouinciam illam recuſantem adegit, vt populum in libertatem aſſereret. Quod tandem conſecutus eſt, non quidem ſuis viribus, aut induſtria; ſed quia Deus qui primus erat dux, illi aderat, armabatque in Ægyptiorum cladem, quòd in natura maximè videbatur horribile. Cùm autem poſtquàm inducti ſunt in terram Promiſſam, & in regione Chanaanitide collocati dereliquiſſent Deum, & ad deos, deaſque Gentium à vera, patriaque religione diffluerent, traditi ſunt alienæ poteſtati, cui non aliter, quàm parentes olim Pharaoni, ſeruierunt. Quare fuerunt aliquando Madianitis, nonnunquam Moabitis, & Palæſtinis iam anteà, & proximis etiam temporibus addicti. Elegit tamen, cùm maximè premerentur ab externo, & D crudeli dominatu, Deus optimos duces, illoſque cœleſti virtute communiuit, vt non ſolùm in libertatem aſſereret captiuum populum, ſed etiam antiquos Dominos conuerſa fortuna ipſorum ſeruituti ſubiiceret.

14. Subiecit Deus, vt habes Iudic. c. 4. Iſrael Iabin Regi Chanaan, qui regnabat in Aſor, cui dux erat nomine Siſara; Deus tamen elegit Barach, pugnandique prouinciam, & modum edixit per Deboram prophetidem; & rem ita breuiter feliciter confecit, vt nemo dubitare poſſit, diuinam ibi manum interceſſiſſe. Quod in ſuo Cantico cecinerũt Debora, & Barach, qui in eo exercitu videbãtur eſſe duces, c. 5. v. 20. *De cælo dimicatũ eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* E

Debora pugnandi modum edixit, dirigente Deo.

15. Peccauit rursùs populus, & ſubiectus fuit rurſùs Madianitarum imperio; exacto verò ſeruitutis ſeptennio, elegit Dominus ducem Gedeonem, qui hoc loco nominatur Ierobaal; vtroque enim nomine vocabatur: cui aſtitit Deus, ſicut ſæpè pollicitus fuerat, & talem ab hoſte victoriam conſecutus, vt diuinum omnes ibi conſilium, & dexteram agnouerint. Iudic. cap. 6. & 7. Cùm iterùm rediiſſent ad ingenium, & ad Gentilium ſacra, ſicut ipſorum parentes anteà, deficerent, excitauit Iephte, qui fauente ſpiritu, qui in ipſius animam inſiluerat, rem totam prima expeditione confecit, & populum ſuum, qui Palæſtinis, & Ammonitis per annos decem & octo ſeruierat, in libertatem aſſeruit, Iudic. c. 11.

Gedeon vocatus Ierobaal.

Peccauit iterùm populus, & traditus eſt iterùm in Philiſthinorum poteſtatem, quibus quadraginta annis talem ſeruitutem ſeruierunt, qualis infrà c. 13. deſcribitur. Excitauit tamen ducem Samſonem, illumque incredibili quodam robore muniuit, quo vnus non vni tantùm ciuitati, ſed toti regioni Palæſtinorum appareret horribilis. Hic porrò Samſon hoc loco appellatur à Samuele *Bedan*, haud dubiè per antonomaſiam, quaſi *filius Dan*: fuit enim ex ea Tribu. Vt autem aliquis propter excellentiam commune ſibi nomen attribuit; quo modo Paulus, licèt plures ſint, quibus hoc nomen conueniat, vocatur *Apoſtolus*; & Ariſtoteles *Philoſophus*, licèt alij multi philoſophi claruerint: ſic cùm alij multi eſſent ex tribu Dan, qui vocari potuere *Bedan*; illud tamen nomen, quia Danitarum omnium præſtantiſſimus, quaſi proprium foret, vendicauit ſibi Samſon. 16.

Ad extremum de ſe Propheta loquitur, quia 17.
ipſe quoque excitatus eſt à Deo, & ad ſummam Iſraelitici populi præfecturam vocatus, vt ab ipſo à principio vſque libri huc vſque didicimus. Non poterat autem populus ignorare, quid geſtum à Samuele fuerit, quo tempore magiſtratum iniit; atque ideò illa minutiùs explicari neceſſarium non fuit. Quòd verò ſe ipſum inter Iſraelitici populi proceres numerarit Samuel, humilitati potiùs tribuendum eſt, atque modeſtiæ, quàm ambitioni, & inani rerum geſtarum oſtentationi. Eò enim ſpectat hæc commemoratio Ducum, & Imperatorum, quos elegit Dominus, & quorum ſignificantur præclarè geſta, vt ſignificetur quid Deus fecerit olim ad vtilitatem, & gloriam Gentis ſuæ, & quantùm expediat illum habere Regẽ, & Dominum, potiùs quàm hominem, cuius eſt infirma virtus, & conſilium tardum, & inane. Quę enim de illis antiquis Heroibus ſacra narrat hiſtoria, non ab illis geſta ſunt, ſed per illos à Deo, qui & pugnandi formam præſcripſit, & ad victoriam animos inſpiratuit, & vires. Quare non eſt cur illi de re feliciter geſta, & de victoria parta glorientur, cùm hæc non ab humana, ſed à diuina potentia peracta ſint. Dum igitur ſe electum eſſe à Deo confitetur Samuel, nihil à ſe perfectum eſſe dicit, ſed tantùm à Deo, à quo omne conſilium eſt, & fortitudo, & cui omnis debetur honor, & triumphus.

Humilis eſt interdũ animi ſua geſta narrare, ſi tamen illorũ agnoſcatur Dominus author.

Verſ. 12. *Sed Rex imperabit nobis, cùm Dominus* 18.
Deus veſter regnauerit in vobis.] In ſuum malum populus obſtinato conſilio Regem efflagitauit, neque deſtitit, donec tandem extorſit; cùm tamen Regem haberet Deum, à quo, vt ſæpiùs anteà, ſic etiam modò in maximis rerum anguſtiis ſalutem obtineret, illámque magis haberet diuturnam, atque conſtantem, quàm ſub Rege Saule. Quomodò verò Deus Iudicum tempore ſub priori forma diceretur regnare in Iſrael, ſuprà à nobis explicatum eſt, c. 8. n. 12.

Verſ. 13. *Nunc ergo præſto eſt Rex veſter, quem* 19.
elegiſtis & petiſtis.] Aliquid hîc ſubamarum, & ironicum, licèt obſcuriùs, videtur inſinuaſſe Samuel, quaſi in ſuum caput vltrò malum accerſierit. Ita ſanè putat Auguſtinus ſuper Pſal. 51. in principio: *Saul*, inquit, *Rex non ad permanendum electus eſt à*

Rex interdũ ad correctionẽ, & vindictã datus.

Domino; sed secundum cor populi durum, & malum datus est ad eorum correptionem, non ad vtilitatem, secundum illam sententiam: Qui regnare facit hominem hypocrytam propter peruersitatem populi. Iob. 34. Idem Hieronymus ad illud Oseæ cap. 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Saul*, inquit, *non ex voluntate Dei, sed ex populi errore Rex factus est.*

20. Vers. 14. *Si timueritis Dominum*, &c. *Et non exasperaueritis os Domini.*] Grauiter videbatur Propheta perculisse Hebræorũ animos, cùm dixisset apertè ab illorum regno Deum esse depulsum; & in suum malum ascitum esse Regem indicasset obscuriùs. Nunc illis non dissimilem futuram ostendit Dei in illum populum prouidentiam, & curam, si modò tam ipsi, quàm Rex nuper electus à diuinorum præceptorum obseruantia non recedant; neque diuinum pectus ad vindictam instimulent. *Exasperare* idem est, quod naturam clementem, & mitem, difficilem reddere, & acerbam; quæque magis de puniendis, quàm de ornandis hominibus cogitet; aut eò quemquam furoris adducere, vt verba euomat minacia, & offensionis plena. Id enim est *exasperare os*, vt aliquid nempè asperum, & acerbum loquatur, aut exasperare sermones; quod statim dicitur. Id aliquando fecisse Samariam queritur Oseas, cap. 14. *Pereat*, inquit, *Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum*: Et Thren. 1. *Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Ac si vterque dicat, si Deus aliquid insonuerit horribile, si quid amarum, id Deum non effudisse ex suo; os enim illius suauissimum est, & sub illius lingua lac est, & mel: sed ex eo, quod à nobis accepit; propinarunt enim illi nostra peccata fel, & absynthium; & linguam, quæ ambrosia stillat, & nectare, amaram reddiderunt.

21. *Eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.*] Hoc idem est, ac si diceret: Regnabit in vobis Deus, sicut anteà, cùm per Iudices res administraretur publica. Vt Rex dicitur reliquos præire, qui viuendi formam, legésque præscribit; & agmen antecedere, sicut proximè de Saule dicitur iam Rege constituto, v. 2. *Et nunc Rex graditur ante vos*: Sic etiam cæteri dicuntur sequi præcedentem Regem: Quare cùm Rex, & alij dicuntur secuturi Deum, dicuntur planè illum Regem habituri, ducem, & auspicem, qui viam ostendat, expediatque, & suam quoque manũ ad pugnandum admoueat pro ipsorum salute: sicut contrà statim minatur; sin aliter faxint, super illos; id est, contra illos diuinam futuram esse manum.

22. Vers. 16. *Sed nunc state, & videte rem istam grãdem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.*] Aduocarat Samuel suprà testem Deum integritatis, & innocentiæ suæ, & quàm iniquè populus nouum sibi Rgem, & nouam regni formam ad gentilicum morem postulauerit; cùm ipse nondum esset præfectura defunctus, neque ineptam haberet, licet defessam senectutem, ad publicas curas; quod satis ostendit, cùm secutus est Saulem contra Naas, & iterùm contra Agag, quem ipse pugione confecit, 1. Reg. 15. v. 33. Deus autem appellatus testis prodigia quædam dedit è cælo, quibus ostendit suum de Samuelis sanctitate, & populi væsana petitione iudicium, & quale esset ipsius de re tota illustre testimonium. Ad votum enim Samuelis, & ad eius preces inspirante Domino, eo tempore, in quo minùs timeri tempestas posset, aut horror è cælo, sic commoueri cæperunt elementa, & omnia turbari, vt extrema omnia timuerit populus, placatique sibi optarit Samuelem, & Dominum. Repentè namque audita sunt tonitrua, effusus copiosissimus imber, & illa etiam addita horribilia, quę nimbos, & tonitrua comitari solent, fulgura, & fulmina, quæ tela dicuntur excussa à diuina manu. Talia ego tunc contigisse arbitror, qualia à Poëtis in describenda tempestate aut simulatè fingi, aut verè describi nonnunquam solent: Quorum hîc aliqua proferri non erit abs re. Virgilius lib. 1. Æneid. *Tempestatis descriptio.*

Eripiunt subitò nubes cælumque, diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Et iterùm l. 5. Æneid.

——Effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum, & campi. Ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, densisque nigerrimus Austris.

Porrò *voces* idem esse, quod tonitrua, multa docent. Vnus Psalmus 28. exemplo nobis esse potest, vbi *vox* in ea significatione sæpiùs reperitur.

23. Vers. 17. *Nunquid non messis tritici est hodie?*] Duæ pluuiæ Iudæorum terræ familiares sunt, & quasi legitimæ: quæ appellatur temporanea; illa nempè, quæ terram sub Autumnum irrigat, & disponit ad satum; & serotina, quæ ad spicas perducit segetes, illasque maturat, quæ sub vernum tẽpus accidit: aliis anni temporibus aut nulla est, aut non nisi perquàm rara pluuia, vt Hieronymus docet ad illud Amos cap. 4. v. 7. *Ego quoque prohibui vobis imbrem: Nunquam*, inquit, *in fine mensis Iunij, siue in mense Iulio in his prouinciis, maximéque in Iudæa pluuias vidimus. Denique in Regum libris pro signo magno, atque portento diebus æstatis, ac messis, orante Samuele, pluuiæ concitatæ sunt. Et superfluum erat nunc comminari mensis Iulij siccitatem, in quo nũquam pluuias dederat.* Et ibidem docet iuxta Oriẽtis regiones sub messis tempus inusitatas esse pluuias. Et sanè quasi prodigiosum aliquid narratur eo tempore accidisse pluuiam, quando aut nunquam, aut vix illam vidit Palæstina. Id apertè docet Samuel, qui cùm alia plurima prodigiosè contigisse dicat, addidit ad miraculi magnitudinẽ contigisse procellosum illũ nimbũ ad ipsius preces, quo tempore longè abesset metus à procella atque imbre. *Nunquid*, inquit, *messis tritici est hodie? inuocabo Dominum, & dabit*, &c. *Quibus tẽporibus Palæstinæ familiares pluuiæ.*

24. Vers. 19. *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum, ne moriamur. Addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem.*] Non fuit leuis illa tempestas, quæ præsentem populo mortem intentauit, quęque clamare coegit obstinatos antè, iam verò supplices, & à vexatione edoctos, se in postulando Rege peccasse grauiter; vt orationem interponeret Samuel, & diuini furoris pondus auerteret, quod iamiam in caput suum incumbere videbant. Quos Samuel ita metu liberat, & meliora sperare iubet, vt tamen doceat in illis esse culpam, & causam dedisse satis grauem, vt in ipsorum exitium omnia prorsùs elementa coniurent. Monet ergo, vt vnum Deum obseruẽt, & timeant, neque ab eius religione, & cultu ad vana idolorum simulachra deficiant: sic enim fiet, vt Deus nunquam deserat populum, quem, si modò staret datæ quondam fidei, habiturum se in sinu, tuteláque promiserat.

25. Vers. 23. *Absit autem à me hoc peccatum in Dominum*

minum.] Licèt iure posset populo succensere Samuel, quòd ab illo esset ignominiosè repulsus; nunquam tamen commissurum se dicit, vt pro illo solitum precationis officium intermittat. Quod peccatum in Deum esse dicit: neque sine causa in Deum affirmat illud esse peccatum; cùm sciamus peccatum omne, quodcumque fuerit, esse contra Deum. Quia Deus, vt reor, qui repentina pluuia, micanti fulgure, & reboante tonitruo cõcusserat, ac penè exanimarat populum, ille idem præceperat Samueli, ne curam amitteret antiquã docendi populum aut viam Domini, aut quod esset futurum ex vsu communi, réque publica. Quare peccaret in Dominum, cuius satis voluntatem agnouerat, si priuatas vlciscereturiniurias, aut non bene faceret pro sua facultate, ac prudẽtia, illis, à quibus officium æquale, aut similem gratiam nunquam accepisset.

Vers. 23. *Quod si perseueretis in malitia, & vos, & Rex vester pariter peribitis.*] Hic locus multum nobis afferet lucis ad intelligentiam sequentis capitis, quod variè vexauit olim, & nunc etiam exagitat Interpretum ingenia. Omnia pollicitus est secunda Propheta Israelitis, si constanter, & seriò Deum colerent, neque ab illius præceptis, & sacris quoquã aberrarent. Nũc quid ipsis mali impendeat, docet; si tales esse pergant, quales esse cæperant, cum humanum imperium, & gubernandi formam diuino prætulerunt. Ad extremũ edicit, & affirmat, si aliter rem suam, aut communem statuant, tam ipsis, quàm ipsorum Regi, quem ad ipsorum vota tradidit Deus, omninò fore pereũdum. Cúmque hoc posterius ipsi væsano consilio potiùs elegissent, re ipsa cognouerunt minacibus hisce verbis non defuisse pondus: nam & populus malè fuit ab hoste mulctatus; & Saul, vt dicemus statim, biennio postquàm regnum obtinuerat, interiit.

IN CAP. XIII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM regnum iniit Saul, tam erat animo simplici, ac puro, vt vnius anni infantulo non esset absimilis; sed diu in ea simplicitate, vitæque candore permanere non potuit: sic enim illius mores mutauit Regium nomen, atque potentia, vt ab ea simplicitate ceciderit, & simul à regno, quod in vtroque statu, atque fortuna, duobus tantùm annis obtinuit. Eo verò tempore Jonathas, quem pater mille viris præposuerat, præsidiarios milites, quos Philisthini in statione Gabaa Beniamin iam ante collocauerant, graui clade concidit. Quam iniuriam vt vlciscerentur Philisthini, suisque rebus magis cauerent in posterum, quammaximas possunt, tum è domestico, ac proprio; tum è vicino, atque conducto milite copias armant. Quæ res grauiter commouit, atque perterruit Hebræos, qui aliò, atque aliò dilapsi in latebris, atque desertis locis spem salutis, atque libertatis posuerunt. Quæ res infœlici, & male cauto Regi angorem attulit, & metum, ne populus totus ab acie discederet, neque haberet quid hostibus extrema omnia minantibus opponeret. Quare cùm Samuel ad septimum diem, vt antè promiserat, non putaretur esse venturus, ipse alienum vsurpans ministerium sacrificiis sibi ac populo Deum conciliare voluit, quæ res illi malorum, quæ deinde consecuta sunt, origo fuit: Cúmque iuxta dictum, peracto sacrificio Samuel adesset, grauiter in Regem inuectus est, qui denunciauit ab illo translatum esse regnum, quod alioqui in illius familia futurum esset perpetuum, & proprium. Res autem Saulis sic erat angusta, vt cùm in aduersariis castris multa essent bellatorum millia, qui in varias partes emissi, prædas ex Hebræorum finibus luculentas agerent. Ille tamen sexcentos tantùm habuit, reliquis aliò turpi fuga dilapsis, neque satis ad dimicandum instructos, cùm præter Saulem & Ionatham omnes essent inermes, neque vllus esset faber in Israele toto, non solùm qui arma cuderet, sed neque qui stimulum aratoris acueret, aut ligonem, aut vomerem ad rusticos vsus necessarios procuderet.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1. FIlius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel.

2. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel, & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Beniamin. porrò ceterum populum remisit vnumquemque in tabernacula sua.

3. Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cùm audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.

4. Et

4. Et vniuersus Israel audiuit huiuscemodi famam : Percussit Saul stationem Philisthinorum: & erexit se Israel aduersus Philisthiim. Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.

5. Et Philisthiim congregati sunt ad prę-liandum contra Israel, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in litore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethauen.

6. Quod cùm vidissent viri Israel se in arcto positos, (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis.

7. Hebræi autem transierunt Iordanem in Terram Gad & Galaad. Cúmque adhuc esset Saul in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

8. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo.

9. Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

10. Cúmque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat: & egressus est Saul obuiam ei vt salutaret eum.

11. Locutúsque est ad eum Samuel: Quid feciſti? Respondit Saul: Quia vidi quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas,

12. Dixi; Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini nõ placaui. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum.

13. Dixitque Samuel ad Saul: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum.

14. Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum, eo quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus.

15. Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin. Et recensuit Saul populum, qui inuenti fuerant cum eo quasi sexcentos viros.

16. Et Saul & Ionathas filius eius, populúsque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin: porrò Philisthiim confederant in Machmas.

17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad Terram Sual.

18. Porrò alius ingrediebatur per viam Bethoron: tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum.

19. Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni Terra Israel: cauerãt enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.

20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suũ, & ligonem, & securim, & sarculum.

21. Retusæ itaque erant acies vomerum & ligonum, tridentum, & securiũ, vsque ad stimulum corrigendum.

22. Cúmque veniſſet dies prælij, non est inuentus ensis & lancea in manu totius populi, qui erat cùm Saule & Ionatha, excepto Saul & Ionatha filio eius.

23. Egressa est autem statio Philisthiim vt transcenderet in Machmas.

IN CAP. XIII. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cæpisset, & duobus annis regnauit super Israël.*]

1. HIc nobis paululum moræ ponẽdum est, & quærendum; quot annis regnum obtinuerit Saul? De quo multiplex Sanctorum, & Interpretum cogitatio est. Ex Scriptura sacra tantùm habemus illud Pauli Actor. 13. v. 20. *Et post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel prophetam. Et exinde postulauerunt Regem, & dedit illis Saul filium Cis virũ de tribu Beniamin annis quadraginta.* Quæ verba quia ad varias explicationes patent, varias etiam peperere sententias.

2. Quidam sic accipiunt hunc locum Pauli, vt sonat litera simpliciter: *Et dedit eis Saul filium Cis virum de tribu Beniamin annis quadraginta.* De annis, quibus regnauit Saul in Israël, variæ sunt senten

sententiæ. Quidam sic accipiunt hunc locum, vt simpliciter sonat; nempè quadraginta annos regnasse Saulem. Ita Augustinus lib. 18. de Ciuit. c. 20. & lib. 17. cap. 7. Quintus Iulius Hilarion de mundi duratione in appendice Bibliothecæ, Salmeron Proleg. 14. formula 17. & Legionensis in cap. 2. ad Galat. vbi tradit, triginta nouem annos regnasse Saulem, & obiisse septuagenarium. Idem penè Iosephus, qui in extremis verbis lib. 6. Ant. tradit Saulem viuente Samuele regnasse octodecim annos, & eo mortuo viginti; id est, triginta octo. Alij communiter quadraginta hos annos ex annis Samuelis, & Saulis conflari putant.

3. In re maximè dubia hoc mihi primùm videtur certum, quadraginta annos, de quibus hîc Paulus, impleri ex annis, quibus Samuel, & Saul populo præfuerunt. Quod verba Pauli indicant non obscurè, qui Samuelis præfecturam cum Saulis Regno coniungit: & cùm de Tempore, quo præfuit Samuel, nihil definiat, videtur vtriusque imperij Tempus ad quadraginta annorum spatium contulisse. Nam quod Saulis regno quadraginta anni tribuendi non sint, ex eo fit plusquàm probabile; quia cùm annis multis necessariò iudicauerit Samuel, si omnes quadraginta annos adscribas Sauli, plures anni erunt ab egressu filiorum Israel ad Templi fabricam, quàm numerantur, 3. Reg. cap. 6. illi nempè, quibus iudicauit Samuel. Item quia si Dauid vnctus est in Regem secundo anno Saulis; eo nempe quo reprobatus est Saul, vt est communis, & vera sententia; id est, octo & triginta annis ante illius interitum; cùm Dauid tricenarius regnum susceperit mortuo Saule, vt liquet, 2. Reg. cap. 5. fit illum multò antè creatum esse Regem, quàm natum. Item quia Saul imperium videtur suscepisse non minor quadragenario, cùm filium habuerit ea ætate, vt præesse potuerit mille viris, 1. Reg. 13. *Erant cùm Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel; mille autem cum Ionatha in Gabaa.* Obiit ergo octogenarius, si accesserunt regni totidem anni; Sed Scriptura de Saule loquitur, vt de robusto. Neque tot annos habebat Dauid, quando septuagenarius obiit; tamen iam erat inutilis bello, & indutus vestibus non poterat calefieri.

4. Videtur autem hoc loco Paulus Samuelis, ac Saulis tempora voluisse coniungere, quia etiam hæc tempora à libris Iudicum excluſa, in libros Samuelis (sic enim ab Hebræis vocantur primus, & secundus Regum) collata sunt. Separauit autem Paulus Samuelem ab aliis Iudicibus, quia ille etiam à libro Iudicum excluſus est: quare quodammodò iam ad Reges pertinet. Neque, credo, huic cogitationi nostræ incommodat, quòd etiam in primo Regum inuenitur Heli, qui quadraginta quoque annos iudicauit Israel: tum quia ille pertinet ad tempora Samuelis, cuius præsertim gratia de eo institutus sermo: tum quia exiguum est admodùm, quod de Heli proditur, & de illius regno, tunc agi cœptũ, quando iam multi anni, & regni, & ætatis exacti fuerant.

Anni quadraginta confecti ex regno Samuelis, & Saulis.

5. Quando iam constat, quadraginta annos constitui ex Samuelis, ac Saulis imperio, videndum est, quot anni adscribendi sint Sauli; de quo maior est controuersia. Quidam illius spatij tempus ex æquo diuidunt; nam cùm durasse constet ex 1. Actuum cap. 13. quadraginta annos, neq; seorsum de vtriuslibet tempore quicquam dicatur commodum, visum est æquale spatium vtriq; annumerare, & hoc penè communiter.

6. Mihi verisimilius est, regnasse Samuelem octo & triginta annos; Saulem verò tantùm duos. Quã sententiam sequitur Arias Montanus in lib. de sęculis, & super Acta Apostolorum Gerardus Mercator in Chronico, Adrichomius in anno mundi 2850. Quæ sententia est Hebræorum in Seder Olam cap. 53. & Rab. Abrahã in historia Cabbala. Quod meo iudicio clarè indicat illud; *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnauit super Israel.* Vbi cùm reliqua, quæ adiacent, propriè dicantur, non est cur existimemus hæc esse dicta figuratè. Neque cùm primùm de Saule iam Rege scribi cœptum est, obscuris, & impropriis verbis actum oportebat. Sed neque Samuelem minùs triginta & octo annis regnasse, neque Saulem plus duobus, multæ, & graues cõiecturæ sunt. De Samuele constat ab ætate iuuenili sumpsisse populi gubernacula, vt docet ipse suprà cap. 12. vbi cùm vitam suam examinandam traderet populo; vitam, inquam, ex quo Iudex esse cœpit in Israel (nam à se illa scelera, aut iniurias repellit, quæ à potentioribus in inferiores admitti solent) sic agit ad populum: *Itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præstò sum.* Ex quo loco Abulensis & Dionysius, & alij communiter colligunt, Samuelem ab adolescentia gubernasse Israelem. Quod etiam ex hoc fit verisimile: nam quo tempore mortuus est Heli, & Arca à Philisthæis capta, paruus erat, vt habes suprà cap. 3. & 4. Arca verò septimo, postquàm esset capta, mense restituta; anno dehinc vigesimo inuenitur Samuel iudicasse, cap. 7. An verò tunc primùm regnare cęperit, ex Scriptura nihil habemus expressum: sed est mihi plusquàm probabile, ante illud tempus iniisse Magistratum; neque enim tunc electus esse traditur, sed iudicasse, & conuocasse populum, quod non priuatæ, sed publicæ authoritatis est.

7. Quòd paulò postquàm extinctus est Heli, constitutus fuerit Samuel Sacerdos, & Iudex, indicari videtur suprà c. 2. nam statim atque per virum Dei prædicta est Heli filiorum cædes, subditur: *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* At dices; paruulus erat Samuel, neque aptus imperio. Ita sanè, cùm Heli domus suæ calamitatem, & vastitatem prædixit; sed ante illam, cap. 3. dicitur: *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo.* Ex quo fit verisimile, inter vaticinium Samuelis, & vastitatem domus Heli, aliquot annorum spatium interfuisse; nisi dicamus, præteritum perfectum, quod in Scriptura sacra frequens est, vt multis probat Salmeron Proleg. 15. Reg. 4. sumptum esse pro plusquàm perfecto; hoc sensu: Quando hæc prędixit Samuel, iam creuerat. Quòd si ætate adhuc immatura imperio creatus est Iudex, mirándum non est, cùm eodem cap. 3. toti populo exploratum esset, quid à Samuele sperari potuerit. *Cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domino.* Deinde si longum esset interregnum inter Samuelem, & Heli, non tacuisset Scriptura, quæ in libris Iudicum sæpè tradit, defecisse Iudicem, populúmque suo arbitratu vixisse; Iudic. 17. v. 6. c. 18. n. 1. & n. 31. c. 21. n. 25.

8. Si ergo huic ætati, quæ sanè non potuit esse non iuuenilis, viginti annos, qui communiter Samuelis magistratui ascribũtur, adiicias, quid tantum habere potuit ætatis, vt propter senectutem (neque enim alia proponitur causa) minùs idoneus

neus fuerit administrandæ Reipublicæ? Multò sanè grandior esset Saul, si illius regno viginti annos attribuas, cùm ad regnum accesserit ea ætate, vt filium habuerit Ionatham, quem propter ætatem mille viris præficere potuerit: neque tamen hic propter ætatem consebatur rebus publicis, ac bellicis parùm idoneus. Si ergo impediri se dicit Samuel senectute, quominùs publica munera sustineat; necesse est longius illi demus spatium in magistratu, quàm annorum viginti.

9. Quòd Saul cum imperio viginti annis esse nō potuerit, hæ coniecturæ indicant. Prima, quia si secundo anno, vt multi existimant (ego primo verius esse reor) peccauit Saul, quia duobus, inquiūt, annis purè vixit sicut puer vnius anni: & tunc dictum est à Domino per Samuelem: *Quæsiuit Dominus virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eò quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus*; nimiùm esset dilatū supplicium, si tanto tempore posteà regnasset Saul, imò quid supplicij subiisset, si illa ætate sublatum esset illi regnum, in qua Samuel illud sustinere non poterat? Nam tunc esset sine dubio Samuele grandior, cùm ætate multò prouectior regnum iniisset, & totidem annos posuisset in eo moderando.

10. Adde, quòd secundo illo anno, quo Saul innocens esse desiit, vnctus est à Samuele Dauid, qui 2. Reg. c. 5. regnum suscepisse scribitur anno ætatis suæ trigesimo. Quod si interceßere decem & octo anni regni Saulis, ætatis suæ anno duodecimo Rex est designatus Dauid, quod sanè videtur non esse credibile. At dices, paruulum vocari Dauid, quando vnctus est: fateor vocatum esse paruulum; sed eodem modo dictus est paruulus, quando è domo paterna euocatur, vt exagitato à dæmone Regi, cantu, ac cythara subsidio esset; & tamen tunc dicitur c. 16. v. 18. *fortissimus robore, & vir bellicosus, & prudens in verbis*. Puer item vocatur infrà, cap. 17. & tamen illi traduntur arma Saulis, quæ non reiiciuntur, quia pro corporis magnitudine grandia, sed quia vsum armorum nondum habebat. Et ante hoc tempus armiger cōstitutus est à Saul, cap. 16. quod munus non ætati teneræ, atque infirmæ committi solet. Neque adeò paruus erat Dauid, quando sibi induit vestimenta, quæ beneuolentiæ gratia Ionathas ætate grandis sibi detraxerat. Indicat verò non adeò paruum esse Dauid, parentis ætas, de quo infrà cap. 16. traditur, quòd esset *vir senex, & grandæuus inter viros*; id est, omnium virorum illius ætatis maximè senex. Viri autem adeò senis filium, etiamsi ætate minimus omnium sit, grandem esse nonnulla coniectura est. Chronologia certè Hebræorum, quæ dicitur Seder Olā, c. 13. Dauidem tradit vnctū esse à Samuele anno primo Saulis, & anno vigesimo secundo ætatis suæ. Ego grandiorem fuisse puto.

Arma Saulis cur à Dauide reiecta.

11. Quò verò hæc, quæ impedita sunt, & alicui noua videri possunt, magis confirmentur, obseruandum maximè est, vocem Hebræam קטן *Katō*, pro qua locis citatis de Dauid noster Interpres reddit *paruum*, aut *paruulum*, non solùm significare, quod paruum est absolutè; sed etiam, quod minus est comparatione aliorum, etiamsi absolutè magnum sit. Exempla sunt plurima, Genes. 1. vbi Vulgatus vocat Lunam, *luminare minus*, Hebraicè קטן *Katon*, quia licet comparatiuè minus sit, absolutè tamen magnum est: & 2. Paralip. 22. vbi noster de Ioachaz, *qui minimus natu*; & 3. Reg. 12. *vbi digitus Roboam minimus*; & Genes. 29. vbi Rachel appellatur *minor*; vtrobique vox eadem est קטן *Katon*, quæ *paruum* significat. Sed est exēplum optimum, Gen. 42. vbi sæpè Beniamin paruulus dicitur, Hebraicè קטן *Katon*, quia nimirùm fratrum minimus: nam absolutè tunc magnus erat, triginta nimirùm & quatuor annorum, & eò ampliùs, qui quando paruulus vocatus est, decem suscepérat filios, Genes. 46. nam tot ingressi dicuntur cum Iacob in Ægyptum. Ad hunc omninò modum Dauid sæpè *paruulus* dicitur, nempè קטן *Katon*; non quia non magnus & ętate, & corpore; sed quia minimus natu.

Neque huic cogitationi obstat, quòd aliquando Dauid puer appellatur, seu adolescens: hoc enim nomen non solùm ætatem significat; sed iuuenilem ardorem, qualis interdum reperitur in senibus. Sanè Paulus Actor. cap. 7. vocatur adolescens, qui tamen cap. 9. vir appellatur, vno videlicet anno à lapidato Stephano. Neque adolescenti Paulo data esset potestas tanta, eaque publica à Pontifice, & Senioribus, de qua Actor. 9. v. 2. & cap. 22. v. 5. vt Christianos omnes vinctos perduceret in Ierusalem, quod munus virum desiderabat ætatis iam constantis; non adolescentem, à quo consilium abesse solet, & authoritas. Obseruandum autem est, vocem νεανίας, quæ est in textu Græco, non solùm significare *adolescentem*; sed etiam indicare id, quod adolescentium proprium est; nempè *ardorem, audaciam, & effrænatam quandā vim in rebus agendis*. Quare iuueniles spiritus appellant Latini insolentes, & acres, & quos ardor potiùs, & temeritas rapit, quàm regit prudentia. Et apud Latinos, qui strenui sunt, & acres, seu ad mala perferenda robusti, in ætate etiam grandi *Iuuenes* vocantur. Apud Virgilium 1. Æneid. Venus Æneam, & Achaten *Iuuenes* vocat.

Heu, inquit, iuuenes, monstrate mearum, &c.

Et lib. 3. de Achemenide.

Ipse pater dextram Anchises haud multa moratus
Dat iuueni.

De Vlisse Propertius l. 2. Eleg. 22.

Sic in Dulichio iuuene est eluſa Calypſo.

Sed hos omnes ætate grandi fuisse oportet, cùm ante illum articulum, quo *Iuuenes* dicuntur, decem annos, & eo ampliùs militiæ operam dederint ad Troiam. Quo sensu Xenophon vocat ἄνδρα νεανίαν, *virum adolescentem*; id est, feruidi, ac iuuenilis ingenij virum; & νεανιεύεσθαι, *efferri, & iactari iuueniliter*. Erat sanè Saulus adolescens non quidem ætate, sed spiritu, atque audacia, vt c. 9. dicitur.

12.

Sanctus Chrysostomus hom. de Principibus Apostolorum tom. 5. tradit, Paulum occisum esse anno ætatis suæ sexagesimo octauo. Sed obiit trigesimo tertio anno post conuersionem suam, anno nimirùm decimotertio imperij Neronis, qui incidit in annum Christi sexagesimum octauum; cùm conuersus fuerit anno Christi trigesimo sexto, altero anno post occisum Stephanum, vt latè, & optimè probat Baronius 1. tom. Annal. Ex quo fit, eodem propè tempore natum fuisse Paulum, quo Christus, & egisse annos triginta quinque, quo tempore lapidatus est Stephanus. Cùm verò Epistola ad Philemonem scripta sit quarto Neronis anno, quo tēpore Paulus erat in suo cōductu, iure se in illa senem vocat, cùm non longè abesset à sexagenario. Hæc quæ de Paulo à nobis dicta sunt in cap. 7. Actuum, optimè conueniunt in Dauidem, qui cùm ætate iam esset adulta, puer tamen appellatur, & paruulus.

13.

Sed

14. Sed est adhuc, quod obiicias huic sententiæ; nam si non multi anni interceſſere inter illud tẽpus, in quo exagitatus à dæmone Saul leuabatur pſallente Dauide, atque illud, in quo rediit, vt ſingulari certamine confligeret cum Goliath; quomodò Saul illum non cognouit, cùm de eius ſtirpe rogat? Ex quo veriſimile eſt, magnã cum ætate factam quoque fuiſſe formæ mutationem. Reſpondent aliqui, eam fuiſſe cauſam, quæ nunc proponitur; & in his eſt Auguſtinus citatus ab Abulenſe, qui dicit creuiſſe Dauidi barbam, dum abeſſet, & cùm ipſa aliquo modo mutatam eſſe formam. Idem Caietanus in 1. lib. Reg. cap. 17. & Abulenſis ibid. q. 40. Theodoretus putat q. 42. quia quo tempore pſallebat Dauid, Saul malo exagitabatur ſpiritu; ideò ab hoc illum non eſſe cognitum. Non longè ab hac ſententia Carthuſianus eſt, qui putat Sauli ex frequenti dæmonis vexatione debilem fuiſſe memoriam, & imaginatiuam facultatem impeditã. Nam de Abner, quòd illum non nouerit, nihil mirandum, cùm rei militaris cura, cui præerat, in caſtris potiùs ſub pel-
15. libus illum continuerit, quàm in palatio. Hæ fortaſſe poſteriores cauſæ graues eſſe potuerunt, vt Saul Dauidis anteà ſibi noti, & familiaris memoriã depoſuerit. Sed potuit hoc prouenire potiùs, quod etiam viſum eſt Abulenſi, ex mutatione habitus, & veſtium; nam qui priùs lautiori vtebatur cultu, vtpote Regius puer, tunc ruſticis pellibus, & paſtoritio habitu indutus erat cum baculo, funda, & pera, longè nimirùm alter à ſeipſo. Et quemadmodum nos, quem familiariter nouimus in ſæculari habitu, poſteà, ſi qua ſtatus mutatio fiat, non agnoſcimus in monachali; ſic Saul, quem probè nouerat vrbanum, & elegãtem, eundem nunc ruſticum, incultum, & horridum ignorat. Hoc ipſum accidit mihi cùm hæc ipſa commentarer; nam cùm tribus antè diebus allocutus eſſem familiariter adoleſcentem, qui ad me venerat cum viatorio, atque expedito habitu, illum poſteà non agnoſcerem, niſi ille genus ſuum, & nomen edidiſſet, quia Academicorum more togatus rediit. Adde, quòd Reges neque propè, neque attentè, aut otioſè illos intuentur, quorum cultus ſplendidus non eſt; maximè quia & reipublicæ cura, & bellorum perturbatio, & præſens metus attentionem, & oculos aliò abripiebant. Neque eſt improbabile Sauli cognitum eſſe Dauidem propter ſuperiorum temporum officia; ignoraſſe tamen eius Tribum, & nobilitatem, & de ea quæſiiſſe; quod non obſcurè indicat textus ipſe, quia plurimùm intererat, de qua Tribu eſſet, cùm ex pacto filiam ſuam illi daturus eſſet vxorem.

16. Alia ratio, eáque grauiſſima, meo iudicio, ſumitur ex his verbis: *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cæpiſſet, & duobus annis regnauit ſuper Iſrael.* Sed multi hunc locum in alium ſenſum aut accipiunt, aut contorquent. Quidam *Saul* in datiuo caſu ſtatuunt, & dicunt Sauli, quando regnum iniit, fuiſſe filium vnius anni, qui mortuo Saule duobus regnauit annis. Hunc autem fuiſſe Iſboſeth, de quo 2. Reg. cap. 2. *Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saul, cùm regnare cæpiſſet ſuper Iſrael, & duobus annis regnauit.* Sed hæc ſententia ſtatuit quadraginta annos regnaſſe Saulem, quod ab omnibus fermè exploditur. Neque videtur, cur hoc loco de Iſboſeth ſermo eſſe debuerit, de quo ad cap. vſque 2. lib. 2. mirum ſilentium. Genebrardus in Chronico anno 3106.

A putat hunc eſſe ſenſum; vtar enim eius verbis: *Poſt annum à ſua electione, de qua cap. 10. regnare cæpit; cùm autem regnaſſet duobus annis, elegit ſibi tria millia: nempè duobus primis regni annis ſat habuit vitare inuidiam,* &c. Sed ſanè non video, cur vnus ab electione annus intercedere potuerit ante regnum initum; cùm ſtatim ab vnctione Samuel conuocarit populum, & Rex publicè ſalutatus, & acclamatus fuerit. Neque diu celare debuit Samuel Regis electionem, cùm inſtaret populus, ac Regem ſibi dari inſtar aliarum Gentium penè conuitio efflagitaret. Poſt menſem verò ab electione, ſeu acclamatione, vt conſtat ex cap. 11. bellum geſſit contra Naas Ammonitem, cuius euentu feliciſſimo animos omnium ſibi conſiliauit. Quare neceſſe non fuit, plus tem-
B poris aſſumi ad ſedandam inuidiam, ſi qua fuit. Neque eſt veriſſimile, animos excitatos, & alacres ex recenti victoria, tam Regis, quàm aliorum inerti otio duos annos vacuos omninò à rebus gerendis habituros.

Alij putant, ideò dici Saulem duobus annis 17.
regnaſſe; quia ſecundo anno ab eius electione vnctus eſt Dauid in Regem; atque ideò ab eo tempore Rex eſſe deſiit legitimus. Sed hæc ratio non admodùm premit, quia illa tantùm fuit deſignatio quædam ad regnum ſuo adeundum tempore, non regni poſſeſſio: neque deſignatio illa populo nota, neque à quoquam Rex appellatus; licèt ex rebus ſanctè, ac feliciter geſtis, communiter ab omnibus, atque adeò ab ipſo Saule Rex
C aliquando futurus exiſtimaretur. Accedit, quòd Dauid quadraginta annos regnaſſe traditur, 2. Reg. 5. extincto Saule: *In Hebron regnauit ſuper Iudam ſeptem annis, & ſex menſibus; in Ieruſalem autem regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Iudam.* Vbi aliis annis, qui ſumi potuerunt à regno illegitimo Saulis, non eſt locus. Quare cùm alij anni, neque ipſi Sauli, neque Dauidi ſint aſcripti, ſatis eſt veriſimile, eos nullos fuiſſe.

Alij communiter multi, ac magni nominis au- 18.
thores agi hîc putant de iis annis, in quibus ſanctè, atque ſimpliciter regnauit Saul: nam exacto biennio non iam regium, & humanum egit; ſed impium, atque tyrannicum agitauit imperium. Sed non puto peccatum Saulis, de quo infrà, propter quod audire meruit: *Nequaquam regnum tuum vltrà conſurget; quæſiuit Dominus ſibi virum*
D *iuxta cor ſuum*, &c. contigiſſe ſecundo anno ab imperio ſuſcepto; nam nimis eſſet ſegnis Rex nouus, etſi non inſolens, at certè alacer ex victoria, ſi tandiu deſideret otioſus; & curſus ipſe hiſtoriæ non indicat tantum temporis à bello vacui interceſſiſſe; ſed potiùs primo: nam illud bellum fuit ſecundum, quod geſſit Saul, in quo audiuit à Semuele tranſlatum eſſe regnum ad alterum.

Saul primo anno imperij ſui reprobatus.

Sed ſanè videtur difficile creditu, cùm in aliis 19.
Iudicibus, ac Regibus, anni ſimpliciter poſiti ſint, quibus ipſi regnarunt, ad cognoſcenda, diſtinguendáque tempora, texendámque ſacram hiſtoriam, hanc legem communem omnibus in
E vno Saule defeciſſe. Neque vnus fuit Saul, qui bene auſpicatus, ſceleratè tamen concluſit imperium; neque tamen ideò anni illi extremi prætermiſſi ſunt, vt in Salomone conſtat.

Eſt ergo huius loci ſenſus, iuxta ſententiam 20.
ſuprà à nobis indicatam, inchoaſſe quidem Saulem regnum, cùm ea eſſet ſimplicitate morum, atque candore, quam habere ſolet infans vnius

anni;quia nimirùm vita priuata,& à publicis curis aliena, simplices alit, atque candidos mores. Vbi autem mutata fortuna est, sic est ingenium quoque mutatum, vt altero anno regni sui suo magno merito à regno sit depulsus. Vbi obserua Scripturæ more notã similitudinis omitti, quam si addideris, sensus erit facilis; *tanquam filius vnius anni erat Saul.* Canus lib. 11. de locis cap.5. ad 12. corruptos esse codices putat, & legendum non *filium vnius anni*; sed *filium viginti atque vnius.* Sed quomodò ea ætate filium habere potuit,quẽ mille viris præficeret? Quare non est,cur codex, qui constanter habet *vnius anni*,mutari debeat.

11. Quòd si verum est,quod nonnulli non improbabiliter existimant, Prophetiam de Benjamin Genes. 49. qua dicitur: *lupus rapax manè comedet prædam, & vesperi diuidet spolia:* intelligendam esse de Saule,qui fuit de illa Tribu; indicatur satis illius regni breuitas, quod manè cœpit, & floruit; sed statim adueſperascente die consummatum est. Solet autem spatium eorum,quæ citò euanescunt, ac pereunt, manè, & vesperè finibus circumscribi. Isaiæ 38. *De manè vsque ad vesperam finies me.* Et Psal.89. *Manè floreat, & transeat, vesperè decidat, induret, & arescat.*

12. Huc valdè faciunt præcedentis capitis extrema verba: nam cùm Dei timorem, & obseruantiam commendaret Propheta Israëlitis, si vellent Deum habere patronum, & ducem, statim addidit: *Quòd si perseueraueritis in malitia, & vos, & Rex vester peribitis.* Pòst verò in principio capitis perbellè subiungitur, non diu innocentem fuisse Regem, cùm tamen instar pueri vnius anni innocens, & purus regnum iniisset; atque ideò regnum illius fuisse perbreue, & secundo, ex quo cæpisset, anno fuisse finitum; quæ summa quædam cõplexio est regni Saulis. Nam statim quale habuisset exordium, postquàm publicè vnctus est in Regem, post victum Naas Ammonitem ostendit, & quomodò ab ipso statim in primo congressu, quem adornauit contra Philisthæos, peccatum est, & indicta reprobatio. Quare iuxta ea, quæ prædicta fuerunt à Samuele in fine præcedentis capitis, à regno excidit, & vita, altero anno à sua inauguratione.

13. Sed antequàm hinc expediamur, duo nobis explicanda sunt, quæ plerósque adduxerunt, vt laxum spatium assignarent Saulis imperio. Alterum est,quia tot prælia à Saule pugnata non videntur biennali spatio confici potuisse. Sed qui expenderit proximum esse hostem, prõpta Israëlitarum studia, & bellum comparari, & conseri, cum hoste vicino facilè posse,non sanè vltra biẽnale spatium longiorem moram desiderabit. Huius rei argumentum erit bellum primum, quo superatus est Naas Ammonites, quod vno, & altero die comparatum est, & illatum cum insigni Ammonitarum cæde. Sic ergo reliqua peragi potuerunt multò faciliùs; cùm iam essent habiti delectus,expedita arma,& res militaris suis ordinibus, præfectisque digesta, & miles ex victoria alacrior; Imperator anteà rudis, iam vsu doctior; iniectus hostibus timor, & aditus iam apertus victoriis.

14. Alterum est, quia extincto Saule, filius eius Isboseth quadragenarius esse dicitur 2. Reg. 2. Ex quo efficitur iam senem Saulem ad regnum esse vocatum; senilis autem ætas non admodum idonea est bellis administrandis. Respondeo,ita omninò esse dicendum: nam Ionathas, quando pater regnum suscepit, iam erat exercitui administrando maturus; quare ab ea ætate non longè aberat. Et cùm in bello non valeant ducis tã vires,ac lacerti, quàm prudentia, consilium, & authoritas,quæ in ætate senili plerúque sunt,oportuit plebi non admodum pacatæ Ducem præponi,in quo cum ætate iam grandi prudentiæ laus, & cõsilij maturitas inueniretur: neque enim alia in re commendari posse videbatur homo ante tempus illud ignotus. Quare suscepisse videtur regnum Saul annos natus quinquaginta octo,aut eo circiter: nam anno ætatis suæ decimooctauo satis potuit generare filium; cùm longè natu minores alij per id tempus generasse dicantur. Vt enim docet Hieronymus epist. 132. ad Vitalem, Salomon decimo anno ætatis genuit Roboam, & eodem anno ab Achaz genitus est Ezechias. Quòd si Philoni de Antiquitatibus Biblicis habenda est fides, multò prouectioris ætatis erat Saul,quando regnare cœpit.Nam interfuisse tradit illi bello, in quo sub Heli à Philisthæis capta fuit Arca Dei; ad cuius ætatem, quam prouectã esse oportuit,vtpotè non immaturam militiæ,accessit totum Samuelis imperium,quod,vt probatum est suprà,paucorum annorum non fuit, cùm illud inierit adolescens,& in eo consenuerit. Adde, quòd fortasse Isboseth nõ habuit quadraginta annos, sed triginta octo, aut etiam pauciores: nam frequentissimum est in sacra Scriptura, minores numeros omitti,qui vel excedunt plenum, & perfectum numerum, vel ab eo deficiunt; & adhiberi tantùm perfectos,qui vero,ac certo numero propiores sunt.

Sed est adhuc, quod obiicias: nam quo tempore Saul creatus est Rex,in domo paterna erat, vt apparet,& patris potestati subiectus: nam aliter ad quærendas asinas non esset à parente missus. Qui verò sub patria potestate sunt, non ea sunt ætate, quam Sauli tribuimus, dum regnum iniit. Hæc obiectio grauis illi videbitur, qui antiquum Hebræorum morem ignorauerit.Notum est enim, filios etiam post nuptias retineri à parentibus domi,illorumque opera vti ad communes,& domesticas curas. Sic sanè Iudic. c.12.v.8. fecisse videt Abessan Iudex Israël, qui triginta filios etiã post nuptias apud se retinuit domi,cùm tamen filias foras emisisset, in domos videlicet socerorum, vbi nempe illarum coniuges habitabant: *Post hunc,* inquit, *iudicauit Israël Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores, introducens in domum suam.* Quæ verba sic intelligo, vt sonant. Quod etiam obseruatum puto inter Gentiles,maximè sub hoc tempus; nam de Priamo,qui in hæc fermè tempora incidit,ex hac,vt reor,vulgari consuetudine tradit Virgilius lib.2.Æneid.in domo illius,cui,vt ipse fatetur coram Achille Iliad.lib.vltimo,quinquaginta fuerunt filij,totidem fuisse thalamos.

25. *Filij iam grandes in paterna domo, etiam matrimonio copulati.*

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum
Barbarico postes auro, spoliisque superbi
Procubuere.

26. Idẽ de filiis Iob tradit Origenes lib.in Iob,vbi rationem tradit,cur filios patres etiam matrimonio copulatos domi apud se retineant: *Ad satisfaciendum,* inquit, *humanis sensibus, promiscuè Deus illis dedit, & dat filios, & filias. Et adhuc ob hoc dat promiscuè,vt concordia, atque coniunctio hominũ multiplicetur per connubiorũ copulationes. Vbi enim dederint filias suas in coniugiũ,& acceperint filiis suis vxores,ibi copulatio fit connubij,crescit coniunctio sine apud pauperes,sine apud diuites.Quòd si sanè alicui filij tantum*

zùm naſcerẽtur, alij autẽ filiæ, cùm eas viris omnes traderet, domum vacuam relinqueret, atque hæreditatem ſuam deſolatã. Nunc verò filias ſuas ſanè dat foras, filiis autẽ intus accipit vxores, ac per hoc & extrinſecùs habet cognationẽ, & intrinſecùs hæreditatem. Sic namque & Iob fuerunt ſeptem filij, & filiæ tres, vt cùm ipſas ſanè foràs traderet viris, haberet extrinſecùs filios adoptiuos; & cùm filiis ſuis de foris acciperet vxores, haberet etiam in his extrinſecùs adoptiuas filias.

27. Sed vtcúmque fuerit de communi filiorum, atque parentum habitaculo, illud certum eſt, filios olim, etiam qui iam fuerint alligati coniugiis, addictos eſſe patriæ poteſtati, quantumcúmque fuerint ætate prouecti. Qua de re lib. 1. Inſtitut. tit. 9. de patria poteſtate; vbi non filij ſolùm, ſed etiam nepotes, & pronepotes patriæ poteſtati ſubiecti eſſe traduntur. Vide Dionyſium Halicarnaſſæum lib. 2. Sed quòd filij iam grandiori ætate parentibus ſeruiant, réſque curent domeſticas, & communes, argumento nobis ſunt duo fratres, Iacob, & Eſau, qui in domo habitarunt paterna, rémque curarunt communem ad parentis imperium; cùm tamen annos agerent tres & ſeptuaginta. Id quod ex Scriptura ſacra manifeſtè liquet; nam quo tempore ingreſſus eſt Iacob in Ægyptum, annum agebat centeſimum trigeſimum, Geneſ. cap. 47. v. 9. Tunc autem Ioſeph annorum erat triginta nouem, quod ita demonſtratur: nam quando apparuit coram Pharaone, trigeſimum agebat annum, Geneſ. 41. v. 46. quando pater ingreſſus eſt Ægyptum, iam à Ioſephi præfectura ſeptem anni fertilitatis tranſierant, & duo ſterilitatis, Geneſ. 45. v. 6. *Biennium* (inquit Ioſeph ad fratres) *eſt, quod cœpit fames eſſe in terra, & adhuc quinque anni reſtant, in quibus nec arari poterit, nec meti.* Deinde antequàm naſceretur Ioſeph, quatuordecim annos poſuerat Iacob in Meſopotamia ſeruiens ſocero Laban. Quod ex eo liquet, quia Iacob viginti annos ſeruiuit ſocero Laban, Geneſ. cap. 31. v. 38. quatuordecim pro duabus vxoribus, ſex pro domo ſua, atque familia, ibid. v. 41. ſex autem anni ab orto Ioſepho numerati ſunt, Geneſ. cap. 30. v. 25. quare hi anni ex viginti detrahendi ſunt, & ita manent quatuordecim, quos ſi addideris triginta nouem annis, quos agebat Ioſeph, quando pater centum & triginta compleuerat, efficies annos quinquaginta tres, quos ſi ex centum & triginta detrahas, ſupererunt ſeptuaginta ſeptem, quos tunc agebat Iacob, quando ex paterna domo egreſſus eſt: & tamen vir tantus paternæ ſuberat poteſtati; ſicut eo tempore Saul, quando vocatus eſt ad regnum.

Iacob annos natus ſeptuaginta tres egreſſus eſt de domo patris.

28. Exemplo item nobis eſſe poterunt omnes filij Iacob, quos pater in Ægyptum miſit frumentandi gratia; & tamen illorum plerique quadrageſimum exceſſerant annum; imò & illorum aliqui non procul aberant à quinquageſimo, cùm Ioſeph, qui longè erat inferior, annum tunc ageret trigeſimum nonum: & tamen illi tot, & tam grandes filij vxores duxerant, & filios ſuſceperant eo numero, vt de femore Iacob; id eſt, ex genere illius, ingreſſi fuerint in Ægyptum ſexagintaſex, Geneſ. 46. v. 26. Quid ergo miremur, ſi Saul iam grandis ſub poteſtate parentis fuerit? Huc etiam aduocari poſſent fratres Dauid, qui cùm grandes eſſent natu, & iam, vt eſt veriſimile, vxores duxiſſent; tamen ſub paterna adhuc erant poteſtate, & cura, quando ad illos, cùm eſſent in acie, miſit pater Iſai per Dauidẽ iam etiam grandem, quique eodem anno vxorem duxit filiam

Filij Iacob ſub paterna poteſtate etiam grandes ætate.

A Saulis, commeatum, & victum; ſic enim Iſai ad Dauidem infrà cap. 16. verſ. 17. *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos.*

Verſ. 2. *Et elegit ſibi Saul tria millia de Iſrael.*] 29.
Ex bello, quod exitu ſecundo confecit Saul contra Naas, copioſum ſecum habebat exercitum, qui ducis auſpicatum illud exordium ſecuti libenter ſub illius ſignis dimicarent. Ex omnibus tamen elegit tria millia; reliquos tãdem domum abire iuſſit. Illa verò ita diſtribuit, vt mille tradiderit filio Ionathæ, quem ducem præfecit, vtpotè iam grandem ætate, quique & robore valeret ad dimicandum, & conſilio ad bellum adminiſtrandum; reliqua verò duo ſibi retinuerit. Ex quo ſuprà coniectabam iam matura, atque etiam ſenili ætate fuiſſe Saulem, qui tantum haberet filium, & duas etiam filias iam nubiles, quarum alteram paulò pòſt ſpopondit illi, qui ſingulari congreſſu Philiſthæum ſuperaſſet.

B

Verſ. 3. *Et percuſſit Ionathas ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa.*] Hæc Gabaa fuit patria Saulis, quæ proximè fuerat appellata Benjamin, in qua ſtatio erat Philiſthinorum; id eſt, præſidium, quod in munitiſſimis quibuſque locis conſtituerant, vt populum aliqua ſibi ratione ſubiectum in metu, atque in officio continerent. De quo ſuprà, cap. 10. v. 5. ad illud: *Venies in collem Domini, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum.* Hæc verò ſtatio, & plures aliæ, quæ fuerunt, vt eſt veriſimile, in Iſraëlitide regione diſpoſitæ, id fecerunt, ne qua ibi cuderentur arma, neque aliquod fieret inſtrumentum è ferro, etiam ruſticum; quod miſeræ, atque extremæ ſubiectionis argumentum eſt. Quod ferre non potuit Ionathas vir fortis, & audax, quique abolere cupiebat dedecus illud ex Iſraëlis nomine. Quare aggreſſus eſt ſtationẽ, quam habebat infeſtam, & proximam, quam ita percuſſit feliciter, & fortiter, vt partim cæſis, partim fugatis hoſtibus, offenſionem illam, & ignominiam è patria ciuitate depulerit.

30. *Paleſtinorum in Hebræorum finibus præſidia.*

C

Quod cùm audiiſſent Philiſthiim, Saul cecinit buccina in omni terra dicens: Audiant Hebræi.] Non difficile fuit hanc ſtationis ſuæ cladem ad Palæſthinorum aures peruenire celerrimè, cùm proximi eſſent, & comprimi de tanta ſtrage rumor nullo modo poſſet. Quare cùm eodem propè tempore accepiſſet Saul percuſſam eſſe ſtationem illam, & Philiſthæos in illius vindictam, tum etiam vt ignominiã illam è ſuo nominẽ depellerent, exercitum copioſum inſtruere: ipſe quoque voluit exercitum conſcribere copioſum, quem Philiſthinorum conatibus, & viribus opponeret. Quare buccinatorem miſit in omnem terram, vt omnes intelligerent quid rerum fieret in Iſraël, quid actum feliciter à Ionatha, quid ex eo metuendum ab hoſte vicino. Illud porrò: *Audiant Hebræi*; ſumendum eſt, vt Logici dicunt, materialiter; ſunt enim præconum familiaria, ac legitima verba, quæ in exordio ponuntur edicti prætorij, aut regij mandati, quod ad populorum notitiam euulgatur. Quale fuit illud Nabuchodonoſor, Dan. 3. v. 4. *Præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis*, &c. Edixit itaque Saul omnibus Hebræis, vt quando recuſari non poſſet, quominùs cõgrediendum eſſet cum hoſte, cuius iam anteà ſæpe fuiſſet explorata potentia, omnes ſe quamprimùm ad prælliandũ accingerẽt, & ex re præclarè geſta meliora omnia ſperarent in poſterũ. Quod cùm audiiſſent Iſraëlitæ, exerexerũt ſeſe; & inclamato de more Saulis nomine, quẽ

D

31.

E

ducem sequebãtur, profecti sunt in Galgala iuxta Samuelis præscriptum, de quo cap.10. v.8. vt ibi se religiosè, ac sanctè, placato priùs, & aduocato Domino, ad arma compararent. Quis autem fuerit popularis ille clamor, incertum est: suspicor tamen talem fuisse, qualem edidere milites, Iudic.cap.7. qui aggressuri Madianitarum castra, Gedeonis, & Dei nomen inclamauerunt, v. 20. *Gladius*, inquiunt, *Domini, & Gedeonis.* Aut illa verba, quæ resonare solent publico plausu in Regum inauguratione: *Viuat Rex:* aut, *Domine saluum fac Regem.* Et si qua præterea sunt eiusmodi. Fuit autem vsitatum antiquis saltem populi Romani temporibus, vt exercitus re benè gesta Imperatoris nomen vsurparet identidem cum iubilo, & plausu. Ita Tacitus lib.3. Annalium: *Prisco erga duces honore, qui bene gesta republica, gaudio, & impetu victoris exercitus conclamabantur.*

Ducis nomẽ in militari cõgressu inclamari solitum.

32. Vers.5. *Et Philisthiim congregati sunt ad præliãdum contra Israël triginta millia curruum,* &c. Cùm audiissent Philisthæi, quid accidisset Naas Ammonitarum Regi, quem inopinato aduentu sic oppressit Rex nouus, vt ne duo quidẽ remanerent simul; & nuper edita suorum clade vehementer dolerent, & conseruandæ bellicæ gloriæ studio nihil sibi non tentandum putarent, talem adornarunt militarem instructum, qualis in angusta illa regione videbatur comparari non posse. Sed sicut cap. 7. adiunxerunt sibi Philisthiim Tyriorum auxilia, vt constat Eccli. cap.46. v.20. quos prodigiosa victoria superauit Samuel: *Et intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, & contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim.* Sic etiam nunc adfuisse quoque arbitror Tyriorum auxiliares copias, & ex ipsis tot curruum, & equitum millia fuisse congregata. Quomodò enim aliter triginta curruum millia cogi potuissent?

33. Vers.6. *Quod cùm vidissent viri Israël,* &c. *abscõderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis.*] Libenter ad imperium Saulis vndecúmque Israëlitę cõuenerant; magnos enim animos, & audaces spiritus indiderat Ammonitarum cædes: sed cùm eas copias viderent à Palæstinis esse coactas, quas contrahi posse non putabant, neque contra tam instructas acies satis sibi esse virium, desponderunt animos, neque existimarunt in patriis sedibus, & domibus effugere se posse hostile ferrum; atque ideò latebras quærunt, speluncas, & occultos sinus, quos putabant occultos esse Palæstinis; aut illos non curaturos de illis, quorum timere poterãt occultas insidias, neque videbant sine labore magno, atque dispẽdio futuram esse ignobilem illam, & exiguã prædam. Porrò regionem illam plenam esse eiusmodi latebris, & illas in aperto discrimine subire solitos Israëlitas, diximus ad illud Isaiæ cap.2. *Ingredere in petra, & abscondere in fossa humo.* De quibus Iosephus testis ipse oculatus lib. 1. de bello, cap.12. *Spelunca*, inquit, *in præruptis montibus erãt vndique inaccessæ, transuersosque tantùm, ac perangustos accessus habebant.* Sanè Dauid in speluncis delituit, 1.Reg. cap. 24. Et Iosue cap.10. quinque Reges ex speluncis, in quibus sese absconderant, extracti sunt. Cisternæ porrò, vacuæ nimirùm ab aquis, occultandis hominibus commodissimæ sunt: nam & profundæ sunt, & latæ, & os illarum facili negotio sic celari potest, vt non possit ab hoste venatore quantumuis attento deprehẽdi. Neque, credo, homines meticulosi, vrgente hoste, refugerent cœnum, si quod in cisternæ fundo subsedisset, cùm mors, quam declinare cupiebant, multò esset acerbior. Sanè Marius vir fortis, & strenuus, vt mortem effugeret, in palustri cœno apud Minturnenses aliquandiu fuit.

Frequentes speluncæ in terra promissionis.

Vers.7. *Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad.*] Omnes, quotquot erãt cum Saule, Hebræi erant; neque omnes transiere Iordanem, cùm eorum aliqui latuissent in latebris, montiúmque cauernis; alij aliò, prout se cõmodior ostentabat ad salutem via, dilaberentur; nõnulli cum suo Rege manerent in castris. Cur qui transmisso Iordane ad Gad, atque Galaad sese fuga corripuere, *Hebræi* dicantur, explorandum est. Ego quandam rationem inuenio, quã priusquàm expono, obseruo, frequentes esse in Scriptura sacra, sicut etiam in profana, allusiones, & paronomasias ad significationem vocabuli. Aliquot nos exempla produximus in nostris Cõmentariis ad illud Ieremiæ cap. 1. *Virgam vigilantem ego video.* Illa tu vide. Nunc tria tantùm exempla producam. Primum ex cap. 2. Sophoniæ v.4. quod etiam in nostris Commentariis super Sophoniã expendimus: *Quia Gaza destructa erit, & Accaron eradicabitur. Accaron* Hebraicè עקרון *Ecron*, à verbo עקר *acar*, deducitur, quod *eradicare* significat. Quare hic erit sensus: Accaron iuxta sui nominis notationem erit eradicata; id est, sui nominis significationem implebit. Alterum erit ex epistola ad Philemonem v. 11. vbi Onesimum vtilem futurum esse dicit, nempè iuxta suum nomen: ὀνήσιμος enim vtilem significat. Et Nabal iuxta nominis sui vim stultus vocatur, lib.1.Reg. cap.25. de quo Abigail: *Secundùm nomen suum stultus est.* Cùm ergo Hebræi, qui Hebraicè עברים *Ibrim*, sic appellati sint, quasi *transeuntes*; vel quia ex Abrahamo prognati, qui trãsmisso Euphrate migrauit in Chananæum solum; vel quia mare traiecerũt rubrum, aut aliquandiu pòst Iordanem, vtrumque sicco alueo; nunc iuxta nomen suum traiecisse iterùm dicuntur Iordanem, & in regiones transiordanidas excessisse. Quasi in ea fuga verè fuerint *Hebræi*, & id re ipsa præstiterint, quod Hebræorum nomen portendit, & sonat. Propter hoc existimo, cùm omnes Hebræi fuerint, hos speciatim Hebræos nominari, quia fluuio transmisso salutem sibi longiori fuga quæsierunt. Hæc mihi probabilia; sed fortasse illi, qui vltra Iordanẽ cõstiterunt, Tribus videlicet Ruben, Gad, & dimidia Tribus Manasse, vocati sunt *Hebræi*, quia necesse erat vt Iordanem transirent, si vellent sese cũ reliquo populo cõiungere, sicut fecerunt proximè, cùm venerunt euocati ad castra Saul. Et eam ob causam crediderim Israëlitarum vulgò Tribus illas Trãsiordanidas *Hebræas* appellari cõmuniter.

REGVLA. *Frequentes in Scriptura paronomasiæ.*

Ad Philem. 8.

34.

Vers.8. *Et expectauit septẽ diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, delapsusque est populus ab eo.*] Iam antè præuiderat Samuel, venturum Saulem in Galgala, quo tempore omnes ditionis suæ vires contra nouum Regem armarent Philisthæi; aut certè, quod cap. 10. potiùs notabamus, monuit, vt in Galgala secederet; ibique exspectaret septem dies, vt propitiato Domino, ab ipso disceret, quid facto opus esset. Fecit Saul quod à Samuele in mandatis acceperat, exspectauit septem dies; sed cùm populus exspectatione fatigatus, & impendente proximè periculo perterritus diffluere, antequàm septimus compleretur dies, non exspectato ampliùs Samuelis aduentu, ipse statuit operatus sacris placare Deum, atque consulere. Quod tandem fecit oblatis holocaustis, victimisque pacificis.

35.

Vers.10.

36. Vers.10. *Ecce Samuel veniebat.*] Non distulit Samuel promissa: adfuit enim antequàm septimus clauderetur dies, vixdum peracto sacrificio; cui cùm obuius occurreret Saul, eúmque lætus de more salutasset, rogatus ab illo quid fecisset, rem totã simpliciter edocuit. Tunc Samuel consilium damnauit tanquam suis rationibus, diuinæque voluntati contrarium, & illam futuram esse dixit primam imperij labem.

37. Vers.13. *Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum super Israel in sempiternum.*] Hic nobis quædam occurrunt nonnihil implexa, quæ exploremus, atque expediamus necesse est. Primum est, ecquod tã graue peccatum Saulis fuit, vt propter illud priuari regno debuerit; quo supplicio in humanis nullum videbatur esse grauius? Nullum autem à Samuele videmus obiectum, nisi quòd septem dies non expectauit: at expectasse septem dies dicitur iuxta placitum Samuelis. Lyra tria peccata in facto Saulis deprehendit, propter quod iure optimo ab oblato sibi regno deturbatus sit. Primum, quia non expectauit totos integros dies ad offerendum sacrificium, quod exacto septemdiali spatio offerendum fuit: anticipauit enim sacrificij tempus, quod legitimo tempore immolasset Samuel, qui satis opportunè se ad opus illud peragendum obtulerat. Deinde, quia sacerdotale munus sibi omninò negatum vsurpauit. Sicut Rex Ozias, qui cùm aggrederetur aliquid à Regio, atque profano instituto alienum, fœdam accepit plagam à lepra, & non à regno solùm, sed etiam ab hominum societate depulsus est, 2. Paralip. cap. 26. Tertium, quia peccatum suum non agnouit, neque ignosci sibi postulauit à Domino; sed potiùs à se culpam omnem remouit, quasi necessariò videretur sumptum esse consilium. Hæc Lyra. Nos hæc seorsum exploremus singula; & de septemdiali spatio posteà: nunc de sacerdotali munere supra facultatem Regiam vsurpato. Cum Lyra sentit Iosephus, & Dionysius; negat Abulensis, & Caietanus: quia cùm hoc grauius esset peccatum, quàm septem integros dies non expectasse, non sanè illud Propheta tacuisset. Deinde, quia secum in castris Sacerdotes videtur habuisse Saul, quos cap.14.v.18. conuocauit. Dicitur autem in Scriptura sacra ille sacrificare, qui suis sumptibus victimas adducit, quique suo imperio, aut suasu Sacerdotes sacrificare iubet. Sic Elcana suprà cap.1. & Salomon lib. Reg.3. cap.3. sacrificasse dicuntur; qui tamen eam ad rem alieno vsi sunt ministerio.

38. Quod autem peccatum suum non agnouerit Saul, sed potiùs excusationis vmbram quæsierit, non videtur esse eiusmodi, vt ideo tam graui supplicio mulctari debuerit; neque in excusatione aliquid videtur affinxisse mendacij; sed tantùm quid in præpropera sacrificatione spectarit, commemorare simpliciter. Deinde quia eam Samuel reprobationis dicit esse causam, quòd Dei mandata, quæ præcepit, non custodierit. Ego eã causam reprobationis esse arbitror, quòd totos septẽ dies non expectauerit, sacrificauerítque non per Samuelem, quod in Dei mandato continebatur, sed per se, vt quidam existimarunt; aut, quod cẽsebamus esse probabilius, per Sacerdotes alios. Ideò enim septem iussus est exspectare dies, vt sacrificaret in fine illorum Samuel, & Deum consuleret. Ita putat Rabanus, & docet Hebræorum istam esse sententiam. *Qui diligenter*, inquit, *inquiret, inueniet Saulem iure culpatũ, & inobedientiæ reum.*

Saulis, quod primũ peccatum, propter quod reprobatus.

Gasp. Sanctij Com. in lib. Reg.

A *Apud Hebræos ita distinguitur. Et descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendã ad te. Deinde infertur, ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias. Non ergo Samuel se exspectari septem diebus præcepit, sed ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas se septem diebus exspectari voluit. Quod ille non fecit, & ideò meritò culpatur, & stultitiæ arguitur.* Eadem penè dicit Angelomus.

At dices, quod tantum scelus illud est, propter 39.
quod tanta ruina primum Regem oppressit? Idẽ
ego rogarim, quod tantum fuit peccatum, quod
primum homo primus admisit; vt ideò inducta
fuerit mors in orbem terrarum, & cum illa tot
malorum tã densa, & tam implexa sylua? Rationẽ
B reddidit Isidorus Pelusiotą epist.181. cùm ageret
de Anania, & Saphira. *Non*, inquit, *crudelitatis, atque amentiæ fuit, quòd sapientissimus Petrus eos, qui peccauerant, morte affecit, verùm præscientis doctrinæ multa hominum peccata præsanantis. Nam cùm tunc Euangelij sementem facere incæpissent, ac statim enata Zizania cõspexissent, sapienti consilio ea sapienter euulserunt, ne vnà cum tritico aucta futuro igni ad exustionem seruarentur. Ad eundẽ enim modum diuinus quoque Moyses legem ab initio datam violatam perspiciẽs, etsi ob exiguum peccatum, saxis tamen obrui iussit, qui die sabbathi ligna collegerat.* Est quidem acuta Pelusiotæ ratio: nam reuerà cùm primùm in aliquo genere, aut statu grauiter punitur peccatũ, ab eo peccato deterrentur alij, & qui in eo sunt statu,
C cautiùs viuunt, quia sua peccata vident fore non impunita. Sic Deus, vt in parente primo disceret homo, quàm esset è re sua obedientiã in minimis etiam præstare creatori suo, inobedientiæ peccatum primum seuerè mulctauit. Primus, qui violentas manus fraterno sanguine fœdauit, graues dedit, & longas homicidij pœnas. Qui primi è sacerdotali genere alienum ignem ad sacrificium attulerunt, igne cœlitùs misso consumpti sunt. Qui è Christianorum cœtu factum Deo votum primi violarunt, repentina morte sublati sunt; vt hinc discerẽt qui sacerdotium inirent, quàm exactè seruari debeãt sacrificales ritus; & qui aliquid Deo debẽt ex voto, quàm illud fideliter, & plenè
D præstari debeat. Primus fuit Saul Rex in Israël, 40.
primum præceptũ, quod accepit à Domino fuit, vt expectaret septem dies, donec à Samuele immolarentur hostiæ; expediebat maximè, vt Reges, quotquot futuri erant in Israël, intelligerent, in administranda republica à Dei ducis, & auspicis præscripto discedendum non esse. Atque ideò peccatum illud primũ inobedientiæ regni iactura mulctatum est; quod supplicium posteriorum Regum nemini ignotũ esse poterat, tũ quòd graue, tum etiã quòd primum regiũ nomen afflixit.

Qui primùm violarunt præceptum, aut votum grauiter puniti, exẽplum.

Gregorius hîc vim perseuerãtiæ cognoscit, quæ 41.
si desit, quæcumque priùs cõparata fuerant, nullo
ponuntur in numero; sed quasi dissoluto, aut potiùs non adhibito nodo effunduntur, aut dissipãtur è sæculo: *Ecce*, inquit, *quàm magna perdidit, qui, vt putabat, nulla contempsit: Ecce septem diebus prophetam sustinuit, sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. Vnde & per Prophetam dicitur: Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Eccles.2. Sustinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant. Quibus nimirùm væ esse dicitur, quia non solùm incepti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostatatus sui pœna feriuntur. Pœna autem superbi, & inobedientis Regis declaratur: Quod si non fecisses, præparasset iam Dominus regnum tuum*, &c.

Sine perseuerantia acquisita pereunt.

42. Est etiam illud hîc vehemẽter obscurum, quomodò propter hoc peccatum reprobatus dici possit Saul, cùm cap. 15. tanquam Regi hoc illi mandatum dederit Deus, vt deleret funditùs Amalec, & veteres populi vlcisceretur iniurias? Tractauit hanc quæstionem Abulensis q. 11. & dicit, meruisse quidem Saulem, vt è regio solio pelleretur propter inobedientiam; non tamen nunc re ipsa reprobatum esse, atque deturbatum è regno. Quod etiam mihi placet, & addo comminationem hanc videri, vt Rex magis se præberet in posterum diuinis præceptis obsequentem; ne si suo se regeret arbitratu, magis quàm diuino, funditùs caderet, sicut omninò cecidit anno, postquàm regnum iniisset, secundo. Quò autem res meliùs intelligatur, duæ nobis hîc regulæ obseruandæ sunt. Altera, aliquid tunc dici, aut videri factum, cùm dignum est vt fiat, aut quando id ausus est, propter quòd debuit hoc vel illud nomen, aut hoc vel illud infortunium subire. Quomodò olim Christianus dicebatur *Sanctus*, & nũc Pontifex *Sanctissimus* salutatur; quia id officium exigit, & institutum, quod hominem ad sanctitatem informat. Altera est; quod inchoatum est, cẽseri pro perfecto. Quomodò ille dicitur alium in crucem, & restim adduxisse, qui viam ad peccandum aperuit, quam ille tãdem sæpiùs ingressus in crucem actus est: aut spoliasse bonis, qui semel inuitauit ad ludum, cui alter deinde sæpiùs assueuit; aut artem edocuit, quam dum ipse imprudenter exercet, bonorum omnium iacturam facit. Sic ergo nunc reprobatus dicitur Saul, & è regno depulsus, quia propter inobedientiam eo priuari meruit; & quia iam quodammodò priuari cæpit, cùm illi regni iactura à Samuele denunciata est. Sicut ideò Christus, vt dicit Augustinus lib. 3. de Cons. Euang. cap. 13. hora tertia crucifixus est, Matth. 15. v. 25. cùm tamen actus in crucem fuerit hora sexta, quia hora tertia damnatus fuit à Pilato, & clamatum à populo, *Crucifige, crucifige.* Tunc verò cùm aliquo modo Christo vel à iudice, vel à populo denunciata crux fuit, crucifixus appellari potuit, vt ait Augustinus. Sic etiam priuatus regno dici potuit Saul, cùm audiuit à Samuele: *Nequaquam regnum tuum vltrà consurget.*

Saul cur priuatus dicatur regno, cùm ab illo deiectus non fuerit.

REGVLA. *Tunc aliquid dicitur, aut videtur factum, cùm dignum est vt fiat, aut cùm fieri debet.*

REGVLA. *Quod capit ũ est fieri, factum existimatur.*

43. *Præparare regnum*, idem est, quod confirmare, & stabilire, Hebraicè, כון *cun.* Quod aliis quamplurimis locis sine dubio *stabilire*, & *confirmare* valet. Sic Prouerb. 8. *Quando præparabat cælos, aderam*; id est, *fundabat*; & patet, quia statim eadem significatione per epexegesim dixit: *Quando æthera firmabat sursum.* Et Psal. 23. per eandem figuram dicitur: *Quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.*

Præparo, idẽ quod confirmo.

44. Sed est hîc dubiũ graue, quomodò Deus præparare; id est, confirmare in æternum potuerit regnum Sauli, qui erat ex tribu Benjamin; cùm iam illud Dominus æternum fore dixerit in domo Iũda, multis antè sæculis? Sic enim Iacob Genes. 49. de Iuda: *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius.* Huic difficultati optimè satisfacit distinctio illa, quæ iam scholas Theologorum oppleuit, de scientia absoluta, & conditionata, seu media, quæ difficultates huic similes, quæ in Scriptura sacra frequenter occurrunt, optimè dissoluit. Ea lege Deus in tribu Benjamin, & in familia Saulis regnum Israël in æternum fundaret, si modò sese diuinis præceptis obsequentem præberet: sed quia vidit Saulem ab eo, quod Dei nomine foret à Samuele mandatum, recessurum, statuit regnum illud atque honorem in domo Iuda fundare perpetuum. Quòd prædixit Gen. 49. per Patriarcham Iacob, illúdque, vt constat, reipsa compleuit. De hoc philosophandi genere agunt multi Theologi Scholastici, quorum id est proprium. Tu vide ex nostris Gabrielem Vazquez.

Vers. 14. *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum:*] Nondum depositus est è regno Saũl, adhuc regium retinet honorem, & nomen; & tanquam Regi aliæ à Domino regiæ curæ mandantur. Tantùm dicit Propheta quæsitum esse, non constitutum Regem alium pro Saule. Sed illud videtur huic cogitationi incommodare nonnihil; quòd etiam Deus præcepisse dicitur illi viro, vt esset dux super populum suum. Quod indicare videtur, non solùm designatum in posterum, sed etiam constitutum esse Regem Dauidẽ. Huic obiectioni occurrit satis Scripturæ consuetudo, quæ id factum dicit, quod proximum est vt fiat. Quomodò Christus Matth. cap. 9. de puella iam mortua dixit: *Non est mortua puella, sed dormit.* quia mors illi quasi somnus fuit, à qua non aliter excitata fuit puella, quàm à somno dormiens. Qui loquendi modus nascitur ex illa Hebræorum consuetudine, quæ in cõparationibus omittere solet similitudinis formam. Quare sicut huius loci ea sententia est, puellam perinde se habere atque si mortua non esset, & habere se perinde ac si à somno esset, non à morte correpta: sic etiam virum, nempe Dauidem sic esse regno proximum, ac si iam Deus illi præcepisset, vt regni susciperet curam. Aut si mauis, dicamus Samuelem locutum esse more prophetico, & propter rei certitudinem, ac firmitatem, pro futuro tempore adhibuisse præteritum. 45.

REGVLA. *Id factum dicitur, quod proximum est, vt fiat.*

Quod autem hoc loco Saul non fuerit exturbatus è regno, sed tantùm de ipsius iactura minaci fuerit vaticinatio perculsus, docet Abulensis q. 11. Primùm, quia cap. 15. illud est Sauli mãdatum à Samuele negotium, quod ab vno Rege, aut supremo Rege administrandum videbatur: *Vade, & percute Amalec*, &c. Deinde quia aliter hîc loquitur Propheta, quàm cap. 15. cùm secundò à Saule peccatum est. Hoc enim loco tantùm audit Saul: *Nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus virum iuxta cor suum.* At cap. 15. post alterum peccatum, verba sunt duriora multò, quæque reprobationem significantiùs indicant, v. 23. *Pro eo quòd proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.* Et v. 28. apertè dicit Samuel, ideò Saulem excidisse regno, *quia non obedisti*, inquit, *voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec*, &c. Cùm verò in priori peccato Samuel à Saule non recesserit, quia ex Galgalis ad Gabaa vsque comitatus est; in posteriori tamen tanquam iam reprobato ita recessit, vt illum ad diem vsque mortis ampliùs non viderit, cap. 15. v. 35. Adde, quòd hoc ipsum iam anteà dudum prædictũ fuerat à Balaã, Num. cap. 24. v. 7. *Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius.* Ex quibus acutè, & meo iudicio verè coniectat Abulensis, si non accessisset secundum de Agag, propter primum peccatum de septemdiali expectatione non fore Saulem deturbandum è regno; quod superiores rationes non difficilè suadent. Accedit præterea illa omnium fortasse grauissima, quia vsque ad peccatum de dimisso Amalec, omnia Sauli ceciderunt ex voto; post verò, omnia prorsus cecidere contraria, vt suis locis manifestè constabit. 46.

Saul non omninò reprobatus, vsque ad secundũ peccatum de Amalec.

Iuxta

47. *Iuxta cor suum.*] Hunc locum adduxit Paulus, Actor. 13.v.22.vbi nonnulla addit explicationis, vt opinor, gratia, quæ hoc loco non sunt: *Amoto,* inquit, *illo* (nempe Saule , à regno) *suscitauit illis Dauid regem, cui testimonium perhibens dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Hæc nos pluribus explicuimus super Acta, quę huc repetere libet, quia quid hîc addam, quod magni referat, nihil succurrit; & satis, vt reor, ibi laboratum est, in explicando vero, atque germano sensu. Sic igitur nos illic.

48. Ideò Dauid secundùm cor Dei esse dicitur, quia ea, quæ volebat cor Dei, volebat cor Dauidis, & exequebatur ea. Et hanc opinor sententiam esse propriam, atque germanam; quia Sauli, qui minùs Deo obsequens fuit, opponitur Dauid diuinæ voluntati obsequentissimus: & ostendit ipse Dominus qui statim subdit: *Qui faciet omnes voluntates meas.* Quæ verba, iuxta Sacræ Scripturæ morem, fortasse per epexegesim, sunt explicatio verborum præcedentium: ille enim est secundùm cor Domini, qui totum se ad eius voluntatem finxit, & quò illam expleat, negauit suam. Talis verò non fuit Saul, qui non tam Dei consilio, quàm suo arbitratu rem moderabatur bellicam, & publicam. Hæc porrò extrema verba in 1. l. Reg. suprà, non sunt; sed non est dubitandum fuisse à Deo dicta, sicut alia multa, quæ à Sacris, & Canonicis historicis omissa sunt, & ab aliis posterioribus addita. Vide quæ diximus in illud Actor. c.1. *Quia Ioannes quidem baptizat aqua.* Est autem mihi maximè probabile, sermonem hîc esse non de omni voluntate Dei, sed de illa, quæ ad regni, bellorumque administrationem pertinebat, vt ex causa reprobati Saulis facilè coniicitur. *Eò,* inquit Samuel, *quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus.* Præceperat autem, vt habetur c.10.vt expectaret septem diebus in Galgalis. Vbi obseruandum, hoc esse primum præceptum, quod Sauli iam Regi impositum est; & ideò eius violatio tam seuerè mulctata est. Nam quemadmodùm primus homo punitus omnibus hominibus documento fuit, quàm Domino peccata displiceant; sic etiam qui primus Regiam dignitatem obtinuit in populo Dei, omnibus Regibus ostendit propter inobedientiam spoliatus regno, quàm grauia sint Regum peccata. Huius ergo inobedientiæ opponitur obedientia Dauidis, qui specialia ipsi in publica gubernatione mandata proposita tam prõptè, & constanter executus est. Fuerunt tamen alię Dei voluntates, à quibus recessit non semel Dauid, propter quæ expertus est Deum seuerum vindicem. Probant Bersabee adulterium, Vriæ cædes, populi numeratio. Sed hæc non fuerunt contra præcepta vni Dauidi Regi præcipua, sed omnibus hominibus communia. Hæc nos in nostris Commentariis in Acta Apostolorum.

REGVLA. *A scriptoribus Canonicis aliquid additum Claritatis gratia.*

49. Hæc explicatio magis mihi videtur ad literam, licèt alia etiam occurrat non aliena, iuxta ea, quæ Actor. c.1. notata sunt, ad illud: *De omnibus ô Theophile.* Nam si in magno numero pauca deficiunt, vniuersè aliquid dicitur fieri. Sic hoc loco, quia Dauid diuina præcepta in corde abscondit, ne peccaret, eaque toto vitæ tempore accuratissimè seruauit, etiamsi aliquando grauiter offenderit, omnes tamen Dei voluntates ex Scripturæ more fecisse dici potest. Nam de eo dicitur 3. Reg. 15. *Eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.* Ad perpetuum ergo vitæ tenorem respexisse videtur Dominus potiùs, quàm ad vnum, vel alterum opus. Et in hanc propè sententiam hunc locum accipiunt Basilius, homilia de pœnitẽtia, Augustinus in libro 8.qq. ad Dulcitium q.5.ad initium. Hoc fortasse cor Dauidis iuxta cor suum significare voluit Deus, cùm duxit Eccl.47. *Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israel.* Quasi dicat, quemadmodum Deus in sacrificiis sibi ex tota victima adipem vendicat, repudiatis aliis, sic totum sibi vendicat Dauidem, quasi nihil haberet in eo, quod reiiceret.

Vers. 15. *Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa.*] Hinc constat, nondum fuisse Saulem reprobatum à Domino, quando illum Samuel non deseruit; sicut fecit postea in causa Amalec; sed cum illo de Galgalis profectus est in Gabaa. 50.

Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa in colle Beniamin.] Diximus suprà, eos, qui ad Saulem vndequaque conuenerant, post stationẽ Philisthinorum à Ionatha percussam, timore perculsos aliò, atque aliò fuisse dilapsos. Nunc dicit eos, qui ex illa fuga reliqui fuerunt, qui non fuerunt plures sexcentis, ascendisse de Galgalis in Gabaa, vt occurrerent populo, nempè Palæstinorum, qui in ipsos acies effuderant infensas; qui collem tenebant Beniamin; & cùm è superiore loco dimicarent, non dubia videbatur futura victoria. Fuerunt autem hi, qui adhuc erãt in statione; quæ statio dicitur *collis Beniamin*; qui locus, vt nomen ipsum præ se fert, munitus erat à natura, & aptus, vt in eo esset militare præsidium. Neque difficile fuit Philisthinis, qui in Machmas locum proximum, vt ex sequenti c. constat, applicuere castra, alios submittere præsidiarios milites supplementum illorum, quos Ionathas aut occiderat paulò antè, aut in fugam compulerat. Hi ergo cùm inermes esse scirent eos, qui cùm Saule è Galgalis ascendebant in Gabaa, egressi è militari statione aut prædabantur, aut occidebant eos, qui è Galgalis in Gabaa, trita, atque frequẽti via progrediebantur: statuit Saul illi tanto malo quamprimùm occurrendum. Igitur sexcentos viros, qui reliqui fuerant è populo, contra stationem illam rapit; & tandem peruenit in Gabaa, vbi sese cum Ionatha filio suo coniunxit, quem, vt suprà vidimus, eodem loco cum mille viris antè reliquerat. Hęc verba in Hebraico textu non sunt, & in aliquot editionibus vulgatis non inueniuntur, vt in Bibliis Regiis, & Complutensibus. Horum verborum obscurus est, & implexus sensus; quem adduxi, videtur minùs impeditus. 51.

Vers. 16. *Porrò Philisthiim confederant in Machmas.*] *Machmas* non procul aberat à Gabaa, in qua vires, & castra cõiunxerant Ionathas, & Saul, vt liquet ex c.15.v.5. Quare cõmodè potuit Ionathas cũ armigero socio in castra Philisthinorum irrumpere, vt dicemus statim. 52.

Vers. 17. *Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei.*] Cùm vis maxima bellici apparatus, & magnus bellatorum numerus esset in castris Philisthinorũ, & exiguę essent Hebræorum vires, illæque inermes, & pauidæ; ausi sunt Philisthini vires distrahere, variisque modis vexare Hebræorum fines. Quare in tres partes egressæ sunt totidem Philisthinorum acies, quæ prædas agerent, & hostium vires, & facultates attererent. Neque in ea distractione putabant aliquid esse periculi, cùm ipsi viris abundarent, & omni in- 53.

ſtructu militari; alij verò & deſpondiſſent animos, quod oſtendebat ignobilis, & repentina fuga, neque arma haberent vlla, quæ armatis, & ſtrenuis cohortibus opponerent.

54. Verſ. 19. *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael.*] Quò magis appareat, quemadmodum omnis à Deo victoria ſit, quámque expediat illius tutelæ, ac curæ bellorum adminiſtrationem, & pondus eſſe commiſſa, oſtendit quàm infirmæ fuerint Hebræorum vires, cùm ex magno militum numero ſexcenti tantummodò relicti fuerint; cùm ſtarent contrà triginta millia curruum, & ea equitum ac peditum multitudo, vt cum arena maris conferri poſſet. Quis crederet à paucis, illiſque inermibus, tantam vim hoſtium ſterni, ac ſubiugari poſſe? Sed fecit hoc Dominus euentu planè prodigioſo, qui ſtatim capite ſubſequenti deſcribitur. Nunc rationem oſtendit, cur armorum apud Hebræos tanta ſolitudo: de qua nos aliquid diximus ſuprà cap. 7. ad illud v. 14. *Liberauitque Iſrael de manu Philiſthinorum:* vbi oſtendimus, quomodò liberatus dici potuerit Iſrael à Philiſthino iugo, & tamen neque facultatem habuerit è ferro cudendi inſtrumentum ſiue bellicum, ſiue ruſticum. Inde pete. Fuit quidem durum, prudens tamen Philiſthinorum conſilium, vſitatumque ab aliis, neque arma permittere, neque armorum cudendorum facultatem vllam iis, quos ſub poteſtate ſua continere vellent: multò enim faciliùs inermes, quàm armati imperata faciunt; & vbi officinæ ſint ferrariæ, & formandi ex ære quodcunque vas libera poteſtas, conflari quoque poſſunt gladij, & quæ non ſinant alios in ſubactis regionibus dominari liberè.

55. *Serui olim prohibiti militare, aut armis accingi.* Sanè cautum fuit ſeuerè legibus, ne ſeruus aut militaret, aut gladio, ſicut ingenui ciues, accingeretur; ſicut etiam nunc multis in locis ſeruatur diligenter. Item ſi qui ſubacti ſunt bello, quia cùm inuiti ſeruiant, & vectigalia penſitent, ſi armis eſſent inſtructi, aſpirarent ad libertatem; & cum graui dominorum ſuorum infortunio iugum excuterent ſeruile. Sanè ſerui, qui duce Spartaco bellum Romanis, ſuis nempe dominis intulere, nullis erant armis inſtructi; ſed raptim ex obuia quaque materia gladios ſibi, & corporis munimenta cóparárunt. De quibus ita Florus l. 3. c. 20. *Cùm iam eſſet ruſtius exercitus, è viminibus, pecudumque tegumentis inconditos ſibi clypeos, & ferro ergaſtulorum recocto gladios, ac tela fecerunt.* Ad hanc conſuetudinem ſine dubio reſpexit Virgilius lib. 9.

—Quem ſerua Lycinia furtim
Sustulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis.

Porſena, vt author eſt Plinius l. 34. c. 14. arma Romanis non permiſit. *Infœdere, quod expulſis Regibus populo Romano dedit Porſena, nominatim comprehenſum inuenimus, ne ferro niſi in agricultura vteretur.* Idem fermè, quod Philiſthini, in eundem populum fecere Chaldæi, qui, vt habes l. 4. Reg. c. 24. v. 14. & clariùs Ier. c. 24. n. 1. & c. 29. v. 2. omnem fabrum tam lignarium, quàm ferrarium abſtulerũt, & qui noſſet aut munire vrbem, aut metari caſtra.

56. *Chaldæi fabros abſtulerunt à Babylonia.* *Tranſtulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis Iechoniam filium Ioachim Regem Iuda, & Principes eius, & fabrũ, & incluſorem de Ieruſalem; & adduxit eos in Babylonem.* Feciſſe autem Chaldæos, quod fecere hoc tẽpore Philiſthini, docet Angelomus in l. 4. Reg. de quo nuper: *Hoc eſt*, inquit, *quod populo Iſrael Philiſthiim regnantes feciſſe narrantur, cùm dicitur: Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael. Cauerant enim Philiſthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Sicut enim illi cauerant, ne habentes fabros ferrarios Hebræi, arma ad repugnandum facerent: ita nunc Chaldæi deſtructa Ieruſalem, & vaſtata omni terra promiſſionis ſatagunt, vt nullus in ea remaneat artifex, nullus incluſor, qui vel fœdata vrbis mœnia componere, vel poſſet reſarcire diſrupta.*

Verſ. 20. *Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum.*] Non eſt credibile in regionem Philiſthinorum, quæ à multis partibus Iſraelitidis regionis longè diſtabat, deſcendiſſe Hebræos, vt vomerem, aut ligonem acuerẽt; ſed habuiſſe Philiſthinos variis in locis Iſraelis ſtationes ſuas, & in his ferrarias officinas, ad quas cùm retuſi eſſent ligones, vomeres, & ſecures recuderentur ad rurale negotium. Et id quoad illorum conſilium, perinde erat, atque ſi in Palæſtina tantùm fabricę eſſent ærarię, aut ferrarij artifices. Id enim illi ſpectabant, vt inermes eſſent Hebræi, neque vllo modo tacitè fabricatis armis, aut tentarent aliquid audacius, aut aliquid inopinatum, & nouum molirentur. Cui rei ſatis videbatur eſſe prouiſum, ſi nullus eſſet ferrarius ex Hebræo ſemine. 57.

Verſ. 22. *Cúmque veniſſet dies prælij, non eſt inuentus enſis, & lancea in manu totius populi, qui erat cũ Saule, & Ionatha, excepto Saule, & Ionatha.*] Mirum planè, & quod vix curioſus aliquis, & paulò in iudicando præceps, & audax veriſimile putet, cùm audierit paulò antè Philiſthinorum ſtationem à Ionatha percuſſam, & Ammonitarum exercitum à Saule deletum. Duo hîc nobis occurrunt difficilia, quæ antequàm hinc emergimus, expediamus oportet. Alterum eſt, quomodò inermes Hebræi ſuperare potuerunt & prius Ammonitas, & proximè Philiſthæos. Alterum, quomodò non plus armorum habuerunt, quæ auferre potuerunt ab his, quos cecidere proximè, cùm credibile non ſit neglexiſſe poſteà, & illa maximè, quæ videbant fore ſibi neceſſaria ad illa, quæ impendere videbantur ab hoſte, pericula. Hæc igitur iam ſingulatim exploremus. 58.

Primùm, non eſt incrẽdibile à Ionatha, & Saule hoſtes eſſe ſubactos ſine haſta, & gladio; tum quia Deus tanquam dux, & author illud ductabat agmen, ſicut in bello, de quo ſtatim, quod fermè ſine vlla Hebræorum opera confectum eſt. Deinde quia alia fuerunt arma præter gladium, & haſtam, quibus vtiliter res agi potuit: erant enim inſtrumenta illa ruſtica, quæ in vſus bellicos ſine magno operæ pretio conuerti potuere, nempe vomeres, ſecures, falces, quæ habuiſſe in acie vſus non exiguos, ex ſacris, atque profanis annalibus cognoſcimus. Sanè Sangar dux Iſrael, vt conſtat Iudic. c. 3. v. 31. de genere Philiſthæo ſexcentos viros vomere percuſſit. Aderant præterea arcus, quorum in bellis magnus vſus. Hoc difficile putat Abulenſis, quia ſagittas præferratas eſſe oportet, atque ideò fornace indigent, & arte ferraria. Sed non vidit magnus hic doctor, ſine ferro vſum habere maximum ſagittas ad vulnus inferendum. Si enim ſudes ſine mucrone ferreo corpora lethali vulnere conſauciant, vt dicemus ſtatim, cur non id ipſum præſtabunt ſine ferrea cuſpide ſagittæ? Alicubi audio in regionibus nuper inuẽtis trans Oceanum, pro ferrea cuſpide extremæ ſagittæ ſilicem inſeri, qui non minùs perforat, & traiicit obiecta corpora, quàm ſi foret è chalybe. 59.

Deinde pro haſtis ſunt præuſtæ ſudes, quæ & olim 60.

olim ante inuentas haſtas conto præferratas fuerunt in vſu; & poſterioribus ſæculis quando iam ex ferro fabricata ſunt arma, frequenter adhibita, neque multò leuiores habuere petitiones, quàm ſi cuſpide forent inſtructæ ferrea. De præuſtis ſudibus eſt illud Virgil. l.7. Æneid.

—Non iam certamine agreſti
Stipitibus duris agitur, ſudibuſve præuſtis.

Propertius l.4. Eleg.1.

Nec rudis infeſtis miles radiabat in armis,
Miſcebant vſta prælia nuda ſude.

Statius l.1. Achilleid. in apparatu ad bellum Troianum:

Nec modus aut arcus lentare, aut fundere glebas,
Aut torrere ſudes, galeaſque attollere conis.

Silius l.8.

Geſtabant tela ambuſtas ſine cuſpide cornos.

Cornum autem vſque adeò validam, & firmam dicit eſſe Plinius l.16. c. 40. vt ferrei claui vicem obire ſoleat. Curtius l.3. dum agit de Perſarum apparatu bellico, ait inter alia ligna fuiſſe præuſta. Idem præterea Plinius lib.16. cap. 63. ait calamis olim bella geri ſolita. Virgilius telorum quorundam meminit, in quibus nihil videtur eſſe ferreum, l.7. Æneid.

Oſcorumque manus: teretes ſunt aclides illis
Tela, ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.

61. Sed & fundis vſi ſunt filij Iſrael in prælio, quarum vſus non exiguus, & nomen frequens. Zach. c.9. v.15. *Dominus exercituum proteget eos, & deuorabunt, & ſubiicient lapidibus fundæ.* Et l.4. Reg. c.3. v. 25. de Iſraelitis dicitur: *Circundata eſt ciuitas à fundibulariis, & magna ex parte percuſſa.* Et qui Bethuliam habitabant, funditorum cohortem contra Aſſyriorum agmina pararunt. Iudith. 6.v.8. *Exierunt*, inquit, *contra eos fundibularij.* Quod item contra Bachilidem fecerunt Machabęi, 1. Mach. c.9. v. 11. Adde, quod Beniaminitæ, ex quibus maximè Saulis, & Ionathæ collectus erat exercitus, ſic erãt artis fundibulariæ periti, vt eo nomine non inter Iſraelitas ſolùm, ſed inter omnes gentes celeberrimi fuerint. De quibus Iudic. c.20. v.16. *Sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Sanè Dauid non aliis indiguit armis, vt Philiſthinorum fortiſſimum ſterneret. Et nationes aliæ plurimum in fundis exiſtimarunt eſſe momenti. Baleares hoc ſolum habent armorum genus, neque aliis in pugnando inferiores viſi ſunt. Quare ſine ferro, & haſtis res agi potuit nõ incommodè, maximè cùm Deus foret pro populo, à quo vno ſperari poteſt, & cõcedi victoria.

Alterum dubiũ eſt. Quia difficile videtur, duos 62.
tantùm in Saulis exercitu haſtam, & gladium habuiſſe, cùm proximè percuſſiſſet Ionathas ſtationem Philiſthinorum; & paulò antè Saul Ammonitarum exercitum: vnde armorum ſatis comportari potuerint. Quidam reſpondent, non illam in Iſraele toto armorum eſſe penuriam; ſed tantùm in ſexcẽtis viris, qui de exercitu toto reliqui fuere cùm Saule. Ego in eo exercitu multò plures fuiſſe arbitror: Saul enim ſexcentos ſecum milites adduxit in Gabaa, ibi aderat Ionathas cum ſuo etiam exercitu; de vtroque autem iam in vnum coacto dictum eſſe duos tantùm inuentos eſſe gladios, ex eo conſtat, quia tantùm, duo illorum agminum duces, Saul, & Ionathas, gladio, & haſta armati eſſe dicuntur. Ego hoc primum verum eſſe arbitror, in eo exercitu haſtas tantùm, & gladios eſſe duos; in toto verò Iſraele eſſe plures alios: ſi quid præterea armorum direptum eſt ex Ammonitarum, Philiſthinorúmque victoria, id totum abſtuliſſe eos, qui cùm priùs ad Saulem conueniſſent in Galgala, poſteà tamen timore perculſi diffluxerunt. Neque ad illos, qui permanſerunt in caſtris, quicquã perueniſſe ex hoſtili præda, quod in armorum apparatu numerari poſſet, niſi fortaſſe arcum, & fundam, aut aliquid, quod in gladiis, & haſtis cenſeri non ſolet.

Verſ.23. *Egreſſa eſt autem ſtatio Philiſthiim, vt* 63.
tranſcẽderet in Machmas.] Erat Machmas non procul à Gabaa Beniamin, vbi erat ſtatio Philiſthinorum, quam Ionathas paulò antè percuſſerat, qui cùm attriti iam eſſent Ionathæ victoria, neque reſiſtere ſe poſſe confiderent vtriúſque ducis viribus iam proximè coniunctis, ſtatione relicta ad ſociorum caſtra ſe receperunt, quibus vtilem aliquam operam nauaturi videbantur.

IN CAP. XIV. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

IONATHAS diuino, vt apparet, afflatus ſpiritu rem eo tempore tentauit arduam, à qua niſi Dominus illum ad præclarum illud opus impelleret, non videbatur abeſſe potuiſſe temeritas. Statuit enim vno aſſociatus armigero, per præruptos ſcopulos, & inacceſſas ſemitas in caſtra Philiſthinorum irrumpere. Sumpſit autem prius ex verbis inimicorum auſpicium: ſecundum enim ſibi ominabatur euentum, ſi hoſtis in caſtra dubitantem accerſeret, quod ita prorſus accidit. Vſus autem Ionathas & Dei fauore, quem tunc ſibi adeſſe arbitrabatur, & noctis beneficio in caſtra Philiſthinorum irrupit. Quæ res vt erat inopinata, grauiter aduerſariorum animos affecit; & cùm omnia timerent, & inimicas acies in caſtrorum medio graſſari arbitrarentur, dum externos à ſuis non facilè diſcernunt, ſuis ſe gladiis mutuò conficiunt, & incruentam Hebræis relinquunt victoriam. Cúmque in Hebræorum caſtris cædentium, cadentiumque confuſus audiretur clamor, & quid rerum fieret compertum eſſet, recreati fuerunt languentium animi. & qui ſe ex pauore in latebras abdiderant, & qui ad Philiſthinorum caſtra transfugerant, ad ſuum

Impe

Imperatorem, & cognatas acies redierunt. Cúmque fugientes ſtatuiſſet perſequi, Saul adiurauit populum capitali propoſito ſupplicio, ne quis quidquam ciborum aſſumeret, donec ſumpta foret de Philiſthinorum populo vindicta. Quam patris adiurationem, cùm abſens non audiiſſet Ionathas, de melle guſtauit, quod aliorum facere nemo eſt auſus, cùm mellis riui famelicis occurrerent. Tulit populus de Philiſthinorum caſtris prædam ingentem: cúmque vrgente fame non eſſet ſatis ex animalibus ſanguis expreſſus, accuſatus eſt populus, quòd contra legem comediſſet cum ſanguine. Quod ne fieret, opportunè à Rege prouiſum eſt. Statuit deinde aduerſarios inſequi; qua de re cùm conſultum nullum reſponſum edidiſſet oraculum, ſuſpicio fuit aliquod in caſtris interceſſiſſe peccatum, quod Saul, annuente populo, peccatoris morte expiandum eſſe dixit. Sorti commiſſum eſt iudicium, quæ peccati reum declarauit Ionatham, quem pater morti deſtinat; ſed populi ſtudio, non valde repugnante Saule, liberatur. Ad extremum variæ Hebræorum victoriæ narrantur de vicinis populis.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

1. ET accidit quadam die vt diceret Ionathas filius Saul ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quę eſt trans locum illum. Patri autem ſuo hoc ipſum non indicauit.

2. Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa ſub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum.

3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli ſacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed & populus ignorabat quò iſſet Ionathas.

4. Erant autem inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boſes, & nomen alteri Sene:

5. Vnus ſcopulus prominens ad Aquilonem ex aduerſo Machmas, & alter ad Meridiem contra Gabaa.

6. Dixit autem Ionathas ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi fortè faciat Dominus pro nobis: quia non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis.

7. Dixítque ei armiger ſuus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quò cupis, & ero tecum vbicumque volueris.

8. Et ait Ionathas: Ecce nos tranſimus ad viros iſtos. Cúmque apparuerimus eis,

9. Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: ſtemus in loco noſtro, nec aſcendamus ad eos.

10. Si autem dixerint: Aſcendite ad nos, aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris: hoc erit nobis ſignum.

11. Apparuit igitur vterque ſtationi Philiſthinorum: dixerúntque Philiſthiim: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus abſconditi fuerant.

12. Et locuti ſunt viri de ſtatione ad Ionatham, & ad armigerum eius, dixeruntque: Aſcendite ad nos, & oſtẽdemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum ſuum: Aſcendamus, ſequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Iſrael.

13. Aſcendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat ſequens eum.

14. Et facta eſt plaga prima, qua percuſſit Ionathas & armiger eius quaſi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare conſueuit.

15. Et factum eſt miraculum in caſtris, per agros: ſed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædãdum, obſtupuit & conturbata eſt terra, & accidit quaſi miraculum à Deo.

16. Et reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce multitudo proſtrata, & huc illúcque diffugiens.

17. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cúmque requiſiſſent, repertum eſt non adeſſe Ionatham, & armigerum eius.

18. Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Iſrael.)

19. Cúmque loqueretur Saul ad ſacerdotẽ, tumultus magnus exortus eſt in caſtris Philiſthinorum: creſcebatque paulatim, & clariùs reſonabat. Et ait Saul ad ſacerdotem: Contrahe manum tuam.

20. Conclamauit ergo Saul, & omnis populus qui erat cũ eo, & venerunt vſque ad locũ certaminis, & ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis.

Sed

21. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philisthiim heri & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israel, qui erant cum Saul & Ionatha.

22. Omnes quoque Israelitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quòd fugissent Philisthęi, sociauerunt se cũ suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.

23. Et saluauit Dominus in die illa Israel: pugna autem peruenit vsque ad Bethauen.

24. Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa. adiurauit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.

25. Omnéque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri.

26. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum.

27. Porrò Ionathas non audierat cùm adiuraret pater eius populum: extendítque summitatẽ virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sũt oculi eius.

28. Respondénsque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie, (defecerat autem populus.)

29. Dixítque Ionathas: Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto:

30. Quantò magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum si quam reperit? nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiim?

31. Percussérunt ergo in die illa Philisthæos à Machmis vsque in Aialon.

32. Defatigatus est autem populus nimis: & versus ad prædam, tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comedítque populus cum sanguine.

33. Nunciauerunt autem Sauli dicentes, quòd populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: voluite ad me iam nunc saxum grande.

34. Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnusquisque bouem suum & arietem occidite super illud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cũ sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua vsque ad noctem: & occiderunt ibi.

35. Ædificauit autem Saul altare Domino: túncque primùm cœpit ædificare altare Domino.

36. Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos vsquedum illucescat manè, nec relinquamus ex eis virum. Dixítque populus: Omne quod bonũ videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.

37. Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa.

38. Dixítque Saul: Applicate huc vniuersos angulos populi: & scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.

39. Viuit Dominus saluator Israel, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

40. Et ait ad vniuersum Israel: Separamini vos in partem vnam, & ego cũ Ionatha filio meo ero in parte altera. Respondítque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel da iudicium: quid est quod non responderis seruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas & Saul, populus autem exiuit.

42. Et ait Saul: Mittite sortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas.

43. Dixit autem Saul ad Ionatham: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait: Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.

44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.

45. Dixítque populus ad Saul: Ergóne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est, viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.

46. Recessítque Saul, nec persecutus est Philisthiim: porrò Philisthiim abierunt in loca sua.

Et

47. Et Saul confirmato regno ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum aduerſum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philiſthæos: & quocunque ſe verterat, ſuperabat.

48. Congregatóque exercitu, percuſſit Amalec, & eruit Iſrael de manu vaſtatorum eius.

49. Fuerunt autem filij Saul, Ionathas & Ieſſui, & Melchiſua, & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

50. Et nomen vxoris Saul, Achinoam filia Achimaas, & nomen principis militiæ eius Abner, filius Ner patruelis Saul.

51. Porrò Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel.

52. Erat autem bellum potens aduersũ Philiſthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, ſociabat eum ſibi.

IN CAP. XIV. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Verſ. 1. *Et accidit quadam die, vt diceret Ionathas filius Saul ad adoleſcentulum armigerum ſuum: Veni, &c.*]

1. EXIERANT è Philiſthinorum caſtris tria agmina, vt ex circunfuſis locis prædas agerent, vt paulò antè dictum eſt. Quod, vt Ioſephus tradit lib. 6. Ant. cap. 7. videbat Saul, & Ionathas ex oppido Gabaa, dolebantque, quòd diripi viderent miſerorum bona, neque tamen illis poſſent eſſe ſubſidio; cùm exiguas haberent, & inermes copias, quas & illis agminibus opponerent, & caſtris, quæ proximè magno numero conſederant. Tunc autem Ionathas inſcio parente, neque vllo conſcio præter adoleſcentem armigerum, ſtatuit aliquid eſſe tentandum, quo viam ſibi, ac populo aperiret ad ſalutem, de qua actum iam eſſe videri poterat. Quare ne à ſuis videri poſſet, aut ab hoſte ſentiri, nocturnum captauit tempus, vt tradit Ioſephus, & probat Abulenſis; alioqui ſenſiſſet aliquis è populo: tempus autem, vt putat Ioſephus, fuit ſub auroram, quod multis probat Abulenſis; primùm, quia lucente iam ſole non videbatur res tam poſſe adminiſtrari fœliciter; deinde quia ſi adulto iam die turbata forent Philiſthina caſtra, non videbantur ea omnia fieri potuiſſe, quæ hîc facta narrantur.

2. *Multa loca ab arboribus ſumpſere nomina.*

Verſ. 2. *Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa ſub malogranato.*] Non hîc laboro de malo granato, & quomodò ſub illius vmbra conſedisſe dicatur, aut tabernaculum fixiſſe Saul. Neque enim aliquid aliud eſſe puto, quàm locum, qui à malo granato, ſeu ab illius planta, quæ eo in loco inſignis aliquando fuit, nomen accepit. Sicut alia multa loca tum in profana, tum in ſacra hiſtoria. Sic locus, vbi Dauidis fuit cum Goliath ſingulare certamen, vocatus eſt *vallis Therebinthi*. Sic à malo granato nomen habet *collis Rhẽmon*. Sic apud Romanos *Ruminalis ficus*. Apud Hiſpanos innumera ſunt oppida, quæ ab arboribus habent antiquiſſimum nomen. Sanè in Hiſpania Bethica vrbs eſt quædam nobiliſſima, quæ ab arbore punica, aut ab eius pomo *Granata* nominatur. Eſt, credo, hoc malum granatum, locus ille, vbi ſexcenti viri conſederunt, Iudic. 20. v. 47. qui erat prope Gabaa, qui vocatus eſt, *Petra Remmon*; id eſt, *collis*, aut *ſcopulus mali granati*. Quod ideò puto, quia locus ille munitiſſimus erat, & ſexcentorum virorum capax, vt docet hiſtoria, de qua proximè. Quia verò vbi colles ſunt, ibi etiam vineta eſſe ſolent; ideo puto hoc *Remmon*, quod *malum granatum* ſignificat, habuiſſe non ſolùm collem ſaxoſum, & inutilem; ſed etiam latus aliquod conſitum vitibus. Id ſumo ex l. 1. Paralip. cap. 6. v. 69. vbi ex tribu Beniamin data Leuitis traditur *Geth Remmon*, quod idem valet, quod *torcular Remmon*; id eſt, *malogranati*. Diuinamus, fateor, in his; ſed hæc coniectura, niſi me ipſum fallo, leuis non eſt.

3. Verſ. 3. *Et Achias filius Achitob, fratris Ichabod, &c. portabat ephod.*] Sicut antea ſub Heli, cùm res Iſraelitica premeretur anguſtè, adducta fuit in caſtra contra Philiſthæos Arca Domini ex Silo, ſuprà c. 4. Sic etiam nunc ſecum adduxerat Saul ex Cariathiarim, v. 18. Atque ideò ſummum Sacerdotem habebat in caſtris, qui aſtaret Arcæ, & Deũ in re quauis ambigua conſuleret. Erat autem eo tempore Sacerdos Achias, qui alio nomine dicebatur Achimelec, filius Achitob, filij Phinees, qui tunc cecidit, quando capta fuit à Philiſthæis Arca; quare hic pronepos fuit Heli, & pater Abiathar, qui vltimus ex genere Heli, & ex familia Ithamar ſummum obtinuit ſacerdotium.

4. Verſ. 4. *Erant autem inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, &c.*] Qui aliquid ſibi metuunt ab hoſte vicino, illa maximè obſident loca, quæ hoſti ſiue in vrbem, ſiue in caſtra aditum aperiunt. Si quid præterea eſt aut præruptu, aut inciſum ſalebris, id ſatis putant natura ſua habere præſidij, neque opus eſſe ſiue ab hominibus, ſiue ab aggere, & vallo munimentum opponere; quæ res, vt ex antiquis, atque etiã recentibus conſtat annalibus, fraudi multis, & exitio fuit. Multi enim relicto aditu, qui, niſi obſtarent hoſtes, aut oppoſitæ moles, eſſet expeditus, & facilis, per illa loca ſibi ad ſecuros hoſtes iter expediunt, quę natura ſic videbatur obſtruxiſſe, vt nulla vi perrũpi, nullo artificio ſuperari poſſe viderentur. Sic per profundiſſima flumina, & per alueũ non antè vadabilem, per acuta ſaxa, ſcopuloſque præruptos eruperunt aliquando ſtrenui, atque audaces homines, & incautos homines oppreſſerunt. Hoc igitur conſilium inuenit Ionathas, qui cùm non poſſet tutò Philiſthinorum agmen adoriri, locum elegit ſcopuloſum, & arduum, qui exiſtimabatur nulli peruius fore mortalium. Neque illum

ſua

sua spes,aut cogitatio fefellit;nam turbauit exercitum, & fauente Deo sic perculit securũ hostem inopinato impetu,vt penè perdiderit.

5. *Nomen vni Bosés, & nomen alteri Sene.*] Sicut à malogranato vocatus est locus ille *Rẽmon*,de quo supra;sic etiam duo hi scopuli ab eo,quod in ipsis præcipuũ erat,atque vernaculũ,nomen accepere. Erat,opinor, scopulorum alter speciosus propter flores,quos aut habebat,quo tẽpore hęc gesta sũt, aut habuit olim,quorũ causa nomẽ illi inditũ est. *Bosés* enim Heb. בוצץ,idẽ valet quod *flos in eo*. Alter fortasse cinctus erat rubis,sicut mõs Sinai,& ideò vulgò dicebatur *Sene*. סנה enim *rubũ* significat.

6. Vers.9. *Si taliter locuti fuerint ad nos,manete donec veniamus ad vos:stemus in loco nostro.*]Hoc loco quęrunt Interpretes,vnde cognoscere potuerit Ionathas hoc esse salutare signum,aut secùs;an afflatu id didicerit diuino,vel humana id cõiectura præsenserit.Iosephus putat afflatum præcessisse diuinum,vt dicit Lyra; quanquam ego id apud Iosephum non inuenio,dicit Hugo,& Abulensis q.2. multis probat; sentiunt tamen Theodoretus, & Procopius.In summa dicũt à Deo in eam mentem instinctũ esse Ionatham,& eo interiùs impulsum, vt hostiles acies vno stipatus armigero aggrederetur. Cùm autem ipse non omninò haberet exploratum,an motus ille strenuus,& alacer esset à Deo,vel à iuuenili spiritu,qui nõ semper ratione; sed plerumque temeritate,& laudis studio impotens abripitur; signum statuit, quo & diuinum agnoscat impulsum, & benè de audaci consilio sperare possit.Illud autem siue omen,siue signum ex hostium voce prima petendum esse statuit. Si enim hostes ipsos aduocarent siue verè,siue simulatè,& ironicè,nihil esse timendum;quia hoc authore Deo fit : sin autem ab vlteriore progressu retardauerint,dicẽtes vt maneãt,& expectent,aut quid simile, abstinendum esse à congressu, & via.

Ionathas instinctu diuino castra Philisthinorum cum armigero aggreditur.

7. Hoc autem signum Hebræorum more statuit Ionathas, quia videbat similia facta ab illius populi Principibus, & Deum illorũ votis,& postulatis annuisse. Sic sanè seruus Abraham, Genes. cap.24.v.13. *Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egrediẽtur ad hauriendam aquam. Igitur puella,cui ego dixero: Inclina hydriam tuam,vt bibam,& illa respondérit : Bibe,quin & camelis tuis dabo potum ; ipsa est,quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam quòd feceris misericordiam cum domino meo.* Et Iudic.6. Gedeon signa petiit, quibus imperij sui authorem esse Deum agnosceret;& cap.7.v.9. signum habuit huic,in cuius explicatione versamur,quãsimillimum. *Eadem nocte dixit Dominus ad Gedeonem:Surge,& descende in castra,quia tradidi eos in manu tua;& cum audieris,quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostiũ castra descendes.*Hæc Ionathę nõ videntur incognita;quorum exemplo incitari potuit,vt experiretur eadẽ, & talia signa,aut proponeret sibi, aut oraret à Domino:nã,vt diximus,iam agitabatur, & ardebat interiùs, vt aliquid aggrederetur humanarum viriũ facultate maius. Est aliquid simile in fabulis,quæ fortasse,vt alibi sæpe,ex vera, atque Canonica historia exordiũ habuere.Narrat in lib.9.Æneid.Maro,ardorem quendã concepisse iuuenes præclarũ aliquod opus, & immortale tẽtandi; tale videlicet,quale nunc vno tãtùm stipatus puero Ianathas aggressus est.Sic autẽ Maro;

Signa petere, aut captare valdè Hebræis usitatum.

Nisus ait : Diine hunc ardorem mentibus addunt
Euryale ? an sua cuique Deo fit dira cupido?
Aut pugnã,aut aliquid iamdudũ inuadere magnum
Mens agitat mihi,nec placida contenta quiete est.
Cernis,quæ Rutulos habeat fiducia rerum:

Lumina rara micant,somnó,vinoque sepulti
Procubuere : silent latè loca. Percipe porrò, &c.

Tẽtasse dicũtur duo hi adolescẽtes eadẽ,quę Ionathas,& armiger ipsius,sed prorsùs exitu dissimili.

Hìc addendum, Deum sæpè his hominũ cogitationibus respondere, & temperare sortes, quæ 8. mittuntur in signum.Qua de re vide S.Thomam, 2.2.q.95.art.7. vbi exemplum Gedeonis adducit, & Eliezer serui Abrahã:& idem diceret de Ionatha,qui hoc signum accepisse videtur à Deo,sicut de Gedeone dubitare nõ licet.Et de Ionatha illud nobis argumento est,quod v.10.dixit ad armigerum Ionathas:*Si dixerint:Ascendite ad nos,ascendamus,quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.*Sed licèt nihil prius accipiãt homines à Domino,ipse tamẽ solet temperare sortes,ita vt,quod illi quærunt,sine errore cõperiant.Prouerb.16.v.33.*Sortes mittuntur in sinum*, &c.Sortes porrò dicuntur non solùm,quæ hoc sibi nomen primùm,atque præcipuè vendicãt,in quibus nimirùm casus,& fortuna dominatur;sed etiam omnia,quæ produnt,& annunciant, quæ humano consilio explorari non possunt:qualia sunt oracula,omina,auguria,&alia damnata,& vana cõmenta,seu deliramenta Gentiliũ.Sanè *sortes* appellarũt antiqui *delphica cõsulta*, & quæ ipsi diuina putabant esse responsa. *Sortes* l.2. de Diuinat. Cicer. vocat, quæ vaticinatione funduntur.Pro oraculis sumpsit Horatius in Arte.

Sortes Dominus moderatur, & temperat.

—*Dictæ per carmina sortes.*

Et Virgilius sæpè. lib.4.Æneid.

Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.

Et lib.6. ad Sybillam Æneas:

Hìc ego namque tuas sortes,arcanáque facta
Dicta meæ Genti ponam. Idem lib.7.
Non patriæ ex adyto sortes,non plurima cœlo
Monstra sinunt.

Et Apollinis oraculũ Cicero suprà *sortẽ* appellauit. *Nã cũ sors*,inquit,*illa edita est opulẽtissimo Regi Asiæ.*

Halyn traiectus magnam peruertet opum vim.
*Hostium vim sese peruersurũ putauit, peruertit autem suam.*Idem censet Dionysius de Eccl.Hierarc.c.5. p.3.de sorte,quæ Matthiã designauit Apostolum. *Videtur*,inquit,*mihi Scriptura sacra sortem appellasse diuini quiddam,& præcipui muneris,per quod choro illi sacratissimo insinuaretur, quis esset diuina electione declaratus.* Hæc ego ideò dixi,quia illa omnia, quæ 9. sortium sibi nomen asciscunt,Deus temperare,& quæ interdum fiunt non admodùm piè,ita moderari solet,vt effectum illum sortiantur,quẽ aliqua nota,aut significatione designant, non solùm ad sanctorum vota,& eorum, qui veram religionem colunt,sed & Gentilium,& quorum mores auertere potiùs,quàm diuinum fauorẽ aduocare poterant. De piis sunt illa exempla Eliezer, Genes.24. & Samuelis de eligendo Saule in regem, suprà cap.10. & Saulis statim vers. 42. & Iosue cap.7. sors Acham anathematis reum morte damnauit. De gentibus est illud in primis, Ionæ cap.1. quo Ionas *sortibus* inuentus est tempestatis causa, quas sine dubio temperauit Deus. Et illud Ezech. cap. 21. vbi sortes Nabuchodonosor in biuio positus de exercitus sui progressione consuluit, quas Dominus videtur temperasse,quia ipse non semel se illius exercitus ducem vocat. Alia sunt plurima huius generis in profana historia; vnum tamen adducã,quia ad hoc Ionathæ parallelũ est. Herod.lib.5. in principio. *Pæones*, inquit, *qui sunt à Strymone,admoniti diuino responso, vt bellum Perinthiis inferrent ; & si quidem à Perinthiis ex aduerso considentibus prouocarẽtur nominatim compellantibus, eos inuaderent ; sin minùs, ab inuadendo abstinerent.* Plura nos *de sortibus* ad cap.1.Actor. & ad cap.21.

Ezech. Plurima Serarius in cap. 7. Ioſue, & Martinus de el Rio lib. 4. diſq. Magic. Hos tu, ſi placet, lege; ſed præcipuè Sanctum Thomam, 2. 2. q. 95. vbi hac de re multa.

10. Verſ. 11. *En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus abſconditi fuerant.*] Hoc primum commodè accidit Ionathæ viam illam arduam, & inſuetam tentaſſe, ne cùm apparerent hoſti Philiſthino, exiſtimarentur adoriri caſtra; ſed potiùs egredi de cauernis neceſſitate compulſi, vt hoſti ſe dederent, aut alias ob cauſas, quæ procul aberant ab hoſtili congreſſu. Norant autem Philiſthæi, ſuadente metu, diffugiſſe Hebræos, & in montium cauernis latuiſſe; nunc cùm ex montium ſcopulis apparent (quod licèt nondum illuxiſſet, videre tamen obſcurè potuerunt) prorepſiſſe putant è cauernis; atque ideò cùm procul eſſent, clamant, aduocantque ad ſe, quaſi ad nouum aliquid ſpectandum. Siue, quod putat Lyra, nec improbant Abulenſis, & Hugo, cùm viderent Palæſtini Ionatham huc & illuc errantem, quaſi aliquid quæreret, illi cum irriſione dicunt; Venite ad nos, & oſtendemus id, quod tanto ſtudio quæritis, nempe mortem. Quod modò Palæſtini dicunt, dixerunt aliquot pòſt annis Aſſyrij ad habitatores Bethuliæ, Iudith. cap. 14. v. 12. *Egreſſi mures de cauernis ſuis, auſi ſunt prouocare nos ad prælium.* Accipiunt illi omen, & per acuta ſaxa, deſcenſuſque præcipites reptantes, ad caſtra vſque Philiſthinorum erumpunt.

11. Illud hîc obſeruandum, dictum priùs à Philiſthæis; *Aſcendite ad nos*: & deinde à Ionatha; *aſcendamus*: cùm tamen, vt apparet, potiùs deſcendendum eſſet, quàm aſcendendum, cùm in campeſtri loco metati forent caſtra Philiſthæi, & ipſi dentatos illos ſcopulos aſcẽdiſſent, per quos eſſet ad ſtationem hoſtilem tranſeundum. Quidam aſcendiſſe putant Ionatham ad locum ſublimem, & quaſi ad ſcopulorum faſtigium; quod mihi placere nunquam potuit, quia ex loquendi modo non colligitur montium iuga tenuiſſe Philiſthinos; neque illa tanta multitudo non ſolùm equorum, ſed & curruum in arduis, anguſtiſque locis conſidere poterat, imò neque aſcendere. Deinde quia non ita timebat magna illa multitudo exiguas, & inermes acies Hebræorum, vt non auderet metari caſtra in locis planis, atque campeſtribus. Quare potiùs exiſtimo, id ortum eſſe ex Hebræorum idiomate, qui tam *aſcẽdo*, quàm *deſcendo*, ſimpliciter ſumunt pro *venio*. De *deſcendo* eſt apertum exemplum, cùm ad montem veniſſet, imò & aſcendiſſet Dauid; ad montem tamen deſcendiſſe traditur, 1. Reg. 23. *Et nunciatum eſt Dauid, ſtatimque deſcendit ad petram.* Sic etiam *aſcendo* pro *deſcendo* ponitur, 1. Reg. 29. verſ. 4. dixerunt ſerui Achis de Dauid: *Non deſcendet nobiſcum in prælium.* Qui ſtatim v. 9. dixiſſe traduntur: *Non aſcendet nobiſcum in prælium.* Sed eſt exemplum huic quamſimillimum hoc ipſo libro cap. 17. vbi multis locis Goliath aſcendiſſe dicitur, vt laceſſeret hoſtes ad ſingulare certamen, & exprobraret agminibus Iſraël; qui tamen potiùs deſcendebat è montibus, quàm aſcendebat ad montes. Vt enim conſtat ex v. 3. tam Philiſthæi, quàm Iſraëlitæ in mõtibus ex aduerſo conſtiterãt, quos vtrinque interiecta vallis Terebinthi diuidebat. Quòd ſi iã vtraque acies ad vallem Terebinthi deſcenderat, nihilominùs Goliath dici non poterat *aſcendiſſe* ad hoſtes; ſed potiùs *appropinquaſſe*. Iuxta hæc puto hoc etiam loco *aſcendere* nihil eſſe aliud, quàm *venire, appropinquare, accedere*, aut aliquid ſimile.

Aſcendo & deſcendo idem interdum, quod venio.

12. Verſ. 13. *Alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat.*] Minus eſt, quod Virgilius fabulosè, ac falsò Æneid. 9. finxit de duobus adoleſcentibus in Tyrrhenorum caſtris, quàm quod verè de Ionatha, atque armigero quàm veriſſimè in Philiſthinorũ acie ſacra prodit hiſtoria. Quod ſanè eiuſmodi eſt, vt niſi ſacra interceſſiſſet authoritas, alicui fortaſſe fabuloſum poëtarũ figmẽtum videretur. Quærunt authores, quomodò hæc ſtrages tanta primùm à duobus, deinde ab ipſis Philiſthinis in ſe ipſos mutuò ſæuientibus contingere potuerit. Alij aliter cõiectant, & iudicant, ſed diuinant omnes; quod neceſſe eſt, quãdo eius rei nullum apparet in Scriptura veſtigium. Quod ad duos attinet, Hugo ſecutus Ioſephum, dicit Ionatham mutaſſe locũ, & ſeceſſiſſe ab eo, in quo à vigilibus, atque cuſtodibus viſus fuerat, & diuertiſſe in alium, vnde hoſtes dormientes, & ſecuros inuaderet; atque ideò viginti homines ſecuri, atque turbati facilè à duobus ſtrenuis, & vigilantibus occidi potuere. Coniectura non diſplicet; ego maius aliquid hîc videre videor, de quo mox, cùm de reliqua ſtrage dixero.

13. Quod ad cladem illam attinet, quam ſibi ipſis intulerũt hoſtes, dum ferrum in cognata, aut fœderata viſcera conuertunt, eam rationem adducit Lyra ex Ioſepho, quòd videlicet offuſa eſt repentè nebula, quæ lucẽ eripuit Philiſthæis, ita vt neque hoſtes agnoſcerent, neque ſuos aut contribules, aut auxiliares; quare cùm viderent graſſari inter ſuos hoſtile ferrũ, rati inimicas acies eò irrupiſſe, quaſi hoſtes forent fœderati, ac ſocij, in illos infenſis gladiis irruebãt. Refellit Lyra hanc ſententiam, quam dicit eſſe Ioſephi: ſed reuerà Ioſephi non eſt; neque ratio quam contra adducit Lyra, nimiùm premit ſententiã illam, cuiuſcumque ſit. Ait enim, ſi nebula tantùm foret, nullum eſſe miraculum, quia naturale eſt ſub illud tempus nebulam attolli, & obſcurare locum. De miraculo pòſt dicemus: ſed neque miraculo vacat, cùm eatenùs ſudum eſſet cœlũ, ita vt duo homines, cùm longè eſſent, & inter ſcopulos, videri potuerint; repentè tamen offuſam eſſe caliginem, ita vt neque duo hoſtes cognoſci, neque amici, & cõmilitones potuerint ab hoſte diſtingui. Præterea, neque illa nebula impediměto eſſe Ionathæ potuit, quominùs cetta foret in hoſtem petitio; neque enim neceſſe fuit aut faciem hoſtium, aut aduerſariæ militiæ ſignum videre, dummodò molem aliquam, & ſpeciem hominis videret, quod nebula denſior non vetaret. Sciebat enim præter vnum armigerum reliquos eſſe hoſtes, à quorũ corporibus aberrare petitio non poterat. Illa grauior ratio, quam extremo loco adducit, quia ſi obſcura eſſet nebula in Philiſthinorum caſtris, nõ eſſet pugna, & ſtrata hominum multitudo à ſpeculatoribus cognita. Et hanc ob cauſam hæc, cuiuſcunque fuerit, cogitatio non placet.

14. Aliam cauſam adducit Lyra, nempè genus quoddam cæcitatis, quam Græci vocant ἀοφασίαν: id eſt, *non viſionem*, aut ereptã videndi facultatem circa rem illam, quam eſſe notam maximè oportuit, aut quam quis videre maximè ſtudet. Qua ἀοφασίᾳ, ſeu cæcitate percuſſi exiſtimantur Sodomitæ, qui cùm alia viderent, oſtium tamẽ domus Loth videre non poterant. De quibus Auguſtinus lib. quæſt. in Geneſ. q. 43. & de Ciuit. lib. 22. cap. 19. *Cùm aliquid*, inquit, *non videtur, quãuis adſit, à quibus alia, quæ pariter adſunt, videntur; ſicut illam claritatem dicimus affuiſſe non visã, à quib. alia videbãtur,* ἀοφασία *Græcè dicitur, quod noſtri Interpretes Latinè dicere nõ valẽtes in libro Geneſeos, cæcitatẽ interpretati ſunt. Hãc enim paſſi ſunt Sodomitæ, quãdo quærebant oſtium iuſti viri, nec*

viri, nec poterant inuenire. Quæ ſi cæcitas fuiſſet, qua fit, vt nihil poſſit videri, non oſtium, quo ingrederentur, ſed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent. Talis fuit cæcitas, qua percuſſi ſunt Syri lib. 4. Reg. cap. 6. qui cùm alia viderent, tamen Samariam non videbant, & in mediam ciuitatis plateam inducti ſunt; quaſi ad eam rem forent omninò cæci; neque agnouerunt Heliſæum, quem quærebant, quémque anteà & ſæpè
15. viderant, & probè cognouerant. Sic ergo videtur hoc loco contigiſſe; videbant quidem Philiſthæi alia omnia, videbant armata corpora, & ad pugnam intenta; non tamen cognoſcebant, quod eo tempore maximè illis foret ex vſu; an hoſtes eſſent, quos ferro peterent; an ſocij, pro quorum ſalute cum hoſte pugnarent. Hæc ſententia mihi vehementer placet, licèt illam acriter Abulenſis impugnet. Sed non video, quid huic ſententiæ, quemadmodum à nobis explicatur, opponi à quoquam poſſit, quod illam valdè premat; licèt illa, quam Abulenſis adducit, non ſit aliena à re ipſa, turbationéque caſtrorum; quam ipſe magis probat, quia turbatio, quæ fuiſſe dicitur in hoſtium caſtris, non tam ab ἀοράσίᾳ: id eſt, *oculorum* certa quadam *cæcitate*, quàm à perturbatione mentis, & animi cæcitate contigiſſe videtur. Sed illa perturbatio, atque tumultus ideò fuiſſe dicitur, quia repentinus exiſtimabatur Hebræorum aduentus, & vbicunque audiebatur armorum ſtrepitus, morientium clamor, & magnus ex repentina illa trepidatione tumultus.

16. Non diſplicet Abulenſi Ioſephi coniectura, quam ego referre non grauabor, vt habeat Lector quid amplectatur, aut reſpuat. Sic autẽ ille lib. 6. cap. 7. *Aggreſſi* (Ionathas, & armiger) *ſopitos, viginti ex his interfecerunt, & totum exercitum ſtupore, & conſternatione repleuerunt, vt abiectis armis in fugam ſe darent. Plerique verò non noſcitantes inter ſe, quòd ex multis gentibus conflati eſſent, pro hoſtibus ſe inuicem inuadebant: & cùm non putarent duos tantùm Hebræos in caſtra penetraſſe, mutuo Marte cadebant. Quidam metu vulnerum in præcipitia aut ipſi ruebant, aut, vt fit in turba tumultuãte, alij ab aliis protrudebantur.* Varias porrò Gentes in Palæſtinorum caſtris eſſe docet & ingens multitudo, quæ ex tantula illorũ regione conflari non potuit; & quòd in illa pugna, quam primùm iniit cum Palæſtinis Samuel, Tyriorum Principes cum illis in Hebræorũ exitium conſpiraſſe dicuntur. Eccli. cap. 46. v. 20. *Contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philiſthiim.* Hos verò non defuiſſe Palæſtinis, cùm illatas vlciſcerentur iniurias, ſtatione ſua priùs à Ionatha percuſſa, veriſimile eſt. Hæc Ioſephi coniectura, in quam magna ex parte deſcendit Abulenſis, mihi difficilis non eſt. Sed illud de ἀοράσίᾳ, quod putabat Lyra, multò probatur magis. Quod etiã acciditſe ſuſpicor, quoties hoſtes dicuntur mutuis ſe vulneribus concidiſſe: quod accidit ſub Gedeone Iudic. cap. 7. v. 22. & iterùm ſub Ioſaphath, Paral. 2. cap. 23. Aliquid ſimile narrat Pauſanias in Phocicis paulò poſt medium, accidiſſe Gallis, aut Galatis, cùm Apollinis Delphici templum compilare tentarent. Sed eſt, credo, in illa narratione aliquid fabuloſum.

17. Verſ. 14. *In media parte iugeri, quam par boum in die arare conſueuit.*] *Iugerum* ſpatium eſt in agro, quod vno die, quaſi legitimo dimenſo, par boum arat. In hoc ſpatio edita eſt illa viginti virorum cædes, quæ Palæſtinorum caſtra turbauit. Neque ſuſpicor aliquid præterea aut tentaſſe, aut curaſſe Ionatham, cùm iam aſſecutus eſſet, quod volebat;

Gaſpar. Sanct. Com. in lib. Reg.

A neque iudicaret tutum eſſe in caſtris ea ratione confuſis diutiùs permanere, cùm arderẽt omnes, & furerent inſania; neque ab vllo abſtinerent armatas manus, quem obuium habuiſſent.

Et factum eſt miraculum in caſtris per agros.] Vbi 18.
vulgatus *miraculum*, Hebraicè, חרדה *Charadah.* Quæ vox *ſtuporem, tremorẽ*, aut *trepidationem* ſignificat. Noſter Interpres *miraculum* reddidit, quæ vox non ſemper valet id, quod naturæ exuperat vires, & opus exiſtimatur ſolum diuinæ virtutis; ſed quod rarò contingit, & licèt naturæ ſit opus, eſt tamen magnum. Qua ratione moles illæ aut ingentes, aut miro artificio elaboratæ, quas celebrauit antiquitas; *miracula* dicuntur *mundi*: ſic hoc
B *miraculum* vocari potuit, quia res fuit inopinata, & rara; neque hoc nomen eſſet à re ipſa alienum, etiamſi tantùm in hominibus, qui paſſi ſunt, aut qui rem ſpectarunt, admirationem excitaſſent. Eſt enim *miraculum admirationis*, vt Logici dicunt, *obiectum*, aut vnde oritur admiratio: & in hunc ſenſum hoc loco *miraculum* accipio. Vbi vulgatus, *in caſtris per agros*, Hebraicè eſt, במחנה בשדה *bamachanah ba ſedah*; id eſt *in caſtris, in agro.* Quæ ſic videntur exponi poſſe: In caſtris, quæ erant in agro; neque enim, vt diximus ſuprà, in montium faſtigiis, aut locis arduis videbantur Palæſtini metati caſtra; aut potiùs tam in caſtris, quàm in agris: nam vt dicitur ſtatim, v. 16. mul-
C titudo iacebat proſtrata, & huc illucque diffugiens. Tam igitur miraculum erat in caſtris, vbi tanta iacebat cadauerum ſtrages, quàm in fuga; id eſt, per agros; cùm tot viri tanta trepidatione, ac celeritate, nemine perſequente, diffugerent, & quaſi inſtarent hoſtes à tergo, aut obſtarẽt à facie, diſtricto in ſocios mucrone baccharentur.

Verſ. 15. *Sed & omnis populus ſtationis eorum, qui* 19.
ierant ad prædandum, obſtupuit.] Hic locus oſtendit, quid proximè ſibi velit *miraculũ*, nẽpè *ſtuporem*; id enim accidiſſe dicitur iis, qui prædandi gratia ex caſtris exceſſerant, quod aliis, qui in caſtris intereà ſubſtiterãt: vt enim hi obſtupuerunt, ſic etiam illi; quare ſtupor ille miraculi cõpellatione ſignificatur. Illi porrò, qui ad prædandum abierant, aut
D fuerunt tres illi cunei, de quibus ſuprà c. 13. v. 17. aut alij, qui ex caſtris ad proxima loca de more digreſſi, quidquid habent obuium, aut pecorum, aut aliarum rerum, ad militum vſum neceſſarium, ad caſtra cõuehunt: vtrumque fieri potuit, vtrumque veriſimile. Neque illud incredibile, hos etiã, cùm redierunt ex præda, eandem paſſos eſſe ἀοράσίαν, aut eandem inſaniam, & eodem modo, atque alij, in ſuos commilitones fuiſſe bacchatos.

Et factum eſt quaſi miraculum à Deo.] Hebraicè 20.
לחרדת אלהים *le cherdat elohim*: id eſt, *in miraculum Dei*, ſeu *in trepidationem*, & *ſtuporem Dei.* Aut quia miraculum illud, aut trepidatio magna fuit; nam
E ex vſu Scripturæ, quæ magna ſũt, Dei eſſe dicuntur, vt *montes Dei, cedri Dei.* Aut quia talis erat ſtupor, & metus quaſi foret à Deo deſuper immiſſus. Niſi mauis illud *quaſi* ſignificare nõ tam ſimilitudinem, quàm veritatem: quomodò dicitur, *Ariſtoteles loquitur quaſi philoſophus*; id eſt, vt Philoſophũ decet; qualis ipſe fuit. Tale eſt illud Ioan. 1. *Quaſi vnigeniti à Patre.* Et illud 1. Petri cap. 2. *Siue Regi quaſi præcellenti.* Sic igitur ſenſus eſſe poſſet: fuit *miraculum*, quale eſſe ſolet à Deo; id eſt, magnum. Et ſanè hoc tale fuit, cùm diſſipata fuerint caſtra tam copioſa, tam omni armorũ apparatu munita; cùm ſocios, quibuſcum egerant familiariter, & amicè, alienos putarint, & tanquam hoſtes perſecuti fuerint.

Quaſi aliquando valet veritatem, non ſimilitudinem.

Illud huc aliquo modo facit, quòd Gentes mẽ- 21.

tum, aut turbationem, quorum nulla apparet causa, alicui deorum attribuunt, Pani videlicet. Quare qui sic afficiuntur, *Panica* dicuntur pati; vide adagium, *Panicus casus*: vide item Angelum Politianum in Miscellaneis annot. 28. Quomodò id acciderit, aut quæ eiusmodi terroris assignari causa possit, non disputo; neque quid ea de re profani sentiant, laboro; quia fabulis in hoc interpretandi genere locus esse non debet. Illud dico, in Scriptura sacra accidisse non rarò, vt Deus immissa turbatione, ac metu, aut hostes suos metu debilitet, aut vertat in fugam. Qua de re egi super illud Isaiæ cap. 37. *Ecce ego dabo ei spiritum, & audiet nuncium, & reuertetur ad terram suam.* De hac animorum consternatione, ac metu præclara sunt in Scriptura sacra documenta. Gen. 35. consuluit Deus incolumitati Iacob, incusso vicinis ciuitatibus metu. *Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates: & non sunt ausi persequi recedentes.* Exod. 23. Deut. 7. metum incussit Chananæis, ne Israëlitis ipsorum regiones ingressuris obsisterent. Talis est metus ille, de quo Leuit. 8. *Fugietis nemine persequente.* Neque alio modo, vt opinor, tribus anni temporibus, quo tempore filij Israël ascenderent in Templum, & ciuitates essent virorum destitutæ præsidio, à vicinis hostibus intactas præstitit ciuitates, nisi immisso diuinitùs metu, quo ab eo consilio, atque studio deterriti, quo priùs ad illarum exitium anhelabant, cogitationem, & auiditatem antiquam temperassent. Ad hanc puto consuetudinem intentus scriptor sacer ait hoc *miraculum*, siue *trepidationem* esse quasi à Deo; id est, instar illorum, quibus Dominus olim inimicorum suorum pectora concussit.

Timor sine causa à Deo mitti solitus, qui panicus dicitur.

22. Vers. 18. *Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei (erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel.)* Cùm ex speculatoribus didicisset Saul, quid rerum fieret in Palæstinorum castris; & in re tanta, támque inusitata opus esset non solùm maturo, sed etiam diuino consilio; aduocat Achiam Sacerdotem summum, quem suprà *Achimelec* etiam appellari diximus, & iubet, vt Arcam applicet, quæ tunc temporis Hebræorum aciem sequebatur, & à Deo sciscitetur oraculum. *Applicare Arcam*, non est illam adducere de loco suo ad eum, vbi tunc erat Saul; nimis enim id esset superbum, & odiosum piis, iubere adduci ad se augustum illud, venerandúmque sacrarium, & non potiùs Sacerdotem ipsum, & Regem ad Arcam accedere. Dicitur autem *applicari Arca*, quomodò dicitur adhiberi consiliarius, aut testis, cùm illorum consilium, aut testimonium adhibetur, seu applicatur, cùm non illi ad nos, sed nos ad illos contra veniamus.

Arca aliquando ad aciem producta.

23. Non legimus, quomodò consultus fuerit, aut quomodò Deus ad interrogata responderit. De hac oraculi petendi ratione satis abundè Abulensis, & benè quæst. 11. vbi docet, Deum aliter à Prophetis, aliter à Sacerdotibus consuli. De Prophetis non est cur hìc dicatur aliquid. De Sacerdotibus illud habemus ex Scriptura, consuluisse Deum ante Arcam, & per *vrim*, & *tumim*, seu per ephod. Ad Arcam, quæ erat intra interiorem secessum Templi, seu Tabernaculi, semel tantùm ingrediebatur summus Sacerdos in festo Expiationis; & tunc coram Arca poterat Deum consulere: quod tamen extra hoc tempus sæpè contigit Moysi, qui Dominum ex Propitiatorio loquentem audiebat, aliter atque Sacerdotes alij, eo saltem tempore, cùm diuinum oraculum extra tabernacula petebant. De Moyse est illud Numer. cap. 7. v. 89. *Cúmque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.*

Quomodò Sacerdotes Deum consulerent.

Alij verò Sacerdotes, nisi fortè in festo Expiationis, per *vrim*, & *tumim*, siue per ephod, non solùm extra Sancta Sanctorum, sed etiam non rarò extra Tabernaculum, de rerum euentu responsum à Domino petebant. Sic infrà cap. 23. Dauid ad Abiathar, qui in Ceilam ephod secum attulerat v. 6. dixit v. 9. *Applica ephod*, & tamen ibi Tabernaculum non erat. Et cap. 30. cùm esset in Siceleg, iterùm per ephod consultus est Deus. 24.

Quod diximus de Arca, tunc illud intelligendum est, quando erat in suo loco, & quasi claustro concluſa; in Tabernaculo videlicet, aut Tẽplo. Cùm esset inde foras producta, vt quando erat in castris, vt hoc ipso articulo; & dum commorata est in Cariathiarim, aut etiam progrediebatur in deserto, aliam puto fuisse rationem. Tunc enim cùm quilibet pro suo quisque ordine, ac ministerio astare Arcæ posset, non erat difficile, cùm Deum vellet per ephod, aut alio quouis modo consulere, ad Arcam accedere; quomodò hoc loco factum est. An verò sic Deus ad Arcæ conspectum ita Achiæ Sacerdoti responderit, sicut olim Moysi, incertum est; neque aliquod, quod ego viderim, apparet in Scriptura vestigium, ex quo intelligi possit, illum respondendi modum Moysi cum aliis fuisse communem. 25.

Quia suprà v. 3. ab Achia ephod esse portatum audiuimus, neque vno in loco occurret posteà nomen *ephod*, & per illud à Deo petitum oraculum, dicamus oportet, quid ea de re sentiant, aut coniectent Auctores. De *ephod* diximus suprà cap. 2. v. 18. non pauca. Sed de illo, quod proprium est Sacerdotis summi, & in sacerdotali instructu numeratur, agit multis Hieronymus epist. 128. quæ est ad Fabiolam, & Iosephus lib. 3. c. 8. & latè Ribera de templo, cap. 10. 11. 12. Cætera minùs ad institutum nostrum faciunt: illud tantùm nunc exploremus, quod ad diuinum attinet oraculum, seu responsum, quod per *ephod* Sacerdotes exquirunt. 26.

Quomodò consultus per Ephod.

In Rationali, quod in ephod, seu superhumerali ad Sacerdotis pectus erat siue assutum, siue appensum, duodecim erant lapides, qui, vt optimè Ribera suprà cap. 12. dicuntur *vrim*, & *tumim*; id est, *illuminationes*, & *perfectiones*. Hieronymus vertit, *doctrinam*, & *veritatem*, quia per illos lapides Deus, quid opus esset facto, aut quid futurum esset, docebat. Alij alias esse putant nominis notationes, & causas, quas accuratiùs examinare non nostri negotij est: sed eorũ, qui in Exodum Cõmentarios ediderunt. Nunc breuiter dico cum Iosepho, Lyra, atque Ribera, per lapidum, qui erant in ephod alligati rationali, varios splendores, & aspectus, significari futuros rerum euẽtus; & illud esse *responsum*, vel *oraculum*, quod applicato ephod quærebant Hebræi. De quo sic Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 9. *Per duodecim*, inquit, *gemmas, quas in pectore Pontifex infutas Esseni* (id est, rationali) *gestat, in bello victoriam prænunciare Deus solebat. Nam priusquàm exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret adesse Deum, opémque, & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Græci, qui à nostra religione non abhorrent, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita vt negari non possit, Essena,* (id est, 27.

est,rationale) *vocant* λόγιον : *id est, oraculum. Desiit essem fulgorem emittere annis ducentis antequàm hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum prævaricationem.* Alij fortassè meliùs ; interim hæc mihi cogitatio placet ; neque alia occurrit magis expedita.

28. *Erat enim arca Dei in illa die cum filiis Israël.*] Cùm infensam Philisthinorum populo Arcam audiisset Saul,commodum futurum existimabat, si tantæ illorum multitudini,ac robori Arcæ Dei potentiam,& auspicium opponeret : An alio tẽpore post aditam Terrã promissionis in Hebræorum castris Arca fuerit,incertum est. Adduci nũc facilè potuit,cùm esset extra Tabernaculum non tam in sua,quàm in aliena domo, & quasi in hospitio. Post hæc verò tempora nunquam putò in Hebræorum castra fuisse productam , nisi cùm Dauid ab Absalonis facie fugeret : tunc enim cùm Sacerdotes Arcam educerent , illam tamen Dauid in suum locum referri iussit lib. 2. Reg. c. 15.v.24.

29. Vers.19. *Et ait Saul ad sacerdotem,contrahe manum tuam.*] Cùm magis , atque magis bellum in Philisthinorum aciem crudesceret , & dimicantium,atque cadentium clamor clariùs resonaret; ne elaberetur occasio , quæ diuinitùs videbatur oblata ; aut ne hostes in Hebræos tunc temporis imparatos ingruerent (neque enim tunc de re omninò constabat) iubet Saul,vt manum cõtrahat, neque Deum, vt cæperat , pergat consulere. Quare rem aggressus est Saul inconsulto Deo; neque fortassè aliam ob causam stultè egit, dum militibus ad noctem vsque ieiunium indixit.Cõtrahere verò manus ideò sacerdos dicitur , quia extensas habuerat , & eleuatas ; is enim habitus orantium est, vt non solùm sacra, sed etiam profana literatura testatur. In sacra mille occurrunt exempla. Psal.27. v.2. *Dum oro ad te , dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Et Psal. 43. v. 21. *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Neque minùs frequenter profani. Virgil. Æneid.1.

Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert.

Et lib.2.

Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas.

Et lib.4.

Dicitur ante aras media inter numina diuũm
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Quare dum iubet Saul , vt contrahat manus Sacerdos,id planè iubet,ne oret amplius,aut à Deo sciscitetur Oraculum.

Orationis interruptio causa infami consilij.

30. Vers.21. *Sed & Hebræi,qui erant cum Philisthiim heri,& nudiustertius.*] Multi,vt apparet,ad felicem inclinauere fortunam ex Hebræorum genere,qui apud suos videbant rem esse periculo propositã, neque satis esse ad resistẽdum virium.Quare cùm appareret subitò tanta rerum inclinatio , ad castra,quæ transfugæ reliquerant,reuertuntur. Idẽ quoque fecerunt , qui in latebras se abdiderant, & quò suam tuerentur salutem,publicam prodiderant. Quare breui tempore ea facta est accessio castris Hebræorum , vt ad decem hominum millia peruenerint. Ea verò die respirare cæpit Israëlis fortuna, & à metu,quo contracta fuerat, recreari. Sic autem confirmatus est hostili cæde, ac fuga Hebræorum animus,vt ad Bethauem vsque persecuti fuerint Palæstinos, neque eò vsque cessatum sit à pugna.Vbi verò ventum est ad Bethauem, desiere pugnare , quia videbant aduersa sibi impendere omnia ab Hebræorum acie , cui Dominus aderat patronus , & auspex. Quare ex eo loco in fugam se dederunt,in pedibus potiùs, quàm in ferro , ac manibus salutem statuentes. Est autem Bethauen non procùl à Machmas, vt indicat , quod proximè dictum est , cap. 13. v.5. *Castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethauen.*

Vers.24. *Adiurauit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir,qui comederit panem vsque ad vesperam.*] Hæc pugna, qua Philisthini & suis se gladiis conficiebant , & Hebræorum ferro obtruncabantur,ad medium vsque diem videtur producta,ex quo omnes se conuerterunt in fugã. Quare cùm persequi victoriam cuperet Saul, & spem totam in celeritate posuisset , edixit toti populo adiuratione , & execratione interposita ; ne quis ad vesperum ; id est , ad noctem cibum caperet; ne quod spatium hostibus præberetur ad fugam. In hac adiuratione pœna capitis videtur esse proposita ei, qui contra fecerit ; quod ex eo constat, quia capitali pœna punire voluit Saul filium Ionatham, quia cibum sumpsit ante tempus ab adiuratione definitum. 31.

An prudenter,aut sanctè fecerit Saul,dum populum adiurat , execratúrque, si lassas pugnando vires cibo reficiat , & ad vlteriorem laborem reparet, disputat Abulensis, q.19. & Saulem à peccato liberat,contra Lyram , cuius argumenta accuratè expendit,& dissoluit. Primùm , quòd lex illa in eo rerum articulo neque dura videbatur, neque inepta,cùm breui mora elabi posset hostis, & oblata diuinitùs,occasio perire. Neque durum videtur, si diem vnum miles , cùm hostis aut vrget, aut prædam , & victoriam ostentat , ieiunus agat. Ad hæc enim à militiæ magistris assuefiunt tyrones , qui bella meditantur ; & sanè dura est militiæ disciplina,& grauiora iubet.Deinde,quia hoc Regis edictum Deus ipse videtur probare; qui ideò respondere noluit , cùm anteà fecisset, quòd violatum esset à Ionatha Regium edictum: quod indicauit sors , quam Deus ita temperauit, vt violati ieiunij reum , sine errore prodiderit. Item , quia si peccasset in hac lege Saul, Deus illius peccatũ tum aperuisset, cùm ipse dixit, v.41. *Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem.* At Deus peccatorem ostendit esse Ionatham,non Saulem. Piè hoc decretum edictum à Saule dicit Ambrosius serm.25. qui est de quadragesima. *Bonus*, inquit, *planè Rex, qui hostes suos non tam armis , quàm deuotione vincebat , & plus dimicabat religione, quàm telis. Cùm ergo Saul abstinẽtiam diei suis omnibus indixisset , & Ionathas eius filius præcepti nescius inter medias hostium acies victor incedens fauum mellis intincta sceptri summitate gustasset,tanta indignatio repentè commota est, vt & differretur victoria , & diuinitas læderetur. Denique nec belli finis imponitur , nec Regi responsum propheticum datur. Vnde intelligimus , quòd Saul hostes non tam virtute militum , quàm militum abstinentia superabat. Denique vnius culpa cunctis confertur ignauia , & vnius delicto cunctis generatur infirmitas : deficit enim virtus in exercitu,vt deficit in obseruatione ieiunium. Quod vt peccatum Saul ex ipsa diuinitatis offensione cognouit, statim Ionathæ dixit non esse parcendum ; sed peccatum admissum effusione eius sanguinis expiandum. Videte , quanta apud Saul fuerit religionis obseruantia, qui offensum Deum optauit etiam parricidio mitigare : & quanta sit resoluti culpa ieiunij, quæ non nisi sanguinis effusione punitur.* 32. *Præceptum Saulis de nõ sumendo cibo , quidam sanctum esse dicunt , & prudens.* 33.

Peccasse tamen Saul tenet Lyra , & cum eo alij. Sanè Chrysostomus iuramentum illud Saulis 34. *Alij negant verisimiliùs.*

lis opus esse dicit diaboli, qui illa Regis adiuratione laqueos toti populo obiectos esse dicit; vnde orta sunt incommoda plurima, non solùm vt lassus, & exanimatus populus hostem fugientem persequi non posset, & vno fortasse die negotium illud Palæstinum absoluere; sed etiam vt inde multorum peccatorum fieret sementis. Cùm enim populus diuturnam famem sustinere non posset, neque extrahendi ex animalibus, quæ capta fuerant, sanguinis esset opportunitas, contrà quàm lex statuebat antiqua, cum sanguine comedit. Et eò rem deduxit, vt Ionathas paternam adiurationem violaret, & in ipsius caput decretum iam esset à patre capitale supplicium. Lege homil. 14. ad populum Antiochenum, vbi multa dicit Chrysostomus suo ingenio, & Christiana pietate digna.

35. *Saul erravit, quia Dei oraculum non expectauit.*

In posteriorem ego partem magis inclinabam; non solùm vt stultè egerit Saul, sed etiam sceleratè, vt latè Chrysostomus. Et hunc errorem, qui sanè leuis non fuit, inde natum existimo, quòd cùm Deum consulere esset aggressus, illius tamen non expectauit responsum: quod aliquid habet inurbanæ cuiusdam impietatis, quasi tempus illud periret, quod religiosa illa, & quodammodò necessaria consultatio consumeret. Quid si ideò Deus secundo loco non respondit, quòd priori ipsius oraculum neque æstimatum, vt par erat, neque expectatum fuit? Sed alia ratio redditur posteà, quia Ionathas contra parentis edictum de melle gustauit. De quo suo loco. Nunc illud explorandum, quomodò si stultè, atque adeò si scelerate Saul ieiunium indixit toti populo, illud probauit Deus, dum per sortes violatæ adiurationis reum manifestauit.

36. *Exemplum rarum violatæ obedientiæ.*

Huius ergo rationis vim, quæ sanè infirma non est, sic videor diluere, aut infirmare posse. Primùm, vt in principio Regiæ administrationis disceret populus subditus parendum esse Regi, etiamsi durum videatur, & minùs rerum articulo opportunum imperium. Quod suprà ostendimus cap. 13. ad illud: *Quod si non feciſſes, iam Dominus præparasset regnum.* Vbi diximus prima peccata, quæ admissa fuere contra legem, seueriùs quàm alia fuisse punita. Item vt hinc discerent homines, quanta sit vis anathematis, aut maledictionis, quæ est à superiore potestate, quæ licèt sit iniusta, timenda tamen est. Videmus enim aliquando, & legimus sæpè parentum execrationes innocentibus filiis fuisse valdè noxias. Et excommunicatio, quæ anathema quoddam est, & execratio, his etiam rebus, quæ culpæ sunt expertes, & incapaces, graue inferunt vulnus. Notum est, propter eiusmodi Ecclesiæ minas, & execrationes consenuisse arbores, aruisse segetes, extinctas esse, aut fugatas locustas. Hanc autem Saulis execrationem *Anathema* vocat Theodoretus q. 32. cui subscribit Procopius, & docet hoc exemplo anathema, licèt iniustum, esse metuendum. Vel certè, vt ostenderet Deus nimis futurum esse verum, quod per Samuelem antè prædixerat, durum fore regnum, & tyrannidi proximum, quod filij Israël reiectis Iudicibus elegerunt: cùm nunc audiant seuerum, & stultum edictum, quod laborare iubet, & abstinere à cibo; quod, credo, ad illud vsque tempus nunquam aut fecit, aut cogitauit tyrannus. Sed puto ideò permisisse Deum, vt Ionathas, per quem populum nuper à periculo, & metu liberauerat, & gustaret de melle, & per sortes capitis proderetur reus; vt eo modo stultitiam, & peccatum patris acerbo dolore, & inopinato interitu puniret. Facilè enim quisque ex seipso coniectare potest, quo futurus esset animo Saul, cùm suo decreto daturus esset neci filium, & multis nominibus antè dilectum, & recente nunc victoria gloriosum; quique magno & populo vsui, & suo regno in posterum incremento futurus videbatur. Quòd si Deus puniri vellet Ionatham, & non potiùs patrem expectatione domesticæ cædis, non tam facilè Ionathas populi studio à paterno gladio foret ereptus. Hanc videtur ratione reddere Chrysostomus homil. 14. ad populum, licèt paulò obscuriùs: loquitur enim de diabolo, qui huius adiurationis author fuit, qui parentem filij morte graui dolore compungere, & contristare voluit. *Nisi filij morte*, inquit, *Regis dextram polluueret, fecisse se nihil magnum arbitraretur. Et quid dico, filij cædem? Excogitauit enim sceleratus ille & hac rursus profaniorem moliri cædem. Si enim sciens peccasset Ionathas, & iugulatus fuisset, filij cædes tantùm id erat; nunc enim ex ignorantia præuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deinde interfectus duplicem patri dolorem effecisset: filium enim & filium, qui nihil peccauerat, immolaturus erat.*

37. *Ionathæ condemnatio supplicium fuit parentis Saulis.*

38. *Saulis durum mandatum.*

Vers. 25. *Omnéque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri.*] Mira amplificatio est & Regiæ seueritatis, & mandati, à quo omnis aberat & amantis patris prouidentia, & ratio moderata, & vtile consilium. Multo manè milites cùm à speculatoribus admoniti sunt, ad prælium se quamprimùm accingunt; quare eorum multi ieiuni ad hostiles acies progressi sunt; neque eorum pauci fuerunt, imò fortasse omnes cùm eodem tempore edictum omnibus fuerit, vt ad hostes aduolarent, & indictum ieiunium. Deinde cibus vltrò se famelicis offerebat: cùm enim tota Terra promissionis melle abundet, vnde sæpè dicitur lacte, & melle manare; ille tamè saltus, per quem populus insequebatur pallantes hostes, plenus erat melle. In cauis enim arborum truncis, aut in petrarum scissuris, aut in ipsis etiã terræ cauernis passim familiares illi regioni apes fauos fingebant, qui redundantes stillant melle, illudque latè variè diffundunt. Quod etiam nos interdum in Hispania videmus in syluestribus, ac confragosis locis, ad quorum radices mellis riui copiosi decurrunt. Quare sine vllo labore, aut tẽporis dispendio parari mensa poterat, cùm vltrò cibus ipse paratus occurreret.

39. *Inconsiderata Principũ mãdata laquei sunt subditorum.*

Hìc magnum Chrysostomus agnoscit animi obsequentis exemplum, cùm tantus populus, támque fame laborans à cibo abstinuerit obuio, ne quod acceperat mandatum à Rege, quantumcúmque stultum, & inutile violaret: & quàm callidè diabolus ad illam adiurationem Regem impulerit, vt maior populo adesset peccandi, & grauior occasio. Ex vno iuramento diabolum in Saule multa dicit composuisse, & texuisse periuria. *Aspice*, inquit, *qualis ex hoc iuramento laqueus exoritur. Syluam præteribat exercitus fauum habentem, & fauum ante faciem populi: & ingressus est populus ad fauum, & transibat loquens. Vidisti quanta vorago? Mensa extemporanea, vt accedendi facilitas, & nutrimenti suauitas, & latendi spes in iuramenti præuaricationem ipsos alliceret. Nam fames, & labor, & tempus: Omnis enim, inquit, terra prandebat* (ita videtur legisse Chrysostomus, sicut etiam Tertullianus contra Psychicos cap. 10.) *tunc ad præuaricationem impellebant. Fauorum quoque aspectus intentionẽ soluens extrinsecùs ipsos inuitabat. Mensæ etenim tum iucunditas, tum facilis apparatus, & deprehendẽdi furti*

Rarum obedientiæ exẽplum.

furti difficultas omnem ſapientiam fallere poterant: ſi A *meretricis, quod eſt delectatio voluptatis carnalis.* Eadem aliorum ſunt verba.

Verſ. 32. *Et mactauerunt in terra, comeditque populus cum ſanguine.*] Mitto quid, Hieronymo teſte, de hoc populi peccato tradant Hebræi: longè enim illi errant à ſcopo, quem ſe tetigiſſe putant. Dicunt enim ideò peccaſſe milites; quia comedere carnes ante veſpertinum ſacrificium pro illis oblatum, non licebat: aut quia non obtulerunt Sacerdotibus adipem, & ſanguinem. Adducunt frigidum neſcio quid ex Deut. cap. 12. quod nihil illorum cogitationi fauet. Miror hanc Hebræorũ expoſitionem placuiſſe Rabano, & ex parte Angelomo, & Hugoni. Ego nullum hîc aliud peccatum interceſſiſſe video, quàm populum comediſſe cum ſanguine; quod ne fieret, cautum eſt lege. Gen. 9. v. 4. *Carnem cum ſanguine ne comedetis.* Idem Leuit. c. 17. v. 14. Deuter. 12. Cúmque commodè ſanguis ex animali exprimi non poſſet, ſi in terra aut æquo loco iugularetur animal, aut lapis erigebatur, vt fecit hoc loco Saul, aut ſublimior aliquis locus, vt pendente animalis iugulo, è ſuperiori loco defluente ſanguine, carnes ab illo plenè depuratæ adhiberentur in cibum. Sed vrgebat fames, quæ non tantùm populo permiſit ſpatij, vt tumulum erigeret, vbi cæderetur bos, aut aries, & exangue fieret animal, iuxta legis præſcriptum. Nonnulli verò de populo, qui legis magis erant ſtudioſi, & amantes, ad Regem deferunt conculcari patrias leges, & non expreſſo ex animali ſanguine parari cibos. Tunc Rex prægrandem iubet lapidem excitari, ad quem omnes deferrent, quod ſumpſerunt è præda, vt legitimè iugulent, & legitimè comedant. Hoc Regis mandatum ſatis docet, in quo peccatum ſit à populo,

42. *Carnes cum ſanguine comedere vetitum.*

Verſ. 35. *AEdificauit autem Saul altare Domino, tunc primum cæpit ædificare altare Domino.*] Cur ædificare voluerit Saul altare illud, Scriptura non tradit; ſed eſt veriſimile, ibi offerre voluiſſe ſacrificia pacifica pro re feliciter geſta, & vt in poſterum benè res cederet cum hoſte Palæſtino, & vt Deum, quod ſtatim tentauit, de reliquo conſuleret: cùm Sacerdotem haberet ſecum, & fortaſſe Arcam, quam fuiſſe in Hebræorum caſtris nuper oſtendimus. At certè, vt optimè coniectat Abulenſis q. 28. vt illius victoriæ tantæ, tamque inſperatæ ſtaret aliquod illuſtre monumentum. Sicut in caſu non diſſimili c. 7. fecit Samuel, qui lapidem ſtatuit, quem lapidem adiutorij nominauit, eo in loco, ad quem vſque inſecutus eſt fugientes inimicos, & dixit: *Huc vſque auxiliatus eſt nobis Dominus.* Neque defuerunt Sauli antiqua maiorum, & illuſtria exempla, qui in ſucceſſu non diſſimili altaria conſtruxerunt, quæ eſſent poſteris oblati à Domino beneficij æterno monumento. Sic Moyſes Exod. 17. v. 15. cùm Amalecitas bello ſuperaſſet, *ædificauit altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Et ipſe Saul c. ſequenti, cùm iterùm Amalecitas ſubegiſſet, fornicem extruxit, in quo illius victoriæ æternam voluit conſeruari memoriam.

45.

Cur primum dicatur hoc altare conſtructum à Saule, cùm capite præcedenti legamus in altari alio ab eodem ſacrificatum eſſe; quod tamen non ab alio videtur eſſe conſtructum. Reſpondent aliqui, ideò hoc altare vocari *primum*, quia tam altare, quàm in eo oblata ſacrificia placuere Domino: aliud verò in altarium numero, atque ordine non cenſeri; quia neque placauit Deum, neque quicquam obtulit, quod illi foret gratum. Ita

44.

40. Verſ. 27. *Extendit ſummitatem virgæ.*] Coniunxerat ſeſe Ionathas cum parente, cúmque his, qui victoriam perſequebantur, & hoſtilem fugam & vt alij pedites gradiebantur, quod veriſimile facit loci natura confragoſa, & aſpera: ſic etiam credo illorum curſum peditem quoque Ionatham comitatum fuiſſe. Porrò virga, quam geſtabat manu, aut erat haſta, quam portabat, vt bellator, & miles; aut ſceptrum, ſeu baculus, quem vt dux exercitus de more ferebat in manu.

41. *Et illuminati ſunt oculi eius.*] Mihi dubium non eſt, ex inedia, ac laſſitudine offundi tenebras languentibus oculis: ita experientia docet quotidiana. Noui ego hominem, cui inedia, & immoderatum ieiunium oculis videndi facultatem ademerant, cui ſumptus cibus animum, viſumque reſtituit: quod millies aliis accidiſſe audio. Et hoc ipſum ait ſibi contigiſſe Ionathas, v. 29. vbi ſic Ionathas: *Vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei, eò quòd guſtauerim paululum de melle.* De cæcitate, atque hebetudine corporea eſſe intelligenda tenent communiter alij, Abulenſis, Caietanus, Hugo, & Interlinearis. Fortaſſe hæc hyperbolica exaggeratio eſt magnæ famis. Vt enim cùm aliquis diu abſtinuit à cibo, & fame laborat graui, mortuus dicitur, aut enectus fame, in omni, vt reor, lingua: ſic etiam quia mortuorum in funere, pia, atque legitima ceremonia clauduntur oculi, fit, vt clauſos aliquem oculos habere, idem ſit quod mortuum eſſe. Quare cùm quis dicitur oculos habere illuminatos, aut apertos; aut, quod idem eſt, videre, ille viuere dicitur. Erit igitur ſenſus: Cùm priùs enectus eſſem fame, & mors oculos premeret, ecce guſtato melle, iam viuere incipio, ecce quomodò apertis oculis iam video, quod opus viuẽtis eſt. Neque hæc explicatio mihi diſplicet. Sunt qui hæc myſticè accipiunt. In his ſunt Beda, Rabanus, Angelomus, Eucherius. Audi Bedam quæſt. in l. 1. Reg. c. 6. *Illuminati ſunt oculi Ionathæ, non vtique ad videndum illuminati, quia antè videbat;* E *ſed ad diſcernendum, quia vetita tetigerat. Tunc enim caſus ille, ſicut & Adam, fecit attentum, & reddidit confuſum. Quo facto admonemur omnes illecebras voluptatum in ſæculo debere contemnere eum, qui Deo nititur militare. Nam non poteſt contra Allophylos Spirituales; id eſt, aduerſus principes tenebrarum harum viribus, armiſque pugnare, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare. Mel enim deſtillant labia*

Gloſſa, & Angelomus, & probat Lyra, & Hugo. Hieronymus in 1 rad. Hebr. ex quo etiam ſumpſit Angelomus ideò dicit tunc primum ædificatum eſſe altare, quia alia contra obedientiam ædificata ſunt: quæ autem ſunt eiuſmodi, neque Deo placent, licet ſacra ſint ſicut ſacrificia, quæ exprobrauit Samuel Saul. Quod religioſis viris maximè commendatum oportet, quibus nihil eſt ſacrum, neque ipſum quidem altare, ſi ſtet contra legitimum à ſuperiore mandatum. Sed placet magis, quod Lyræ etiam atque Hugoni probatur magis; & tenent omninò Abulenſis, & Caietanus, qui dicunt priùs ſacrificaſſe Saulem in altari non ſua, ſed aliena opera conſtructo. Et quidem in Galgalis offerri à populo ſacrificia vidimus ſuprà c. 11. v. 15. Vnde nemo dubitabit ibidem ab aliis aras eſſe excitatas. Primum verò dicitur fuiſſe hoc altare aliorum comparatione, quæ ædificata fuerunt à Saule; quorum tamen Scriptura nō meminit. Ita putat Abulenſis.

45. Verſ. 36. *Et ait ſacerdos, accedamus huc ad Deū.*] Sacerdos ſummus hic erat, qui priùs à Deo reſponſa quæſierat; vnde etiam ſuſpicor ibi quoque fuiſſe Arcam, quam, credò, Sacerdos pro ſua religione, ac munere non deſeruiſſet. Hic ergo admonuit Regem, vt antequàm belli illius perſequerentur reliquias, Dei voluntatem, & conſilium explorarent. Quare adeſſe iubet populū ad aram excitatam à Rege, aut certè ad Arcam, vbicumque tunc eſſet (ſi fortè eſſet in caſtris) vnde ſumendum eſſet bellorum exordium. Et hoc extremum verius eſſe arbitror, quia ad illum locum Sacerdos multitudinem aduocat, vbi ipſe erat, vt docet aduerbium *huc*; ſed Sacerdos non videbatur receſſurus ab Arca. Applicuit autem ephod, ſicut Sacerdotibus erat familiare, neque vllum habuit à Domino reſponſum; vnde ſuſpicatus eſt Rex aliquod eſſe in populo peccatum, quod ſolitam illam Dei familiaritatem impediret.

46. Verſ. 38. *Applicate huc vniuerſos angulos populi, & ſcitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.*] Didicerat Saul ex caſu Acham, de quo Ioſue 7. vnius hominis peccatum totius exercitus communem eſſe labem, neque ſperari poſſe aliquid, quod futurum ſperaretur ex voto, niſi peccati reus foret ſublatus è medio. Notum erat illud Dei verbum horribile, v. 12. *Non ero vltrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* Et quemadmodum Ioſue totum populum diuiſit per tribus, & familias; ſic etiam Saul populum in vnum locum aduocatum diſtribuit, alio tamen modo: totam enim multitudinem in partem vnam, ſe tamen ipſum, & filium Ionatham ſeparatim in alteram diuiſit. Orauitque Deum, vt ſceleris authorem proderet, ſi in ſceleris pœnam fuit, nullum eſſe redditum ad interrogata reſponſum. *Anguli populorum* dicuntur principes, ex proprio Hebræorum idiomate; quia ſicut anguli continent, & ſuſtentant domum; ſic etiam principes, & magiſtratus ciuitates. De hoc loquendi genere vide quid nos ad illud Iſaiæ 30. *Cùm ceciderint turres.*

Vnius peccatum toti noxium populo.

Anguli dicti Principes.

47. Verſ. 41. *Si in me, aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem; aut ſi hæc iniquitas eſt in populo tuo, da ſanctitatem.*] Hæc in codice Hebræo non ſunt. Hæc honeſta videtur petitio, quaſi ſibi, ac filio nihil optet Rex clemens, ac mite; populo verò nihil precetur durum, ſed tantùm vt ſanctitatem det populo; id eſt, vt illi ignoſcat, aut viam oſtendat, qua expiari; id eſt, ſanctificari poſſit. Quid verò de ſe, atque filio ſuo ſtatuat, preceturque, ſatis oſtendit, dum dicit, ſi ſors Ionatham ſceleris coarguat, & damnet, illi abſque vlla retractatione fore moriendum; quibus ſibiipſi eripit temperandi ſupplicij facultatem: cui ſupplicio ſe ipſum ſimiliter addixiſſe videri potuit, ſi quid admiſiſſe conuincatur, propter quod diuinū fileat oraculum. Sed fortaſſe de ſuo ſupplicio non cogitabat; quia ex eo tempore, quo reſponſum à Domino proximè acceperat, nihil videbat à ſe commiſſum eſſe, cur timeret; atq; ideò audacter non ſolùm de reliqua multitudine, ſed etiam de ſe, ac filio Ionatha ſortes conſuluit.

Verſ. 43. *Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululùm mellis: & ecce morior.*] Denunciat filio pater ineluctabilem moriendi neceſſitatem, quam non recuſat optimus, & ingenuus filius, ne pater iuramentum temeret, quod neque ſanctè, vt vidimus, neque prudenter interpoſuit. Quod item fecit filia Iephte, quæ mortem conſtanter oppetiit, ne pater conceptum ſtultè votum violaret. Interim tamen ſuam innocentiā probat: De ignoratione nihil hîc Scriptura commemorat oppoſitum à Ionatha, licèt non ſit veriſimile illud fuiſſe omiſſum, in quo ſpectabatur maximè criminis depulſio, & cauſæ defenſio; ſed tantùm culpam aut depellit, aut eleuat à tenuitate materiæ. Primùm, quia paulùm mellis erat, quod guſtauit, quantùm nimirùm virgæ faſtigio adhærere potuit, quam geſtabat in manu: deinde quia ideò nihil de contentione, ac celeritate remiſit inſequendi hoſtes, quos in fugam impulerat; cùm neque manum demiſerit, ſéque ipſum inflexerit ad ſumendum mel, ſed tantùm in ipſo curſu virgam extenderit; quod ſine vllo celeritatis impedimento fieri potuit. *Et ecce*, inquit, *morior.* id eſt, mortis iudicor reus, aut morti deſtinor. Quo modo quæ iam proxima ſunt, vt fiant, pro factis cenſeantur, alibi à nobis ſæpè notatum eſt: quomodo damnatus ad mortem, & qui iam animam agit, aut naufragus luctatur cum fluctibus, numeratur in mortuis. Sic, vt putauit Auguſtinus, Chriſtus hora diei tertia crucifixus dicitur, quia ea hora damnatus eſt ad mortem. 48. *Ionatha obedientia in re difficili.*

Hoc loco multi multa quærunt, tum de innocentia Ionathæ, tum maximè de hac innocentia per ſortes, & per Deum, qui temperauit illas, condemnata: qua de re nos aliquid diximus ſuprà ad v. 24. Neque puto aliquid aliud erit neceſſarium, vt nihil iniuſtum hoc loco quiſquam inueniat. Addam tamen quid apud alios inuenerim obſeruatione non indignum, quia ſaltem ad mores opportunum eſt. 49.

Quidam aliquod in Ionatha peccatum agnoſcunt, atque adeò morte non indignum putant. Caietanus duplex in Ionatha peccatum deprehendit, licèt in guſtato melle nullam inueniat culpam. Primum, quia audito patris cum adiuratione, atque execratione mandato; factum ſuum probauit: deinde quia auſus eſt, tacente, & non reclamante populo, mandatum illud imprudentiæ, & temeritatis arguere. Eſt quidem hoc ad mores graue: neque enim ſubditus damnare ſuperioris, atque prælati conſilia debet, ſed potiùs ab omni vel ſuſpicione, vel calumnia vindicare; quod viri ſpirituales in religione maximè commendant. Neque prætereà viri religioſi, qui pro ſuo inſtituto crucem amant, ignominiam, & quicquid carni, ſanguinique contrarium, excuſare debent obiectas ſibi culpas; ad Chriſti imitationem, qui dum de ſe indigna multa, & falſa à multis audiret, ipſe tamen tacebat. Hæc tamen Caietani ſolutio ſatis eſt infirma: neque enim hîc alia cauſa adduci 50. *Ionathas in quo peccauit comedendo mel.*

ducitur, quàm violatum esse Regium edictum gustato melle. Quod si de peccatis aliis esset quæstio, quis dubitet in tanta multitudine damnasse plurimos, vrgente fame, Regium edictum, & alia multò grauiora admisisse flagitia?

51. Serarius ex aliorum, vt opinor, sententia dicit aliquid in Ionatha fuisse culpæ, cùm aliquo modo, licet nihil audiisset de edicto Regio, ex aliorum tamen exemplo discere potuerit. Cum enim alij per saltum incederent manantem melle, neque ex omnibus vllus ex illo gustasset, coniectare potuit aliquod à Rege fuisse præceptum, quod illorum nemo auderet violare. Hæc ergo culpa fuit Ionathæ, non quæsiisse quid causæ fuerit, cur ab omnibus mel sese sponte offerens foret illibatum. Sed sanè ratio non nimis premit Ionathæ innocentiam: nam primùm non omnes ipse vidit, quia cùm dux esset, & acer, aut præibat omnes, aut inter primos gradiebatur. Deinde quia cùm ipse multò ante lucem esset egressus, vt incautos aggrederetur hostes, suspicari potuit reliquum exercitum, qui subsecutus est, curasse priùs corpora, neque in aciem prodiisse ieiunum.

52. *Vir apostolicus ab ambitione liber.* Aliam adducit causam Gregorius, sed omninò moralem, & in virga intincta melle rectorem, aut prædicatorem intelligit, qui ex prædicatione, aut correctione, quæ significantur in virga, laudem captant, quam fauorum suauitas adumbrat. *Virga*, inquit, *qua paruuli solent corripi, sermo correctionis potest aptè designari. Prædicatio ergo, & opus bonum virga, & manus est. Quid est igitur virgã extendere, & manum ad os cum melle reuocare, nisi tam de prædicationis verbo, quàm de studio boni operis vani fauoris gustum recipere? Sed qui more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgæ, mel leuare dicitur: virgam quippe, & manum melle plenam ad os conuertunt, qui iuxta veritatis vocem omnia opera sua faciunt, vt ab hominibus videantur.* Et statim: *Quid ergo est hæc virgæ extremitas, nisi quia plerúmque & Dominum glorificare in suo opere quidam volunt, & apparere ipsi laudabiles non refugiunt?*

53. Vers. 45. *Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram.*] Tulit populus molestè decretum illud Regiũ, cùm capitale indixisset supplicium illi, qui ad illustrem illam victoriam, & hostilem cladem aditum aperuisset. Quocircà Regio iuramento publicum ipse iuramentum opponit, iuratque nunquam se commissurum, vt quicquam inferatur mali illi, à quo compressi sunt Palæstinorum spiritus, & confirmati Hebræorum animi, & ad quiduis audendum excitati. Hîc duo nobis obseruanda: alterum est, *si*, idem interdum valere, quod *non*; Malach. c. 1. *Si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam:* id est, neque placebit, neque suscipiet. Isaiæ 22. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.* Ps. 88. *Semel iurauí in sancto meo, si Dauid mentiar.* Ier. 38. *Viuit Dominus, si occidero te.* Hîc, opinor, aliquid subauditur execratorium, vt in aliis sæpè iurisiurandi formis.

54. *Prouerbium Capillus, pro re exigua & leui.* Alterum est, *capillum* prouerbiali specie sumi non infrequenter, vt hoc loco, ad significandũ aliquem ab omni prorsùs incommodo futurum immunem: est enim *pilus*, seu *capillus*, vt apparet, res vilissima. Sic Christus Lucę c. 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* Et Actor. c. 27. v. 34. *Nullius vestrum capillus de capite peribit.* Dan. 3. v. 94. *Et capillus capitis eorum non esset adustus.*

55. Ad extremum addo, quibusdam videri consuetudinem illam dimittendi vinctum vnum in die festo; iuxta quam poscente populo dimissus est à Pilato Barrabas, ex hac Ionathæ historiæ exordium habuisse. Vt enim Ionathas iam morte à parente damnatus, contendente populo liberatus fuit; quod omnis deinde probauit, laudauitque posteritas; sic etiam eidem populo propter pium illum, strenuumque conatum concessum est, vt ad illius preces, & votum quotannis ad festum diem Paschæ solueretur vinctus, quem vnũ ex omnibus elegisset. Ita putat Origenes tract. 35. in Mattheum, Theophylactus in c. 23. Lucæ. Luc. 23. Vterque antiquam esse dicit in Iudæorum gente consuetudinem illam.

56. *Qua rara sunt, & magna Deo tribuenda.* *Quia cum Deo operatus est hodie.*] Quicquid exitum habet secundum, maximè cùm aliquid appareat in illo, quod assequi aut nequit, aut non solet humana facultas, id tribuunt Deo viri prudentes, & pij; quale fuit ab vno Ionatha cum armigero turbatas esse, atque fugatas hostiles acies. Atq; ideò optimè coniectauit populus, cum Deo operatum esse Ionatham; id est, duce, atque auspice, atque fauente. Vnde etiam coniectabat prudenter, ab illo sperari posse exitus in posterum felices, cùm tam habuisset militiæ rudimenta secunda.

57. Chaldæus aliter interpretatur hunc locum, & aliam adducit causam, cur dignus Ionathas existimetur venia; quia ex Ionathæ ipsius confessione, aut ex verbis, quæ paulò antè responderat his, qui ipsi Regium obtenderunt mandatum, constabat ignarum fuisse talis mandati; atque ideò iniquum videri, exigi ab illo tam iniustum, ac crudele supplicium. *Quoniam*, inquit, *coram Deo manifestum est, quòd per ignorantiam fecerit hodie.*

58. *Ionathæ peccatum ex Prudentio, ortum ex superbia.* Prudentius in Psychomachia, in pugna luxurię & sobrietatis, peccasse dicit Ionatham; &, licèt subobscurè peccatũ ortum esse indicat ex nimia confidentia; quia cùm se filium videret esse Regis, & regni hæredem, licere sibi existimauit, quod aliis fuerat interdictum; quare allectus fauorum suauitate, quorum in saltu magnam videbat esse copiam, contempto parentis edicto, de melle gustauit: quem tamen cum facti posteà pœniteret, veniam obtinuit. Sed reuerà multa hîc dicit Prudentius, quę ex Scriptura sacra sumere non potuit, nisi aliter verba interpretere Prudentij; quod certè durum est. Sic autem ille.

Pœnituit Ionatham ieiunia sobria dulci
Conuiolasse fauo sumpto, melliſque sapore.
Heu malè gustato, regni dum blanda voluptas
Oblectat iuuenem, iuratæque sacra resoluit.
Sed quia pœnituit, nec sors lachrymabilis illa est,
Nec tinxit patrias sententia sæua secures.

59. In Scriptura nullam legimus Ionathæ pœnitentiam; sed tantùm populi precibus, & conspiranti studio à morte fuisse liberatum. Minùs mihi displicet, quod tradit Iosephus, licèt coniectet potiùs, quàm sumat ex historia sacra: *Ionathas*, inquit, *nec præsenti quidem periculo territus, magno, ac generoso animo se præbuit. Nihil, inquit, deprecor pater: libenter enim hanc mortem fero, quæ te religione soluat, dum prius tam magnificam victoriam videre contigit. Maximum enim mihi fuerit solatium Palæstinorum insolentiam ab Hebræis esse perdomitam.* Hæc Iosephus, non quidem aliena à Ionathæ constantia; nescio tamen an ab historica fide.

60. Vers. 46. *Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim.*] Coniectauit Saul, & qui illi tunc à consiliis aderant, offensum esse Deum, cùm nullum dederit ad interrogata responsum; neque irato Deo ex vsu futurum esse iudicabat quicquam

quam tentare prorsùs inauſpicatum, maximè in re bellica, vbi ſi quid peccatum fuerit, grauiſſimæ fiunt rerum inclinationes. Quare ſtatuit non eſſe progrediendum vlteriùs, neque inuito Deo perſequi oportere, quod reliquum erat victoriæ.

61. Verſ. 47. *Et Saul confirmato regno ſuper Iſrael pugnabat per circuitum aduerſus omnes inimicos eius.*] Hac victoria confirmatum fuit Saulis imperium, & Hebræorum animi ad bellorum pondus alacriores redditi. Cùm iam igitur copioſum haberet exercitum, illúmque ad pugnandum ardentè, & alacrem, vicinos hoſtes, qui rem Iſraeliticam aut affligebant, aut turbabant, ſummouendos, atque ſubiugandos ſtatuit; quod illius conſilium probauit, & promouit Deus: quamcúmque enim ſe in partem dabat, præclaram ex hoſte victoriam referebat. Cùm autem hoſtes eſſent vicini, & prõptas haberet copias, non fuit difficile breui ſpatio ſemeſtri puta, aut annuo, tot bella conficere. Quare leue eſt, meo iudicio, argumentum, quod quidam ſumunt ex hoc loco, vt probent Saulis regnũ fuiſſe diuturnum. Quod argumentum ſuprà à nobis infirmatum eſt.

62. Verſ. 52. *Quemcumque viderat Saul virum fortem & aptum ad prælium, ſociabat eum ſibi.*] Præclarum Imperatoris conſilium, quod etiam Imperatores alij cum magno rei bellicæ bono, & gloria ſecuti ſunt. Vt enim timidi, atque imbelles homines & ipſi plerúmque impedimento ſunt, & aliorum debilitant animos, neruoſque diſſoluunt; ſic contrà A qui ſtrenui ſunt, & ad omnem belli contentionẽ intrepidi, & ipſi rem promouent, & aliis ad rem præclare gerendam ſtimulos addunt, & ardorem. Hinc Saul prima bella ſecunda geſſit, breuique finitimos populos grauiter olim infenſos Hebræorum nomini ſubiugauit & fregit.

Hæc Gregorius myſticè, & ad mores accommodatè perbellè tractat; dum agit, quomodò qui rei præſunt Eccleſiaſticæ, ſollicitè inueſtigare debeant, quibus diuini verbi prædicationem; id eſt, arma, quibus præcipuè vtitur Eccleſia, credere debeãt. Sic igitur hoc loco Gregorius: *Sed quia non* B *ſolùm fortes, ſed etiam aptos ad prælium ſibi ſociaſſe dicitur, cautus doctor in eligendis Chriſti militibus demõſtratur. Fortes autem ad ferenda onera quidam ſunt, non ad prælia exercenda, qui præliari de fortitudine ſua dum neſciunt, nequaquam poſſunt. Viri ergo fortes, & ad prælium apti ſunt, qui ſciunt pugnare, & volunt. Per voluntatem quippè fortes ſunt, & per ſcientiam apti ad præliandum.* Et paulò pòſt. *Qui ergo ſunt fortes, & non apti, niſi quos videmus onera ſæculi fortiter ferre, & fortitudinem ſuam in ſeruitium conditoris transferre* C *neſcire? Nam iugum hominum & magnos ſæculi labores fortiter ferunt, ſed ad ſeruitutem Dei accedere velut infirmi pertimeſcunt. Quid ergo iſti niſi fortes, & non apti ſunt, qui ſæculi magna faciunt, & Chriſti agere leuia, & blanda non poſſunt? Sæpe etiam in monaſteriis conuertuntur, & qui ſæculi onera fortiter tulerant, in paruis quæ agunt, quaſi inter magnos labores ſudant.* Vide reliqua.

63.

IN CAP. XV. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

DAT Dominus Sauli id à Samuele negotij, vt antiquas vlciſcatur iniurias, quas ab Amalecitis pertulit Hebræorum populus, quos ita acerbè, atque vniuersè mulctari iubet, vt ex illorum rebus, ac genere nihil velit eſſe reliquum. Expugnauit Saul, vt fuerat imperatum, Amalec; ita tamen, vt neque omne deleuerit Amalecitarũ genus, neq; omnẽ abiecerit, neque perdiderit prædã; ſed quod in illa erat magis pretioſum, ad ſuos, aut etiam ſacros vſus reſeruaret. Didicit à Domino Samuel quid Saul in Amalecitarum cauſa peccaſſet & dolens, quòd tam citò in dato ſibi negotio defeciſſet, profectus eſt ad Saulem, qui cùm ſibi in completo diuino præcepto placuiſſet, mugitu, atque balatu pecudum deprehenſus eſt non ſatis fideliter datum ſibi negotium peregiſſe. Religionis ille ſpeciem obtendebat, cùm videri vellet pinguiſſimum quodque ex hoſtili grege ad aram, & cultrum conſecraſſe. Sed adhæc Samuel gratius eſſe ait obedientiæ ſimplex, & ſecurum obſequium, quàm id, quod in victimis pingue cenſetur, & optabile. Quare placeret multò magis Deo grex in agro interfectus hoſtiliter, & relictus vulturibus, & canibus ad Domini præſcriptum, quàm productus ad aram, & ibi iuxta ſacrificales ritus immolatus. Hæc enim opera, ſi contrà fiant, quàm à Domino imperatum eſt, perinde exiſtimatur, ac ſiquis aut obſeruet auguria, aut ſimulacrorum inſaniam ſupplex adoret. Grauiter hac reprehẽſione, & ipſa ſceleris cõſcientia cõmotus Saul, orauit Samuelẽ, vt ſimul ad precandum Deum Samuel accederet; cuius ſtudiis & precibus, etſi aliquandiu reluctatus, tandem acquieuit: & ſua ipſius manu Regem Amalecitarum Agag gladio confecit. Deinde reuerſus in patriam nunquam amplius Saulem aſpexit, licet illius peccatum, & caſum miſerabilem aſſiduè lugeret.

CAP.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

1. ET dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, vt vngerem te in regem super populum eius Israel: nunc ergo audi vocem Domini.

2. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Ægypto.

3. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierẽ & paruulum atque lactantem, bouem & ouem, camelum & asinum.

4. Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.

5. Cúmque venisset Saul vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

6. Dixítque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne fortè inuoluam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cùm ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.

7. Percussítque Saul Amalec ab Heuila donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti.

8. Et apprehendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij.

9. Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.

10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens:

11. Pœnitet me quòd constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatúsque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte.

12. Cúmque de nocte surrexisset Samuel, vt iret ad Saul manè, nunciatum est Samueli, eo quòd venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reuersus transisset, descendisséque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul: & Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec.

13. Et cùm venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino: impleui verbum Domini.

14. Dixítque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?

15. Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo: reliqua verò occidimus.

16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixítque ei: Loquere.

17. Et ait Samuel: Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? vnxítque te Dominus in regem super Israel,

18. & misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum?

19. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?

20. Et ait Saul ad Samuelem: immò audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci.

21. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galgalis.

22. Ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.

23. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex.

24. Dixítque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua timens populum, & obediens voci eorum.

25. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecũ, vt adorem Dominum.

26. Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel.

27. Et conuersus est Samuel vt abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est.

28. Et ait ad eum Samuel: scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

29. Porrò Triumphator in Israël non parcet,

parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.

30. At ille ait: Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.

31. Reuersus ergo Samuel secutus est Saulem: & adorauit Saul Dominum.

32. Dixítque Samuel: Adducite ad me Agag regẽ Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors?

33. Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

34. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul verò ascẽdit in domũ suam in Gabaa.

35. Et non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis suæ: verumtamẽ lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israël.

IN CAP. XV. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, vt vngerem te.*]

1. HONOR regius, aut alius quicunque glorioſus, & inclytus gradus non est ab onere solutus, & vacuus, quod sanè eò grauius est, quò maior est potestas, & dignitas. Hæc autem à Deo, qui regna constituit, Reges designat, & pro suo arbitratu liberè, quocúmque voluerit, traducit, & ventilat. Quare Reges, si sapiunt, & quod suum decet titulum, præstare volunt, referre Deo fideliter debent, quod ab eo clementer acceperunt. Atque ideò Samuel in memoriam reuocat Sauli, quod ille secum meditari perpetuò debuit, à Deo habuisse regnum, neque aliud spectari oportere priùs ac potiùs, quàm quid Deus in regni, ac rerum administratione præcipiat, ac velit. Cùm ergo Reges diuinæ voluntatis, atque iustitiæ administri sint, iubet Sauli Regi, vt supplicium sumat de Amalec, cuius peccatum licèt multis anteà sæculis admissum, non tamen exciderat è diuina memoria, neque illius fuerat remissa vindicta.

Amalec ex genere Idumæorum.

2. Vers. 2. *Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodò restitit ei in via, cùm ascenderet de AEgypto.*] Historiam Amalec habes Exod. 17. vbi occurrisse dicitur Amalec Hebræorum castris, statim atque è silice à Moyse percusso fluxerunt aquæ; quæ victoria fuit non ab hominum industria, & robore; sed concessa diuinitùs. Nam *cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel, sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.* Tunc verò v. 14. dixit Deus ad Moysen, *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue; delebo enim memoriam Amalec sub cœlo.* Amplificat autem, & ponderat Deus peccatum Amalec. Deut. 25. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris de AEgypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebãt ceciderit; quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum. Cùm ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cælo. Caue ne obliuiscaris.*

3. Quis fuerit Amalec, & vnde ortum Amalecitarum genus, obscurũ est. Glossa quædam Strabi ad illud Exod. c. 17. de quo supra, ex genere Israelitico fuisse putat. Sed communis, &, vt credo, vera sententia est, fuisse ex Idumeorum gente; quod tenet hic Abulensis, & Lyra in caput citatum ex Exodo. Quod multa probant. 1. Paralip. 1. v. 36. Eliphaz filius Esau genuisse dicitur Amalec. Idem Gen. 36. v. 12. *Erat autem Thanna concubina Eliphaz filij Esau, quæ peperit ei Amalec.* Hoc idem tenet Iosephus lib. 2. Ant. c. 1. & probant Hebræi, vt in eorũ Traditionibus docet Hieronymus. Et quod his locis dicitur fecisse Amalec, idem etiam traditur fecisse Rex Edom, Num. cap. 20. Neque huic sententiæ quicquam incommodat, quod in fine capitis præcedentis v. 47. Edom separatim ponitur ab Amalec. Nam, vt ibi Abulensis, optimè complexio quædam ponitur, & collectio omnium rerum à Saule gestarum, non continuatur historia. Eorum enim, quæ ibi summatim colliguntur, quædam iam facta fuerunt, quædam deinde gesta sunt, quæ futurum spectant tempus. Quare nondum Saul subiugarat Edom, sed subiugauit cap. 15. Et quia hoc bellum memorabile fuit, ideò de illo separatim dicitur per anticipationem, *congregato exercitu percussit Amalec, & eruit Israel,* &c. Quem autem priùs vocauerat Edom, vocabulo communi magis, eundem posteà vocat Amalec: quod commune putatur esse nomen Regum Idumeæ; quomodò Pharaones dicuntur Ægyptij Reges, Arabes Aretæ, Romani Cæsares. Et quidem non videntur, qui alij esse potuerint Amalecitæ, nisi Idumæi: nam Iudic. 3. v. 13. distinctos esse constat ab Ammonitis, & Moabitis. Iud. 6. à Madianitis. Et 2. Reg. 8. v. 12. à Syris, Philisthinis, Sobęis, Moab, & Ammon. Et Psal. 82. v. 8. à Tyriis, Gebal, & Assyriis. Neque vnquam reperiuntur Idumæi ab Amalecitis separati.

4. *Recensui quæcumque fecit Amalec.*] Loquitur Deus iuxta illorum hominum consuetudinem, qui in ephemeridas, seu annales referunt, quorum nolunt aboleri memoriam, vt illorum memores suo tempore aut mercede compenset, vt fecit Assuerus Esther c. 6. aut supplicio afficiat. Scripserat Deus Exod. 17. vbi peccatum Amalec scriptum esse traditur in libro, vt de illo posteà sumatur supplicium. Quasi humano more locutus Deus dicat; euolui annales, & inueni ab Amalec mihi deberi pœnas, quas volo, ô Saul, ita seuerè exigas, vt quod in commentarios relatum esse recognoui, deleatur sub cælo; neque quicquam ex rebus Amalec reliquum sit à ferro, vel incendio.

5. Vers. 3. *Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius*

ipſius aliquid.] Grauem oportet fuiſſe offenſionem illā, quæ nihil ſupereſſe vult ex hoſtili præda, licèt illa ſit in ſuo ordine, ac genere pretioſa. *Quæ hoſtiũ ſunt, licet pretioſa, & pulchra, odioſa ſunt.* Et quidem quæ ad hoſtem pertinent, quantumcumque illa pretioſa ſint,& grata; eo tamen nomine, quòd hoſtium ſunt, execramur, & horremus; adeò non amamus,aut cupimus. Exempla hoc quotidiana docent; abominatur vxor pellicis ſuæ ſpecioſiſſimam formam,quam alij amant; quia ab illa animus plurimùm abhorret. Colorum varietatem mirificam admirabili digeſtam ordine execramur in lacertis, ac aliis ſerpentium formis; quia in illis aliquid conſideramus ſqualliduм,& tetrum,& ab eis naturali quodam odio diſſidemus. Audiunt alij ſuauem aliorum vocem, & cantum numeroſum cum voluptate, & vt cantare pergant, hortantur, & rogant: at qui in illos duriùs ſunt animati, audire ſe putant latratus canum, aut leonum fremitum. Pulchrum eſt aurum, ad quod inhiant inflammata ſtudia per mille diſcrimina mortalium; at ex auro Deus offerri ſibi nihil voluit, ſi quando ex illo conflata fuerunt deorum ſimulachra. Imò neque in ſuo populo argentum,& aurum eſſe voluit, quod aliquando deorum impiæ religioni ſeruiuit. Deut. cap.7.v.25. *Sculptilia eorum igne combures: non concupiſces argentum,& aurum,de quibus facta ſunt; neque aſſumes ex eis tibi quicquam, ne offendas propterea, quia abominatio eſt Domini Dei tui. Nec inferes quicquam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt: Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis*, &c. Quia ergo Deus Amalecitarum genus execrabatur,nihil eorum offerri ſibi, neque in ſuorum vſus afferri, aut etiam à ferro, & flamma vindicari voluit.

Deus, quæ Idolis ſeruierunt, ſibi conſecrari non vult, immò neque ſuis permittit.

7. Sed cur tam Deus in Amalecitarum Gentem infenſus? Deus ipſe docuit. *Quia reſtitit*, inquit, *ei* (id eſt, Iſraëli) *in via cùm aſcenderet de Ægypto.* Hîc ſummatim complectitur multa,quæ aliis in locis pluribus explicuit, & in librum referri voluit; quæ dum recenſet, & recognoſcit,mandatum hoc durum indicit Sauli,vt aboleat penitùs Amalec. Quomodò per terminos ſuos Idumæi,qui,vt diximus, iidem ſunt,qui Amalecitæ, non permiſerint Iſraëlitas tranſire, quibuſcum commune habuere genus; ſed potiùs illis occurrerint armati; habes Numer. cap. 20. quare defeſſos illos de via abegerunt procul à ſe, & magnum fecerunt captare diſpendium. Quòd autem tunc extremum agmen; id eſt, eos, qui feſſi, aut languidi ſubſequi non poterant præcedentes, malè acceperit, atque ceciderit, habes Deut. cap. 25. v. 18. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris de Ægypto: quomodò occurrerit tibi, & extremos agminis tui,qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum.* Hæc quidem grauiſſima fuerunt Amalecitarum peccata.

8. Eſt autem ridiculum, quod Hebræi tradunt, vt in traditionibus Hebraicis refert Hieronymus; nempè ab Amalecitis defeſſos, & languidos Hebræorum extremos, ſic eſſe acceptos crudeliter, & ignominiosè, vt abſtulerint eorum circumciſionem; id eſt, partem circumciſam,illamque in Dei ſubſannationem, & contemptum in cælum proiecerint. Sed iſti Hebræi nihil non audent,modò ad popularem plauſum. Ea fortaſſe ratione adducti ſunt, quia vbi Vulgatus *cecidit*, Hebraicè eſt זנב *vaizanab*, id eſt, *decaudauit.* Quod completum dicunt in illa ignominio-

Quod peccatum Amalec.

A ſa detruncatione. Aut certè quia Idumæi Circumciſionem vehementer oderant, quam ipſorum pater Eſau, ne quid haberet cum Iſraëlitico genere commune, in ſeipſo deleuit, vt dicit Epiphanius lib. de ponder. & menſur. ad medium. Rab. Salomon, vt ait Abulenſis in locum citatum ex Deuter. aliquid meditatur turpius, & obſcænius, ſumptum ex caudæ nomine. Sed delirant omnes. Multò meliùs Vulgatus extremum agmen percuſſum eſſe dicit ab Amalecitis; quia quæ in quolibet grege poſtrema ſunt, cauda vocantur.

De peccato Amalec Hebræorum fabula.

Sed neque poſteri antiquos parentum ſuorum depoſuerant ſpiritus, ſed parentum mores pertinaciter amplexi ad longum vſque tempus ab hoc rerum articulo pluſquàm hoſtili odio, & B omninò hæreditario odio perſecuti ſunt. Sic ſanè probant plurima in his Regum annalibus, quæ nos ſuis quæque locis expendemus. Et probat optimè illud Amos cap. 1. v. 11. *Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quartum non conuertam eum. Eò quòd perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum, & violauerit miſericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem ſuum, & indignationem ſuam ſeruauerit vſque in finem.*

9.

Odium Idumæorum ſeu Amalecitarum in Iſraëlitas.

Interfice à viro vſque ad mulierem: & paruulum atque lactentem,boue,& ouem,&c.] Obſeruat Abulenſis, varias eſſe anathematumformas pro delictorum varietate, ac modo. Primò ita proponebatur, vt ex eis, quæ aliquo modo ad illorum vſus pertinerent, in quorum caput ferebatur, nihil eſſet reliquum à flamma, vel ferro. De quo C Deut. cap.13. v.13. Tale fuit hoc, quo omnia, quæ Amalecitarum ornamenta, ſiue ſubſidia vitæ fuerunt, aboleri iubentur. In ſecundo genere non delebantur omnia; ſed tantùm ad theſauros Domini,ſacrámque gazam, quæ templo, Dominóque ſeruirent, ſeruabantur, aurum videlicet, & argentum, quæ nullus ad priuatos, ac domeſticos vſus accommodare poterat. Tali anathemati ſubiecta fuit Iericho,Ioſue cap.7. In tertio genere, maledicto ſubiiciebantur, & anathemati ciuitas ipſa,& omnis hominum ætas, & ſexus; ita vt ciuitas igni, habitatores ferro, aut alio quouis modo ſternerentur; reliqua tamen erant pugnatorum exuuiæ. Qualia paſſa fuit ciuitas Hai,de qua Ioſue cap.8.

10. *Anathematum varia genera.*

Hîc non nemo in tam ſeuero mandato cle- 11.
mentiam, imò & æquitatem deſiderabit, cùm à D cæde eximatur nemo; neque illi quidem, qui nihil admiſerunt: cur ſupplicium illud graue ſubire debuerint; quales ſunt paruuli, & lactentes, oues, & boues? Egimus ea de re in noſtris Commentariis ſuper Ezechielem, ad illud cap.9.v.6. *Senem, adoleſcentulum, & virginem paruulos, & mulieres interficite.* Plura apud Scholaſticos Doctores inuenies, à quibus ego abſtinere poſſe videor. Sed illud non omittam, vt Lector habeat, quid doleat, aut rideat, quod de Amalecitarum bobus, atque ouibus occiſis ſomniauit Rab. Salomon,vt refert Lyra. Cyrcæum hîc aliquod poculum agnoſcit, quo homines ſubita E quadam metamorphoſi mutantur in belluas. Ait enim Amalecitas ſolitos eſſe vti maleficiis, & alias atque alias formas vel aſſumere, vel inducere; quare in oues, & boues mutabantur. Ne quis igitur illorum ſub ouina, aut bouina ſpecie odium effugeret, & ferrum hoſtile; ipſæ quoque belluæ occidi iubentur. Neque vidit magnus hic nugator,Amalecitas, cùm viderent in oues,

Innocentes quo modo occidere liceat.

Hebræorum de Amalecitis fabula.

& boues cædem grassari, si vim haberent, & artem magicam, facile potuisse deserere speciem illam, quam assumpserant, & aliam assumere, à qua abstinere videbant hostile ferrum. Neque videbat vir iste & suo, & suorum iudicio sapientissimus, aliis in locis cum hominibus ipsa quoque pecora occidi iussa. Quod præceptum de ciuitatibus omnibus traditum est, Deut. 13. v. 13. neque tamen ciuitates omnes maleficiis fuisse deditas verisimile est. Sanè in summo odio cum hominibus interfecta fuisse iumenta, cognouisse potuit in Gaabitarum casu, Iudic. cap. 20.

12. Vers. 4. *Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos, quasi agnos.*] Accepit Saul lubens Dei mandatum, & ad illius expeditionem promptam, & celerem, se quamprimùm, & populum accingit. *Præcipere, mandare*, & similia, voces sunt militares in Hebræorum idiomate. Id enim sæpè valet verbum עוה *Sauah.* Thren. 1. v. 17. *Mandauit Dominus aduersum Iacob in circuitu eius hostes eius.* Amos 9. *Mandabo gladio, & occidet eos.* Isaiæ cap. 23. *Dominus mandauit aduersus Chanaam.*

Mando, & præcipio *verba militaria.* Thren. 1.

13. *Recensuit eos quasi agnos.*] Chaldæus legit, *in agnis Phase*; quasi tempus illud fuerit azymorum, vbi agni immolantur: & per agnos, quos à singulis afferri oportebat, collegerit, quantus esset pugnatorum numerus. Sed multa videtur suppositisse Chaldæus, quæ incerta sunt. Primum est, tempus esse vernum, in quo agnus immolatur Paschalis. Secundum, à singulis agnos allatos esse singulos; ita vt tot agni numerentur, quot numerantur milites: quod planè falsum est. Alio modo per agnos Paschales Iudæorum numerum collegit Iosephus lib. 7. de bello cap. 17. qui in quolibet agno decem numerat ciues. Sed neque hoc modo pugnatorum numerus potuit à Saule deprehendi, cùm non omnes illi decem, qui vno vescebantur agno, milites essent, sed partim senes, partim pueri, partim etiam fœminæ; qui omnes sunt tractandis armis, & bellorum difficultatibus, & molestiis inepti. Legit sine dubio Chaldæus, sicut alij etiam Interpretes, & nunc codices habent Hebraici בטלאים *batelaim*; Noster verò Interpres כטלאים *catelaim*: vnius verò literæ similitudo huius tantæ varietatis occasio fuit; quæ fecit, vt Vulgatus redderet, *quasi agnos*, Chaldæus, *in agnis*. Alij *Telaim* nomen existimant esse proprium, vbi coëgit Saul, & numerauit exercitum. Septuaginta reddunt, *in Galgalis*. Cur ita verterint, non intelligo. Translatio Vulgati optima est, & modum explicat, quo à præfectis, & ducibus iniri solet sine errore numerus eorum, qui sub signis sunt. Vt enim pastores ex caulis sic educunt agnos, vt singulares exeant per angustum exitum, & ita colligunt non difficile integrum esse numerum: sic etiam Duces, aut quorum illud interest, singulares in suo ordine procedere iubent milites, summámque colligunt eorum, quos deinde in suas digerant tribus, & ordines. Quod de pastoribus dixi, quotidiana nostrorum experientia docet. Neque in Sacris literis exemplum deest. Leuit. 27. v. 32. vbi ratio decimandi præscribitur: *Omnium decimarum bouis, ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* Ex quibus constat, pastores ad caulæ ostium solitos esse consistere, cohibéreque greges, ne confusi, ac simul egrediantur; sed singulares, ita vt decimum quodque notari possit, illúdque commutari nequeat, siue exile sit, & macrum, siue adultum, & pingue. Cùm autem hoc esset inter Hebræos familiare, ab eo duci potuit similitudo.

Greges quo modo à pastore numerentur.

Vers. 5. *Cúmque venisset Saul vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.*] Hanc credo ciuitatem esse præcipuam, & regni primam sedem, vbi tunc Agag Amalecitarum Princeps morabatur. Torrentem hîc appellat, profundum, atque decliuem locum, per quem aqua aliquando decurrit. Sicut alueus appellatur, qui fluuium aliquando complexus est, licèt fluuialis aquæ nihil contineat. Instit. de rerum diuision. §. *Quod si naturali.* 14.

Vers. 6. *Dixitque Saul Cinæo: Abite, & recedite,* &c.] *Cinæus* hîc per synecdochen pro *Cinæis* sumitur, sicut sæpè hostis pro hostibus. Quare Vulgatus modò ad vocem, modò ad significationem intẽtus, verbum adhibet plurale, vt hîc, & singulare statim, *Ne fortè inuoluam te,* &c. Cinæos prognatos esse ex Iethro sacerdote Madiã, cuius filia Sephora Moysi nupsit, cõmunis est Hebræorum, nostrorúmque sententia. Indicat Iudic. c. 11. v. 16. *Filij autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de ciuitate palmarum.* Cinæum autem istum fuisse Iethro ostendunt Septuaginta, qui locum istum ita conuertunt, υἱοὶ τοῦ Ἰεθὼρ τοῦ Κινάιου τοῦ πενθερᾶ τοῦ Μωυσῆ. *Filij Iethro Cinæi soceri Moysis.* Cinæos autem istos habitasse simul cum filiis Israël, colligitur ex Numer. cap. 1. v. 29. vbi Hobab Raguelis soceri Moysis filius adhæsisse dicitur Israëli. Quòd verò Cinæi in Israëlitarum sortem contributi fuerint, & in Terra promissionis commorati, docet mors Sisaræ à Iael illata, vxore Haber Cinæi, Iudic. 4. Haber autem iste recessisse dicitur à reliquis fratribus, & cum Iabim Chananæo habuisse pacem. Ex quo fit valde verisimile, Cinæos alios vixisse inter Israëlitas (eos, inquam, qui ab Hobab Raguelis filio traxerunt originem) & in idem cum ipsis aliquo modo genus coaluisse. Ita meo iudicio manifestè 1. Paralip. 2. in fine: *Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes, canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.* Quomodò Rechabitæ, de quibus Ieremias cap. 35. Cinæi fuerint, diximus in nostris Commentariis ad illum Ieremiæ locum. 15.

Cynæi, qui.

Cùm autem Saul illud accepisset à Domino mandatum, vt Amalecitas, & quicquid ad illos pertineret, extingueret; non putauit in illis esse numerandos, licèt in eadem cum ipsis regione morarentur, Cinæos, qui neque genere erant Amalecitæ, neque eisdem se cum illis peccatis implicuerant. Quare illos excedere ab Amalecitarum consortio iubet; ne si cum illis conuiuere contingat, idem omnes promiscuè casus, & exitium abripiat. Vnde docemur, malorum consuetudinem esse omninò euitandam, ne quid mali contingat propter vicinum malum. Vt enim periculum est maximum, ne domus flammam corripiat, paries cum proximus ardet; & ne mala vicini pecoris contagia lædant; & qui prope scopum stetit, quò tela à sagittario destinantur, prope etiam est, vt à telo præter sagittarij voluntatẽ configatur; Sic etiam si Cinæi cum Amalecitis iam ferro destinatis permixti viuant, sanè non procul absunt ab interitu. Vnus Ionas, à quo Dominus inobedientiæ pœnas exigere voluit, conuectores suos in graue naufragij periculum coniecit. Vnus Iudas tempestatem illam excitauit, quæ iactauit nauim, & vitæ periculum ostentauit Apostolis, vt meditatur Ambrosius lib. 4. super Lucam. 16.

Malorum euitanda consuetudo, & vicinitas.

Tu

17. *Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cùm aſcenderent de Ægypto.*] Quid in aſcéſu de Ægypto; id eſt, in deſerto, Cinæi, filij nempe Iethro, in Iſraëlitas beneficij contulerint, quærit Abulenſis q. 16. & putat hanc miſericordiam, de qua nunc Saul, deſcriptam eſſe Exod. cap. 18. vbi Iethro dicitur occurriſſe Moyſi, & magnam illi beneuolentiam oſtendiſſe. Quàm verò animo fuerit in Iſraëlitas beneuolo, illud apertè probat, quòd non minùs videtur, quàm ipſe Moyſes, de Iſraëlitarum ſalute, & felici progreſſione ſollicitus. Tradidit enim Moyſi genero ſuo certam aliquam formam, quam in diſceptandis cauſis, réque adminiſtranda publica teneret, quam Moyſes ipſe vtpotè publicis rationibus opportunam amplexus eſt. Obtuliſſe autem illum, cùm gentilis eſſet, & ſacerdos Madian, hoſtias, & holocauſta Deo; aut, quod videtur vero propius, tradidiſſe hoſtias, quas ſacrificaret Moyſes in eo altari, quod excitarat proximè, cap. 17. v. 16. non exigua videtur in Hebræorum populum miſericordia collata. Neque eſt veriſimile, virum copioſum, & potentem, ad Generum, quem per deſertam, & ſterilem regionem incedere cognouerat, veniſſe vacuum; ſed ex gregibus, quos in locis proximis copioſos alebat, attuliſſe aliquod non leue ſubſidium. Deinde Numer. cap. 10. Hobab filius Raguelis, qui & Iethro, qui regionem illam probè nouerat, comitem videtur, imò & ducem viæ ſe præbuiſſe Hebræorum multitudini. De quo ſuprà non dubitat Abulenſis; eſt certè valdè veriſimile, licèt nihil certum habeamus à textu. Hæc fermè Hebræi, Hieronymo teſte in Traditionibus.

18. Verſ. 8. *Apprehendit Agag Regem Amalec vivum, omne autem vulgus interfecit.*] Hoc ſecundum fuit peccatum, quod admiſit Saul, propter quod regno iudicatus eſt indignus, & à Deo reprobatus. Mandatum acceperat, ne quid ex Amalec reliquum faceret, quod diro ſubiectum erat anathemati. Perdidit quod vel in perſonis, vel in aliis ſiue inanimis, ſiue animatis ſpoliis erat vilius; quod autem videbatur illuſtrius, ſeu magis ad humanos vſus opportunum, ferro exemit, & flammæ. Cur Agag Regi parcere voluerit, variæ à variis adducuntur rationes. Gloſſa interlinearis ideò putat Agag fuiſſe à Saule ſeruatum, vt triumphum ageret Regia perſona magis illuſtrem: honoris autem ſui rationem habuiſſe, ex eo conſtat, quia illius victoriæ extare voluit æternum monumentum. Vt enim habes v. 12. in illuſtri, atque frequenti loco fornicem excitauit triumphalem. Ioſephus aliquid ibi pietatis agnoſcit, cuius ſpeciem videbat deluſus prorsùs, & cæcus, & iudicio ſuo plùs æquo aſſentatus Saul. Cùm enim ſpecioſum videret Agag, & formam Regio nomine, & maieſtate dignam, alienum exiſtimauit illius ſanguine mucronem imbuere. Lyra hoc auaritiæ tribuit Saulis, qui pro Regia perſona luculentam ſperabat redemptionem; aut certè occultos recludendos eſſe theſauros. Hæc fortaſſe vera. Ego potiùs exiſtimo, quod viſum eſt Abulenſi, indulgentiam illam ex intempeſtiua quadam, & ſtulta miſericordia fuiſſe profectam. Eſt enim durum quemquam occidere, & eum maximè, qui in eadem fortuna tecum, & conditione ſit. Adde, quòd illorum, qui ex alta cecidere fortuna, ſubitus, & acerbus caſus etiam inimicorum animos ad miſericordiam inflectit.

19. Verſ. 11. *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul Regem.*] Humano Dominus loquitur modo; neque enim cadere in Dominum pœnitentia poteſt, quæ culpam plerumque, & nonnunquàm ignorationem conſequitur. Ab effectu tamen hoc Domini conſilium pœnitentia dicitur; quia id fecit, quod homines ſolent, quos facti, ſiue conſulti pœnitet. Hi enim conſulta mutant, aut conſtructa diſſoluunt. Hinc fit, vt Deum pœnitere dicatur, cùm inducto Diluuio terram oppleuit, & exceptis admodum paucis, vniuerſum animantium genus extinxit. De quo Geneſ. 6. v. 6. *Pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra.* Quare nulla alia eſt huius loci ſententia, quàm, voluiſſe Deum regnum, quod Sauli indulſerat, ab illo transferre; quia plus iudicio ſuo, aut ſtudio tribuit, quàm diuino mandato, ac voluntati: cui qui ſe non omninò in re tanta ſummittunt, indigni ſunt, qui Regium, aut eximium aliud nomen ſuſtineant. *Quomodò in Deo eſſe dicitur facti pœnitentia.*

Contriſtatuſque eſt Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte.] Longè aberat Samuel, vt de caſu Saulis, & depoſitione gauderet, cùm grauis illum dolor de tam ſubita, atque inopinata mutatione perculſerit. Quare cùm ineunte nocte, vt ex ipſo textu coniectare licet, hanc à Deo vocem accepiſſet, quod reliquum erat noctis ad lucem vſque in oratione, atque clamore poſuit, quibus lacrymas, & gemitus dubio procul adhibuit. Surrexit autem de nocte; id eſt, priuſquàm illuceſceret; vt, quod à Domino mandatum acceperat, Sauli denunciaret; & illum, ſi qua ratione poſſet, ad facti veram pœnitentiam adduceret. Hoc poſtremum coniectare licet, tum ex ſtudio Samuelis in Saulem, cui ſecunda optabat omnia; tum ex Dei clementiſſima natura, quæ facilè mouetur pœnitentium lachrymis; & vbi quis mentem mutat, & facta priùs malè ex animo retractat, ipſe quoque ſolet mutare ſententiam. Quod Samuel non ignorabat, qui hoc ex longa cum Deo, & familiari conſuetudine, & ex diuinarum Scripturarum aſſidua commentatione didicerat. Sed, vt dixi, hæc tantùm coniectura eſt, à qua non abhorret Abulenſis. 20.

Verſ. 12. *Et erexiſſet ſibi fornicem triumphalem.*] Cùm ex Amalecitarum cæde reuerteretur Saul, in Carmelo monte, in eo, inquam, Carmelo, qui ad funiculum pertinet Iuda, extare voluit æternum aliquod partæ nuper victoriæ illuſtre monumentum. Iam nimirùm, ex quo ſuo plus iudicio tribuit, quàm diuinæ ſententiæ; ſuo potiùs honori ſeruire maluit, quàm diuino, cùm victoriæ gloriam, quam diuinæ virtuti referre debuit acceptam, ſibi potiùs aſcripſit. Id enim valet illud, *Et erexiſſet ſibi fornicem*; ſibi, inquam, non Deo, quaſi ſuæ aſſentatus induſtriæ, ac bellicæ virtuti. Et ita putat Lyra. Abulenſi aliter viſum. Excitarunt quidem alij, aut triumphales fornices, aut alia, quæ inſtar haberent illorum; ſed excitarunt, non tam vt inde ſibi nomen pararent in omnem poſteritatem glorioſum, quàm vt accepti à Deo beneficij memoriam conſeruarent. Sic Moyſes cùm ex hoc eodem populo victoriam retuliſſet eximiam, Exod. 17. v. 15. *Ædificauit altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Hebraicè יהוה נסי, *Iehouah niſi*; quod idem valet, atque *Dominus vexillum meum.* Ac ſi dicat, Dominus in hac acie dux fuit, & auſpex, non ego; ille vexillum extulit, ſub illius ſigno, non ſub meo victrices Hebræorum acies militarunt. Ioſephus lib. 3. Antiquit. cap. 2. 21. *Qui ſuo iudicio magis, quàm diuino paret, ſuæ gloriæ magis, quàm diuinæ ſeruit.* *Fornices, & monumenta alia poſt victoriam excitari ſolita.*

illam aram Deo victori consecratam esse dicit; non aliter quam Gentes eam ob causam diis suis, à quibus profectam putant esse victoriam, cum hac, aut simili inscriptione aram construunt, & dedicant: *Victori, aut statori,* seu *triumphatori Ioui.* Quòd verò Simon lib. Machab. 1. cap. 13. illustrissimum excitarit monumentum, pietatis fuit, non ambitionis opus. Extare enim voluit in suo populo egregiam illam, & operosam molem, ne periret parētis optimi, & fratrum optimè de patria, ac religione meritorum præclara memoria, in quam intuētes posteri seipsos ad arduum, atque glorioſum virtutis opus excitarent. Sed in hoc fornice nihil lego, quod diuinam spectet gloriā.

Saulis ambitio. Tantùm lego Saulem arcum sibi triumphalem erexisse: neque sanè, quæ sequuntur penè omnia, aliquid aliud cogitare nos sinunt. Omnia enim ambitiosi animi, & inanem populi plausum, & existimationem captantis argumēta sunt: vt quòd tantoperè optarit honorari se à Samuele coram populo; quòd ad rabiem, & furorem insanierit, quòd se viuo, atque regnante, tantum sibi nomen Dauid occiso gigante compararit.

22. *Manus, pro opera.* Vbi Vulgatus *fornicem triumphalem*; Hebraicè est מציב לו יד *Masib lo iad*: id est: *excitauit sibi manum.* Sed est omninò idem, licèt verborum forma nonnihil diuersa. Est enim *manus* idē quod opus, seu monumentum, per metonymiam, quæ causam adhibet pro effectu: sicut *imaginem*, aut *scripturam manum* dicimus artificis. Quòd manus illud opus, aut fabricam significet, quæ alicuius nomen, aut memoriam cōseruat, docet illud Absalomis consilium, qui cùm filiis careret, in quibus parentis viueret memoria, monumentum excitauit è marmore, quod sibi pro filiis esse voluit, in quo ipse viueret, quando in suscepta sobole non poterat, 2. Reg. cap. 18. *Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulū, qui est in valle Regis. Dixerat enim; non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei; vocauitque titulum nomine suo, & appellatur manus Absalom vsque in præsentem diem.*

23. Ex hoc Absalomis consilio, atque opere non ineptè coniectare videor, excitasse Saulem monumentum illud cum inscriptione, aut descriptione victoriæ, quam ex Amalecitis reportauerat; perinde atque si sibi ipsi statuam erexisset, quæ vocaretur *Saul, vincens* nimirùm, aut *triumphans*: quomodò Absalom ex Hebræorum, opinor, consuetudine, erectum monumentum ex suo nomine *Absalomem* vocauit. Alij aliter vertunt. Pagninus: *constituit sibi locum.* Tigurina: *statuit sibi trophæum.* Chaldæus; *præparat sibi locum, vt diuidat in eo prædam.* Translatio antiquissima Hispanica: *que fasia ende alarde.* Vnde hi ex Hebraico textu translationes hasce exprimere potuerint, longi esset operis exponere; sat sit in præsentia illas strictim notasse. Neque enim è Vulgata vllo modo nobis recedendum est. Hebræi, vt tradit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, quos sequitur hoc in loco Lyra, ex palmis, myrtis, & oliuis fornicem illum putant esse contextum: ea, opinor, adducti ratione, quòd tam breui tempore, & quasi in transcursu firmior alia moles è saxo excitari non poterat. Et ita fortasse accidit. Veruntamen cùm copiosum secum adduceret exercitum, non videtur difficile, tot manibus, & magno etiam studio, quo victores milites suo Regi placere vellent, rudem aliquem, & impolitum fornicem fuisse constructum. Quàm porrò fuerit vsitatum in saxis, quales sunt statuæ, columnæ, obelisci, & aliæ barbaræ, atque insanæ moles, rerum gestarum monumenta defigere, omnes penè nationes, in quibus aliquis est politioris disciplinæ cultus, abundè docent: quales fuerunt Ægyptij, Græci, Babylonij, Romani, de quibus scriptores externi satis multa: & nos aliqua nunc eiusmodi monumenta videmus, quæ licèt longa, non tamen omninò confecit vetustas. Quòd verò in his triumphales fornices, siue arcus numerentur, testantur Romæ plures alij; sed ille præcipuè, in quo adhuc visuntur debellatæ Hierosolymæ illustres exuuiæ, aureum videlicet candelabrum, cum aliis è sacra supellectili ornamentis, quæ ibidem duo Imperatores ad æternam memoriam insculpserunt.

Qua fornicis materia, & inscriptio.

Et reuersus transisset, descendisséque in Galgala.] 24. Vbi sibi æternum monumentum in triumphali fornice excitauit Saul, quasi illa prima omnium cura esse debuerit, descendit in Galgala, vt pacificas victimas Deo in gratiarum actionem immolaret. Porrò, vt vidimus cap. 11. v. 14. ibi iam excitatum fuerat altare, & ibidem iam iterùm sacrificium obtulerat, cap. 13. v. 9. ibi eum Samuel deprehendit.

Saul offerebat sacrificium Deo, de initiis prædarum.] 25. Hæc in Hebraico textu non sunt, neque in quibusdam Latinorum codicibus reperiuntur; vt in Complutensi. *Prædarum initia*; illa dicuntur, quæ præcipua sunt, quæque primo constituuntur ordine, quæ etiam appellari possunt primitiæ, quæ ideò debentur, & redduntur Deo, quia & prima sunt, & eo nomine plerumq; meliora. Qua in re cùm alia stultè, & irreligiosè fecerit Saul, in hoc tamen, quòd prima, & optima Domino consecrauit, rationem habuit officij religiosi, quo Deum optimis quibusque rebus honorare voluit. Quòd verò *initia* idem aliquando valeant, quod *præcipua*, docet illud Eccli. 29. v. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Hæc enim, vt patet, non *prima* sunt, sed *præcipua* humanæ vitæ subsidia.

Initium, idē quod præcipium.

Vers. 13. *Dixit ei Saul: Benedictus tu Domino. Impleui verbum Domini.*] 26. Occurrit Saul lætus, & gratulabundus Samueli, quasi allaturus esset aliquid, quod illi futurum esset voluptati. Et primùm illum excipit gratulatoria quadam, &, vt reor, vsitata inter Hebræos salutatione. Sic sanè Lucę cap. 1. Angelus salutauit Mariam: *Benedicta tu in mulieribus. Benedictus* porrò fēlicem, & omni ex parte fortunatum significat. Quare huius siue salutationis, siue gratulationis sensus est, verè felicem esse Samuelem, cui id à Deo concessum est, vt futura prænoscat; quod non dubia coniectura ex hoc euentu colligebat Saul; aut magno apud Deum in honore esse; quem & anteà sæpè, & nunc tot modis ornarit, & tot, támque profusis beneficiis complexus sit. Et vt aliquis accederet ad gratulationem officiorum cumulus, ostendit & ita rem Amalecitidem contigisse, sicut ipse præuiderat, & se id cumulatè præstitisse, quod Dei nomine per Samuelem fuerat imperatum; sed Samuel, qui iam à Deo, quid fuisset à Saule peccatum, didicisset, longè aliter rem est interpretatus, quàm ipse putabat.

Benedictus *vox in salutationibus vsitata.*

Vers. 14. *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resōnat in auribus meis?*] 27. Coarguit Samuel Regem manifesti mendacij, cui id in mandatis datum erat à Domino, ne quid reliquum faceret eorum, quæ possedisset Amalec. Contra quem clamabant

ouium

ouium balatus, armẽtorum mugitus, quibus Regis, ac militum aut obtentą religionis ſpecies, aut immoderata potiùs cupiditas ignouerat. Quẽ animum tunc Samueli fuiſſe exiſtimemus, cùm eodem tempore in illius auribus & Saulis vox adulatoria, & mendax, & tot veræ gregum, & armentorum voces reſonarent? Sic planè in re morali multi ſunt, qui ſe pios eſſe verbis profitentur; at contrà obſtrepunt plurima, quæ illos impietatis, & mendacij conuincunt. Quorum ſimulatam continentiam prodit aut laſciuus oculus, aut vox multò, quàm deceret, petulantior; vagus inceſſus, diſſoluti mores, quos neque pudor temperat, neque honeſtatis vlla ratio compeſcit. Multi iuſtos ſe eſſe clamant, quique à rapina non ſolùm manus, ſed etiam oculos, & cupiditatem continent; cùm tamen clament, & vehementer accuſent pupillorum, ac viduarum prædæ, quæ ſceleratam, & auaram domum inſtruunt, & exornant; contra quos lapis de pariete clamat, & illi lignum, quod intra iuncturas ædificiorum eſt, reſpondet, Abac. 2. Sanè infirma eſt orantis deprecatio, cùm ex aduerſo clamat aut fraudata merces, aut violenta prædatio, aut innocentium iniuria, aut afflicta pauperum conditio. Gregorius in gregum, armentorúmque vocibus, famam intelligit, quæ hominem, qui ſe iuſtum appellat, ſceleris conuincit, & damnat. *Vox*, inquit, *gregum, & armentorum Amalec fama turpitudinum eſt. Quando de minoribus luxuriæ culpis quilibet diffamatur, vox gregum reſonare dicitur. Quando item de criminoſioribus, & obſcœnioribus accuſatur, vox armentorum. Quaſi ſub falſæ virtutis ſuæ ſimulatione reconditum denudat pectus, dicens: Tu te proprio ore iuſtificas, ſed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant.*

Peccatorum vocem honeſtiam, facta impietatis arguunt.

28. Verſ. 15. *Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea; pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo.*] Hîc multa peccat Saul, dum depellere à ſe ſtudet, aut eleuare crimen. Primùm, culpam remouet in populum, quaſi ſe inuito, aut ignorante, optimis quibuſque pepercerit; cùm tamen toto illo tractu, qui medius eſt inter Amalec, & Galgala, greges illi armentorum, & ouium traiecti ſint; quod tamen ſine longa mora, & magno impedimento fieri non potuit: quare niſi populi ſtudia ipſe probaret, aut aliquid ad ſe pertineret ex prędа, non ſanè pateretur agmen tardiùs incedere, aut ad gregum cuſtodiam partem exercitus non exiguam diuelli. Deinde aliquam obtendit excuſationis vmbram, dum ait illam prædam opimam, & pinguem pietatis eſſe, non auaritiæ; neque ad domeſticum commodum eſſe ſeruatam, ſed ad altaris religioſum vſum. Sed hanc vocem, quæ aliquam habet pietatis, atque honeſtatis ſpeciem, apertè confutat, quod dictum antè fuerat v. 9. vbi peperciſſe dicitur populus conniuente; imò, vt videtur non improbabile, iubente Rege, Agag Regi Amalec, & veſti pretioſæ, & vniuerſis, quæ in ſuo genere, atque ordine pulchra videbantur; cùm tamen horum pleráque altari minùs eſſent idonea. Sunt autem hîc maximè notanda verba Gregorij, qui hîc reproborum ingenium agnoſcit, & reprobationis captat non obſcura prognoſtica. *Quando reprobi*, inquit, *arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cùm latere poſſunt, ſed dum quaſi in aperto deprehenſi tenentur, quod negare nequeunt, aliis aſcribunt.* Dixit hoc idem optimè Rupertus, qui cùm alia peccata

Culpæ excuſatio peccatoris propria, & inutilis.

Excuſatio culpæ reproborum ſignum.

A Saulis retuliſſet, vt quod impoſitum abieciſſet imperium, ſuóque iudicio magis indulgendum putauerit, quàm diuino, tandem ſubdit: *Præterea, quod nequiſſimum eſt, redargutus in ſermone Domini dicentis: Nonne cùm paruulus eſſes, &c. refellere auſus arguentem ſe de peccato Spiritum Domini, cùm ſuperba deſpectione dicit: Imo audiui vocem Domini, &c. Hoc enim nequiſſimum eſt, cùm poſt voluntatem peccati, quod primum eſt, & poſt affectum operis, quod ſecundum eſt, atque poſt vſum peruerſum, quod tertium eſt, additur & defenſio peccati, quod quartum eſt, & hîc nullus veniæ locus eſt. Nam & per Prophetam Deus dicit: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quartum non conuertam eum. Igitur tantis* B *exacerbatus contumelioſis iniuriis ſpiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino.*

Sanè quandiu patet reprehenſioni locus, & aures dantur reprehendentis culeis, ſpes eſt vitæ, ſicut ægrotanti ad mortis vſque periculum, ſi modò non reſpuat, quod eſt in medicina durum, & amarum. Vt enim de illius vita actum exiſtimatur, qui efferatus in rabiem horret medicinam, & captus freneſi fortunatum ſe putat, & ſanum; atque ideò furit, & ſtomachatur in medicum: ſic etiam de illius ſpirituali ſalute deſperatur, qui cùm morbo laboret ſpirituali, correctionis ſalutare remedium non admittit. Ita C Chryſoſtomus homil. de ferendis reprehenſionibus, tom. 3. De illo, qui duriùs reprehenſionem accipit, & in medicum; id eſt, reprehenſorem indignatur, eſt illud Eccleſiaſtici 21. *Qui odit correctionem, veſtigium eſt peccatoris.* Quod planè horribile aliquid, & execrandum ſonat. Peccator enim idem interdum eſt, quod diabolus, qui antonomaſticè peccator dicitur, quia peccatorum maximus eſt. Sic aliqui explicant illud Pſal. 108. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius.* Vox *diabolus*, quæ præceſſit, quo ſenſu *peccator* ſumi debeat, oſtendit. Qui ergo correctionem odit, ille impreſſa oſtendit animo ſuo diaboli veſtigia. Seu quia diabolo notum eſt, & D familiare domicilium, atque ideò ibi apparent illius non obſcuræ notæ; ſicut iuxta leonum cubilia, leonum apparent impreſſi pedes; & iuxta aſpidum, ſerpentúmque foramina, reptantis corporis ſulci viſuntur. Aut quia conſtat, cùm animus eſt ad correctionem durus, & indocilis, aliquod ibi eſſe diabolicæ fraudis machinamentum, & opus. Quomodò dicimus, cùm cinerem intuemur, graſſatum eſſe ignem; cùm ſtratas ſegetes, grandinem, aut nimbum peruaſiſſe; cùm diſiectos muros, ſubuerſas domos, ſaxorum aceruos, hoſtiles præceſſiſſe machinas, & impreſſiones coniectamus. Hæc enim omnia ignis, grandinis, & hoſtilis impetus veſtigia ſunt. Aut certè propè iam eſſe diabolum, qui domum ambit, E neque procul eſſe, vt illam tanquam poſſeſſor, & dominus ingrediatur, quando proximè illius ſeſe oſtentant veſtigia. Et quidem cùm diabolus ſit vſque adeò ſuperbus, vt neque in ſua miſeria, & in deſpectu, atque odio Angelorum, & hominum, antiquos ſpiritus inſanos, & inſolentes abiecerit; & ſic in peccatis obſtinatò hæreat, vt neque illum pœnitentia ſubeat, neque aliquid à ſe malè factum eſſe cognoſcat; planè diaboli in ſe veſtigia; id eſt, ſigna, atque argumenta circumfert, qui neque peccatum agnoſcit ſuum, neque reprehenſionis admittit aculeos; ſed obſtinatò aut amat, aut probat, quod ex ipſius animo prudens, & amica ſedulitas expungere conatur.

30. *Deſperatur ſalus eius, qui correctionem non admittit.*

Peccator nomen diaboli.

31. *Qui correctionem odit Diaboli in ſe veſtigia portat.*

Hoc ipsum in Saule citato proximè loco obseruauit Rupertus. Cùm enim alia in Saule pertulisset Deus; vbi tamen eò progressus est, vt peccatum excusaret, & contra impactam sibi reprehensionem obdurescceret, recessit ab illo spiritus Domini bonus, & spiritus eum nequam exagitauit. *Igitur tantis exacerbatus contumelijs iniurijs spiritus Domini, recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.*

32. *Vt immolarentur Domino Deo tuo.*] Hîc Gregorius vocem agnoscit pœnitẽtis animi, suáque consilia vehementer damnantis, in qua tamen aliquod videt peccatoris artificiũ, qui dum videtur se ipsum accusare, ac suas extenuare virtutes, callidè tunc se, ac sua artificiosè commendat. *Domino*, inquit, *Deo tuo. Non meo, sed tuo; quia ego peccator, tu singulariter sanctus es. Sed mirabili vsu fraudis fallaces sic se tegunt, vt proferant, & iustificent, vt accusent. Accusationis quoque modũ sic temperant, vt accusando iusti appareant, ne excusando innotescant. Dum enim suum Deum dicit* (nempe Samueli) *illum quidem extollit, se minuit; sed dum adducta ab Amalec asserit, quæ Domino immolentur, tacitè profert, nõ vnde reprehendi debeat, sed laudari.* Hæc Gregorius. Ego aliud hîc agnosco humanæ solertiæ callidum artificium. Tunc peccatum alicui nullum existimatur, aut leue, cùm in illius vsum, aut obsequium factum est, quem amat, aut colit. Filius neque horret, neque cogitat vllum esse peccatum, quod alius admisit, vt parentem eximeret à vinculis, aut vindicaret à morte, etiãsi in ipso libertatis modo fraus intercessisset, aut iniuria. Et si quispiam contra fidem, & pactum, aliquid esset aggressus, quo Regem captum in libertatem assereret, ille apud eos, qui Regis causa laborarent, nihil videretur admisisse graue, aut supplicio dignum, quia patris, Regisve libertas, & ex ea orta in filiis, populóque lætitia, si quid est in illo conatu indignum, & turpe, aut tollit, aut eleuat. Erat Samuel, cuius animum cõciliare sibi studebat Saul, quem alienum à se, & propter violatũ Domini præceptũ offensum videbat, seruus Dei fidelis, quem amabat vt patrem, & vt Regem, & Deum suum, & colebat ex animo, & religiosa prosequebatur obseruantia. Quare audiebat hilaris, & gratus, si quidpiam ab aliquo in eius honorẽ esset religiosè susceptum. Cúmque id non posset ignotũ esse Sauli, Samuelis Deo seruata esse dicit ex Amalecitarũ exuuiis non vilia, aut quæ Deus ab altari reiiceret; sed pulcherrima, quæ Deus & gratis acciperet oculis, & lubens admitteret ad animum. Atque ideò dicit: *Vt immolarentur Deo tuo*, quem tu colis, & amas, atque ideò non potes non probare, quod in eius obsequium è tota præda electa, atque seruata fuerint.

Peccator culpã suam, aut remouet, aut extenuat.

33. *Reliqua verò occidimus.*] Ea videlicet, quæ nulli erant vsui populo futura, & quia plus in via allatura fuissent molestiæ, quàm commoditatis, vbi ventum esset in patriam. Tunc autem satisfactum esse putabat diuino mandato. Quo quid alienum magis?

34. Vers. 16. *Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus.*] Quidam ex obseruantia hanc Samuelis vocem natam esse putant; quasi veniã à Rege, & facultatem loquendi petat. Quod meritò improbat Abulensis, & potiùs videtur existimare, vocem eius esse, qui cum fastdio audit verba, quæ manifestè nouit esse falsa; & os studet obstruere illius, cuius in dicendo futilitatem, & falsitatem damnat. Quasi dicat, sine me dicere; id est, tace, & ista verba nugatoria mitte; & audi, quàm ipse Deus, de cuius sacrificiis tam tibi temerè blandiris, de te, ac tua religione diuersè iudicet. Et quò magis sibi Regem reddat attentum, illa omnia accepisse se dicit ab ipso Deo. Cúmque Rex non posset contra diuinæ vocis maiestatem quicquam moliri, respondet, per se non stare, quò minùs Propheta, quæ à Domino accepit, liberè loquatur. Loqueretur autẽ sine dubio Samuel, etiamsi contra aliquid moliretur Rex, & minas intenderet, si molestus esse pergeret; cùm diuinum vrgeret præceptum, & plus apud ipsum diuina, quàm Regia maiestas ponderis haberet.

Vers. 17. *Nonne cùm paruulus esses.*] Crescit peccati grauitas, quò maiora sunt beneficiorum momenta. Illa verò eò plùs habent ponderis, quò neque petita, neque expectata veniunt. Longè erat, vt se regno dignum existimaret, qui neque in sua familia, ac Tribu aliquid nomine regio dignum agnoscebat: quique vt illum honorem, seu veriùs onus, declinaret, latebras quæsierat, & oculis se tam auidè quærentium studiosè subduxerat. Hunc tamen vocauit ad regnum, & populo copioso, & latè dominãti præposuit. Cúmque illi hoc primum in mandatis daret, vt deleret funditùs nomen Amalec; ipse tamen aliis rationibus abductus aliò se, & sua consilia insipienter auertit. Hæc aperta sunt. Illud obseruandum, quòd Deus misisse dicitur Saulem in viam; id est, viam ostendisse, per quam Rex incederet, si modò vellet aut dato sibi muneri, aut imposito proximè mandato satisfacere; ille tamen aliam viam ingressus est, conuersus ad prædam, & propria commoda, quæ, si in officio esse vellet, contemnere debuit, & ad internecionem vsque delere. Hîc Religiosus optimum habet documentum, reprehensionémque non leuiorem, quam habuit Saul, si fortè iter ingrediatur aliud, quàm aperuit Dominus, cùm illum primùm ad religiosum institutum vocauit. Tunc mandatum accipit, & sanè seuerum, vt perdat funditùs Amalec, neque ex eo quicquã sibi retineat, quod iam est anathemati subiectum; quia illa sic sunt in Religiosi potestate odiosa Deo, vt sibi nolit ex illis offerri sacrificia. Lex autem Religiosis imposita, & ostensa, vera religionis via est, Matth. cap. 19. v. 29. vbi tam parentes, & omnes cognatione coniuncti, quàm agri; id est, quidquid in bonis numerat humana cupiditas, dicuntur esse relinquenda. At qui ad illa conuertitur, quibus Deus bellum indixit implacabile, & prædæ sibi esse vult, quæ potiùs esse debuerunt fastidio, atque odio, ille reseruat sibi aliquid ex Amalecitarum bonis, quæ Dominus diro percussit anathemate; & in illam incurrit reprehensionem, quam in Saulem Samuel intorsit.

35.

Religiosus nihil sibi à sæculo seruare debet.

Vers. 20. *Immò audiui vocem Domini, &c.*] Lõgè aberat, vt se peccati reum agnosceret Saul, quando tam liberè Prophetæ contradicit, dum negat sibi quicquam è diuino præcepto fuisse prætermissum. Repetit autem ea fermè omnia, quæ suprà v. 15. quæ rursùs à nobis iterari necessarium non est.

36.

Vers. 22. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini?*] Illustris est ista, & sæpè à Patribus iterata sententia. Quæ holocaustis, & cuiuis alij materiato sacrificio, obsequentem animum, & obedientiæ internam oblationem anteponit. Lege Gregorium, qui in hoc Samuelis de obedientia illustri testimonio mirificus est: & quomodò ab obediẽtia potior sit, quàm ab holocaustis, & victimis aliis oblatio variis modis exponit, & amplificat.

37.

Obedientia melior, quã victima.

Pauca

Pauca hîc adducã, tu ex illo ſume reliqua. *Per alias*, inquit, *virtutes noſtra ei impendimus; per obedientiam noſmetipſos exhibemus.* Et infrà. *Quid enim ſunt bona electorum hominum opera, niſi victimæ, & holocauſta? Cùm ergo holocauſta, & victimas per legem offerri Dominus præcepiſſet, quid eſt quod Dominus holocauſta, & victimas nolle dicitur; velle autem, vt ei obediatur, pollicetur; niſi quia, quæ præter obedientiam fiunt, holocauſta, & victimæ non ſunt? Quaſi dicat, tunc bona ſunt bona opera, quando à præpoſitorum conſcientia non diſcordant.* Hæc eadem Gregorius perquàm optimè l. 33. Moral. cap. 10. ad illud Iob c. 42. *Et inaurem auream vnam. Obedientia*, inquit, *victimis iure præponitur; quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quiſque Deum citiùs placat, quantò ante eius oculos, repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat.*

38. *Quæ victimæ religioſi grata.* Porrò hæc voluntas, quę per obedientiam mactatur, non alio occiditur, quàm ſuperioris gladio; non alio crematur igne, quàm quem ſuperior accendit, & ſupponit; aut in alio immolatur altari, quàm in eo, quod ſuperior excitat. Alius quippe ignis neque ſacer eſt, neque legitimus; ſed illi quamſimillimus, quem duo Aaronis filij adhibuerunt ad altare, quo non tam ſibi diuinam demeruerunt miſericordiam, & gratiam, quàm in ſuum caput diuinum furorem inſtimularunt; & eodem, quem accenderant, igne, quemque gratum fore ſibi perſuaſerant, combuſti ſunt, Leuit. cap. 10. v. 1. Dixit, licèt ſubobſcurè, Baſilius in Conſtit. Monaſt. c. 23. *Nihil eſt aliud Antiſtes, qui modò diligenter munus exequatur, cui præpoſitus eſt, pietatem videlicet; quàm is, qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum, & homines, eorum, qui in ipſius officio ſunt, ſalutem ſacrificans.*

39. *Melior eſt obedientia quàm victima, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.*] Cur victimis præferatur obedientia, ſatis, opinor, nuper oſtendimus; nunc Deus quod antè docuerat, aliis etiã comparationibus amplificat. Confert enim non iam cum victimis, quæ variæ ſunt, & in quibus multa lex damnat, multa reiicit, multa in hominum vſus conuertuntur; ſed cum adipe, quem pinguem eſſe docet, & legitimam hoſtiam, quemque Dominus ſibi vni immolari, & cõſecrari vult; vt oſtendimus ad illud cap. 2. v. 15. *Antequàm adolerent adipem.* Si *adipem* in propria ſignificatione ſumas, ſenſus eſt, non tam eſſe gratum adipem, quem ex tota victima vni ſibi vendicat Deus, quã obedientiæ ſacrificium. Et hoc mihi præ cæteris placet. Quod ſi *adipem* ſumas pro victimis adipatis, & pinguibus; quod ſermo tam Hebraicus, quàm Latinus non reſpuit; ſed per ſynecdochem ſæpe, neque id ineleganter vſurpat (quomodò *caro*, & *ſanguis* pro his ſumuntur, quæ carne conſtant, & ſanguine) ſic etiam adeps pro eo ſumi poteſt, quod craſſum eſt, & adipis in ſe plurimum continet.

40. Gregorius deuotionem, & orationem, & alia, quæ animam impinguant, & recreant, in *adipe* cõſiderat; quibus præponit obedientiam, quæ deſerenda nunquam eſt, etiamſi interna animi deuotio, & orationis otium deſerenda ſint. Quod tamen contingit nunquam, aut non niſi perrarò, ſi vera eſt, & ingenua obedientia, quæ nunquam oculos & mentem dimouet ab eo, à quo ſuſcepit imperium. Neque alia, quæ vulgus hominum plurimi facit, licèt durum videantur, atque cruentum ſacrificium, cum obedientiæ fructu conferẽda ſunt. Victimam Gregorius ad vitæ auſteritatẽ, holocauſtum ad compunctionem vitæ ſecretiõris refert; adipem verò ad orationem, & deuotionem. *Quia*, inquit, *longè altioris meriti eſt, propriam voluntatem alicui ſemper voluntati ſubiicere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem ſe in ſecretiori ſacrificio mactare. Quid eſt enim adeps arietum, niſi pinguis, & interna deuotio electorum? adipem ergo arietum offert, qui in ſtudio ſecretæ conuerſationis deuotæ orationis affectum habet. Melior eſt tamen obedientia, quàm victimæ, & quam offerre adipem arietum: quia qui perfectè voluntatem præceptoris ſui implere didicit, in cœleſti regno & abſtinentibus, & flentibus excellit.*

Optimè hæc Gregorius; ſed tu vide, an expoſitio alia moralis locũ habere poſſit; quæ adipem ab illo offerri meditatur, qui ſe laboribus conficit, ieiuniis macerat, & ſeuerioris diſciplinæ aſſiduis vexationibus attenuat; ille adipem offert, non quidem quem habet, ſed quem habere potuit, ſi ſuo indulgeret genio, ſeruiret abdomini, & illis indulgeret epulis, quæ pinguem reddunt aqualiculum, & augent omentum. Sicut Petrus ait Matth. cap. 19. reliquiſſe ſe omnia, non quidem quæ tunc habuit, ſed quæ habere potuit, dũ ſibi rem augendi domeſticam facultatem præcidit. Si quis igitur eo modo adipem offerat; id eſt, illud ſectetur vitæ genus, quod adipem non alit, abſit tamen obedientiæ virtus, ſanè ille Deo rem offert non omninò gratam, quia ipſe eligit donum, quod offerat; illud tamen negligit, quod ſibi præter cætera Deus offerri iubet. Adipem offerebant illi, de quibus Iſaias cap. 58. *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Quibus Deus reſpondit, ſibi non placuiſſe ieiunia; id eſt, ingratum eſſe adipem, quem ſibi ieiunando, & affligendo animas detraxerant. *Quia in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.*

Verſ. 23. *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare.*] Mira inobedientiæ amplificatio, quæ ſatis indicat illius naturam, & quàm ſit inuiſa, atque execrabilis Deo. Eſt autem ariolatio, & idololatria, de qua ſtatim, res, quam Deus & prohibet ſeuerè, & punit acerbè. Quare inobedientiam cum re longè turpiſſima, & execrabili vehementer componit. Aut quia in hac non eſt, quàm in illa, minor offenſio; quod non puto, quia hîc aliquid hyperbolicum, vt in aliis ſæpe locis intueor; aut certè quia inter ariolum, idololatram, & inobedientem non leuis eſt ſimilitudo. Hebraicè ⁓ *Keſem* ad omne genus diuinationis patet, ſicut etiam Latinè *ariolatio*. Sed cùm multæ ſint diuinandi, ſeu arioliandi formæ, de quibus nos in noſtris Commentariis ad c. 1. Danielis, certæ tamen alicui *arioli* nomen attributum eſt. Eſt autem *ariolus*, vt tradit Iſidorus l. 8. etymol. c. 9. qui falſos conſulit deos, ſicut etiam augur, & haruſpex; ſed ſpeciali quodam modo, vide nomen traxit: *Arioli*, inquit, *vocati propterea, quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, iiſque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiunt.* Cuius ſententiam poſteà plurimi ſecuti ſunt: ſimilitudo autem inde petitur, vt ait hoc loco Gregorius: *Quia qui repugnant prælatorum imperiis, ideò vtique repugnant, quia diuinam voluntatem ſe ſcire melius æſtimant. Quaſi ergo peccatum ariolandi eſt repugnare; quia velut, contempto diuino altari, ad aras dæmonum reſponſa percipiunt, dum cordis ſui præſtigioſis, ac ſuperbis adinuentionibus credunt, & ſalubribus prælatorum conſiliis contraria ſentiendo refragantur.* Vide quid præterea in hanc ſententiam

42. *Inobedientiæ turpitudo, & grauitas.*

dicat Gregorius lib.35.Moral.cap.10. Vide item Bernardum ſerm.3. de Reſurrectione,& l.de ord. vitæ.

43. Quia hic locus illuſtriſſimus eſt, & pro religioſa obſeruantia planè grauiſſimus,libuit in eius explicatione immorari pluſculum. *Ariolari*,vt diximus ex Iſidoro, ex eo dicitur, quòd homines ſuperſtitioſi, atque impij aras adeunt dæmoni cõſecratas,vt inde ſumant oracula, quæ in rerum ſuarum adminiſtratione, & morum œconomia, quaſi viæ duces, & magiſtros ſequantur. Quod in omni hominum ordine turpiſſimum eſt, cùm Dei oracula iamdudum habeant, quibus ſuæ vitæ rationem inſtituant; & Deum habeant vbique ſibi familiarem,à quo poſſint precando lucem accipere, quam ipſe verè humilibus, & diuinæ voluntatis explendæ ſtudioſis negare non ſolet.Sed hoc in Religioſis planè eſt intolerabile, qui domi habent diuinæ voluntatis interpretem, quem ſui loco Deus vicarium ſuffecit, & ſicut ſe ipſum audiri voluit; niſi quando, quod perrarò contingit, prælati reſponſio diuinæ ſit reſponſioni; id eſt, legi,ac voluntati contraria. Vide Bernardum lib. de diſpenſat. & præcepto. Vox prælati vox eſt Dei, atque ideo Deus prælati vocem, quam ſuam eſſe docuit, interdum aſſumit. Baſilius in Conſtitut. Monaſt.cap.23. Antiſtitem Dei perſonam ſuſtinere hoc modo confirmat: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Quod Apoſtolis dixit, intelligendum eſt in communi ſanxiſſe legem in poſteros, qui aliorum futuri erant moderatores.*

Vox ſuperioris vox Dei.

44. Quia ergo Deus regendo, atque inſtituendo Samueli Heli Sacerdotem præpoſuit,illius aſſumpſit vocem; & cùm ſemel,&tertiò Samuelem vocaſſet, ad Heli quamprimùm aduolauit;quia Heli Sacerdotis vocem audiebat.Conſulebant Gentes idola, minùs tamen Deus in illarum errorem, & ſtultitiam indignabatur; quia neque Tabernaculum habebant, aut Oraculum, quod in rebus duris, aut ambiguis adirent, ſicut Iſraelitæ, quibus hoc planè cæleſte perfugium benignus indulſit.Quare cùm Ochozias lib.4.Reg.c.1.grauiter è caſu foret afflictus, nuncios miſit, qui de morbi ſucceſſu conſulerent Beelzebub Deum Accaron: ad quem Deus cum his mandatis miſit Eliam: *Quia miſiſti nuncios ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, a quo poſſes interrogare ſermonem; ideò de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.*

45. Ex hac metaphora facilè Religioſus intelliget, prudentiam ſuam, quam conſulere vult, vbi ſuperioris; id eſt, Dei voluntas ſeſe prodit, idolorum obtinere pondus,& nomen; neque aliter eſſe exiſtimandum religioſum,qui à ſuperioris mãdato,ac voluntate, ad ſuam prudentiam transfugit conſultandi gratia, quàm qui à diuino oraculo, ad impias idolorum aras conſilij capiendi gratia ſe conuertit; quod ariolorum proprium eſſe diximus. Vnde Gregorius in eo putat laborare fidem, qui diuina voluntate propoſita, rationes quærit alias, & aliena conſulta. Sic autem ille l.35. Moral.cap.10. *Si enim quaſi ariolandi peccatum eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere, ſola eſt,* (obedientia) *qua fidei meritum poſſidet, ſine qua quiſque infidelis eſſe conuincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur.*

Prudentia, & iudicium propriũ religioſi idolum eſt.

Inobediens infidelis eſt.

46. Nunc videndum, quo modo Saul iuxta prædicta iudicari poſſit ariolus; id eſt, ſi relicta Dei ara, à qua verum accepiſſet reſponſum, ab impiis idolorum aris ſciſcitetur oracula. Iam ſæpè Deus quid de Amalecitarum rebus ſtatuiſſet, oſtenderat;& quemadmodum illorum vellet extingui memoriam, ita vt ex eo genere nihil eſſet reliquum. Primùm, Exod.17.v.14.& Deuter. 25. v.19. deinde hoc loco verbis adeò diſertis, vt quid à ſe factum Dominus vellet, dubitare non poſſet.Sed ille quaſi contemneret,aut non probaret diuina conſulta; quia aut iniqua eſſent, aut Iſraeliticis commodis importuna,ad alias aras ſeſe conuertit, alia petit oracula, à ſua, ſuorumque prudentia, quaſi in illa quicquam eſſet lucis, offenſo,& repugnante Deo. Iubet Deus, vt pereat Amalec;ſed contrà humana prudentia iudicat durum eſſe, & prorsùs inhumanum,antiquum illud genus extingui;perire Regem luculentum,& nobilem, & quem digna imperio ſpecies commendaret. Neque prudentis eſſe conſilij pretioſas veſtes, quæ ornamento eſſe poſſent Iſraelitidi genti, aboleri flammis; neque præterea fas eſſe illis carere exuuiis milites, quorum ſtudia, atque labores non alio modo compenſari poterant. Deinde non ſatis videri religioſum, ac pium,vt oues pingues,& armenta craſſa,atque nitentia conciſa ferro,aut humi putreſcerent, aut canes alerent,& coruos, & non potiùs ſacras aras ſuo imbuerent ſanguine,& holocauſta ex illo grege ſumerentur, & victimæ, quæ & Deum colerent igne ſacro cõbuſta,aut Tabernaculi miniſtros alerent. Sic meditabantur humana iudicia contra diuinum; ac tandem ex hac ratiocinatione, quæ vocari poteſt *idolorum reſponſio*, concludunt iſti impudentes arioli, contrà quàm eſſet à Domino conſtitutum,parcendum eſſe Regi, pretioſis ornamentis, & veſtibus,& ex gregibus optima quęque ſeruanda;& ſatis videri præcepto ſatisfactum eſſe diuino, ſi quicquid eſſet reprobum, ac vile, ferro, ac flamma perderent.

Saul quomodò cenſeri poſſit Ariolus.

Et quaſi ſcelus idololatriæ,nolle acquieſcere.]Eadem penè eſt, & quia valdè notabilis, rursùs iterata ſententia.In ea tamen,licèt pertenue, aliquod video diſcrimen. Ariolus oracula conſulit, neque aliud agit,quàm vt in dubiis lucem,& futurarum rerum multò anteà certos, ac ratos à diuino reſponſo (ſic enim illi fallaces dæmonis voces, aut ſigna vocant) exitus inueniat. At idololatra ad hanc impietatem aliquid addit, idque non leue: adorat enim idola, quaſi in illis aliquid putet eſſe diuinum;& honores impendit, qui vni debentur Deo.Conſulit quidem ariolus exta,& animalium viſcera rimatur,auium cantus obſeruat,Pythones conſulit,& à diabolico vexatos ſpiritu;non tamen hæc,qui conſulit, adorat. At idololatra ſupplex accedit ad dæmonum ſimulucra,thura libat,odores incendit,victimas immolat,& ſe denique gratum, & obſequentem præbet. Id verò ſuo modo fæcit,qui iudicium ſuum diuino, aut ſuperiorum iudicio præferendum putat; ſuis etenim conſiliis obſequitur, aliena reſpuit. Hanc Gregorius ad hunc locum ſtatuit inter Ariolum,& idololatram differentiam: *Arioli*,inquit, *diuina cognoſcere, atque abſconſa diuinare nituntur; idololatræ autem figmentis ſe venerando ſubdunt.* Deinde cur idololatra dici debeat,qui ſuo ſe iudicio ſubmittit, edocet: *Nolle*, inquit, *acquieſcere idololatriæ ſceleri ſimile dicitur, quia nimirum inobedientiæ ſuæ obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum in corde, quaſi idolum, non geſtaret. Et dum conceptum mentis propoſitum ſe acturum deliberat, quaſi ad adorandum ſimulacrum ſe inclinat.* Vide reliqua. 47.

Vbi Vulgatus; *Quaſi ſcelus idololatriæ,nolle acquieſcere.*Hebraicè eſt ואון ותרפים הפצר; *ve auen vteraphim* 48.

phim hapesar: id est, vt exponit Pagninus: *& idolum, & theraphim transgredi.* Figurina: *Offirmare animum peccatum est idololatriæ.* Septuaginta: *Iniustitia, & teraphim labores, & dolores* inducit. Chaldæus: *Sicut peccata hominis, qui errat post idola, sic est peccatum hominis, qui addit ad verba prophetarum.* Et Rabbinus, quem doctorem, & ducem habuit Caietanus: *Iniquitas, & teraphim cogere.* Tot adduxi versiones, quia illarum quælibet aliquid habet ad rem moralem opportunum, & graue. Mitto explicationes alias; illam tantùm expendo, quam Septuaginta, & Caietanus adducunt. Illi *dolores, & labores* reddunt; iste *cogere*: Vtrumque valet פצר *pasar.* Quod sanè ostendit, quàm sint ingrata simulata obsequia, quæ externam tantùm obiiciunt pietatis speciem; cùm tamen absit ab illis quàm longissimè pietas, & quæ appellari religio posset; quæ si vera est, animum quoque cum muneribus donat, à quo habent sacrificia, & munera, vt grata sint. Talia fuerunt hæc, quæ à Rege victore producta sunt, quæ cùm ad altare cultro subiiceret, voluntatem tamen sibi retinuit, cùm plura sibi seruauit ex præda: neque iudicium suum diuino subiecit, quando suo potiùs abductus est arbitratu, quàm regendum se diuino permisit. Hæc sacrificia dolori sunt Deo, & labori potiùs, quàm voluptati. Quod Deus ipse satis ostendit apertè, cùm dixit, Isaiæ c.1.v.11. *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Et statim v. 14. *Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Hæc non inuitant, aut alliciunt Dominum, sed cogunt, & vexant: quemadmodùm si quis delicatum stomachum compellat poculum haurire ex absynthio, & felle, aut cibum sumere, ad quem magno fastidio nauseat. Hæc omninò faciunt sacrificia isthæc simulata, à quibus abest animus, & tantùm apparet externa sanctitatis species, quæ internam celet malitiam, & turpi quodam lenocinio fucum obducat sanctitatis. Vbi Isai.c.64. *Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Chaldæus: *Sicut frusta panni, quæ ponuntur super plagam.* Quæ Bernardus appellat *velamẽ malitiæ.* Qui ergo Domino offerret splennium, aut pannum, quibus sanioſa teguntur vlcera; putri infecta, & fœtulento humore, ex virulenta plaga; ille sanè vim faceret inuito, & fastidienti stomacho; non alliceret, aut permulceret auidum, & appetentem.

49. *Pro eo ergo, quod abiecisti sermones Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.*] Hìc iam apertè denunciat Propheta inobedientiæ accommodatam, & quasi legitimam pœnam: neque enim imperare aut debet, aut potest prudenter, & vtiliter, qui parere nescit, aut recusat. Neque imperio dignus est, qui voluntatem suam, atque iudicium non subiicit diuino. Quocirca reprobationis eam causam dicit esse Samuel; quia Dei præceptum reprobauit Saul, dum antepositit suum; neque solùm Amalecitarum opes, & personas anathemati, cædique deuotas non deleuit; sed etiam armenta, & pecudes, quę Deus fuerat execratus, ad altare produxit. Quasi sceleratorum bona, maximè cùm affectus abesset obsequentis animi, gratum esse possit, & acceptum obsequium.

50. *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediẽs voci eorum.*] Vix tandem vocem illam pœnitentiæ indicem expressit Propheta ex ore Saulis; tunc videlicet, quando neque factum negare potuit, aut præcepti ignorationem obtendere. Neque tamen illud, *peccaui*, vox est animi verè pœnitentis; sed eius, qui pœnitentiæ simulatione, atque vmbra aliquod à se malum remouere studet. Cuius argumentum est, quia a se culpam in populum deriuat, cuius obniti studio, atque petitioni non potuit, & conseruare cupit suam apud populum æstimationem; idque vt per Samuelem obtineat, supplici voto, atque obsecratione contendit. Sanè quem verè pœnitet, neque de honore retinẽdo satagit, quem peccando videtur iure prodidisse; neque vmbram quærit, quam obtendat culpæ quam execratur; & odit. Ita putat Lyra, Caietanus, Angelomus, & communiter alij cum Gregorio. Qui prudenter notat, non priùs Saulem dixisse, *peccaui*, quàm audiuit regnum aliò esse trãslatum. Quare non tam de peccato doluit, quàm quod ideò mulctandus esset regni iactura. *Saul obedire Deo refugiens, perdere regnum timens, quid aliud nobis, quàm superborũ mores insinuat? Qui cùm præualent, videri parui, aut peccatores vitant: cùm coguntur, humilitatis virtutem simulant. Sed cùm compulsi confitentur, peccatum, quod accusant, loquendo minuunt.* An verò populi metu optimum quodque ex Amalecitarum præda reseruarit, ipse viderit Saul; certè non adeo timuisse populum visus est, cùm in ipso statim regni principio occisis bobus edixit toti populo, vt armatus aduolaret ad Regis imperium, nisi mallet boum suorum talem spectare cædem, qualem ipse in suis edidisset. Et cùm edicto cauit imperatorio, ne quis nisi deletis hostibus panem comederet. Sanè quod Regi Agag pepercerit, nullam habet honestam excusationẽ. Neque enim laborabat populus pro Regis salute, ex qua ad illum nulla sperabatur commoditas. Quare hìc multa apparent, quæ Regis pœnitentiam falsam esse, vacuámque conuincunt. Vide Abulensem q.28.29.30.

Peccator cũ peccatum negare non potest, illud excusat.

Vers.25. *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum; & reuertere mecum, vt adorem Dominum.*] Si *porto* in propria significatione sumas, petit Saul id, quod sæpè accidit illis, qui aliorum peccata aut excusant obiecta honestatis specie; eósque dicunt imperio, sacerdotio, aut aliquo magistratu, ac præfectura dignos. Ex quo graue sequitur reipublicæ, atque communi detrimentum. Illi ergo, quibus publica committitur cura, dum vitia, quæ indignos alios magistratu reddunt, occultant, illorum portant peccata; quia eorum summo rerum gubernatori, ac Domino rationem reddent, & pœnas exoluent. Peccata etiam portant Sacerdotes, qui alienis conniuent peccatis, quæ seuera correctione exurere debuissent. Quod plerumque contingit in Principibus, quorum animos exulcerare, aut contristare timidi confessarij non audẽt, à quibus magna Sacerdotibus impendent incommoda; de quibus hìc Gregorius: *Ecce fortis Propheta refugit suscipere onus regalis peccati, vt Sacerdos Ecclesiæ timeat, & peccatorum importabilium pondera subire pertimescat.* Sanè horrendum est Regum, ac Principum peccata portare: quare videant, quid faciant, qui illis à Confessionibus esse aut student aut coguntur. 51.

Sed communiter alij eo dicendi genere significari putant, optare Regem, vt illa sibi culpa remitteretur à Deo; quod per Samuelem, quem Sacerdotem nouerat, & Prophetam, quemque gratum esse Deo non obscurè didicerat, impetrare studebat. *Portare* enim idem est aliquando, quod *tollere*; id est, auferre. Sic multi accipiunt illud Matth.8.v.17. *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes portauit.* Aut petit, vt ipse ignoscat Samuel; & decretum illud à Domino supplicium 52.

ſuſpendat,neque euulget ad populum, ne quid de ipſo durius cogitet, & quaſi reprobatum, & indignum abiiciat. Et hoc fortaſſe eſt, quod ſtatim additur: *Sed nunc honora me coram populo*; Quaſi dicat; *ne inhonores me.* Hoc planè ſentit Gregorius: *Corrigibilia*,inquit,*peccata portantur,quia poſtquàm à delinquentis voluntate diſcedunt, purgari ſatisfactione ſalubriter poſſunt. Non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impœnitudinem inuiſcerata ſunt. Vnde & Ioannes ait: Eſt peccatum ad mortem, ne pro illo oret quis. Peccatum quidem ad mortem eſt, quod ab eo committitur,qui reſipiſcere nunquam poteſt.* Quod *nimirùm peccatum à præpoſitis non portatur,quia Sacerdotum orationibus,aut oblationibus non deletur.*

Sanctorum interceſſio quanto nobis vtilis.

53. *Reuertere mecum,vt adorem Dominum.*] Progreſſus, vt apparet,obuiam fuerat Samueli Saul, vt illum venientem lætus,lubenſque exciperet.Quare omiſit ſacrificium,quod ex Amalecitarum præda tunc immolabat, & aliquantulum aberat ab altari, cui operam dabat ſacrificalem. Neque eſt improbabile, denunciata Sauli reprobatione, regnique iactura,aut diſceſſiſſe Samuelem,aut præbuiſſe diſcedentis ſpeciem. Quod probat pallium diſciſſum à Saule,dum illum abeuntem, aut abire parantem retinere voluit. Dum ergo petit Saul, vt ſecum Samuel ad adorandum Deum reuertatur,id agit, vt ſecum redeat ad inſtaurādum, aut continuandum victimarum officium.Quò ſua præſentia oſtenderet Propheta, gratum eſſe Deo munus illud ex ſpoliis Amalec, & in eo, in quo ſecretò accuſatus erat, nullum interceſſiſſe peccatum; Quo bonum apud populum obtineret nomen, & plenè videretur impleſſe, quod à Domino mandatum acceperat de ſpoliis, & rebus Amalec. *Adorare* autem *Dominum* idem eſſe puto, quod *ſupplicem orare*; quod peracto ſacrificio fieri ſolitum multa probant,quæ poſt oblatum ſacrificium adhibitas eſſe preces aut docent, aut indicant. Vide Leuit. cap.5. v.6. & 18. cap. 12. v. 7. cap. 14. v. 53. cap. 16. 6. & 34. vbi poſt oblationem additur Sacerdotis oratio. Hæc mihi facilis videtur explicatio; neque, vt ſuo loco accuratiùs expendemus, quicquam officit,quod deinde ſubditur v.31.

54. Verſ. 26. *Non reuertar tecum,quia proiecisti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne ſis Rex.*] Facilè cuiuis coniectare, quò ſpectaret acutum hoc, callidúmque conſilium; nempè vt eo modo conſeruaret Saul regiam poteſtatem, & nomen, cùm ad ſuum de re Amalecitica iudicium acceſſiſſe videretur Samuelis authoritas, quem haberet ſocium in eo facto quod multi fortaſſe è popularibus improbarent.Quod cùm acutè Samuel præuidiſſet, negauit ſe cum Saule ad intermiſſa ſacra; vel ad alia illius cogitata reuerſurum. Cuius rei illam reddit rationem; quia iam Saul à Deo reprobatus fuerat, & abiectus à regno; quare non putabat è re futurum eſſe publica, ſi operam aliquam illi daret, quo regnum obtineret,ex quo Deo iudice,reprobatus exciderat.Atque ideò eam adducit rationem, ne moleſtus ſit rogando precibus odioſis,& iniuſtis,quia iam eſſet è regno à Domino depulſus. Et cum dicto, conuerſo ad Regem dorſo recedebat.

55. Verſ. 27. *Ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius,quæ & ſciſſa eſt.*] Videbat Saul valdè obſcuratum iri ſuam apud populum æſtimationem, ſi offēſus Samuel, & indignatus ab ipſo diſcederet: quare pallium abeuntis arripuit ita violenter, vt magnum ex eo fruſtum abſtulerit. Hiſtoricus ſenſus obſcurus non eſt; moralis varius. Vnum accipe, Sanctorum interceſſionem parùm illis prodeſſe,quos neque peccati pœnitet,neque aliquod faciunt pœnitentiæ, aut pietatis opus, quo apud Deum aliquid ineant gratiæ,aut diuinum à ſe furorem auertant: Sed id totum Sanctorum interceſſioni permittunt, quaſi otioſis in ſinum, & dormientibus omnia cœlitùs bona ventura forent. Otioſus planè erat Saul in ſpirituali negotio, neque tam ille dolebat,quod diuinū contempſiſſet mādatum, quàm quòd Iſraeliticū amiſſurus eſſet imperium. Salutem, & honorem regium ſperabat à Samuele, ſed fruſtrà; apprehendit laciniam, quaſi in illa habiturus eſſet in ea rerum aduerſitate perfugium; ſed diſcidit veſtem, & ſpē ſuam in ipſo articulo cadentis imperij ſenſit eſſe deluſam. Longè aliter accidit his, qui ſuprà cap. 7. orauerunt à Samuele, vt ſuas ad Deum preces pro ipſis offerret; quæ vſque adeò potentes fuerunt apud Dominum, vt illuſtrem victoriam obtinuerint ab hoſte potentiſſimo, Deo pro ipſis de cælo dimicante.Sed iam antè filij Iſrael pœnitentiam egerant, Baalim abſtulerant, & Aſtaroth, & vni Deo ſe totos gubernandos, & formandos addixerant. Quod ſi feciſſet Saul, fortaſſe neque diſcidiſſet Samuelis laciniam; id eſt, non præciſſet ſibi illius ſubſidium, neque illum habuiſſet ad ſua poſtulata difficilem.

56. Verſ. 28. *Scidit Deus regnum Iſrael à te hodie.*] Ex aliquo euentu, aut verbo, quod videri poſſet factum,dictumue fortuitò,occaſionem interdum arripiunt Prophetæ, vt aliquid in poſterum futurum prædicant. Sic ex voce prini, & ſchini,ſub quarum vmbra luxurioſi ſenes Suſannam cum iuuene concubuiſſe ſe vidiſſe teſtati ſunt, coniecit Daniel diſſecandos eſſe medios,& teſtimonij falſi daturos eſſe pœnas. Dan. cap. 13. ſic Paulus Actor. cap. 23. percutiendum eſſe Pontificem, ex eo quod Pauli maxillæ colaphum iuſſiſſet impingi. Sic modò Samuel ex lacinia diſciſſa, diſcindendum affirmat regnum à Saule, & ad alium transferendum, ſicut diſciſſum à veſte fruſtum fuit à Samuele, & in alterius hæſit manu, qui illius tunc videri recens dominus poterat. Illud hîc obſeruandum, dici à Propheta hodie ſciſſum eſſe regnum à Saule;cùm tamen aliquot poſt dies cum poteſtate fuerit; iuxta Scripturæ vſum, quæ aliquid factum eſſe dicit; cùm decretum eſt vt fiat. Quomodò ex ſententia Auguſtini, Chriſtus hora tertia crucifixus eſt,quia illa hora damnatus eſt cruce: & qui viam aperuit expeditam ad regnum,quod nondum tamen obtinuerat;eo tamen die Regem ſe putat,& dicit eſſe factum.Quia ergo eo die, quo Saul indictum ſibi præceptum tranſgreſſus eſt,decretum eſt, vt à regia excideret poteſtate,& loco; eo die dicitur ab illo diſciſſum eſſe regnum.

57. Hîc lubet adiicere, quod ex Hebræorum ſententia tradit Lyra; qui putant his verbis datum eſſe Sauli à Samuele ſignum,vt cognoſceret,quiſnam eſſet ille, ad quem eſſet Iſraelis regnum trāſferendum; illum videlicet, qui aliquando è regia chlamyde partem abſcidiſſet,ſicut ipſe è Samuelis pallio partem abſciderat. Quare cum infrà cap. 24. Dauid oram præcidiſſet è Regis paludamento in ſpelunca, ad quam ventris leuandi gratia à turba ſeceſſerat, idque ipſius Dauidis voce cognouiſſet; memor huius Samuelis prophetici verbi reſpondit:*Nunc ſcio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Minùs abs re hoc loco,quàm aliis ſæpè locis,coniectant

Hebræi,

Hebræi,coniectant tamen.

58. Vers.29. *Porrò triumphator in Israel non parcet,& & pœnitudine non flectetur.*] Certissimum dicit fore, vt regnum Israelis transferatur ad alterum;licèt, quis alter ille futurus sit, vt ex sequenti capite manifestè liquet, adhuc ignoret. *Triumphator in Israel* dicitur Deus, quia arbitratu suo in omnẽ partem agit, & versat Israel. Interdum enim auget spoliis, atque prouinciis, ornat victoriis, ac triumphis: neque enim tam sua, quàm diuina manu obtinuit Israel cõtra Chananæos regionem vberem, & amplam, in qua tunc latè dominabatur; aut victorias alias, quas anteà sæpè,& nũc proximè contra Ammonitas, Philisthæos, & Amalecitas consecutus est. Et idem Dominus, & Triumphator de inimicis, Israelem alienæ dominationi subiecit, quoties ille à data sibi lege, & patria religione deficiens, aliena, atque impia sacra,& cultum idolorum nefarium amplexus est; vt probat totus liber Iudicum, vbi populus ille propter peccata traditus esse dicitur externæ potestati. Quod quia frequens erat, atque vulgare, ipsi quoque alienæ religionis assectæ cognouerunt. Vide quid Achior homo Gentilis in hanc sententiam dixerit, Iudith. cap.5. Est igitur Deus *triumphator in Israel*,quia Israelitas triumphare facit, dum pro illis pugnat, cuique adscribi debent omnia, quæ populo illi contigere feliciter; & de Israële peccatore triumphat, cùm deprimit, ac frangit, & alienæ potestati summittit. Hoc verò nomine vsus videtur Samuel ad Saulem,vt illius deprimat insolentes spiritus, quos proximæ victoriæ attulisse videbantur, & vt Dei metuat potentiam, qui regna suo arbitratu commutat, & transfert, quique quod nunc de transferendo regno comminatus est, nulla difficultate temporis momento perficiet.

59. *Et pœnitudine non flectetur.*] Quæ sit in Deo pœnitentia,diximus paulò antè ad illud; *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem.* Quod nihil est aliud, quàm statuisse Deum mutare factum,& regnum eripere Sauli, quod antè concesserat.Nunc Propheta affirmat, Deum non esse flectendum pœnitudine; id est, non esse mutaturum sententiam,aut iudicium, quod de Saule deponendo,& exauctorando pronunciarat.Ex hoc loco Tertullianus l.2. contra Marcionem c.24. docet,qualis dicatur in Deo pœnitentia,seu pœnitudo. *Quæ sanè non nascitur,sicut in homine, ex recordatione delicti,aut ex alicuius operis ingratia.* (verba sunt Tertulliani) *In quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat,in tantum nec pœnitentiæ boni, aut mali apud eum locus est. Nam & hoc tibi eadem Scriptura determinat, dicente Samuele Sauli; Discidit Deus regnum Israelis de manu tua hodie, & dabit illi proximo tuo optimo super te. Et scindetur Israel in duas partes, & non conuertetur, neque pœnitentiam aget, quia non sicut homo est ad pœnitendum. Hæc itaque definitio in omnibus aliam formam diuinæ pœnitentiæ statuit,quæ neque ex improuidentia, neque ex leuitate,neque ex vlla boni, aut mali operis damnatione reputatur, sicut humana. Quis ergo erit mos pœnitentiæ diuinæ? Iam relucet, si non ad humanas conditiones eam referas. Nihil enim aliud intelligitur, quàm simplex conuersio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione eius possit admitti etiam in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa. Nam & in Græco sono pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Hæc Tertullianus. Græcum porrò nomen, quod pœnitentiam significat,μετανοία est,quod à μετανοέω,deriuatur,quod non delicti confessionem, aut damnationem importat, sed *mutationem animi*; licèt nulla interuenerit imprudentia, aut culpa: quia sic nimirùm exigit, aut mutata rerum conditio,aut noua causa, aut amicorum voluntas.

Qualis in Deo pœnitẽtia.

Neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.] Id est, vt mutet decretum, quod antè definitò placuerat,quale fuerat de Saulis regno aliò transferendo.

Vers. 30. *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.*] Discedere voluit Samuel, vt vidimus, à Saule; quem, quia ad suam æstimationem referre existimabat, retinere secum voluit, ne populus ex eius discessu coniectaret, Dei ipsum, Samueliscque iudicio fuisse reprobatum. Quare hoc à Samuele saltem obtinere studet, vt secum reuertatur, dignitatis, vt opinor, gratia, ne si statim abiret, cùm nondum aduenisse videretur, reiectus cum fastidio, atque odio putaretur à populo; quod illi non poterat non esse odiosum, & turpe. Neque alium, credo, honorem exigebat à Samuele; neque aliud sperare fas esset à Propheta sanctissimo; qui nullo probaret, aut laudaret modo, quem diuino iudicio improbatum sciebat, & quem Dei nomine seuera reprehensione percussérat. Idcircò hoc orat, vt secum reuertatur, quia necesse erat, vt sacrificium, quod iamiam inchoauerat,absolueret; vt ipse,quod erat in eo opere extremum, ad Dominum oraret,non vt socium haberet in orãdo,cùm oratio foret ingrata Deo, quæ pars esset iniqui,atque damnati sacrificij. 60.

Vers. 31. *Reuersus ergo Samuel secutus est Saulem, & adorauit Saul Dominum.*] Reuersus fuit Samuel, quod antè negauerat, non vt adoraret; id est, simul sacrificaret cum Saule; nam & Saul adorasse dicitur,videlicet solus;neque enim quicquam audimus de Samuelis adoratione: sed alias ob causas; tum ne omninò videretur dignitatem Regiam contempsisse, & confudisse duriùs,atque afflixisse Saulis animum, de cuius casu, ac depositione dolebat; tum vt quæ Saul diuini mandati immemor omiserat,ipse perageret. 61.

Vers.32.*Dixitque Samuel; adducite ad me Agag.*] Hoc erat negotium, quod cum Saule Samuelem reuocauit ad castra,cætumque filiorum Israel; vt pœnas ab Amalecitarum Rege iam olim debitas exigeret. Quare cùm primùm ad illum locum peruenit,vbi castrensis illa multitudo confederat, offerri iussit Regem illum, non ignarum, vt apparet,quisnam illum exitus expectaret. 62.

Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens.] Hebraicè, מעדנות *maadanoth:* quæ vox variè ab Interpretibus assumitur. Radix, vnde nomen deducitur, *delicias* indicat. Quare Chaldæus *delicatum*, & *mollem* exponit. Septuaginta *trementem*; ideò fortasse, quia qui pinguissimi sunt, & nimiùm delicati,ac molles, non firmo incedunt, & recto gradu; sed molli, ac vacillanti; vt videmus in fœminis, quæ teneritudinem in eiusmodi incessu arte moliuntur. Vt de Esther cap. 15. dicitur: *Assumpsit duas famulas, & super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis, & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens.* Hunc puto tremorem esse Regis,qui ex deliciis,atque mollitie nascitur, non ex horrore mortis, vt vox ipsa indicat Hebraica: & ita omnes penè à Vulgato conuertunt,vt nulla expositio iuxta Hebraicæ vocis vim videatur adhiberi posse commodior. Pagninus: *Ibit ad eum Agag cum deliciis.* Tigurina: *delicatus.* Caietanus ex suo Hebræo: *Agag deliciarum.* Quod item 63.

item ſenſit antiquiſſima quædam Hiſpanica trãſlatio: *Agag el de las deleytaciones.* Noſter Interpres vtrumque coniunxit, dum illum *pinguiſſimum, & trementem* appellat; quia qui deliciis, atque otio diffluunt, pingues ſunt, quam corporis diſſolutam molem tremor in incedendo ſequitur, & tarditas mollior. Alij vocem illam *catenas* ſignificare putant. Ita Rab. Dauid, & Caietanus; & ita dicunt vinctum adductum eſſe Regem illum ad Samuelem. Alij in voce מעדות, *gaudium* agnoſcunt & *voluptatẽ*, quam præ ſe ferebat Rex ille ſuperbus; atque ideò, ne regios animos abieciſſe videretur, regium moliebatur inceſſum, tardum videlicet, & grauem. Quaſi neque mortem timeret, & omni foret fortuna ſuperior. Hîc multa ſunt quæ fidem habent difficilem. Minùs mihi diſplicet explicatio prior.

64. *Siccine ſeparat amara mors?*] Verba ſunt Agag, qui iã certò nouerat ſibi eſſe quamprimùm moriendum. Dicit autem amaram eſſe ſibi, præſertim à quo ſeparanda erat fortuna regia, patriæ deliciæ, quibus ad ſatietatem abundabat, & quàm molliſſimè, atque ſuauiſſimè fruebatur. His autem, qui pacem habent ſuper terram; id eſt, quibus omnia contingunt ex voto, amarus eſt mortis iamiam aduenientis aſpectus, imò & ſolùm vtcúmque oblata memoria. De qua eſt illud Eccl. 41.v.1. *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis, viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.* Hæc habebat omnia Agag, cùm illi extrema aduenit moriendi neceſſitas. Quare *mortem* appellat *amaram*, quæ à tot ſeparat commoditatibus; tot aufert honoris ornamenta, & vitæ delicias. At miſeri, qui vitam agunt ægram, & miſeram, quibus emergere ex quotidianis ærumnis in votis eſt; illi non grauatè ferunt, neque ab hac luce, hominúmque conſortio, neque à tam incómoda vita ſeparari; quæ miſeris non tam videtur vita, quàm prolixæ mortis dura conditio. Sanè ille exiſtimatur felix, qui tunc è vita cecidit, cùm excidit è fortuna meliori. Sic Seneca in Hercule Æthæo.

65. *Non ingrata mors miſeris.*

Par ille eſt ſuperis, cui pariter dies,
Et fortuna fuit. Mortis habet vices,
Cùm lentis trahitur vita gemitibus.

Ex hoc hominum communi, ac naturali ſenſu dixit apud Virgilium Æneas l. 1. Æneid. cùm mors obuerſaretur ante oculos.

O térque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Et Andromache apud eundem libro 3. Æneidos, cùm ſpiritum triſtem traheret, felices appellat illas, quæ occupatæ morte ſeruilem ſtatum effugerunt.

O felix vna ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori.

66. Neque in Scriptura ſacra teſtimonia deſunt, aut exempla. Leuius exiſtimauit Saul mori; quàm apud Philiſthæos vitam agere captiuam, & ignobilem, aut ferre, quam paratam eſſe videbat ignominiam: atque ideò ne quis iactare ſe poſſet inſolenter, quod Saulem occidiſſet, ipſe ſibi diro, væſanóque conſilio vitam eripuit. Neque aliam ob cauſam Achitophel laqueo ſibi ſpiritum præcluſit, niſi quia deſpectæ ſententiæ ignominiam ſuſtinere non potuit. Teſtimonium illud accommodatum eſt valde, quod citatis ex Eccleſiaſtico verbis proximè ſubijcitur. Nam cùm dixiſſet, amaram eſſe mortis memoriam illi, qui pacem habet in terrena ſubſtantia, ſtatim addidit, illi optabilem eſſe mortem, cui res ſunt anguſtæ, & ſpiritus æger. *O mors, bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus.* Et clariùs Eccl. c. 30.v.17. *Melior eſt mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perſeuerans.* Ita exiſtimabat Iob cap. 3. v. 20. qui tam putabat eſſe dulce triſtibus, mortem, & ſepulchrum inuenire, quàm auaris, qui theſauros inueniunt. *Quare*, inquit, *miſero data eſt hæc lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum. Gaudent que vehementer, cùm inuenerint ſepulcrum.*

Erat igitur Agag amara mors, quia benè illi cum opibus, atque deliciis, & cum pingui, atque nitente corpore conueniebat; à quo diſcedere erat prorsùs horribile. At non erat mors amara Iob, quem tædebat vitæ; cuique nihil iam erat reliquum in mundo, quod voluptarios caperet ſenſus, aut ſpiritum ægrum recrearet. Neque Paulo, qui humana omnia reputabat vt ſtercora, cui lucrum erat mori, qui verè dicebat, & prorsùs ex animo. *Cupio diſſolui.* Et, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 67.

Verſ. 33. *Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus.*] Non ſine magno ſuo merito diram illam mortem ſubiit Agag, cùm ipſe aut gladio ſuo occidiſſet plurimos, aut ſuorum gladio iuſſiſſet occidi. Prouerbialem arbitror eſſe figuram, cùm ſignificare volumus viros interiiſſe, viduarum vxorum, aut orbarum matrum meminiſſe: quia filiorum, aut coniugum; ſeu maritorum nomine, omnes, quos virilis diſtinguit ſexus, continentur. Pſal. 108.v.9. dum peccatori interitus denunciatur, dicitur: *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* Ierem. cap. 15.v.8. *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris.* Et Ezech. c. 19.v.7. *Didicit viduas facere.* Et iterùm cap. 22.v. 25. *Viduas eius multiplicauerunt in medio illius.* De matribus orbatis filiis, quarum orbitas filiorum oſtendit cædem, eſt illud Thren. 5.v.3. *Matres noſtræ quaſi viduæ*: quia matres orbatæ filiorum ſubſidio, quaſi viduæ cenſentur. Quare nullam aliam eſſe arbitror huius loci ſententiam, quàm Agag ſiue gladio, ſiue imperio homines plurimos eſſe ſublatos. Multa hîc quærit Abulenſis, à quibus ego ſine vlla mei inſtituti incuria abſtinere poſſe videor. 68.

Et in fruſta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.] Ioſephus occiſum eſſe dicit Agag non gladio, ſed imperio. Quod ſanè duriùs admittit textus. Neque à Samuelis ingenio, aut pietate abhorret, ſua manu illum interimere, & in partes concidere minutas, quem diuino iudicio ſciebat eſſe morti deuotum; & norat ſanctificatas eſſe illorum Sacerdotum manus, qui in contribulium ſuorum viſcera gladium adegerunt; quos Deus cædis reos oſtenderat, & morti deſtinarat. *Ponat* (inquit Dominus per Moyſem) *vir gladiũ ſuper femur ſuum, &c. & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi; ciderunt que in die illa quaſi triginta tria millia hominum. Et ait Moyſes: conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.* Idem fecit Phinees Num. 25.v.7. & Elias 3. Reg. 18. neque tamen aliquid feciſſe exiſtimantur indignum ſacerdotali, aut prophetali nomine. 69.

Ex ipſo dicendi modo, ac loco, vbi occiſus eſſe dicitur Agag, aliquam ſpeciem inuenio immolatæ victimæ. Nam primùm Rex in fruſta dici- 70.

tur

tur esse concisus, quod victimarum est. Deinde *coram Domino*, quod nisi in re sacrificali fieri non solet. Voluit igitur, nisi ego fallor, occiso ante aras Rege, ostendere Propheta hac immolationis specie, quod antè dixerat, non iam obscuris, sed disertis omninò verbis, meliorem esse obedientiam, quàm victimam. Cùm enim arietes, ac vituli, optimæ essent, ac legitimæ victimæ; homines verò immolari sibi, non modò non postulet Deus, sed etiam damnet eos, qui humanas victimas immolant Moloch: quia tamen quæ aliàs legitimæ forent, & acceptæ victimæ, contrà quàm à Domino præceptum esset, offeruntur; libentiùs Deus humanam admittit victimam, quam offert obedientia, quàm legitimas alias, in quarum immolatione propria tantùm inuenitur voluntas, & diuinæ contemptus. Sed hæc, vt dixi, victima propriè non fuit; neque enim Propheta quicquam auderet, quod Deus, ne fieret, antè vetuerat: sed vt occiso coram Domino; id est, prope illum locum, vbi proximè arietes, ac vituli fuerant immolati, Rege Agag, quid à Saule, & populo factum esset malè, illustri illo
71. documento damnaret. Quomodò etiam immolati dici possunt Domino Israëlitæ, qui occisi fuerunt à Leuitis, qui Sacerdotum manus consecrarunt; & qui posteà à Phinees, deinde ab Elia interfecti sunt; non quia ad aras oblati, sed quia ad diuinum honorem, & imperium interfecti fuerunt. Quomodò Innocentes ab Ecclesia Christi vocantur victimæ: & quidem sæpè inimicorum Dei cædes vocatur victima, vt Idumæorum, Isaiæ cap. 34. *Victima enim Domino de Bosra, & interfectio magna de terra Edom.* Et Ægyptiorum cædem victimam vocat Domini Ieremias cap. 46. *Victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* Ezech. cap. 21. vers. 9. cùm esset sermo de inimicorum strage: dicitur *Gladius, gladius exacutus est, & limatus, vt cædat victimas.* Idem cap. 36. v. 16. Quare optimè vocari potuit Agag victima Domini, quia illius hostis occisus, & quasi immolatus est. Voluisse igitur videtur Samuel odiosæ Deo victimæ ex Amalecitarum gregibus, aliam opponere, quæ Deo multò gratior accideret; hostis nimirùm interfectus coram se. Fieri namque solet, vt eorum, quæ nobis odiosa sunt, & ingrata, aliquid accedat non iucundum; si modò illorum aut interitum indicent, aut infortunium portendant. Quomodò inimicorum eleuata, & minacia vexilla horrorem incutiunt, & consternationem animorum; eadem verò iam strata, & raptata militari ritu ad hostium dedecus, ac ludibrium, vo-
72. luptatem afferunt, & gloriam. Sicut Goliath gladius, qui dum esset in illius manu, terrori erat, & ignominiæ castris Israël, & odiosus Deo; idem iam, cùm Goliath victus, suspensus est in Tabernaculo, & fuit donum Deo non iniucundum, & Israëlitarum oculis non ingratum. Qua ex re discat peccator, habere se, quid quotidie possit offerre Deo, quod ille animo accipiet benigno, atque hilari; peccatum nimirùm iam pœnitentiæ gladio mactatum, aut vitia nostra mortificatione subacta, & carnem rebellem anteà, cùm Christo in eodem ligno crucifixam. Videtur itaque Samuel pro ingratis victimis aliquam voluisse immolare Domino victimam gratam, Amalec videlicet è regno depulsum, subiectum gladio, & in frusta diuisum; qui naturæ vitiosæ, atque corruptæ signum quoddam hieroglyphicum est, quique cum Dei populo ad illud vsque tempus à sæculo implacabile gesserat bellum. Quare dicere posset, quòd Virgilianus Messapus lib. Æneid. 12. qui pro victima, quam putabat ingratam, & impiam, ignobilem quendam Regem immolauit, cuius cædem magis putabat Deo fore gratam, quàm agnorum, & arietum.

Messapus regem, regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Auleſten, auidus confundere fœdus,
Aduerso proterret equo: ruit ille recedens,
Et miser oppositis à tergo inuoluitur aris
In caput, inque humeros: at feruidus aduolat hasta
Messapus, telóque orantem multa trabali
Desuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis.

Antequam hinc emergam, libuit notare quæ- 73.
dam, incerta quidem, verùm non aliena; quæ pertinent ad hunc Agag. Et primùm, quòd ex illius genere natus esse dicitur Aman, qui primo fuit apud Assuerum Persarum Regem loco, vt videtur expressum Esther cap. 3. vers. 1. & 10. *Tulit ergo rex* (Assuerus) *annulum quo vtebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi, de progenie Agag, hosti Iudæorum.* Hunc Agag Regem Amalec putat esse Iosephus lib. 10. Antiquit. cap. 6. dum Aman Amalecitam esse dicit: idem Rupertus lib. 8. de victor. cap. 4. Lyra, Caietanus, Chaldæus, & omnes penè Hebræorum doctores. Sed, vt dixi, hoc valdè est incertum; quia nomen Agag multis potuit esse commune. Neque in textu Hebraico est Agag, sicut hoc loco, sed האגגי; id est, *filius Agagi.* Quare ea in re nil potest certò definiri. Neque pauci sunt, qui contrà sentiant, puténtque illum Persam esse, vel Macedonem.

Aman ex genere Agag.

Illud, quod nunc addam, planè fabulosum 74.
est, & ridiculum, & indignum, cui à prudenti fides adhibeatur. Quod sine dubio sumptum est ex illorum cerebro planè, vt modestissimè dicam, somniante, qui ex variis mendaciis, atque commentis Thalmudicam; id est, delirantem scholam concinnarunt. Quod nescio quis audax, & indoctus suppositit Philoni Iudæorum doctissimo, à quo figmento leuissimo authoritatem, & pondus conciliare voluit. Illud verò in Antiquitatibus Biblicis inuenitur, quæ scriptæ dicuntur à Philone, cùm tamen ab illius ingenio, atque dicendi charactere quàm longissimè absint. Ille igitur non tam Philo, quàm Pseudophilo, cùm dixisset, conseruatum, esse Agag à Saule, quia pollicitus fuerat manifestaturum se thesauros absconditos, addit: *Et dixit Deus ad Samuelem, vidisti quomodò in momento corruptus est Rex argento, & viuificauit Regem Amalec, & mulierem eius? Et nunc permitte ei, vt conueniat Agag mulierem suam in nocte hac, & ipsum interficies in crastinum: nam mulierem eius consuluerunt* (quid hoc sibi velit, neque assequor, neque curo) *quousque pariat masculum; & tunc etiam ipsa morietur. Et qui natus fuerit ex ea, fiet in scandalum Sauli.* Et hoc extremum audiuit à Samuele Saul. Et posteà in fine Antiquitatum Biblicarum, cùm sermo esset de morte Saulis, addit: *Ipse autem incubuit super romphæam suam, & non potuit mori, & respexit retro se, & vidit*

Fabula de Saulo, & Agag.

Quomodo homo possit esse victima.

Victima pro cæde.

Peccata mortua pœnitentia gladio, grata Deo victima.

virum currentem, & clamauit ad eum, & dixit: Tolle machæram meam, & mortifica me: adhuc anima mea in me eſt. Et venit, vt mortificaret eum. Et dixit ad eum Saul: Antequàm mortifices me, nuncia mihi quis es. Et dixit ei ille: Ego ſum Edab filius Agag Regis Amalecitarum. Et dixit Saul: Ecce venerunt ſuper me verba Samuelis, quomodò dixit, qui natus fuerit de Agag, erit tibi in ſcandalum. Hæc Pſeudophilo. Tu illius inſanam, atque deliram mentem aut ride, aut luge. Quomodò non fuerit ab Amalecita interfectus Saul, dicemus lib. 2. Regum, cap. 1.

75. Verſ. 35. *Et non vidit Samuel vltrà Saul vſque ad diem mortis ſuæ.*] Poſtquàm actum eſt de Rege Agag, neque iam plus negotij Samueli ſupereſſet, receſſit à Saule, reuerſus in Ramatham; neque vlteriùs, vt priùs facere conſueuerat, rediit ad Saulem conſilij, aut beneuolentiæ gratia, quia reprobatum ſciebat à Domino, neque ab illo quicquam ſperabat ſanum, aut ex vſu Reipublicæ; ſeruabat tamen antiquam animi lenitatem, & ſtudium in patriam; neque tamen Sauli aut cupiebat malè, aut bonum inuidebat, impediebátque; quin potiùs ipſius infortunium lamentabatur aſſiduè, orabátque Deum, vt illius miſereſceret, & quem à regno deiecerat temporali, ad illud reduceret, aut ſaltem ad æternum admitteret. Quærunt hic ex Interpretibus aliqui, quomodò Samuel ad mortem vſque dicatur non vidiſſe Saulem, cùm conſtet ex cap. 19. à Samuele Saulem eſſe viſum. Sed eſt ſolutio non difficilis. Aliud enim eſt videre, aut viſitare, aut inuiſere, officij, ſeu amicitiæ gratia; quomodò priùs Samuel Regem inuiſere ſolebat, vt illum ſcilicet admoneret vt pater, & vt vir longo edoctus vſu, atque experientia in rerum adminiſtratione dirigeret, & in ſuſcepto pro religione negotio confirmaret. Hoc modo nunquam poſteà Samuel vidit Saulem: Aliud eſt, ſpectare oculis, quomodò imaginem ſpectamus, arborem, aut feram; quod caſu ſæpè contingit. Et hoc modo Samuel vidit poſteà Saulem, cùm eò appelleret Saul, vt Dauidem occideret, vbi Samuelem tunc cum diſcipulis adeſſe contigerat. Et quidem hominum ſermone vulgari, à quo Scriptura ſacra non abhorret, ille aliquem videre negatur, cum quo nullum habet familiarem vſum, etiamſi illum aliquando videre contingat. Vnde illud frequens: *Ille non me videt.* Hiſpanè, *no me trata:* id eſt, alienus eſt à mea conſuetudine, neque in meis aut amicis, aut domeſticis, aut clientibus numeratur.

76. *Prælatus, qualis eſſe debeat in eos, quos reprehendit.*

Porrò hîc Gregorius in Samuele optimum his, qui præſunt, documentum præbet. Qui ita in reprehendendo debent eſſe ſeueri, & in legum, diuinorúmque mandatorum obſeruantia conſtantes, ita patriæ, religioníſque cuſtodes, & vindices; vt tamen errantes, in quos ſeueritatis ſuæ gladium diſtringunt, ament, eorum caſum, & errata lugeant, neque cùm Iudices agunt, & Diuinæ indignationis adminiſtros, paternam curam, amorem, & ſedulitatem abiiciant. *Quid eſt*, inquit, *quòd luget, quem cernere dedignatur, niſi quia & cum zelo rectitudinis ſancti doctores habent zelum magnæ charitatis? ipſa autem charitatis magnitudo oſtenditur, quia proiectum Regem plangere perhibetur. Quo ergo effectu electorum ſubditorum peccata plangunt, qui pro proiectis reprobis plangere tam affectuosè didicerunt.*

IN CAP. XVI. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM iam in ipſo Regni principio diſplicuiſſet Domino Saul, dum ſua magis voluntate abducitur, quàm à Diuina regitur, alium Regem Deus pro Saule deſignat, illúmque vt legitimè conſignet, & vngat, Samueli præcipit. Iubet igitur vt ſacrificiorum artificioſo prætextu, ne quid grauius aut ſuſpicetur Saul, aut moliatur, proficiſcatur Bethlehem; & ibi vnum è liberis Iſai Iſraeliticæ gentis Regem ſacra vnctione conſignet. Fecit illicò Samuel imperata, omnes filij Iſai accerſiri iubet: cúmque illorum, quos ad Samuelis imperium pater aſciuerat, placuiſſet nullus; tandem Dauid, qui erat omnium minimus ætate, & nullo apud domeſticos, aut poſtremo in loco, ad Regni gubernacula vocatur. Intereà verò ſpiritus malus diſtorquebat Saulem, cui cùm vocis, lyræque concentus crederetur leuamento futurus, Dauid ad illud munus è rure, ac gregibus accerſitur, cuius in eo genere fama latè iam in toto Iſraele percrebruerat: Cuius tunc in canendo, pulſandóque ſuauitas, & ipſius muſicæ vis, & natura maximè apparuit, cùm magna ex parte, quando grauiùs vrgeret ſpiritus impurus, Rex ipſe ab animi angore, & corporis vexatione leuaretur.

CAP.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

1. DIxítque Dominus ad Samuelem: Vsquequò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.

2. Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni.

3. Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias, & vnges quemcumque monſtrauero tibi.

4. Fecit ergo Samuel, ſicut locutus eſt ei Dominus. Venitque in Bethlehem, & admirati ſunt ſeniores ciuitatis, occurrentes ei, dixerúntque: Pacificúſne eſt ingreſſus tuus?

5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Iſai & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium.

6. Cúmque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius?

7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

8. Et vocauit Iſai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

9. Adduxit autem Iſai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.

10. Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis.

11. Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adduc eum: nec enim diſcumbemus priùs quàm huc ille veniat.

12. Miſit ergo, & adduxit eum: Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoráque facie, & ait Dominus: Surge, vnge eum, ipſe eſt enim.

13. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus eſt Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: ſurgénſque Samuel abiit in Ramatha.

14. Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino.

15. Dixerúntque ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.

16. Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui qui coram te ſunt, quærent hominem ſciẽtem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuiùs feras.

17. Et ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me.

18. Et reſpondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo.

19. Miſit ergo Saul nuncios ad Iſai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.

20. Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hœdum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.

21. Et venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.

22. Miſítque Saul ad Iſai dicens: Stet Dauid in conſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.

23. Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus.

IN CAPVT XVI. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Vsquequò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet?*]

1. HInc planè colligere mihi poſſe videor, quid hoc loco Saul oret, aut lugeat, cùm illius preces Dominus, lacrymaſque ſeuera hac reprehenſione cohibeat. Lacrymas hîc ego cum precibus adiunctas intueor; neque alias lacrymas, ac preces hîc damnari arbitror, niſi illas, quæ id exorare ſtudent, vt Saul à regno non excidat, cuius ipſe à Deo iacturam denunciarat: alioqui cur eſſent Samuelis luctus, & oratio reprehendenda, ſi ſalutem optarent æternam Sauli, aut alia quæuis commoda, quæ ſine culpa proximis optare debemus? Reprehendit itaque Samuelem Deus, quia pro Saulis retinendo regno laborabat. Et ideò addit: *Cùm ego proiecerim eum, ne regnet.*

ne regnet. Quasi dicat, vanas esse preces, quæ aliquid contra Dei certa, definitaque consilia contendant. Et quò illum à spe illa, contentionéque depellat, iubet, vt sumat secum oleum, & regno de Rege meliori prouideat.

2. *Imple cornu tuum oleo.*] Quid sit cornu, seu corneum vas, & quo oleo vnctus fuerit & nunc Dauid, & antè Saul, diximus cap. 10. ad illud v. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei.*

3. *Prouidi enim in filiis eius mihi Regem.*] Domum indicat Deus, vnde Rex nouus sumendus, personam occultat. Cur autem id fecerit, docet Theodoretus q. 37. *Si enim ad Dauidem rectà esset profectus, veniisset in suspicionem, quòd hoc feciisset ex aliqua subornatione. Quoniam autem venit ad primum, secundum, & tertium, & deinceps ad septimum, cognouerunt quòd Deus esset, qui hos quidem secerneret, illum verò eligeret. Nam cùm etiam, sic facta electione, aperuerunt fratres suam inuidiam fratrem conspicati in acie, quid non feciissent si nõ facta esset hoc modo?*

Vers. 2. *Quomodò vadam? Audiet enim Saul, &*

4. *interficiet me.*] Hinc colligo, quid magis doluerit Saul, cùm dixit, *peccaui*, nempè id admisisse, propter quod in ipso penè initio regnandi pelleretur à regno. Neque illius doloris, aut curæ obscura dedit documenta in ipso digressu, cùm in suam quisque patriam minùs, vt apparet, conciliati Samuel, & Saul distracti discederent. Cùm autem Israëlis regnum ad alium meliorem translatum esse dixisset Samuel, timebat non sine causa, ne homo iam barbarus, & regnandi cupidus, & sui ipsius impotens, cùm ex patria Ramatha excessisse cognosceret, suspicaretur noui Regis inaugurandi gratia foràs esse profectum, & de illius vita, tyrannico, barbaróque decreto consuleret. Quod homo prudens ex his, quæ viderat, acutè coniectabat; atque ideò dixit: *Audiet Saul, & interficiet me.*

5. *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.*] Ferebat, opinor, manu ligatum vitulum ad sacrificium Samuel: hic enim erat habitus, & quasi signum eius, qui sacrificaturus esset. Quare si quis curiosus scire vellet, quò spectaret illa Samuelis profectio, non erat, cur id à Samuele requireret, cùm id ligatus de more vitulus satis indicaret. Neque si rogatus Samuel, cur eo tempore veniisset Bethlehem, responderet eò se præfectum sacrificandi gratia, & præcipuum alium finem tacuisset, ideò censeretur fuisse mentitus; veram enim protulisset causam, licèt non omnem. De hoc respondendi modo disputant Doctores Scholastici pluribus, quos tu consule, apud quos hoc Samuelis respõsum accuratiùs expenditur. Vide Gabrielẽ Vazquez in 1.p.S.Thomæ q.1.art.3.disp.10.c.7.& 8.

6. Vers. 3. *Et vocabis Isai ad victimam.*] Adhuc erat non leue periculum, ne Regis noui inauguratio permanaret ad populum, & inde breui ad Saulis aures peruenirent; ex quo non effugisset Samuel, quod à Saulis offensione metuebat. Cui periculo nouo consilio Dominus occurrit: iubet enim vt ad victimam; id est, ad cibos è victima paratos inuitet Isai, vt cum illo seorsum à reliqua turba diuina peragat mandata.

7. Vers. 4. *Venitque in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis.*] Cùm domi se multùm contineret Samuel, ex quo molestum gubernationis opus abiecit; neque se in hominum conspectum offerret, nisi publica ratio, aut religionis causa postularet, admirati sunt, qui primo erant in ciuitate loco, & nonnihil perturbati, cùm vulgare aliquid esse non putarent, quod virum tantum tam procul à patria foras extraxisset. Timere enim poterãt, ne quid annunciaturus esset graue vel ab externo hoste; vel etiam à Saule, quem offensum in Samuelem esse suspicari poterant, propterea quòd illum in causa Agag duriùs accepisset: aut certè ne fuga declinare vellet Regis furorẽ, & cũ in patria non posset, in aliena ciuitate latere mallet. Quare aduentu illo inopinato perculsi dicũt.

Pacificúsne est ingressus tuus?] *Pax* in Hebraico 8.
idiomate non solùm valet, quod propriè sonat, Pax, & pacificus *bonũ aliquid valent.*
nempè vacuitatem, & cessationem à perturbatione, & metu; sed etiã quicquid est secundùm hominum commoditatem, & vota. Quare dum Hebræi hac se salutatione excipiunt, *Pax tibi*, aut *Pax tecum*, omnia aliis bona cupiũt, cuiuscúmque illa generis sint. Seniores igitur isti, dum de ingressu Samuelis pacifico rogant, id videntur ab illo scisciatari, an illi aliquid acciderit aduersum, & durum, vel aliquid durum, & aduersum annũciet. Ac si dicant illud, quod posteà Paulus 1.Corinth.6. *In virgáne venis ad nos, an in spiritu mãsuetudinis?* Vtrumque enim illis curæ erat, ac metui. In hunc sensum, credo, rogauit Dauid de Absalõ 2.Reg.cap.18. *Estne pax puero Absalom?* Id est, accidítne Absalomi aliquid aduersum? Quibus respondit Samuel, aduersum esse nihil, quare bono essent, & securo animo; se enim eò venisse consilio; vt sacrificium Domino pacificum offerret.

Vers. 5. *Sanctificamini, & venite mecum, vt im-* 9.
molem.] Non erat aliqua à lege destinata sanctitas illis, qui adfuturi essent sacris operanti Sacerdoti, nisi fortasse cum Tabernaculum essent, aut Tẽplum ingressuri, eo temporis articulo; de quo tamen nihil certum inuenio: tametsi id non nemo affirmet, sed non probat, nisi fortè de illo sermo sit, quẽ vel morbus fœdus, aut aliqua legalis immunditia pollueret. De quibus Leuit. cap. 12. 13. 14. 15. Sed hîc Tabernaculum non erat, imò neque altare, nisi quod raptim Samuel pro tẽporis, ac rerum opportunitate construxit. Veruntamen *Nemo ad sacrificium accedit, nisi mundus.*
æquum erat, vt qui sacris interesse vellent, puri accederent, & mundi. Quod profani in suis sacrificiis impiis, atque nefariis & obseruabant studiosè, & vt nemo, nisi mundus, sacrificij tempore Templum, aut destinatum religioni locum iniret, seuere cauebant. Hinc illud in sacrificiis quasi legitimum. Ἐκὰς ἐκὰς ἔστε βέβυλοι: id est, *procul este profani.* Quod expressit Maro lib.6.Æneidos.

Procul, ô procul este profani,
Conclamat vates, totóque absistite luco.

Et ne quid deorum oculis, ante quorum aras stabant, indignum, aut indecorum obiicerent; si quid in nocte accidisset impurum, lauacro illud, quantum fieri poterat, eluebãt. Hinc illud Persij Sat.2.

Hæc sanctè vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis, térque, & noctem flumine purgas.

Idem dicendum de vestibus, quas ad sacrificium puras, & mundas afferri aut lex, aut pia consuetudo iubebat. Tibul.lib.2.eleg.1.

Casta placent superis, pura cum veste venite.

Hanc sanctitatem; id est, munditiam, qualis res *Sacrificia etiam vestes puras exigunt.*
sacras addecet, videtur commendare Samuel, vt qui sacris interesse vellent, externo saltem cultu differrent à profanis. *Sanctificari* porrò idem esse quod parari, colligitur ex illo Exod.cap.19. cùm enim dixisset Deus Moysi: *Sanctifica eos in diem tertium*; dixit iisdem Moyses: *Estote parati in diẽ tertium.* Ita putat Abulensis. *Quantum ergo* (dicit hîc Gregorius) *puros decet esse Pontifices, vbi inuitata ad sacrificium, non nisi sanctificata admittenda sunt*

sunt plebes? Sanctificatio quippe corporis pudicitia est; sanctificatio mentis charitas, & humilitas.

10. *Sãctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.*] Alio sanctificantur modo, qui sacrificiis intersunt; alio, qui cibis è sacrificata victima vescuntur: de illis egimus nuper, de his nunc agamus. Non poterant rem Deo sacrificatam ad mensam adhibere, qui immunditiam, quam in certo aliquo genere contraxissent, legitima quadam ratione non expiarent; sacra enim impuris contrectare manibus, neque profanis erat à lege permissum. De hac porrò immunditia, quæ à sacrificatis carnibus remouet, déque illius peculiari forma, agitur Leuit. cap. 22. Cùm autem ibi plurima ponantur impedimenta; alia, quæ longam exigant expiationem; alia, quæ breuem: ab illis expiati, & eo modo sanctificati dicuntur, qui ex domo Isai ad sacrificatum vitulum sunt inuitati, quorum breuis est, & paucarum horarum expiatio legitima. Quale est tetigisse reptile, aut aliquid immundum, aut etiam ad vxorem accessisse proximè. Ab his igitur expiari facilè potuere, si qui in Isai familia aliquam contraxere maculam. Sanctificauit autem Samuel, vt opinor, filios Isai pridiè ante sacrificium, vt legitimè die sequenti sanctificatis vesci possent; præsertim si illa fuit immunditia contracta, quæ vsque ad vesperum mundari non poterat. Quæ immunditia ab esu pacificæ victimæ remoueat, habes Leuit. 7. v. 21.

Nemo sacrificiis vescitur, nisi purus.

11. Vocati dicuntur ad sacrificium filij Isai, & sanctificati; non quemadmodum alij de plebe, qui ad victimam inuitati sunt, vt tantùm interessent sacrificãti; sed vt victimæ essent alio modo participes, nempè vt illa vescerentur, vt docent satis, quæ proximè succedunt. Posse autem alienos à sacerdotali familia pacificæ victimæ vesci carnibus, constat ex cap. 7. vbi cùm ab aliis sacrificiis; id est, sacrificatis carnibus arcerentur alieni, à pacifica tamen victima non excluduntur. Porrò sacrificium pro re sacrificata sumi, in Scriptura sacra infrequens non est. Psal. 105. v. 28. *Comederunt sacrificia mortuorum*; id est, victimas sacrificatas. Leuit. 10. v. 12. *Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud.*

12. Vers. 6. *Cúmque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?*] Cupiebat vehementer Samuel mandatum implere, quod impositum habebat à Domino; atque ideò cùm altus iam esset dies, & ipse ieiunus à sacrificando rediisset, vt est non improbabile, & putat Lyra; non tamen priùs accubuit mensæ, quàm mandata, & cogitata perficeret. Cúmque ex ea domo sciret vngendum esse Regem, quis tamen ille futurus esset, ignoraret, sciscitabatur à Domino, quem ex omnibus vnum elegisset. Ingressus primus ætate maximus Eliab, qui procero erat corpore, & speciem habebat dignam imperio; quem homines, qui externa tantùm vidét, neque aliundè in iudicando sumunt coniecturam, Regem salutarent. Sed Dominus, qui cor penitùs intuetur, neque externarum rerum capitur specie, illum cum sua corporis proceritate prorsùs abiecit; edixítque Prophetæ, ne intueretur elegantiam, & formam, quæ sæpè mentitur, & sub qua profundæ latent, & pernicioſæ latebræ. Et sicut primum Eliab, sic etiam sex alios, qui deinde oblati sunt, à Regia vnctione, & dignitate reiecit. Et cùm Isai parentem interrogaret, an vllus superesset filius, respondit ille.

13. Vers. 11. *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.*] Non benè, vt apparet, Dauidis ingenium, atque virtutem norat Isai, quando & illum ad pastoritiam illam curam abiecerat, & indignum putabat, qui Samuelis oculos subiret. Dicit autem superesse vnum, illum tamen esse eiusmodi, vt de illius aspectu laborare Propheta non debuerit. Appellat autem paruulum, non quia ætate esset puerili, aut corpore exiguo; quia statim v. 18. vir appellatur fortis, & nos suprà cap. 13. pluribus ostendimus ætate esse iam prouectum: sed quia fratrum erat minimus. Fieri autem potest, vt qui aliorum comparatione minimus vocatur, idem absolutè cõsideratus magnus sit. Sicut Benjamin paruulus appellatur, Genes. 43. v. 29. & tamen eodem tempore decem suscepérat filios, vt constat Genes. 46. v. 21. Vtroque loco est Hebraicè קטן *katan*; quæ vox non significat absolutè *paruum*, sed comparatè *minorem*: qui autem comparatè minor est, ille absolutè magnus esse solet. Sicut luna luminare minus appellatur, Gen. 1. & tamen magnum est corpus, & egregiè illuminans.

14. *Dauid pulcher oculis, & facie.*

Vers. 12. *Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie.*] Facies describitur imperio non indigna, tametsi id Deus non admodùm curet; Veruntamen neque Regi à se designato illud Deus abesse voluit. Vbi Vulgatus, *pulcher aspectu*, Hebraicè est יפה עינים *iephe hhenaim*: id est, *pulcher oculis*; seu, vt vertit Pagninus, *cum nitore oculorum.* Quod autem aspectus hoc loco oculos significet, probat, quod statim sequitur, *decoráque facie*, quod omninò videretur otiosum, & redundans, si *aspectus* faciem significaret, aut speciem.

15. *Dauid solus nouit se vnctum esse in regem, aut solus cum illo pater Isai.*

Vers. 13. *Et vnxit eum in medio fratrum eius.*] Nõ dubium, quin fratres vngi viderint à Samuele Dauidem; illud tamen non ita certum, an intellexerint, quid illa tũc vnctio designaret. Quod eo tẽpore maximè occultatum oportuit; si enim fratres nossent initiatum esse à Samuele nouum Regem, facilè illud emanaret in vulgus, quod fratrum diu siue inuidia, siue beneuolentia, & gratulatio celare non posset; atque ideò effugere non posset Samuel, quod timebat, furorem nempe Saulis, & tyrannicam rabiem. Neque Saul Dauidem principiò tam amasset, tractasséque familiariter, vt apparet v. 17. si loco sui in regnum suffectum audiisset. Deinde non benè cum illa inauguratione Regia conueniebat, statim ad rusticum opus, & pastoritiam curam esse remissum. Neque tam liberè esset à fratribus obiurgatus cap. sequenti, cùm ad castra veniisset, & de præmio victori proposito rogaret. Ego hoc mihi persuadeo, nemini, præter ipsum Dauidem, Samuelis consilium fuisse notum; sicut multò antè idem Samuel occultè in Regem vnxit Saulem, neque cuiquam aperuit, donec publica vnctione, ac forma regnum iniit. Sanè, si Iosepho credimus lib. 6. cap. 9. Ant. vnus ex omnibus hoc Dei, Samueliſque consilium nouit Isai, qui id filere nouit, & filij, Samueliſque vitæ silentio consulere. *Postquàm*, inquit, *Dauid accitus à patre venit, adolescens colore flauus, & Martium quiddã tuens, alioqui liberali specie; tunc Propheta ad patrem versus summissa voce: Hic est, inquit, quẽ regnare Deo visum est.* Quod si ita est, vt planè videtur verisimile, satis constat, voluisse, cauisséque diligẽter Samuelem, vt hæc quàm occultissimè fierent; ostendisse patri, quanto in periculo versaretur Dauidis vita, & totius suæ familiæ salus, si qua, quod tũc esset inceptũ, ad Saulis aures permanaret. Hoc verò idẽ secretò ad Dauidis aures insusurrasse testis est Iosephus eodẽ loco. *Depromit*, inquit, *Sacrum oleum,*

quo delibutum Dauidem in aurem admonet, Deum ita velle, vt regnum in populum obtineat, præcipitque, vt iustitiam colat, & operam det, ne vnquam a mandatis Dei discedat. Caietanus neque ipsi quidem patri Isai notum putat vnctum esse Dauidem in Regem; sed tantùm electum à Deo, puta in Prophetam, aut in aliud sacrum, publicúmve ministerium.

16. Priusquàm ex hoc loco me expedio, duo libet obseruare. Alterum notauit Lyra, & ex eo Dionysius, & Hugo; nempe hîc Isai octo fuisse filios assignatos, quia præter Dauidem, septem numerantur; & tamen lib. 1. Paralip. cap. 2. v. 13. septem tantùm dicuntur esse filij, inter quos ipse quoque numeratur Dauid. Ego nihil hîc habeo, quod mihi satisfaciat; dicam tamen quid his, quos modò citaui, visum fuerit: quibus addo Magistrũ historiæ Scholasticæ, in lib. 1. Reg. cap. 15. & Rupertum, lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 4. Lector, vt volet, accipiat. Dicunt enim Ionatham filium Samma, cuius auditur nomen 2. Reg. cap. 21. v. 21. adoptatum fuisse ab Isai; sicut duo Ioseph filij, Ephraim, & Manasses, à Iacob: atque ideò inter alios naturales filios ad Samuelem productos; cùm tamen septem tantùm essent naturales, qui lib. Paralip. 1. numerantur. Coniectura satis infirma. Placet magis, quod putat Abulensis q. 27. qui docet non solere Scripturam omnes ad vnũ completè numerare, sed aliquando vnum, aut alterum omittere, quia parùm, aut nihil refert ad historiam. Quod probat in filiis Saulis, quia suprà cap. 14. tres filij numerantur; & tamen 1. Paralip. cap. 8. ponuntur quatuor.

17. *Isai trinominis.* Alterum est, Isai Dauidis patrem multinominem esse: dicitur enim Iesse, Isaiæ cap. 11. & in Nouo Testamento sæpè. Dicitur etiam Naas, lib. 2. Reg. cap. 17. v. 25. cùm enim loco proximè ex Paralip. citato, Isai dicatur genuisse Saruiam matrem Ioab, & Abigail, quæ duæ sorores fuerunt Dauid; lib. 2. Regum dicitur de Amasa: *Ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab.* Idem tenet Abulensis in caput proximè citatum ex lib. 2. Regum.

18. *Et directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.*] Sicut Saul cùm primùm vnctus est in Regem, *mutatus est in virum alterum*; ita vt qui rusticus antè fuerat, & indoctus, cum doctis, & vrbanis prophetare cæperit. Sic etiam Dauid cum sacra vnctione spiritum quoque sacrum, & nouũ accepit, quo alter à seipso redditus est. *Dirigo, prosperum aliquid sonat.* Dirigi autem ex vsu Scripturæ, felix aliquid, prosperum, & optabile indicat. Vnde frequens: *Dirige vias nostras, pedes nostros, opus nostrum, consilia*, & similia. Quod nihil est aliud, quàm prosperari illa, quæ dirigi postulamus. Vbi Vulgatus, *directus*; Hebraicè est תצלח *tiflach*, quod aliquid significat *prosperum*; quare quidam prosperatum interpretantur spiritum in Dauid; id est, *abundanter infusum*: est præterea idem quod *insilire*, & *irrumpere*, & ita Septuaginta conuertunt: *Insiluit spiritus Domini in Dauid.* Et hoc sine dubio spectauit noster Interpres, cùm dixit, *directus est spiritus Domini. Dirigi* enim, quæ vox est in Scriptura sacra militaris, in alium aciem intendere, aut impetum facere significat. Sed quia ideò spiritus in aliquem insilit, vt in eo requiescat, Chaldæus transtulit, *requieuit in Dauid.*

19. Quis autem fuerit hic *Spiritus Domini*, incertum est. Quidam *Spiritum* esse *Prophetiæ* putant, quem vbi primùm accepit, orsus est prophetare. Ita, Hieronymo teste in traditionibus Hebraicis, A sentiunt Hebræi, & Iosephus. Alij sentiunt *Spiritum* illum fuisse *fortitudinis*, quo & auderet adire pericula, & illa superare, & in perferendis laboribus strenuũ se præbere, & indomitum. Quorum satis longa laborum tolerantia, & periculorum susceptione, documenta dedit. Ita putant Lyra, Abulensis, Hugo, Caietanus, & Petrus Comestor. Ego *Spiritum* illum plura existimo Dauidi inspirasse dona, quibus mirificè in varia fortuna vir ille tantus excelluit; sed præcipuè datum esse Prophetiæ donum, & raram quandam in canendo, numeroséque componendo carmina peritiam; tùm deinde audaciam, & fortitudinem; illam nimirùm, quam Dominus abstulit à Saule; quod indicat illud: *Spiritus autem Domini* B *recessit à Saul*: eo nimirùm temporis momento, quo vnctus est Dauid. Hoc de Prophetia, & Musica docent illi, de quibus proximè: docet item Gregorius homil. in Ezechielem, vbi admirabilem, & multiformem Spiritus sancti virtutem edocet, & confirmat exemplis. *Implet*, inquit, *puerum cytharædum, & psalmistam facit.* Sunt qui putent, Psalmum 26. ab illo statim post vnctionem esse compositum: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Sed argumentum, quod ex Psalmi illius inscriptione sumitur, aut nullum est, aut valdè infirmum. Quid enim ad hanc cogitationem affert momenti, *Psalmus Dauid priusquàm liniretur?* Quasi vna tantùm fuerit vnctio Dauidis in Regem. (tres enim fuisse constat, primam, de qua modò, secundam per viros Iuda 2. C Reg. 2. tertiam per seniores Israël, 2. Reg. cap. 5.) neque post vnctionem dicitur Psalmus esse compositus, sed ante illam. Sanè Iosephus statim prophetasse dicit ab vnctione Dauidem, nempe pangendo in Psalmis, & cythara; neque enim alio modo legimus illum prophetasse. Idem affirmat Pseudophilõ in suis antiquitatibus Biblicis, vbi etiam Psalmum adducit, quem primum ab vnctione ceciniisse dicit Dauidem. Sed qualis sit illius libelli, & quàm infirma fides, paulò antè probauimus. Sanè Psalmus ipse, quem Dauidi merus ille nugator ascribit statim ab vnctione, & alius, quem statim ceciniisse traditur, cùm à spiritu malo vexaretur Saul, satis indicant neque illorum psalmorum auctorem esse Dauidem, & Philonem D illum, aut vanum Philonis simulacrum, & vmbram Thalmudistam esse, & merè nugatorem, quia sua somnia, deliráque figmenta, quasi vera forent oracula, proponit.

Dauid, cum est vnctus, varia accepit Spiritus sancti dona.

De spiritu fortitudinis placet quod visum est 20. pluribus, ex eo tempore eas vires, atque animos *Spiritus fortitudinis Dauidi datus cum vnctione.* inspiratos esse Dauidi, vt multa tentauerit, perfecerítque, quæ neque auderet priùs, neque, si priùs aggrederetur impauidè, secundo perficeret euentu; ad eum modum, quo Dominus anteà Samsoni spiritus indidit audaces, & vires planè gigantæas. Quare ex eo tempore consecutus est nomen & egregij Psaltæ, & viri fortissimi, vt dicebat vir ille, de quo infrà v. 17. quem scientem psallere, & virum bellicosum appellat. Neque est improbabile, post vnctionẽ illam contigisse, quæ E de se coram Saule narrat ipse Dauid cap. sequenti, vt satis ad pugnã se idoneum esse probet cum hoste Palæstino; nempè quod ex leonis, & vrsi faucibus prædã eripuerit, quòd illos inermis tantùm manibus, atque lacertis suffocauerit. Quod licèt obscuriùs docet August. tom. 10. ser. 2. Dominicæ primę post Trinitatẽ. *Priusquã veniret Dauid, cùm iã vnctus esset à beato Samuele, sicut & ipse Sauli Regi suggessit, & leonem, & vrsum sine armis occidit.*

Tenet

Tenet hoc apertè Abulenſis q. 29. & idem putat de ſpiritu Prophetiæ, & Rupertus lib. 1. in lib. 1. Reg. cap. 28. Quòd ſi quicquã mereretur fidei author ille antiquitatum Biblicarũ, qui ingenij ſui ignobilem partum Philoni ſuppoſuit, ſatis habemus ab eo de ſpiritu Prophetię, ac fortitudinis, & quod non priùs leonem occidiſſet, & vrſum, quã eſſet vnctus à Samuele, illuſtre teſtimonium. Ait enim cùm pſalmum cecinit recèns ab vnctione, quo ſe pſaltem, & prophetam agnouit, experiri voluiſſe, an verus eſſet ſpiritus fortitudinis, quem in ſe ipſo calere ſentiebat. *Et cùm adhuc*, inquit, *Dauid loqueretur, ecce leo amarus de ſylua, & vrſa de monte rapuerunt tauros Dauid: & dixit Dauid, ecce hoc ſignum erit in fortiſſimum initium victoriæ meæ in pugna. Et exeo poſt eos, & liberabo, quæ direpta ſunt, & occido eos. Et exiens Dauid poſt eos, accepit lapides de ſylua, & occidit eos.* Hæc Pſeudophilo, in quibus duo vides, quæ minùs cõſentiunt cum Sacra hiſtoria; nam tauros dicitur pauiſſe Dauid, cùm tamen conſtet ouium eſſe paſtorem; & funda occidiſſe leonem, & vrſum, cùm ipſe fateatur manibus à ſe fuiſſe præfocatos, neque illorum prædam tauros eſſe, ſed arietes.

21. *Ablatus Saulì ſpiritus, qui Dauidi datus.*

Verſ. 14. *Spiritus autem Domini receſſit à Saul: & exagitabat eum ſpiritus nequam.*] Quia iam reprobatus erat Saul, & à regno depulſus, negauit Deus, quod electis à ſe regibus largiri ſolet; *Spiritum* nempe illum, qui Regibus neceſſarius eſt, eo maximè tempore, in quo Reſpublica eſt perturbata, & ab hoſtibus durè, & aſſiduè laceſſita. Ille autem *Spiritus ſapientiæ* eſt, & *fortitudinis*, quẽ habuit meliori regni ſui tempore Saul, cùm Samueli, & in Samuele Domino obſequentem ſe præbuit. Ille autem *Spiritus* datus eſt, vt vidimus, ſucceſſori Dauidi, qui cum vnctione *Prophetiæ donum*, quaſi alligatum muſicæ, & pſalmis, accepit, vt indicat Auguſtinus de Ciuitate 17. cap. 14. & *Spiritum fortitudinis*. De *Spiritu fortitudinis* conſtat; quia ex hoc tempore nihil egit egregium, &, vt apparet ex capite ſequenti, timorem ſuum, atque languorem totis caſtris, quibus præerat, infudiſſe viſus eſt, cùm vnius hominis vox omnes, quotquot in caſtris Saulis ſuberant imperio, timore concuſſerit, & in ignominioſam fugam egerit. Cúmque à bono ſpiritu vacuum inueniſſet animum Spiritus nequam, illum quaſi caducam poſſeſſionem occupauit, quem exagitabat fœdè, & durè, neque animo conſiſtere, aut corpore patiebatur, ſed huc atque illuc verſabat lymphatico more, ſui omninò atque rationis impotẽ. Quo nihil in eo, qui in excelſo loco, aut cum poteſtate eſt, poteſt eſſe miſerius.

22. *Quis ſpiritus malus, qui exagitauit Saulem.*

Dubitant hìc aliqui, quiſnam ſit hic *Spiritus nequam*, qui inſiliit in Regem, & tantam in illo rerum metamorphoſim exercuit. Quidam morbum eſſe putant ex atra bili natum, qui in furorem agit, & à mente commouet affectos; quique non leuiora in corporibus, quæ afficit, quàm dæmon, qui obſidet, & intùs agit, edit ſigna furoris, aut lymphaticis motibus contorquet, & exagitat. Ita Ioſephus, qui Saulem in dæmoniacum morbum incidiſſe tradit, ita vt ſtrangulari, ac præfocari videretur. Idem penè Caietanus; quod ſenſiſſe etiam Hebræos, tenet Genebrardus in Chronico ad annum mundi 3066.

23. Alij per hunc morbum dicunt Saulem eſſe vexatum. Ita Martinus de el Rio lib. 3. diſquiſ. Magic. q. 4. vbi plures citat, docétque, quomodò variis modis, ac morbis dæmon homines poſſit, ac ſoleat afficere. Quod ſi ita eſſet, non eſſet difficile ſtatuere, quomodò muſica dicatur dæmones expellere, cùm exhilaret animos, & morbum immiſſum à Dæmone frangat, aut expellat. Qua de re lege Valleſium de ſacra Philoſophia c. 28. vbi hac de re latè, atque optimè.

Sunt qui hunc *Spiritum* bonum eſſe putant, qui 23.
miſſus ſit à Deo, vt excruciaret Saulem, & pœnas ab eo ſumeret violati præcepti. Quod autem boni Angeli aliquando diuinæ iuſtitiæ adminiſtri ſint, communis eſt Patrum, Doctorumque ſententia. Quod docuit Auguſtinus pluribus ad illud Pſal. 77. *Immiſſiones per Angelos malos.* Vbi idem tenent Baſilius, & Beda. Quod verò *Spiritus* ille *bonus* ſit, ex eo videtur probari poſſe, quòd *Spiritus* appellatur *Domini*.

Veruntamen communis eſt Patrum, Doctorúmque ſententia, energumenum fuiſſe Saulem; id eſt, obſeſſum, & intùs exagitatum à dæmone. Et quidem inuita trahitur, & omninò contorta litera in aliam ſententiam. Ita Gregorius lib. 2. Moral. cap. 6. Iſidorus in lib. 1. Reg. cap. Rupertus lib. 2. in cap. 1. Reg. cap. 1. & 2. Eucherius hìc, Lyra, Abulenſis, Dionyſius, Hugo, Serarius, Mariana, Vatablus. Et tandem Valleſius, poſtquàm variè rem tractauit medicam in cauſa Saulis, à Dæmone vexatum eſſe dicit; & idem tandẽ fatetur Ioſephus. Dicit hoc apertè Theodoretus q. 38. *Cùm diuinus*, inquit, *receſſiſſet ſpiritus, locum eſt ſortitus malignus ſpiritus: ſic cùm Apoſtolica gratia Iudam reliquiſſet, in eum ingreſſus eſt diabolus.* Dicitur autem dæmon *Spiritus Domini*, cùm tamen ſit malus, quia eius miniſterio Dominus vtitur. Qua ratione, qui alieniſſimo ſunt animo, & dominis etiam hoſtiliter infenſi, illorum tamen eſſe dicuntur: quales ſunt Mahometani captiui, qui Chriſtianis; aut Chriſtiani, qui Mahometanis dominis captiui ſeruiunt. Cùm ergo dæmones vel inuiti pareant Domini voluntati, licèt mali ſint; Domini tamen eſſe dicuntur, quia ſeruilem illi nauant operam. De quibus optimè Gregorius lib. 2. Moral. cap. 6. *Diabolus*, inquit, *licèt afflictionem iuſtorum ſemper appetat; tamen ſi à Deo poteſtatem non accipit, ad tentationis articulum non conualeſcit, vnde omnis voluntas eius iniuſta. Ex ſe enim tentare appetit; ſed eos, qui tentandi ſunt, & prout tentandi ſunt, Deus iuſtè tentari permittit. Ideò idem ſpiritus & Domini appellatur, & malus; Domini per licentiam iuſtæ poteſtatis; malus per deſiderium iniuſtæ poteſtatis.*

24. *Dæmon exagitauit Saulem.*

Quomodò, licet Diaboli voluntas mala; non tamen poteſtas.

Verſ. 16. *Et quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuiùs feras.*] Vſu videntur Saulis ſerui didiciſſe muſicis numeris vexationes illas, & moleſtias leniri, quæ ſunt à malo ſpiritu. Atque ideò monent Regem, vt ſibi de opportuno remedio prouideat: neque aliud magis idoneum, præſénſque comperiunt, quàm ſi vir accerſatur vndecúmque, canendi, pulſandíque peritus, qui furentem ſedet animum, mœrentem exhilaret, & è ſua quaſi ſede commotum, ad ſuum locum, ſtatúmque reſtituat. Quærunt hìc multi, quid contra dæmones virtutis habeant numeroſi concentus. Qua de re multa Abulenſis, & Valleſius; ille in hunc locum, hic in ſacra Philoſophia cap. 28. neque pauca in hunc locum Serarius. Sanè vim ad ſedandos, componendóſque animos in muſicis numeris eſſe magnam, antiqua, & grauia teſtimonia, & quotidiana ſatis ſupérque probant experimenta. Plutarchus lib. de Muſica ad finem, à Terpandro muſica ſedatum eſſe dicit motum Lacedæmone excitatum, & à Thalete Cretenſi muſicæ præſidio compreſſam eſſe peſtem, quæ

Spartæ cum multorum exitio graſſabatur. Seneca lib. 3. de ira cap. 9. *Pythagoras*, inquit, *perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos, & tubas concitamenta eſſe, ſicut quoſdam cantus blandimenta, quibus mens reſoluatur?* Baſilius de legendis libris Gentilium: *Oportet*, inquit, *nec oculos ſpectaculis, nec vanis præſtigiatorum oſtentationibus tradere, nec per aures animarum corruptricem melodiam haurire. Hoc enim muſicæ genus ſeruitutis, & ignobilitatis fructus parere, præterea libidinum ſtimulos acuere ſolet. Alia nobis muſica longè melior exiſtit, & ad meliora nos excitans ſequenda. Dauid ſacrorum cãticorum poëta cythara ex inſania Saulem Regem liberauit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens iuſſiſſe tibicinem conuiuio luxurioſo præſidentem mutare harmoniam, ac dorium ipſis canere; atque hoc modo melodiæ illos ad ſobrietatem reduxiſſe, qui eiectis de capite coronis, ſanè omnes erubuere.* Hac de re non pauca Caſſiodorus lib. 2. Variarum 40. *Muſica*, inquit, *triſtitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam ſeuitiam efficit blandam, excitat ignauiam, ſoporantemque languorem vigilantibus reddit ſaluberrimam quietem. Sanat mentis tædium bonis cogitationibus ſemper aduerſum.* Lege reliqua, quæ multa ſunt, & pulchra.

26. Ego primum illud cum Interpretum pleriſque probo, captare dæmonem, non ſolùm vt animum, ſed etiam vt corpus ſubeat hominum; aut certè vt extrinſecus aſſiſtens excruciet, vt animus graui aliqua afficiatur, & quaſi abſorbeatur intẽperantia; qualis eſt furor, mœror, deſperatio, libido amens, & præceps. Id probat Lunaticus ille dæmoniacus, de quo Matth. cap. 17. qui tunc maximè ſpiritui malo videbatur obnoxius, quando grauius aliquid pateretur à luna. Quare qui κακοπαθείαν aut tolleret, aut leuaret in homine, ille aliquid diabolo in hominem poteſtatis adimeret. Cùm ergo muſicæ ſuauitas leuet ægritudinem (quam neceſſe erat eſſe maximam; cùm id à Samuele diuinorum conſiliorum internuncio accepiſſet, quo ambitioſis, & ſuperbis animis nihil poterat accidere moleſtius) & aliquo modo dæmoni aditum præcludat, nec quietam in corpore poſſeſſionem ſinat; ex Saule dæmonem expuliſſe dicitur Dauid, dum ad cytharæ ſonos vocem adhibet modulatam, quæ mœrorem detergit, & Regium animum in ſua facit eſſe poteſtate.

Muſica, quid in Diabolũ poteſtatis habeat.

27. Secundò puto, non hoc totum negotium eſſe numeroſæ melodiæ; ſed aliquid eſſe tribuendum verbis, quæ in numeros aptauit melicos egregius Pſaltes, & omnium optimus, ex quo vnctus fuit à Samuele, & ſpiritu afflatus non prophetico ſolùm, ſed etiam poëtico, ac muſico; vt non ſolùm pſalmos concinnaret, ſed etiam voce, ac plectro modularetur. Quòd autem ſacra verba vim habeant contra dæmonum inſidias, & arma potentiſſimam, docent adiurationes ſacræ, & exorciſmi, quibus quotidiè ad expellendos cacodæmonas vtitur Eccleſia. In his autem verbis adhibentur quoque pſalmi Dauidici, qui quoniam diuinas ſæpè continent laudes, quas dæmon audire non ſuſtinet, libentiùs deſerit obſeſſa corpora, quàm audit verba diuinas laudes, & Dei horribilia opera, & admiranda magnalia reſonantia. Quę in Dauidis ore, quod Dominus ſuarum vocum organum eſſe voluit, quódque ſpiritu diuino inflauit, non leue pondus habuere. Nam longè hinc abit Theodoretus, qui hoc diuinæ gratiæ attribuit, quam Dauid acceperat à Deo, q. 39. Hæc mihi in re maximè obſcura dici poſſe videntur neque abs re, neque improbabiliter; alij plura dicunt magis apta fortaſſe, à quibus ego prudens abſtineo.

Verſ. 18. *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitæ ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum*, &c. *& Dominus eſt cum eo.*] Hunc virum quidam fuiſſe putant Doeg Idumæum, de quo cap. 22. qui multorum Sacerdotum cæde pollutus eſt. Aiunt enim huius in Dauidem odium eſſe maximum, & tantoperè laudaſſe Dauidem, vt Saul illum accerſeret è paſcuis, & à dæmone ſtimulatus occideret; ſed neque probant, neque oſtendũt, aut oſtendi poteſt illius odij aliquod veriſimile fundamentum. Ita putant Hebræorum magiſtri, vt tradit Hieronymus in traditionibus Hebraicis. Sequitur Rupertus l. 2. in l. 1. Reg. cap. 1. Lyra, & nonnulli alij. 28.

Ego exiſtimo, ex quo Dauid cum vnctione alia quoque dona accepit planè rara, multis ex his, qui proximè habitabant, eſſe notiſſimum, & in ea fuiſſe exiſtimatione; vt Deum haberet propitium, & fauentem, à quo eſſet inſtinctus. Neque enim vulgaris erat aut numerus, aut ſpiritus, qui cernebatur in pſalmis, quos pangebat; neque humana cenſebatur vocis ſuauitas, aut modulatus ſonus, aut organorum peritia, quæ in modulandis canticis oſtentabat. Accedebat, quòd illud eximium, quod attonita turba admirabatur in Dauide, non erat antiquum, ſed inopinatum, & nouum, ita vt non opus exiſtimares artis, aut naturæ; ſed inſpiratum cælitùs à Deo. Cùm autem occultum non poſſet eſſe diu, leones, & vrſos tam facili negotio, audacique conatu ab inermi fuiſſe ſuffocatos, quod perquàm mirum eſt, & ante illud tempus vni fortaſſe Sãſoni conceſſum (mitto enim quod de ſuo Hercule fabulantur Gentiles) non mirum, ſi in illo ſupra humanum aliquid ſuſpicerent homines, & Deum eſſe cum illo ſibi perſuaderent. 29. *Multa cum vnctione Dauidi cõceſſa.*

Illud notandum, hoc loco *virum* eſſe vocatum, non *puerum*, quæ vox ætatem iam adultam, & cõfirmatam ſignificat; neque ideò vir appellatur, quia robuſtus eſt, ita vt nomen illud habeat, non ab ætate, ſed à robore; otioſa etenim eſſet illa vox, cùm iam priùs & fortis robore, & bellicoſus appellatus eſſet. Hebræi in Seder Olam cap. 13. viginti nouem annorum fuiſſe tradunt, cùm vnctus fuit à Samuele; Abulenſis viginti, q. 1. quod etiam tenent alij. Qua de re nos pluribus ſuprà cap. 13. Sanè puer non erat, qui armiger factus eſt à Saule ſtatim v. 21. & paulò pòſt cap. 17. v. 5. præpoſitus eſſe dicitur viris belli; quod munus prudentiam deſiderat iam maturam, & ingenium pluſquàm iuuenile. Dicitur etiam bellicoſus, non quia in caſtris fuiſſet aliquando, aut arma tractaſſet, niſi paſtoritia, ac ruſtica; ſed quia animum oſtenderat audacem, & impauidum, & ad bellorum diſcrimina ſtrenuum, & idoneum. 30.

Verſ. 20. *Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus*, &c.] Noluit Iſai filium ſuum Regium conſpectum ſubire vacuum, eo maximè tempore, quo filium inter ſuos admittebat domeſticos, qui maximus inter homines exiſtimatur honos; ſed miſit pro ſua tenuitate magnum, pro Regia tamen maieſtate exile munus. Quod tamen in caſtris, quæ non ſemper rebus abundant ad vitam neceſſariis, contemni non ſolet. Hoc tamen miſſum arbitror ex illorum temporum cõſuetudine, in quibus ſubditi obſeruantiæ, & ſubiectionis ergo, cùm Dominorum ſubeunt oculos, aliquod ferunt 31. *Dona regibus obſeruãtiæ cauſa dari ſolita.*

ferunt ſuæ fidei, atque obſeruantiæ teſtimonium; quod etſi leue ſit, non tamen leue cenſetur amoris argumentum. Notum eſt, quo animo magnus imperator Artaxerxes aquam hauſtam è flumine è ruſtici cuiuſdam manibus acceperit. Ad hunc modum, & ad hanc, vt opinor, conſuetudinem Iacob ad Ægypti præfectum, quem ſuum eſſe filium tunc ignorabat, donum miſit, exiguum quidem, ſed ſuæ in illum obſeruantiæ teſtem, Geneſ. 43. v. 11. *Modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebynthi, & amygdalarum.*

32. Aſinus *plenus* dicitur; id eſt, onuſtus panibus. Ex hac dicendi forma coniectat author hiſtoriæ Scholaſticæ, non tam oneratum panibus aſinum, quàm ex aſini pelle confectum eſſe ſaccum, quem panibus plenum attulit Dauid; ſicut è bouina pelle fit culeus, ex hircina vter. Et fauet huic coniecturæ, quod Hebraicè non eſt *plenus aſinus panibus*; ſed tantùm *aſinus panis*: quomodò dicitur *ſaccus panis*, *vter vini*, *amphora aquæ*. Veruntamen noſtra tranſlatio optima eſt, cuius eſt ſenſus, tantum eſſe miſſum panis, quantum communiter aſinus vnus portare poteſt; quaſi dicat, miſſum eſſe plenum, atque legitimum aſini pondus. Quod vt explicem, obſeruo corum menſuram eſſe amplam tam aridorum, quàm liquidorum, vt docet Ezechiel cap. 45. v. 13. Quo loco ad verſum 11. nos ea de re pluribus. Porrò corus Hebraicè dicitur חמור *chomer*; de cuius menſura non eadem eſt Interpretum ſententia. Quidam tantum frumenti, aut panis capere putant, quantum camelus; alij quantum aſinus portare poſſit: & ideò putant aſinum dictum חמור *chamor*; quia illi chomer vnus; id eſt, corus vnus pondus eſt. Quare *aſinus plenus* plena menſura eſt, quæ communiter imponi aſino ſolet; quam dum portat, ſatis cenſetur eſſe onuſtus, non quidem ſaccus ex aſinina pelle. Eſt autem cori, ſiue chomer menſura, non aſini pellis in ſaccum concinnata, ſed aſini dorſum, & vires. Tantum igitur panis impoſuit aſino Iſai, quantum portare potuit: & ideò dicitur *plenus*, quia nihil illi de legitimo pondere detractum eſt.

Aſinus plenus panibus quid.

33. Verſ. 21. *Et factus eſt armiger eius.*] Quia liberali facie, atque ingenio viſus eſt Dauid, neque eius aduerſus frequentes à dæmone moleſtias inutilem operam expertus eſt, voluit apud ſe inter domeſticos retinere Saul. Quia tamen parùm honeſta videbatur illa cauſa, quæ præcipua fuit; nempè vt arreptitium Regem à dæmonis vexatione liberaret; honeſtam quærit ſpeciem, vt opinor, vt illum familiarem habeat, & aſſiduum. Quare illum armigerum ſibi deſignat; quod tamen munus, quantum ex Scriptura ſacra coniectare licet, nunquam exercuit: quia antequàm bellum à Philiſthæis ingrueret, iam ille ad patriam, & paſtoritium opus reuerſus fuerat.

Cur cùm tam fuerit Sauli neceſſarius Dauid, ab illo diſcedere iuſſus ſit, aut permiſſus, variæ à variis afferuntur rationes. Ioſephus lib. 6. cap. 10. & Abulenſis q. 39. remiſſum eſſe tradunt Dauidem ad patrem, quia bellandi tempus aderat, & hoſtis iam erat in Iſraelitarum terminos ingreſſus. Noluiſſe autem videri poteſt in caſtris habere cythariſtam, & muſicum; cùm armis opus tunc eſſet bellicis, non muſicis, & ludicris inſtrumentis: tum ne adoleſcentulum, quē amabat, & ineptum arbitrabatur rei militari, periculis obiiceret. Serarius ideò cenſet ad patriam, & antiquam operam eſſe remiſſum, quia iam Saul ſe à ſpiritu malo ſolutum credebat, & ſtatui priori omninò reſtitutum. Ego aliam addo; quia Saul eo maximè tempore, quo ab ſpiritu vexabatur aduerſo, moroſo erat, & mutabili ingenio: atque ideò ſicut neque ſibi in ſeipſo placebat, & ſuos etiam infenſis, & toruis ſpectabat oculis, & ad mortem interdum expetebat (vt de Ionatha conſtat, quem lancea tranſuerberare voluit, infrà cap. 20. v. 33.) ſic etiam quem anteà amabat, ſecúmque in perpetuum retinere voluit, poſteà odio proſecutus eſt, aut minùs quàm antè libenter audiebat. Dedit volubilis, atque inconſtantis ingenij in cauſa Dauidis documenta clara. Nam cùm ſæpè in illum mitiùs eſſet affectus, & blanda, atque paterna compellatione filium appellaſſet; paulò pòſt conuerſo repentè animo, non minùs quàm anteà hoſtiliter inſectatus eſt. Vide infrà cap. 24. v. 17. & c. 26. verſ. 21.

34.

Has ego cauſas inuenio ex parte Saulis; ex parte autem Dauidis alia adduci poſſet: quia cùm in eremo paſcendis tantùm ouibus intentus, ab aulico ſtrepitu ſeparatus ſublimia contemplaretur, ab eo præſertim tempore, in quo diuini Spiritus in ſe ſtimulos, & igniculos expertus eſt; neque inter aulicas curas, & ambitioſa hominum ſtudia ſeceſſum haberet ad diuinas illuſtrationes opportunum; ſuperiorem amabat ſtatum, & vitam à Regiis oculis, & imperio non ſemper æquiſſimo ſolutam, in qua & ſibi vacaret, & Deo, & quod à diuino hauſerat ſpiritu, ſeruaret, ac foueret. Atq; ideò cùm primùm nactus eſt occaſionem, antiqua ſtudia, & ſolitudinem repetendi, illam excidere paſſus non eſt; neque credo, vt erat Rex inſtabilis, & varius, in aliquo articulo eum difficilem non habuit.

35.

Verſ. 23. *Quandocúmque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam*, &c.] Quomodò ad cytharæ ſonum, & Dauidis cantum recrearetur Saul, & dæmon recederet, ſuprà à nobis dictum eſt.

36.

IN CAP. XVII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM Philiſthini rursùs arma mouerent contra Iſraelem, metati ſunt caſtra ad vallem Terebynthi, quibus ex aduerſo Iſraëlitarum acies conſederunt. Erat autem à Philiſthæo genere homo prodigioſæ molis, fortis robore, reique militaris iampridem ab adoleſcentia peritus, & ad hæc ad omnia bellorum diſcrimina egregiè munitus, qui fortiſſimum quémque ex Hebræorum agmine ad ſingulare certamen laceſſebat, ea lege, vt populus ille admitteret iugum, & imperium ſubiret qualecúmque, qui

in eo

in eo congreſſu aut cecidiſſet, aut certè iudicatus eſſet inferior. Quod ſingulis diebus faciebat alacer, & inſolens, & ad verba prouocatoria addebat inſuper procax, liberúmque conuitium. Néque tamen vllus ex agmine tanto, aut certamen, aut certaminis conditionem admiſit: licet Rex tunc alia plurima familiæ, ac domus ornamenta proponeret, & deſponſata filia, cum illo Regium nomen, ſanguinémque coniungeret. Audiuit Dauid, quemadmodum homo ille inflatus & barbarus Iſraelitarum caſtris illuderet impunè, & quid à Rege promiſſum foret illi, qui illud Iſraelis opprobrium victor auerteret; & licet repugnantibus, atque adeò grauiter increpantibus fratribus, quorum cauſa, ne quid illis in caſtris deeſſet alimentorum, miſſus à patre fuerat, Regem adit, & meliore eſſe animo iubet, ſibi fore affirmans non difficile ingentem illam hominis molem ſternere; Tum quia à Deo ſibi promittebat omnia, quem ſibi adfuturum confidebat; tum quia non omninò inſuetus pugnæ certamen illud aggrediebatur, cùm leones ſæpe occidiſſet, & vrſos, & ex eorum faucibus iam prope deuoratam prædam extraxiſſet. Perſuaſit Regi, & ſpem iniecit de meliori ſucceſſu; qui arma offert, qualia genus illud pugnæ deſiderat: quæ cùm illis nunquam aſſueuiſſet, abiecit, paſtorali funda, baculóque contentus. Cúmque pro temporis illius, atque articuli anguſtia mutua in ſe duo illi bellatores conuitia iactaſſent, alter nimiùm ſibi inſolenter attribuens, alter à Deo auxilium ſperans opportunum; Tandem Dauid lapidem è torrente ſumptum excuſſum à funda illiſit, infixitque fronti antagoniſtæ ſui, deſectumque caput detulit Ieruſalem: & tandem poſteà, ea ratione profeſſus illam vni Deo adſcribendam eſſe victoriam, gladium ipſum in Tabernaculo repoſuit, futurum tantæ victoriæ diuinitùs obtentæ æternum monumentum. Eo euentu conſternati Philiſthini, quaſi Goliathe cadente ipſorum quoque animi, ac vires concidiſſent, variam capeſſunt, & ignobilem fugam, & deſerta ignominioſè caſtra Hebræis iam victoribus diripienda relinquunt. Poſt hæc Dauid ad Regem victor adducitur, & explorato ipſius genere, ac domo in illius aulam, & conſuetudinem accerſitur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

1. COngregantes autem Philiſthiim agmina ſua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & caſtrametati ſunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim.

2. Porrò Saul & filij Iſrael congregati venerunt in Vallem Terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſthiim.

3. Et Philiſthiim ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſupra montem ex altera parte: valliſque erat inter eos.

4. Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi.

5. Et Caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamata induebatur, porrò pondus loricæ eius, quinque millia ſiclorum æris erat:

6. Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius.

7. Haſtile autem haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium, ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum.

8. Stánſque clamabat aduerſum phalangas Iſrael, & dicebat eis: Quare veniſtis A parati ad prælium? Nunquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul? Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen.

9. Si quiuerit púgnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego pręualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.

10. Et aiebat Philiſthæus: Ego exprobraui agminibus Iſrael hodie: Date mihi B virum, & ineat mecum ſingulare certamen.

11. Audiens autem Saul, & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis.

12. Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo ſuprà dictum eſt, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.

13. Abierunt autem tres filij eius maiores poſt Saul in prælium: & nomina triũ C filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiúſque Samma.

14. Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem,

15. Abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.

16. Procedebat verò Philisthæus manè & vesperè, & stabat quadraginta diebus.

17. Dixit autem Isai ad Dauid filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos,

18. Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.

19. Saul autem, & illi, & omnes filij Israel in Valle Terebinthi pugnabant aduersum Philisthiim.

20. Surrexit itaque Dauid manè, & commendauit gregem custodi: & onustus abiit sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum: qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

21. Direxerat enim aciem Israel, sed & Philisthiim ex aduerso fuerant præparati.

22. Derelinquens ergo Dauid vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia rectè agerentur erga fratres suos.

23. Cúmque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid.

24. Omnes autem Israelitæ, cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde.

25. Et dixit vnus quispiam de Israel: Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergo qui percusserit eum ditabit rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel.

26. Et ait Dauid ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?

27. Referebat autem ei populus eundē sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum.

28. Quod cùm audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est cōtra Dauid, & ait: quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium, descendisti.

29. Et dixit Dauid: Quid feci? numquid non verbum est?

30. Et declinauit paululum ab eo ad aliū, dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut priùs.

31. Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annunciata in conspectu Saul.

32. Ad quē cùm fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.

33. Et ait Saul ad Dauid: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.

34. Dixitque Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis:

35. Et persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mētum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos.

36. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?

37. Et ait Dauid: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit.

38. Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.

39. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat cōsuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Nō possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea,

40. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Philisthæum.

41. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum.

42. Cúmque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus & pulcher aspectu.

43. Et dixit Philisthæus ad Dauid: Nūquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus Dauid in diis suis:

44. Dixit

44. Dixítque ad Dauid; Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli & beſtiis terræ.

45. Dixit autem Dauid ad Philiſthæum: Tu venis ad me cum gladio,& haſta,& clypeo:ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum,Dei agminum Iſrael,quibus exprobraſti

46. Hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te: & auferam caput tuum à te : & dabo cadauera caſtrorum Philiſthiim hodie volatilibus cæli,& beſtiis terræ:vt ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſrael.

47. Et nouerit vniuerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio , nec in haſta ſaluat Dominus:ipſius enim eſt bellum,& tradet vos in manus noſtras.

48. Cùm ergo ſurrexiſſet Philiſthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, feſtinauit Dauid,& cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi.

49. Et miſit manum ſuam in peram , tulitque vnum lapidem, & funda iecit,& circumducens percuſſit Philiſthæum in frontem;& infixus eſt lapis in fronte eius,& cecidit in faciem ſuam ſuper terram.

50. Prævaluítque Dauid aduerſum Philiſthæum in funda & lapide,percuſſumque Philiſthæum interfecit. Cúmque gladium non haberet in manu Dauid,

51. Cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæũ, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua:& interfecit eum, præcidítque caput eius. Videntes autem Philiſthiim,quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum , fugerunt.

52. Et conſurgentes viri Iſrael & Iuda vociferati ſunt : & perſecuti ſunt Philiſthæos vſque dum venirent in vallem , & vſque ad portas Accaron, ceciderúntque vulnerati de Philiſthiim in via Saraim, & vſque ad Geth,& vſque ad Accaron.

53. Et reuertentes filij Iſrael poſtquam perſecuti fuerant Philiſthæos , inuaſerunt caſtra eorum.

54. Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, attulit illud in Ieruſalem:arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo.

55. Eo autem tempore,quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner principem militiæ : De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner? Dixítque Abner: Viuit anima tua , rex , ſi noui.

56. Et ait rex: Interroga tu,cuius filius ſit iſte puer.

57. Cúmque regreſſus eſſet Dauid, percuſſo Philiſthæo,tulit eum Abner, & introduxit coram Saule,caput Philiſthæi habentem in manu.

58. Et ait ad eum Saul : De qua progenie es , ô adoleſcens? Dixitque Dauid:Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.

IN CAP. XVII. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Verſ. 1. *Congregantes autem Philiſthiim agmina ſua,&c.*]

1. QVo tempore hæc acciderint, Scriptura ſilet:eſt tamen veriſimile fuiſſe non longè ab eo tempore , quo diuinitùs fuerunt ab Iſraele Palæſtini fugati ; de quo cap. 14. Eſt autem veriſimile, quicquid ſpatij fuit ab illa fuga, & ignominioſa clade, in comparando nouo bello fuiſſe conſumptum. Neque enim Palæſtini homines ſuperbi, & bellica gloria nobilitati, diu paterentur ſuum nomen non apud Hebræos ſolùm , ſed etiam apud vicinos populos eſſe ludibrio. Porrò deſcriptio locorum, vbi ſua tam Palæſtini , quàm Hebræi caſtra metati ſunt, obſcura non eſt; neque video cur in illa diutiùs nobis commorandum ſit.

2. Verſ. 4. *Et egreſſus vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliath de Geth.*] Erat media inter duo inimica caſtra , quæ in montibus ex aduerſo conſederant, vallis, quæ committendo bello erat non importuna; in quam quotidie ex ſuorum caſtris erumpebat vir quidam & mole corporis , & explorato iampridem robore terribilis, nomine Goliath, vt fortiſſimum quémque ex Iſraelitide gente ad certamen ſingulare laceſſeret. Cur autem hic dicatur *ſpurius*, incertum , & obſcurum eſt. Hebræi *ſpurium* ideò appellari dicunt, vt docet Hieronymus in traditionibus Hebraicis; quia ex mixto genere natus ; ex patre videlicet gigante, & ex matre Gethæa. *Spurius* autem illegitimus eſt, iuxta communem vulgi ſenſum. Alij *ſpurium* dicunt , quia ignotis parentibus natus, quaſi *ſine patre*. Hi enim, quibus parentes ſunt incerti , quia cùm illegitimo eſſent concubitu , ac damnato concepti , parentes ne ſuam proderent intemperantiam , prodiderunt filium , & aliorum ſuppoſuere aut thalamo , aut nomini , vt pro ſuo , aut ſuis certè ſumptibus alerent. Hi verò his notabantur literis , S. P. id eſt , *ſine patre*. Cùm autem *Spurij* , quæ familia inter Romanos erat antiqua , & nobilis , iiſdem notarentur literis , factum eſt , vt propter ſimilitudinem *ſpurij* quoque dicerentur , qui eſſent ſine patre. Vide Plutarchum in problem. Romanis ad finem. *Sine patre* autem illi dicuntur,quibus ignotum genus eſt,& occulti natales. Quomodò Melchiſedech ad Hebræos cap.7.v.3. *ſine patre,ſine matre,& ſine genealogia* fuiſſe traditur ; quia de illius parentibus , aut genere in Scriptura non conſtat. Et iuxta hoc nomen illi quoque *Spurij* dicuntur, qui

Ad Hebr.7.

Cur Golia h vocatus Spurius.

qui ex multorum parentum confuso semine nati sunt; cùm mater videlicet venale corpus multorum libidini suppoſuit: quia ergo ἀπεφάδιον, id est, sparso à multis semine conceptus est, vocari potuit *spurius*.

3. *Spurij, & gigantes cur dicti* terra nati, *aut* terræ filij.

Ego accommodatè ad hoc nomen, aliud hîc in Goliath intueri videor illius naturæ ex huius nominis notatione accommodatum. Gigas erat Goliath, vt est communis sensus, & ex ipsa Scriptura non obscurè constat: Gigantes verò dicuntur aut *terræ filij*, aut *terra nati*; sanè à Poëtis Telluris appellantur filij. Quo nomine vocantur illi, quibus incertum genus, & parentes ignoti; vt tradit in Apologetico aduersus Gentes Tertullianus cap. 10. & Lactantius lib. 1. cap. 11. ad finem; & repetunt frequenter profani. Persius Satyra 6.

—Præsto es mihi Manius hæres,
Progenies terræ.

Et vt doceat ibidem ignotos sibi esse maiores, neque se scire quibus fuerint orti natalibus, terræ illos filios appellat.

—Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, aut prompte dicam; tamen adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ est iam filius: & mihi ritu
Manius hic generis prope maior auunculus exit.

4. Gigantes porrò dicebantur etiam *terræ filij*; imò ea vox nil aliud sonat, quàm *terra natum*, quasi γηγενῶς. Quare Satyra 4. Iuuenalis cùm infelices putaret eos, quibus clari contigere natales, quia illi rarò sua; id est, naturali morte decedunt; ait sibi magis esse optandum nullos agnoscere parentes, & esse terræ filium, quàm inuidiæ omnium, & insidiis patere. Cùm autem genus illud optat ignotum, & obscurum, optare se dicit genus Gigantum.

Prodigio par est in nobilitate senectus,
Vnde fit, vt malim fraterculus esse Gigantum.

Quod si *spurius*, & *gigas* idem sunt, quia vterque *filius* vocatur *terræ*, dum Vulgatus egressum esse dicit *spurium* è castris, gigantem vtique prodiisse dicit, qui fortissimum quemque ad singulare certamen ex Hebræorum agmine lacessat.

5. [illegible] Vulgatus, *vir spurius*, Hebraicè est, איש הבנים *naim*. Quod variè ab expositoribus vertitur. [illegible]anus; *vir de medio de castris Philistkinorum*. Eodem fermè modo alij recentiores, Pagninus, Vatablus, qui omnes indicant stetisse Goliath medium inter duas acies. Tunc autem בן *ben*, præpositionem esse putant, quæ significat *inter*; & *iod*, quod inter duas literas medium esse debuit, expunctum arbitrantur. Ex hac verò præpositione dualem formant numerum בנים *benaim*; quod *inter duos* significat, nempe montes, aut exercitus. Quod si ita statuas, non est explicatio difficilis; & sanè recentiorum Interpretum communis est.

6. Alij בן *filium* interpretantur, & variè exponũt; vel esse duorum filiorum; id est, virorum, seu parentum filium, quia duobus, aut pluribus viris mater illius succubuerat; atque ideò *spurius*; id est, confuso semine conceptus. Alij vnum Goliath instar esse duorum existimant, aut plurium, quia in re bellica vtiliorem nauabat operã, quàm alij multi simul; aut quia corporis gigantæa mole duobus hominibus in vnum compactis corpus non erat inferior. In hac significatione videtur sumpsisse noster Interpres, dum *spurium*; id est, gigantem reddit. Quod etiam fecerunt Septuaginta, dum reddunt δύνατον: id est, potens, robustus.

De huius Goliath genere, atque parentibus nihil habemus, nisi fuisse Gethæum, & filium Arapha, 2. Reg. 21. v. 19. & 1. Paralip. cap. 20. v. 4. Si modò de hoc Goliath ibi sermo est; quod non puto. Et quia nomen tantùm matris auditur, ideò *spurius* existimatur, & nothus, cuius nimirùm pater ignoratur. Alij aliud illi genus attribuunt, qui putant natum matre non Gethæa, sed Moabitide. Dicunt enim Orpham nurum Noëmi illius esse matrem; quæ cum socrum simul cum Ruth comitari instituisset, tandem in patriam rediit. Cuius sunt sententiæ authores Thalmud, & quidam alij Hebræorum magistri. Pseudophilo, de quo suprà in suis antiquitatibus Biblicis, & Chaldæa paraphrasis manuscripta, quæ in Complutensi Bibliotheca seruatur; & quod mirere magis, Rupertus lib. 1. in lib. 1. Reg. cap. 2. & Prudentius in Hamartigenia ad finem; licèt hi duo obscurè loquantur, ita vt non satis ostendant, an Goliath filius fuerit Orphæ, an ex eius progenie. Quæ sẽtentia multa peccat, eáque admodùm infantiliter. Primùm, quòd tam Ruth, quàm Orpha, quæ sorores dicuntur, puellæ narrantur esse Regiæ, & filiæ Regis Æglon; quod quàm sit absurdum, nemo non videt. Quam nos fabulam, neque enim audeo sententiam vocare, refutauimus in nostris Commentariis in Isaiam, cap. 16. n. 10. Secundò dicunt Thalmudistæ, Orpham vsque adeò fuisse salacem, & virorum appetentem, vt ea ipsa nocte, qua à Noëmi domum regressa est, cum centum robustis, ac valentibus viris prostituta corpora miscuerit: quo quid non effatu solùm, sed cogitatu turpius? Hinc aliud non minùs absurdum, quàm turpe commentum somniarunt Hebræi: dicunt enim Goliath fuisse filium centum virorum, & vnius canis. At ratio melior. Negant enim tantæ molis hominem ab vno parente generari potuisse; sed necessarium fuisse, seminalem materiam à centum viris esse decisam. Quod verò filium canis illum esse putent, ex eo sibi persuadent, quia ipse dixit: *Nunquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo?* Decepit, opinor, hos nominis similitudo, quæ non leuis esse videtur inter Arapha matrem Goliath, & inter Orpham nurum Noëmi. Sed neque magna est in Hebraico textu similitudo, neque parùm temporum ratio repugnat. Mater enim Goliæ הרפה dicitur; Noëmi verò nurus ערפה. Cùm autem Orpha eodem cum Ruth tempore vixerit, eiusdem cum illa, vt videtur, ætatis, & inde ad hunc articulum tres hominum ætates interceſſerint; necesse est, Goliath, cùm ad singulare certamen Hebræos prouocabat, ætatis fuisse iam grandis, & exhaustæ, & longè centenario maiorem. Quare neque sustinere posset militiæ pondus, neque iuuenilis esset honoris ambitio; & si qua esset, quæ non omninò friget in senibus, militaris prudentia, regeret alios potiùs, quod est consilij, quàm per sese bellicum obiret ministerium, quod est iuuenilis roboris, & audaciæ.

7. *Goliath ex quo genere.*

Orphæ filius existimatur esse Goliath, sed falsò.

8. *Hebræorum fabula de Goliath, & Orpha.*

9. *Altitudinis sex cubitorum & palmi.*] Gigantæa moles hæc est, quæ penè communem duplicat ætatis nostræ hominum staturam. Vbi Vulgatus *palmus*, Hebraicè est זרת *Zereth*: quæ vox *palmum maiorem* valet, qui duodecim constat digitis; id est, tribus minoribus palmis, quos palmæ latitudo mensurat; pro quo Septuaginta σπιθαμὴν reddunt. Septuaginta *quatuor* reddidere *cubitos*; item Iosephus lib. 6. cap. 10. Nescio vnde sumpserint. De *cubitis* egimus nos pluribus in nostris Commentariis in Ezechielem, cap. 40. n. 20.

vbi diximus quadricubitalem esse hominum staturam; quare statura Goliath dimidio erat, & insuper duodecim digitis maior communi hominum mensura.

10. Vers.5. *Et lorica squammata induebatur.*] Ad vastitatem prodigiosam corporis, robúrque ingens, longúmque vsum præliandi, & artis peritiam singularem, quæ audaciam alunt, accedebat quoque armorum munimenta, quæ tegerent, & aliorum, quæ aduersis corporibus vulnus infligerent. Erat primum capitis egregium tegumentum ex ære; erat thorax è ferreis laminis squammatim contextis, quas Hispanorum vulgus *corazas* vocat; qui eius erat magnitudinis, vt quinque penderet siclorum millia. Quod si siclum idem esse putes, quod staterem, planè importabile videtur pondus, quod ab homine quantumcúmque robusto sustineri vix possit. Siclus enim, seu stater, vt Hieronymus putat ad cap.Ezec.49. drachmas pendet quatuor; id est, semunciam: duplicatus autem vnciam integrat. Est autem *siclus* duplex, alter maior, de quo modò; alter dimidio minor. Sicut docet Epiphanius lib. de ponderibus, cùm siclum quartam esse dixit partem vnciæ, & dimidium stateris; vt notauit Mariana noster lib.de ponderibus, & mensuris, cap.6. vbi etiam putat, quinque millia siclorum, quæ Demetrius remisisse dicitur Iudæis, 1.Machab.10. fuisse è minoribus siclis; cùm Iosephus lib. 13. Antiq. cap. 5. pro quinque siclorum millibus, decem drachmarum millia suppoſuerit. Ex horum siclorum pondere putat esse quinque siclorũ millia, quæ pendebat Goliath squammata lorica. Magis exactum sicli pondus tradidimus nos in nostris Commentariis in Ezechielem cap.45.n.4. vbi diximus, ex Ezechielis expresso testimonio, viginti obolos esse in vno siclo; & in vna mna, seu mina siclos sexaginta. Et ne quid esset nudum, & expositum vulneri, tibias ferreis ocreis inclusit. Clypeum ad humeros reiecerat, vt illi suo tempore brachium insereret, cùm ventum esset ad pugnam. Hæc fuere tegumenta corporis, quæ illud vendicarent à vulnere. Alia fuerunt arma, quæ aduersarium peterent. De gladio hîc nihil; sed de illo pòst agitur, v. 51. vbi Goliath caput suo ipsius gladio narratur abscissum. Hastæ mirabilis magnitudo, & pondus: hastile æquabat crassitie liciatorium, seu iugum, circa quod textores telam circumuoluunt, sexcentorum siclorum mucrone præferratum. Chrysostomus tom.1.homil. de Dauid & Goliath, hunc in modum Philisthæum describit: *Prosiliit*, inquit, *in medium de Allophylorum castris vir corpore immani vastissimus, horrendus statu, mirabilis visu, cristato vertice galeatus, coruscus armis, fulgens gladio, vmbone tectus, lorica vestitus, nomine Goliath.* Hæc singulatim à sacro Scriptore proponuntur, vt Dauidis magis attollatur victoria, qui tantam, támque robustam molem tanto studio, atque arte munitam sternere potuit temporis momento.

Siclus, quod pondus.

12. Vers.8. *Stánsque clamabat.*] Quid dixerit stentorea voce prodigiosa illa, & vasta bellua, apertum est, neque vlla Interpretis indiget opera. Eam enim totius, vt apparet, prouinciæ nomine conditionem offert, vt longum bellum, in quo tanto ciuium sanguine, rerúmque communium dispendio dimicatum est, vnius capitis discrimine finiatur. Si enim, inquit, contingat superari illum, qui pro Philisthinis, & illorum nomine in arenam descendit, subituros Philisthinos Hebræorum iugum: si contrà acciderit, non recusaturos Hebræos Philisthinorum imperio subesse. Dixisse alia plurima arrogantiæ plena, quasi præ se nullo essent aut numero, aut loco, Hebræorum phalanges, verisimile est. Ita sanè indicat illud Eccli.cap.47.v.5. vbi sic de Dauid: *In tollendo manum in saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ:* id est, exultantem, quasi omnem iam spe victoriam deuorasset. Chrysostomus tom.1. homil. de Dauid & Goliath, verba refert, quæ in lacessendo videri potuit effutiisse, quæ tu vide.

13. Vers.11. *Audiens autem Saul, & omnes Israëlita sermones Philisthæi huiuscemodi stupebant.*] Hæc quoque ad gloriam pertinent Dauid, qui vnus è multis non timuit; & vt quiuis intelligat, quantus esset vir ille spurius, cùm vnus è Palæstinorum exercitu tot Hebræorum millibus non timorem solùm, sed etiam stuporem incusserit. Quod ideò illis erat grauius, quòd vnus è multis ad singularem cum Gigante congressum vocabatur, in quo de summa rerum agebatur, indicebatúrque aut vniuersalis, atque perpetua seruitus, aut perpetuus in vtrumlibet populum dominatus. Neque contra mõstrum illud hominis, támque egregiè siue ad declinandam, siue ad inferendam plagam instructum; quisquam se obuium offerre, aut contra minaces, atque superbas voces quicquam mutire audebat. De quo verè dicas, quod de Darete fabulosè Maro lib. 5. Æneid. Nam cùm vastis se viribus efferret, latósque ostenderet humeros, addidit:

Quæritur huic alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibúsque inducere cæstus.

14. Vers.12. *Et erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros.*] Hic dicendi modus iam valdè progressum, imò & confectum ætate docet Dauidis patrem Isai, quo fortasse eo tempore nullus erat natu maior in Israël. Ex quo duo colligo; alterum, quàm sit falsum Goliath filium fuisse Orphæ, cùm Ruth, quæ soror dicitur Orphæ, saltem quæ illi coæua fuit, auia fuerit Isai. Alterum, Dauidem, quo tempore congressus est cum Philisthæo, adulta iam esse ætate, & supra iuuenilem: neque enim verisimile est, virum vsque adeò grauem annis filium habuisse eo tempore adolescentulum, qualis à nonnullis existimatur. De quo aliquid posteà.

15. Vers.17. *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos.*] Vt olim Iacob filium suum Iosephum, & nondum pascendis gregibus propter ætatis imbecillitatem idoneum, misit ad fratres, *vt videret si cuncta prospera sint erga fratres*, Genes. 37. Sic nunc bonus pater Isai de filiorum salute sollicitus minimum filiorum suorum è pascuis euocat, illúmque onustum panibus, cibisque castrensibus ad fratres mittit, vt quo in statu res illorum sit, accuratè exquirat, & quid illis necessarium esse didicerit, renunciet. Ephi polentæ mittit, & panes decem. *Polenta* cibus est iis, qui in castris agunt, aut ruri diu ab hominum cætu separati commorari coguntur, maximè accommodatus: ex quo varios sibi, recentésque cibos quotidie parare solent milites in castris, pastores ruri, & qui longam ingrediuntur viam, quocúmque loco constiterint. Polenta Hebraicè קלי *kali*, à radice קלה *kalah*, quæ *torrere* significat. Rab.Salomon dicit esse farinam ex spicis plenis virentibus, postquàm exsiccatæ sunt, & tostæ in furno. Hieronymus *Polentam* reddidit; hæc verò est hordeum madefactum, deinde siccatum, & tostum, molísque contusum, & in farinæ modum comminutum. *Ephi* mensura est aridorum, de

Polenta quid.

qua

qua nos in noſtris Commentariis ſuper Ezechielem cap. 45. n. 36. quæ idem apud Hiſpanos capit, quod *Fanecæ* dimidium, ſex nempe *Zelemines*, aut modios tres.

16. Verſ. 18. *Et decem formellas caſei has deferes ad Tribunum.*] Multa ab his, qui præſunt, dura, atque indebita patiuntur milites, qui non minùs licere ſibi putant in militum, quàm in hoſtium corpora. Atque ideò non minùs filiorum ſaluti conſuluit bonus pater Iſai, cùm caſei formellas miſit ad Tribunum, quàm ſi ad filiorum victum deſtinaſſet. Sunt autem *formellæ*, exigui, atque recentes caſei, qui ex vaſis, in quod compacti ſunt, cauitate, ac modo figuram, & formam acceperunt. De quibus, vt opinor, Virgilius in Coppa:

Formellæ quid.

Sunt & caſeoli, quos iuncea fiſcina ſiccat.

E iuncea fiſcina formam acceperunt illi Maroniani caſei, neque ex alia accepiſſe reor formellas Tribuno deſtinatas. Tigurina, & Pagninus *caſeos* reddunt *lacteos*. Septuaginta, *caſeos lactis*. Quare arbitror non aliud eſſe, quàm quod Latini vocant *lac preſſum*, ſeu *preſſi coagula lactis*. Hiſpani vocant *requeſones*.

17. *Et cum quibus ordinati ſunt, diſce.*] Multùm refert, maximè in acie, quos habeas duces, quibus obſequare, à quibus accipias ſtationem, & pugnandi tempus, ac modum, & quos fueris ſortitus ſocios, & commilitones, qui tecum labores, & curas partiantur. Hoc igitur iubet Iſai, vt Dauid exquirat, & ad ſe referat. Iuxta hanc Vulgatam tranſlationem non eſt explicatio difficilis. Non tamen ita, ſi textum conſulas Hebraicum, & recentiorum tranſlationes alias, qui ita reddunt, aut non longè ſecùs. *Et pignus eorum tolles.* Hebræorum ſententiam tradit Hieronymus in traditionibus Hebraicis, iuxta hanc tranſlationem: *Pignora*, inquit, *in hoc loco Hebræi libellos repudij intelligunt. Siquidem vſum illius gentis fuiſſe ferunt, vt quando ibatur ab eis in pugnam, libellos repudij vxoribus ſuis darent, vt ſi contigiſſet virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius, expectatis tribus annis, ſi vir eius non rediiſſet, alium duceret virum.* Cum Hebræis ſentit Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ; neque improbat Hugo, neque Dionyſius, qui huius ſententiæ dicit eſſe Ioſephum, apud quem ego non inuenio. Cui ſententiæ neque ratio, neque Scriptura fauet. Primùm, quia commodiùs ſcriptura in vrbe fieri, quàm in acie potuit; neque ita vrgebat hoſtis, vt non ſatis temporis libello repudij ritè ſcribendo in vrbe relinqueret; neque, vt ferebat Hebræorum conſuetudo, ex caſtris mittebantur libelli, ſed cùm ſe ad bellum milites accingerent. Neque lex permittebat libellum conſcribi repudij, niſi cùm propter aliquam fœditatem viro foret vxor odioſa. Deuter. 24. v. 1. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij.* At hîc nulla in vxore fœditas accuſatur, aut id, propter quod vxor viro poſſit eſſe faſtidio: ſed tantùm quia vir eſt abſens, neque inter coniuges eſſe poteſt connubiale commercium.

18. Quòd ſi recẽtiorum tranſlationem ſequamur, alius eſt ſenſus, quem indicat Septuaginta tranſlatio, quæ ita habet in Complutenſi editione: *Et quibuſcumque indigeant, cognoſces.* Fieri ſolet in his, qui militare ſtudium profitentur, dum in caſtris ſunt, egere rebus ad victum neceſſariis, quas interdum, idque non infrequenter, ita parant, vt veſtes, & alia ornamenta, aut munimenta neceſſaria dent illis pignori, à quibus acceperunt.

Gaſp. Sanctij Com. in lib. Reg.

A. Quare veriſimile eſt Dauidi à patre datas eſſe pecunias, vt fratrum pignora ſoluto pretio à creditore redimeret. Ita putat Abulenſis, Caietanus, Vatablus; & magis eſt recentiorum tranſlationi conſentaneum. Sed noſter Interpres abſque dubio optimè reddidit textum Hebraicum. Quod ſic habet ערובתם תקח *arubatham ticah.* ערב *arab* cùm multa ſignificet, ea tamen omnia ad cõmixtionem, conſenſionem, conuentionem, & commercium referuntur. Vt cùm aliqui commercij gratia res, rationéſque coniungunt; cùm pignus dant, & accipiunt, vt fidei homines, atque promiſſis ſtent; cùm ſocietatem in rebus contrahẽdis ineunt, aut in aliquo viuendi genere res habent, rationéſque, commoditates, iacturáſque cõmunes. Quod ſi ita eſt, optimè hac voce explicari poteſt illa ſocietas militum, qui ſub eiſdẽ merentur ſignis, in eodem ſunt contubernio; quibus communis eſt aut lucri commoditas, aut vitæ periculum. Sanè pro ſocietate, familiaríque commercio ſumitur, Pſal. 105. v. 35. *Commixti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum.* Prouerb. 20. v. 19. *Ei, qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* & cap. 24. v. 21. *Cum detractoribus ne commiſcearis:* id eſt, ne cum illis viuas, aut habeas conſuetudinem, aut familiarem vſum. Talis omninò eſt illa conſuetudo, ſiue conſenſio, quam habere ſolent milites, qui ſub eodem ſigno, aut in eodem contubernio degunt. Quòd verò לקח *lacah:* quod *accipere* ſignificat, idem ſit quod *cognoſcere*, Latinorum vſus ſatis oſtendit, apud quos frequentiſſimum eſt; *hoc accepimus à maioribus, à philoſophis:* id eſt, didicimus, & cognouimus. Qui dicendi modus licèt Hebræis, quod ego viderim, in vſu non ſit; tamen ipſa tranſlationis expedita ratio ſuadet illis non eſſe inuſitatum. Erit ergo ad verbum: Accipies illorum commercium, conſenſionem, & coordinationem; id eſt, diſces quos habeant ſocios in acie, in qua ſint cohorte, quem habeant ducem, & quomodò ſint coordinati. Hinc nonnulla coniectura ſumitur, vt quatenus Saulis tempore, imò & primis Regij imperij temporibus ſuis Iſraëlitas ſtipendiis militaſſe, cùm Iſai ad filios alimenta miſerit, quæ nimirùm non videntur à Regio ſumptu militibus impenſa. Secus eſt de Machabæorum temporibus, & deinceps, in quibus ſtipendia à Regibus videntur conſtituta militibus. 1. Machab. 14. v. 32. Simõ militibus gentis ſuæ dicitur ſtipendia meritus. & Paul. 1. Cor. 9. v. 7. *neminem* dicit *ſuis ſtipendiis militare.* Si quando verò milites dicuntur mercede conducti, illi externi ſunt; non verò illorum imperio ſubditi, ſub quorum ſignis pugnant; quales fuerunt illi, qui ab Amaſia Rege Iuda ex Iſraële conducti ſunt, lib. 2. Paralip. c. 25. v. 6.

Verſ. 20. *Surrexit itaque Dauid manè, & cõmenduit gregem cuſtodi, & onuſtus abiit.*] Non pigritauit Dauid paternis ſatisfacere mandatis, quia parentis imperio aliquid interponi moræ non putabat illius eſſe, qui in parentes honorẽ, & obſeruantiam coleret: & quia fratres amabat, quibus in caſtris victum eſſe ſuſpicabatur anguſtum, illos egere, aut laborare diutiùs paſſus nõ eſt. Quare cùm gregis cuſtodiam ſocio commiſiſſet, anteuertit ſolem, & multo manè cum iis ſarcinulis, quas paternum præceptum impoſuerat, feſtinauit ad caſtra. An verò, vt proximè ſonat litera, onuſtus ierit Dauid; id eſt, ſuis ſibi humeris onus impoſuerit, & à paterno imperio, & fraterna charitate oneratus, laborẽ illum ſuſceperit, neque

19. *Dauidis in fratres charitas.*

lenem,neque ad breue loci,au temporis ſpatium, nihil eſt certum. Sanè ſi oneratus incedebat,magnum nobis præbuit & obſeruantiæ paternæ, & fraternæ charitatis exemplum.Quæ duo ſi adſint, ſuaue reddunt iugum, & onus leue ; licèt iis, qui in amore frigent, & de obedientia non æquè, ac ſanctè cogitant, intolerabilia, & prorsùs indigna videantur.Sed puto Dauidem illud onus impoſuiſſe iumento ; ita putat Abulenſis : neque ſi Dauid illud vellet humeris pondus imponere, pateretur bonus pater Iſai, qui non ita trium fratrum,qui erant in caſtris,ſuſceperat curam, vt Dauidis abiiceret. Sed eſt valde Dauidis laudanda ſedulitas, qui aliquid ſibi de nocte, ſomnóque detraxit, ne fratrum commoditati deeſſet.

20. *Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egreſſus ad pugnam vociferatus erat.*] *Magala* aut nomen eſt proprium loci, vbi conſederat Hebræorum exercitus ; aut certè commune, quo ſignificatur natura locorum, in quibus caſtra rei militaris periti opportunè metãtur. *Magala* enim circulum ſignificat ; optima autem videtur illa metatio, in qua vallus, & agger circulari ambitu militum agmina concludunt. Scio alias caſtrorũ formas ab aliis probari ; verùm non improbatur hæc rotunda, aut ſi non omninò rotunda, quæ tamen propè ad circuli figuram accedit.Vide Vegetium lib.1.c.23. Quo autem tempore eò appulit Dauid,populus cum militari ſtrepitu,ac lituorum clangore in certamen prodierat ; & è contrà Palæſtinorum acies ex aduerſa ſtatione progrediebatur. Quam pugnam vt videret nouus hoſpes bellicoſus,& audax, ſarcinulas cuſtodi commendat,vt quæ eſſet pugnatorum contentio, quis ardor, quis denique certaminis exitus,propiùs ſpectaret. Cùm tamen apparuit Hebræorum terror, & Palæſtinorum propugnaculum Goliath, ceciderunt Hebræorum animi ; & qui priùs in conſpectum ſe inimicorũ dederant,cõfeſtim ignobili fuga intra ſua ſe caſtra, & munitionẽ receperunt.

21. Verſ.25. *Ad exprobrandum enim Iſrael aſcendit.*] Non aſcendit Goliath,ſed potiùs è loco eminentiori deſcendit ad mediam vallem, vbi futurum erat aut militum omnium, aut duorum virorum ſingulare certamen.Sed,vt ſuprà diximus cap.14. num.11. tam *aſcendo*, quàm *deſcendo*, ex vſu Scripturæ,*venire* ſignificat,aut *moueri*.

22. *Domum patris eius faciet abſque tributo in Iſraël.*] Hæc verba,quæ tunc erant in multorum ore,audiuit caſu Dauid, & excitatus tum ſtudio brauij victori propoſiti, & depellendi ex Hebræorum nomine tantum dedecus:quo certiùs noſſet,an illud certum eſſet, quod caſu, & leuiter acceperat, rogat ſemel, atque iterùm ab aliis, quibus illud ignotũ eſſe non putabat, an ita ſe res haberet, & quæ eſſet merces propoſita illi, qui ſublato monſtro illo Palæſtino,fædam è ſuo genere maculam aboleret. Neque aliud audiuit ab aliis, quã quod ab obuio milite primùm accepiſſet.Porrò merces erat eiuſmodi, vt multos ad certamen illud impelleret;niſi aut languerent animi propter Regis, cui ſuberant,inobedientiæ crimen; aut niſi Deus illam gloriam Dauidi,quem deſtinarat regno,reſeruaret. Diuitias porrò, quas Rex promiſit, illas eſſe arbitror,quæ communiter ab hominibus numerantur in bonis; quales ſunt agri, armenta, argentum, & aurum; in vxore, & ab omni tributo immunitate, ingenuitatem etiam video,qua quis à vulgari ſtatu, ordinéque plebeio, ad locum aſcendit, quem conditio melior, & magis præclara fortuna nobilitat.

Verſ.28. *Quare veniſti,& quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto ? Ego noui ſuperbiam tuam.*] 23.
Verba ſunt Eliab fratris Dauidis, qui nondum acceperat paterna munera, vt apparet, quando fratris aduentum ſuperbiæ attribuit, atque nequitiæ;non charitati,atque obſeruantiæ.Cúmque hæc verba ſint ab irato,non eſt,cur de illorum ſignificatione, & cauſa anxiè laboremus : neque enim iracundia, quæ præceps eſt, ſemper habet cauſas,cur aliquid moliatur,aut dicat,quia temerè rapitur,neque conſilio relinquit,aut rationi locum.Suſpicatur autem Eliab eo animo eò veniſſe fratrem,vt bellum videret,neque curaſſe,quid de exiguo illo grege fieret, quem ipſius curæ pater crediderat; aut certè,vt dicemus ſtatim, velle ſingulare cum hoſte committere certamen.

Verſ.29. *Et dixit Dauid, quid feci ? nunquid non verbum eſt ?*] Suſpicabatur Eliab,vt cum Abulenſi ſentiunt complures alij, velle Dauidem ſingulari cum Philiſthæo certamine congredi;quod ex eo coniectare potuit,quia tam auidè illum de victoris præmio rogantem audierat. Quare illum ſuperbiæ reprehendit, cùm maiora cogitet,quàm vires, & in bellando peritia ſperare iubeant ; & ſubire audeat, quod Hebræorum nemo tutũ putabat. Ad quem Dauid cùm honeſtam poſſet rationem reddere,ac reſpondere,miſſum ſe fuiſſe à communi parente, cui velle repugnare impium eſſet, vt tam illi, quàm fratribus aliis victu afferret,atque pecunias : quia tamen breuiter optabat à longis ſe colloquiis expedire, ne tempus elaberetur cum hoſte pugnandi, nihil de victu dicit, nihil de pecuniis;ſed tantùm in ſuæ reprehenſionis excuſationem adducit,quòd illud eſſet verbũ. Cuius ſignificatio paulò obſcurior.Communiter alij, qui obiectum eſſe putant Dauidi à fratre ſuperbiæ nomen, putant reſpondiſſe Dauidẽ, nihil adhuc ſe tentaſſe; ſed tantùm eſſe verbum, à quo nihil eſt periculi;neque ſe arma ſumpſiſſe,vt cum pugnatoribus aliis in aciem procederet : & ideò nihil ſe admiſiſſe dignum,quod tantoperè frater, támque illiberaliter argueret.Quam ego explicationem non improbo. Sed puto reſponſionẽ eſſe expeditam magis, ſi dicat Dauid,nullo ſuo merito à fratre ſibi nequitiæ, atque ſuperbiæ nomen opponi ; cùm de re illa loquatur, ac roget, qua nulla eſt in militum ſermone communior. Porrò *verbum* idem interdum eſſe,quod prouerbium; id eſt, quod in familiari hominum ſermone verſatur, diximus ad illud Zachar.7. verſ.7. *Nunquid non hæc ſunt verba mea ?* 24.

Verſ.30. *Et declinauit paululum ab eo ad alium.*] Non poterat ſibi temperare Dauid ab eo æſtu, quo flagrabat animus depellendæ ignominiæ ab Hebræorum nomine, & vindicandæ diuinæ gloriæ ab ea nota,quam inuſſiſſe videbatur blaſphema lingua Philiſthæi. Hoc enim illi dolori fuiſſe maximo,& eam præſertim ob cauſam, velle cum vitæ diſcrimine cauſam ſuſcipere communem, ipſe ſignificauit ſuprà, v. 26. *Quis enim eſt hic Philiſthæus incircũciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis ?* Atque ideò erupit,quàm potuit feſtinanter à fratre, & quod antè agere inſtituerat, ab alio de propoſita certamini conditione ſciſcitatus eſt. Quid autem Dauid tanto animo, ac ſpiritu quæſierit,quid præ ſe velle videatur,quid ex illius alacritate,atque ardore ſperari poſſet,relatum eſt ad Saulem. Ad quem cùm eſſet adductus, eodem vultu generoſo, atque alacri, eodem modo, quo ad reliquos de turba,ad Regem quoque locutus eſt, & bono animo omnes eſſe iuſſit : ſe enim 25.

paratum

paratum esse cum hoste confligere, & sperare, fauente Deo, cuius agitur causa, exultantis, ac ferocientis hostis frangendam audaciam. Ad quem sic Rex:

26. Vers. 33. *Non vales resistere Philisthæo, &c. quia puer es; hic autem vir bellator ab adolescentia sua.*] Non erat eo tempore Dauid vsque adeò puer, vt tractare arma non potuerit, & certamen subire, quod ad ætatem attinet, & corporis molem. Vt enim ex toto hoc libro constat, nil egit ab hoc tempore non virile, neque quisquam ætatem in eo desiderauit; cùm multa susceperit, peregerítque, quæ robustum corpus, & virile robur, atque constantiam desiderant. Cur ergo puer appellatur à Rege, ea puto de causa, quia rudis erat in ea arte, cuius tunc studebat specimen reddere; quod ex habitu cóiectabat pastoritio, à quo procul abesse solet vsus, & disciplina militaris. Quod ex eo mihi persuadeo, quia Dauidis ætati, si de illa loqueretur Saul, ætatem opponeret Goliath, dicerétque: *Tu puer es, ille autem vir.* Sed addidit *illum bellatorem esse ab adolescentia sua.* Quare aliquid tunc considerabat in Dauid, cui opponit in

27. Philisthæo peritiam, & vsum in re militari. Neque illi sua dedisset arma, si exiguam in illo staturam videret; cùm ipse procero esset corpore, & ad corporis mensuram arma gestaret. Facit ad hoc, quòd ex vsu Scripturæ tam sacræ, quàm profanæ, ætas non tam ex annis, quàm ex qualitate, & meritis computari solet. Quare ignorantem, aut stultum senem, puerum appellamus; quia in pueris stultitia est: & eum, qui parùm est facundus, & inconsideratus in loquendo, infantem; sicut etiam eum, qui licèt grandis sit ætate, innocens tamen est; quia cum infantia coniuncta quoque reperitur innocentia. Quomodò Saul cap. 13. filius dicitur vnius anni; id est, infans, cùm primùm regnum iniit; quia neque dolum norat, neque sublimia cogitabat: & tamen erat supra quinquagenarium. Quia pueri plerúmque alienæ voluntati parent; & ea ætate plurimùm sunt, qui ex aliorum imperio seruilia obeunt ministeria; fit, vt qui eiusmodi vacant operibus, quacúmque ætate fuerint, pueri vocentur. Quomodò seruus Abraham, qui ætatis erat iam grandis, quique Geneseos cap. 24. v. 2. senior appellatur, aliis in locis appellatur *puer*; vt ibidem v. 52. 54. 65. Et Iesus iam supra trecennarium puer vocatur, Actor. 4. v. 27. *Conuenerunt verò in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus*, &c. *Sic Sacerdos, presbyter* dicitur; id est *senex*, quia senilis illi debet esse maturitas. Eodem afficiuntur nomine Senatores, seu seniores, qui publicis intersunt cóciliis, quia senectus senile desiderat ingenium. Cùm ergo prudentia, aut rerum cognitio canos homini, & moralem afferant ætatem; sanè mirum non est, si cùm illam in re militari peritiam haberet Dauid, quam habere solet tyro, quando primùm ad rei militaris pondus, & vsum excolitur, si puer nominetur à Saul, maximè comparatus cum illo, qui ab adolescentia bellator est. Longè maior erat Dauid, cùm domum ædificauerat, & præclaris victoriis regnum stabilierat; & tamen puer appellatur, Actor. 4. v. 25. *Per os patris nostri pueri tui Dauid dixisti: quare fremuerunt Gentes*, &c. & Lucæ 1. *In domo Dauid pueri tui.*

28. Vers. 34. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo*, &c.] Suadet Dauid Regi, qui timido erat animo, neque rem hanc arduam, quæ giganteas vires, & audaciam requireret, inexperto belli, & imperito omninò rei militaris cómittendam putabat, desperandam non esse victoriam. Quia rem tentauerat, & felici sæpe successu confecerat, quæ non minùs roboris, & audaciæ exigebat, quando inermis occurrit leonibus, atque vrsis, illósque aut suffocauit elisis faucibus, aut manibus in frusta concerpsit. Modus autem ipse loquendi non semel, aut bis, sed sæpè de feris reportatas indicat esse victorias. Quas sine labore comparatas esse à Dauid, sed quasi per iocum, & ludum, vt à ludente venatore venabulo conficiuntur feræ, habemus Eccle. cap. 47. v. 3. *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis; & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium in iuuentute sua.*

Vers. 37. *Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit.*] Non, puto, credidisset Saul verbis Dauidis, cùm sciret à iuuenibus multa de suis rebus superbè prædicari, quæ non facilè creduntur ab his, qui iuuenum agnouerunt & igniculos ad gloriam, & sonitus persæpè à fide, & veritate vacuos; Sed accesserunt, opinor, aliorum testimonia, qui illud ipsum dicerent aut vidisse se, aut ab aliis, qui viderant, accepisse. Neque enim ignorari poterat, cùm proximè abesset Bethlehem, vbi hæc accidisse narrantur, & res esset eiusmodi, vt facilè remotas etiam prouincias propter sui magnitudinem peruadere potuerit. Sanè nouerat ille, qui cap. 16. v. 17. fortissimum robore, & virum bellicosum appellarat; propter leones scilicet domitos, & extinctos, & prædam ex illorum faucibus extractam. 29.

Vers. 38. *Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius.*] Ex hoc loco nuper colligebamus, procero esse corpore Dauidem, quando proceri hominis vestes, & arma illi sunt oblata. Quæ Dauid non ideò deposuit, quia corporis modo viderentur inepta; sed quia neque eiusmodi armaturæ esset assuetus, neque incedere posset eo armorum pondere, quasi ferreis quibusdam vinculis impeditus. Hîc illi, qui vt ætate, sic etiam corpore exiguum esse putant Dauidem, multa meditantur. Primùm, Lyra existimat illa arma non esse, quibus indui solitus esset Saul; sed alia quædã de armamentario Regio, vbi pro varia corporum mensura, necesse est variam esse etiam armorum quantitatem, & modum. Sed vt in illis castris armamentarium esset Saulis, & in eo arma, quæ non essent inter tot pugnatorum millia distributa; quod non puto, in tanta præsertim armorum inopia: tamen modus ipse loquendi ad hanc explicationem nimiùm est durus, neque trahi potest ad hanc sententiam, nisi vim afferas. Alij prodigiosum aliquid hîc intuentur; & hi sunt Hebræi, vt tradit Abulensis q. 24. qui suo more, vt aliquid afferant populare, quod vulgares aures permulceat, & curiosos animos oblectet, somniarunt vestimenta Saulis, licèt priùs ingenti ipsius moli accommodata, vbi accepta fuerunt à Dauid, sic fuisse illius attemperata corpori, vt pro illius mensura concinnata viderentur. Sed hæ, vt apparet, meræ nugæ sunt. Ego, quod principiò dixeram, puto primùm arma, & vestes, militares nempe, quæque armis adhiberi solent, ad Saulis vsum, & eius mensuram esse fabrefacta, & tradita Dauidi, quæ illius corpori non adeò fuerunt inepta, vt si armorum aliquem haberet vsum, illa non gestaret. Eam enim rationem adduxit, ne illa ferret ad singulare certamen; 30. 31.

Cur Dauid à Saule puer vocatur.

REGVLA. *Ætas non tã ex annis, quàm ex qualitate ac meritis computanda est.*

Arma Saulis an apta corpori Dauidis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

non quia habile nō esset corpori illud armorum genus, sed quia inusitatum. Hoc tenet Abulensis, Dionysius, & Hugo, imò & Chrysostomus tom. 1. homil. de Dauid & Goliath.

32. *Illa apta ad victoriam, & fœlicem euentum instrumenta, quæ Deus & obedientia dederit.*

Hic ad mores multa Patres, qui in Dauide, qui monomachiam appetit, & occiso Gigante delere vult infamiam Israël, Christum agnoscunt. Qui adducere noluit Saulis arma, sed illa, quæ patris obedientia dederat. Dedit Dauidi Isai filio curam pascendi, atque tuendi gregis; cúmque hoc munere fundam dedit, & baculum, quæ pastoris sunt arma, & familiaria illius rustici muneris insignia. Hæc arma, quæ homini obedientia dedit, potentissima sunt; & licèt infirma iuxta naturam suam videantur, magnas tamen sternunt moles, & quæ terrori sunt populo Dei, potenter expugnant. Prostrauit Dauid Gigantem lapide, & funda, quem gladio, & arcu, alienis videlicet armis non strauisset; neque vtiliter fortasse cum vrsis, leonibusque pugnasset, si armatus procederet ad certamen illud aliis armis, quàm quæ à parente; id est, ab obedientia, ad curam pastoralem accepisset. Neque verò tantùm bonus pastor arma reiecit, sed etiam vestimenta, quæ milites magis tegunt, & ornant, quàm pastorem. Neque fortasse Deus suum agnosceret Dauidem, illique patronus, & vindex adfuisset, si bellicis vidisset, non pastoralibus indumentis instructum; pastori enim potiùs, quàm militi faueret.

33. *Nemo debet artis suæ insignia despicere.*

Vers. 40. *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus.*] Cùm videret Dauid Saulis arma impedimento sibi magis fore, quàm vsui, abiecit illa: & cùm pastor videri mallet, quàm miles, vt si quid glorioſum ex eo certamine contingeret, diuinæ videretur, non humanæ virtutis, baculum assumpsit pastorum insigne, cuius in eo certamine vsus nullus esse poterat: quæ enim ligni baculi contra æream cassidem, & ferreum corporis tegumentum vtilitas? Ideò autem sumpsit, vt sibi, in eo etiam duro rerum articulo, videretur esse similis; semper enim baculum gestabat in manu, etiam cùm ex agro reuerteretur in vrbem, & in vrbana contribulium suorum turba versaretur: neque enim turpe putabat, aut indecorum, præ se ferre illud ministerium, aut artem, in qua ipsum paterni imperij obseruantia posuisset. Præclarum sanè filiorum, & eorum, qui religiosum institutum profitentur, exemplum, qui nihil censent indignum, quod parentes, aut superiores iniungant; & illud esse putant maximè honestum, quod maximè olet obedientiæ virtutem. In hoc baculo communiter Patres Christi Crucem intelligunt; sicut in Dauid, è Dauidico genere natum Christum. Vide Augustinum Dominica 1. post Trin. ser. 2. Rupertum, lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 5. & 6.

34. *De Dauidis lapidibus Hebræorum fabulæ.*

Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente.] *Lapides de torrente* dicuntur lapides, quibus nihil est scabrum, nihil asperum, qui facilè possunt excuti de funda, & ad destinatum scopum certiùs ferri. Sunt autem *lapides torrentis*, seu fluuij, qui in sabuletis paulò quàm alij maiori inueniuntur mole. De quibus multa suo more Thalmudistæ, ex quibus, vt opinor, sumpsit ille, qui Philoni suppositit alienum partum, & Scripturæ sacræ multa addidit planè fabulosa. Ait enim, sumpsisse Dauidem septem lapides, & in illis scripsisse parentum suorum nomina, Abraham, Isaac, Iacob, Moysis, Aaron, & suum, & fortissimi, nempe Dei. Sumpserunt, credo, qui ista somniarunt, ex aliarum Gentium consuetudine, quæ aut ominis gratia, aut alias ob causas aliquid consueuerunt armis inscribere. Qua de re nos super Zachariam cap. 5. n. 4. Tradit Plutarchus in vita Marij in bello Cimbrico Marij, & Catulli fororum ducum in telis insculpsisse nomina. Inscribi solitos esse gladios tradit Hugo in illud Isaiæ 49. in morali sensu. *Posuit os meum, vt gladium acutum.* Sanè miles ille, qui Philippo Macedoni oculum exculpsit, sagittæ suæ hoc ipsum inscripsit, vt refert Iustinus lib. 7. ad finem, Solinus cap. 14. Hinc fortasse occasionem sumpsit, quicumque Antiquitatum illarum Biblicarum auctor fuit, vt lapidibus, quibus Dauid pro telis vtebatur, Patriarcharum nomina inscripta somniarit.

Arma inscribi solita.

Sed illud magis ridiculum, quod ex eodem Thalmudistarum cerebro sumpsit manuscripta quædam paraphrasis, quæ in Bibliotheca Complutensi seruatur, quam ego apud me habeo, & ex qua multa sustulit Arias Montanus, cùm Regiis Bibliis nuper illam inseruit. Fingit enim Goliath retulisse Dauidi id, quod Philisthinorum vulgò in castris ferebatur, quasi futuri euentus triste prognosticum. Sic autem Goliath ad Dauid: *Vox audita est in Philisthæis, quòd agnus certabat cum lupo, contentióque magna orta est inter quinque lapides; quia hic dicebat, ego ascendam primus. Nomen Abrahæ iusti scriptum erat in primo lapide: & nomen Isaac, qui ligatus fuerat in altari, in secundo: & nomen Iacob in tertio: in quarto, & quinto nomen Moysis, & Aaron. Et nomen Abrahæ dicebat: Ego ascendam primum in fundam, & percutiam Philisthæum istum incircumcisum, in præputium eius, & auferam opprobrium de domo Israël. In illa hora leuauit Dauid oculos suos in excelsum, & vidit Angelos, qui consilium inibant contra Goliath Philisthæum. In illa hora fuit voluntas à facie Dei, vt lapis, qui erat inscriptus nomine Aaron, ascenderet in fundam, & percussit Philisthæum in fronte eius. In illa hora splendor vultus Philisthæi mutatus est, & compages lumborum eius dissolutæ sunt, & genua eius ad inuicem collidebantur, & gladius eius cecidit, & lignum hastæ eius confractum est.* Hæc illa paraphrasis nugatur in re tanta, quæ, quia fidem merentur nullam, confutatione non egent.

35. *De Dauide, & Goliath Hebræorum fabulæ.*

36. *Et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum.*] Hebraicè, *In vase pastorali, & in pera.* Quidam hîc duo vasa; id est, instrumenta pastoralia distinguunt; alterum est mulctrale, in quo mulgentur oues, & lac expressum excipitur; alterum est saccus ex pelle, quem *peram* appellamus, & ferendo cibo, aliisque rebus ad curam pastoralem necessariis accommodatum. Neque pauci sunt, qui vas primum mulctram esse putant. In quibus est Augustinus homil. 31. de Monomachia Dauid: *Tulit quinque lapides de torrente de fluuio, & posuit in vase pastoris, quo lac mulgeri solet.* Chrysostomus tom. 1. homil. de Dauid & Goliath: *Quinque lapides eligit, fundam sumit, situlam pastoralem corripuit.* Rupertus lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 5. *Misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum; pera namque vas pastoritium est, in quo lac mulgeri solet.* Idem Angelomus. Induxit in eam cogitationem viros hoſce tantos Septuaginta translatio, qui, vbi noster *in peram pastoralem*, ipsi conuerterunt Κάδιον: quod vas significat ligneum, aut luteum, aut ex quacumque alia materia dura, solidáque confectum, in quo vinum, aut liquidus alius humor continetur. Sed reuerà vox Hebraica latiùs patet, & tantùm significat *vas pastorum.*

Vasis

Vasis porrò nomen omnem materiam, atque figuram comprehendit, & iuxta rei naturam, de qua loquimur, exponendum est. Hîc verò nil videtur esse aliud quàm sacculus, qui ex linteo sæpè, ex pelle plerúmque fieri solet, quem Latini *peram*, Hispani *mochila* vocant, aut *Zurron*: quod pastorum insigne est, sicut baculus, & funda. Vt quid enim Dauid vas mulctrale secum ad certamen illud singulare portaret? At dices, in vas interdum coriaceum lac solitum esse mulgeri; quod ego nó nego: at quem haberet vsum corium illud mulctrale in illa Dauidis ad fratres profectione, aut in illo rerum articulo? Nisi fortasse ad ferendos cibos, & caseolos decem, qui dono Tribuno mittebantur. At iam dictum est, vers. 22. ea omnia sub manu custodis ad sarcinas esse relicta. Nimis verò obsoletus, & sordidus esset Dauid, si vas illud olidum, & immundum secum circumferret.

37. Quare dicendum est, optimè nostrum Interpretem conuertisse *peram*; neque de priori parte; id est, de vase pastorali curasse. Quam ad rem obserua coniunctionem, &, in Scriptura sacra non semper copulare extrema, sed interdum exponere, quod dubium erat, & obscurum, & idem valere, quod *id est*. Qua de re nos in nostris Commentariis super Ieremiam, vbi hunc ipsum locum explicuimus in illam sententiam, quam nunc amplectimur, ad illud cap. 22. *In manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & in manu Chaldæorum:* pro, *id est in manu Chaldæorum*; alioqui posterior pars ibi esset otiosa. Et Actor. cap. 7. ad illud: *Sed repromisit dare illam in possessionem* (Abrahæ) *& semini eius post ipsum*: pro, *id est semini eius*. Neque enim Abrahæ data est Terræ promissionis possessio, cùm in illa, vt proximè dictum fuerat, neque passum pedis habuerit. Quare sensus erit: *In vase pastorali, id est*; seu *nempe in pera*. Sic exposuit Vatablus.

38. Vers. 41. *Ibat autem Philisthæus incedens.*] Superbus significatur incessus ab homine, qui nihil timeret, & præ se reliqua despiceret, quasi ad nuptias progrederetur, & triumphum, non ad agonem, in quo de capite, & vita certandum esset. Quid tunc egerit Dauid, cùm molem illam carnis moueri sensit, (sic enim appellat Chrysostomus homil. 46. in Genesim) non constat. Quidam dicunt, tunc illum psalmum composuisse, aut recitasse, qui est inter Psalmos apud Hebræos 144. apud Latinos 143. Ducuntur autem ea coniectura; tum quia illi rerum articulo accommodatus est, in quo vires, & auxilium contra hostes implorat; tum quia titulus, quem Septuaginta præfixerunt, hoc ipsum videtur verbis omninò disertis indicare. Sic enim habet: *Psalmus Dauid aduersus Goliath.* Et Chaldæus illud eiusdem Psalmi v. 10. vbi Vulgatus, *De gladio maligno eripe me*, legit; *De gladio Goliath eripe me.* Mihi certũ est, in eo periculo otiosum, aut inertẽ non fuisse Dauidem, cùm à Deo iam antè fuerit illustratus, & sciret certamen non esse de nihilo, sed in eo de suo capite, de populi libertate, & de diuino honore futurum esse certamen.

39. Quid autem dixerit Philisthæus ad Dauid, Scriptura satis apertè narrat; quid verò Thalmudistæ fingant, non tam ad veritatem, quàm ad populi plausum, licèt ridiculum sit; dicam tamen, vt quale sit illorum iudicium; & quæ illorum commentariis habenda fides, nemo non videat. Sic autem paraphrasis illa, de qua nuper: *Vade infans, & miserere infantiæ tuæ; quare tu commit-*

A *tis bellum contra filium leonis?* Et plura alia in hunc modum. Et post pauca: *Beatus es puer, si abieris a facie mea, ne expuam in te, & submergaris in saliua mea. In die mala egressus es, & in malo sydere. Pater tuus exclamat, & mater tua vlulat, væ væ.* Et iterùm; *Aperiam os meum, & glutiam te.* Deinde refert, quod paulò antè de quinque lapidibus Patriarcharum nominibus notatis dicebamus. Neque minùs abs re ex Thalmudistarum sententia in eo libello Antiquitatum Biblicarum, qui Philoni Iudæo falsò tribuitur, locutus dicitur Dauid, vbi dicit genus sibi cum Philisthæo fuisse commune: *Profectus est*, inquit, *Dauid ad Goliath, & dixit ei: Audi verbum antequam moriaris: nonne sorores erant duæ mulieres, vnde natus es tu & ego? Et erat mater tua Orpha, & mater mea Ruth. Et elegit sibi Orpha deos Allophylorum, & abiit post eos; Ruth autem elegit sibi vias fortissimi, & ambulauit in eis. Et nunc nati sunt de Orpha tu & fratres tui. Et quia exurgens hodie venisti deuastare Israel, natus de cognatione tua ecce veni & ego vindicare populum meum. Nam & tres fratres tui post mortem tuam incident in manus meas. Et tunc dicetis matri vestræ; non pepercit nobis, qui natus est de sorore tua.* Hæc ille, qui sanè non solùm in hac ficta narratione mendax, sed etiam fatuus est, qui non vidit, quid rerum natura, & articulus ille durus postularet. Quis enim moras necteret, & sermones sereret familiares, & longos, præsente morte, cùm spectaret vtrinque populus, de dubio certaminis euentu sollicitus? Multò sanè ex rerum natura verisimilius est, quod Scriptura sacra de vtriusque oratione narrat; alteri dat verba minarum, atque contemptus plena, accommodata superbo, ac barbaro Giganti; alteri verba minantia quidem, modesta tamen, quique victoriam non suis viribus, sed Dei auxilio, & inuictæ dexteræ, in qua spem totam collocat, & cui felicem certaminis exitum attribuit.

Vers. 43. *Nunquid ego canis sum? quòd tu venis ad me cum baculo.*] Miratus est Philisthæus nouum pugnandi modum, cùm in castris, vbi homines armati ferro, stricto gladio, & hasta rem aggrediuntur, appareat homo electus è multis, qui, quasi rem esset cum canibus, ac lupis habiturus, fundam ostentaret, & baculum. Sed planè sicut Iudic. 5. tempore Deboræ, sic etiam modò *noua bella elegit Dominus & portas mortis ipse subuertit.* Amplificat hæc Goliath verba elegantissimè Chrysostomus homil. 46. in Genesim. *Postquam*, inquit, *vidit Dauidem pastorali pera contra se contendentem, & lapides solùm afferentem, ad hunc fermè modum ad eum dicebat: Putasti te adhuc apud oues esse, & canes quosdam persequi? & ita contra me quasi contra canem instrumentis illis instructus in pugnam venisti? Statim experientia disces, non tibi cum homine vulgari bellum esse.* 40.

Et maledixit Philisthæus Dauid in diis suis.] Solitæ erant execrationes apud Gentes, quibus aliis, quibus essent offensi, à diis suis diras, & omne malum imprecabantur. Vnde illud tritum Comicorum: *Dij te, deæque perdant. Iuppiter te perduit. Dij te infelicitent*; *Dij te eradicent.* Et similia. Cùm ergo Goliath in diis suis maledixit Dauidi, aliquid, opinor, dixit his execrationibus simile. Nempè, *Dagõ te Philisthinorum Deus enecet. Derceto Palæstinorum, atque Syrorum dea te euisceret, exoculet, eradicet. Adigat te Baal ad infernas vmbras, aut Mars exsaturet tuis carnibus canes, & coruos.* 41.

Vers. 46. *Et dabit te Dominus in manu mea.*] Non curabat Dauid, quid à deorum suorum offensione, & ira imprecaretur Goliath, cùm sciret Pa- 42.

læstinos Deos; sicut Gentilicos alios, neque vim habere vllam ad saluandum, neque facultatem vllam ad nocendum; sed omni potiùs sensu, ac motu carere. Ne tamen aliquem ostenderet metum ex Gigantis comminatione conceptum, illi ex aduerso maledicit; à Deo tamen vero, à quo sicut sperari omnia possunt, sic etiam timeri. Maledicit tamen modestè, per futurum, vt non tam optare, quàm prędicere aduersarij mortem videatur. Illam verò gloriam, de qua non videtur ambigere, Deo tantùm ascribit, cuius admirabilem potestatem commendat. Et hoc se vehementer optare indicat, vt omnes cognoscant esse in Israel protectorem Deum, qui neque gladio indiget, neque ærea casside, aut squammata lorica, vt instructissimas inimicorum acies temporis momento conficiat.

43. *Et dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli.*] Non satis sibi habet nouus miles Dauid, qua est in Deum spe, vnum sternere Goliath; sed etiam sperat futurum, vt dissipentur castra Philisthiim, & eorum cadauera vultures alant, & lupos, & funestas alias cæli volucres, & syluestres feras. Quod præuidisse videtur prophetica luce, vt putat Lyra: nam reuerà eodem prorsùs accidit modo, quo ipse præsenserat, & modò prædicit. Cùm enim cecidisset Goliath lapide percussus, etiam ceciderunt aliorum animi, quibus ille viuus omnia expedita, atque secunda promittebat; vnde contigit, vt illorum plurimi strati iacuerint in viis, quas fugientes impleuerant.

44. Vers. 47. *Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, neque in hasta saluat Dominus.*] *Ecclesia* congregatio est, & conuentus populorum siue in agris sit, & castris extra ciuitatem, siue intra mœnia certo, ac definito ambitu concluſa. Sic filij Israel, dum adhuc essent in deserto, Ecclesiæ vocantur; & quicunque conuentus, vbicumque locorum esse contingat, eodem afficiuntur nomine. Ab exemplis abstineo, quæ nusquam non occurrunt. Optat igitur Dauid, non vt ex hoc certamine aliquid sibi dignitatis accrescat; sed vt omnes Ecclesiæ; id est, omnes populi, & linguæ, siue in syluis degant, siue ciuili cultu sese intra septa cõtineant, cognoscant, Deo vt amicos saluet, & inimicos funditùs extinguat, non opus esse ferro, nõ bellandi peritia, cùm per inermes, atque in bellando imperitos, & rudes, maximas possit & soleat comparare victorias.

45. Vers. 49. *Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem.*] Non difficile est coniectare, vnum tantùm esse lapidem, quo Dauid ingentem illam, & vastam molem deiecit in terram; cùm id apertè Scriptura doceat, cùm in eo congressu vnius tantùm lapidis meminerit. Sed sunt, qui tribus lapidibus appetitum esse dicant, & confectum Gigantem. Ita sanè quædam Glossa ad hunc locum, quæ eodem modo dicit à Christo Matth. 4. victum esse Satanam tribus tentationibus, quo Goliath à Dauide tribus lapidibus. Idem tenet Magister historiæ Scholasticæ & Hugo. Sed horum cogitatio longè aberrat à litera.

46. *Et infixus est lapis eius in fronte, & cecidit in faciem suam.*] Iosephus ad cerebrum vsque dicit penetrasse lapidem. Hebræorum alij affirmant primum lapidem peruenisse ad cerebrum; à secundo lapide illum eò adactum, vt ad capitis, & cerebri medium perueniret; à tertio ad extremam, & oppositam fronti partem esse compulsum. Sed quid isti non audent, modò ad popularem plausum?

A Quin etiam addunt, ex eo tempore cùm circumcisio gladio fieret lapideo, deinde fieri cæptam esse ferreo. Neque necesse est illius mutationis ab illis causam quærere, cùm reddere non possint nisi ridiculam. Dicunt præterea, metallum durum ex ærea casside cessisse lapidi, & locum reliquisse apertum ad frontem, quasi omninò à tegumento nudam. Ego potiùs dicerem, datam à Deo & Dauidis dexteræ eam firmitatem, & excusso lapidi eam duritiem, atque impetum, vt cassidem perfringeret: Seu, vt alij volunt, non curasse Goliath, quid contrà moliretur Dauid, quem vtpote inermem, & inexpertum belli contemnebat; atque ideò non curasse partem illam apertam relinquere, cui infixus est lapis, ad quam Deus excussum
B à Dauide lapidem direxit. Cur verò in faciem potiùs; id est, pronus ceciderit Goliath, quàm supinus, rationes etiam afferunt suo cerebro dignas: nam si supinus caderet, caderet vtique longiùs à Dauide, & propiùs Palæstinorum castris, ad quę cadendo caput conuertisset. Tunc autem non auderet Dauid caput abscindere, cùm aliquid ab hostibus timeret, quibus propiùs tunc esset aduersarij caput.

Vers. 50. *Prænaluitque Dauid aduersus Philisthæũ in funda, & lapide; percussumque Philisthæum interfecit.*] Non obscurè ex ipso textu sumitur, ad lapidis vulnus non statim obiisse Goliath, sed cecidisse pronum moribundum, & tunc demum egisse spiritum, cùm illius caput amputatum est. 47.
C Hîc quoque miri sunt Hebræi, quorum iam pudet referre nugas; sed deuoremus has ineptias, vt illorum magis calleamus ingenium. Referũt Antiquitates Biblicæ, quarum author falsò traditur esse Philo, cùm iam districtum ferrum ipsius faucibus immineret, dixisse Dauidi Goliath: *Festina, & interfice me, & exulta. Et dixit ei Dauid: antequàm moriaris, aperi oculos tuos, & vide interfectorem tuum, qui te interfecit. Et respiciens Allophylus vidit Angelum, & dixit; Non solus occidisti me, sed qui tecum aderat, cuius species non est sicut species hominis. Et tunc Dauid abstulit caput eius ab eo.* Deinde additur aliquid aliud non minùs à veritate, & sana mente alienum: *Angelus*, inquit, *Domini erexit faciem Dauid, & nemo agnoscebat eum. Et videns*
D *Saul Dauid interrogauit eum, quis esset? & non erat, qui cognosceret eum.*

Philisthæum à Dauide percussum symbolum esse dicunt communiter Patres, diaboli, quem Christus in sua humilitate deuicit. Sic Augustinus Dominica 1. post Trin. serm. 2. Rupertus lib. 2. in cap. 1. Reg. cap. 5. & 6. vbi multa præclarè. Tu pauca hæc sume ex Augustino: *Stabant*, inquit, *Hebræi, & pugnare cum aduersariis non audebant. Quare non audebant? Quia Dauid, qui Christi typum gerebat, nondum venerat. Verum est, fratres charissimi; quis enim contra diabolum pugnare poterat, antequàm Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? Dauid enim interpretatur, Manu fortis. Quis eo fortior, fratres, qui vniuersum mundum vicit armatus non ferro, sed ligno?* Et paulò pòst: *Ante aduentum Christi, fratres charissimi, solutus erat diabolus;*
E *veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio dictum est Matth. 12. Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem. Venit ergo Christus, & alligauit diabolum. Sed dicet aliquis, si alligatus est, quare adhuc tantùm prænalet? Verum est, fratres charissimi, quia multùm prænalet: sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus, dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera*

48. *Goliath Diaboli typus, Dauid Christi.*

mortifera ſecuritate coniunxerit. Iam videte fratres, A *quam ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates ſæculi noli cõiungere, & ille ad te non præſumet accedere. Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt niſi volentem: non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis cõſenſum, ſed petit. Venit ergo Dauid, & inuenit Iudæorum populum contra diabolum præliãtẽ; & cùm nullus eſſet, qui præſumeret ad ſingulare certamen accedere, ille qui figuram Chriſti gerebat, proceſſit ad prælium, tulit baculum in manu ſua, & exiit contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum eſt, quod in Domino Ieſu Chriſto completum eſt. Venit enim verus Dauid Chriſtus, qui contra ſpiritualem Goliath; id eſt, contra diabolum pugnaturus, crucem ſuam ipſe* B *portauit.*

49. Hæc ideò longiùs ex Auguſtino deſcripſi, quia multa, quæ ab aliis, & ab ipſo etiam Auguſtino aliis in locis afferuntur, his ſunt quàm ſimillima. De huius hiſtoriæ aut morali, aut allegorico ſenſu tractauit iterùm Auguſtinus homil. 31. de monomachia Dauid & Goliath. Ambroſius l. 1. officiorum c. 35. & in Pſal. 118. ſerm. 18. Chryſoſtomus, tom. 1. Homil. 46. in Geneſim: & ibidem homil. de Dauid & Saule: & alia ſtatim homilia de victoria Dauid contra Goliath. Et latè ſuper Pſal. 50. Angelomus, & Eucherius. Bernardus in Dominica 4. poſt Pentecoſten, vbi in fine admirabile quoddam documentum præbet contra ſuperbiam, cuius ſymbolum videt in Goliath. In quinque lapidibus totidem agnoſcit virtutes, aut animæ dimicantis arma, quibus cadit ſuperbæ mentis tumens elatio. Hæc verò ſunt *comminatio, promiſſio, dilectio, imitatio, oratio. Quoties,* inquit, *vanitatis cogitatio mentem pulſat, ſi intimo cordis affectu diuinas expaueſcere cœperis comminationes, ſeu promiſſiones eius deſiderare, non ſuſtinet Golias vtriuſlibet lapidis ictum, ſed reprimitur illicò tumor omnis. Quòd ſi venerit in mentem dilectio illa tam ineffabilis, quam tibi Deus maieſtatis exhibuit; an non illicò inardeſcens ad charitatem prorſus abominari incipis, & abiicere vanitatem? Sic & exempla Sanctorum, ſi diligenti tibi conſideratione proponas, erit ſine dubio ad reprimendum elationem cogitatio iſta perutilis. Iam verò ſi fortè inſurgente ſubitò elatione, nihil ex his, quæ diximus, apprehendere quiuerit manus tua, toto feruore ad eam conuertere, quæ ſola reſtat, Orationem; & continuò quem elenatum videras & exaltatum, ſicut cedros Libani, ſubuerſus impiè iam non erit. Sed quæras fortaſſe, quemadmodùm ſuo ipſius gladio Goliæ poſſis abſcindere caput? Id enim tibi tanto iucundius, quanto moleſtius hoſti. Quoties te prouocante vanitate, ad recordationem comminationis diuinæ, ſeu promiſſionis, aut cæterorum, quæ ſuprà diximus, confundi caperis, & erubeſcere, deuictus eſt quidem Golias, ſed forſitan adhuc viuit. Accede itaque propiùs, ne fortè reſurgat: & ſtans ſuper eum mucrone proprio caput eius abſcinde, de ea ipſa quæ te appetit, vanitate, perimens vanitatem. Elata ſi quidem cogitatione pulſatus, ſi ex ea ipſa materiam, & occaſionem ſumas humilitatis, quò nimirùm humiliùs, & abiectiùs tanquam de ſuperbo homine ſentias de te ipſo;* E *Goliam vtique Goliæ gladio peremiſti.* Hæc optimè Bernardus.

Quinque lapides quid myſticè.

50. Verſ. 51. *Et tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina.*] Nondum gladium exemerat Goliath, aut quia Dauidis prompta celeritas non illi ſatis tẽporis reliquit, vt illum expediret; aut quia ex vſu rei bellicæ priùs pugnatur eminùs haſta, quàm cominùs gladio; & hoc potiùs. Hinc ego colligo, Dauidem virum eſſe robuſtum, quando gladio Goliath, quem grauem, & longum fuiſſe oportet pro magnitudine corporis, attemperatè ad haſtæ magnitudinem, cuius ferrum ſexcentorum ſiclorum pondus habuit, & haſtile, quod inſtar liciatorij texentium erat, fœminis craſſitudinem. Adde, quòd gladius iſte accommodatus dicitur & viribus, & corpori Dauidis; alioqui cap. 21. cùm illum Achimelec ſacerdos Dauidi reddidiſſet, non dixiſſet Dauid v. 9. *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* Quod idem valet, vt ego opinor, non eſt hoc alius accommodatior. De quo ſuo loco pluribus.

51. *Videntes autem Philiſthiim, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.*] Plurimum momenti eſt ad ſecundum bellorum euentum in Imperatoris ſalute, quæ ſi afflictari cæperit; & quod durius, eſt, in acie cadere contingat, exanimat etiam ſtrenuos milites, eóſque aut hoſtili ferro, aut ignobili fugæ quodammodò deuouet. Exemplorum ſatis eſt in vtraque ſcriptura, tam Sacra, quàm profana. Lacedæmones, vt author eſt Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. & Ælianus lib. 6. c. 6. de var. hiſt. ad diſſimulandum, & occultandum vulnerum cruorem, puniceis in prælio tunicis vtebantur: cuius rei ille effectus eſt præcipuus, ne aſpectus illius ſociis terrorem, & aliquid fiduciæ, atque animi hoſtibus afferret. Neque fortaſſe aliam ob cauſam Romanorum Imperatores in acie veſtibus vtebantur purpureis, ne videlicet concolor è vulnere ſanguis appareret; & C aliis, qui vulneratum viderent ducem, animos adimeret. Ita Plutarchus in vita Bruti. Tale pallium geſtabat Lucullus in prælio, vt idem refert Plutarchus in illius vita; & Marcus Antonius, vt in Epodo tradit Horatius Ode 9. Et quidem Plutarchus idem in vita Pelopidæ, tam Pelopidam ipſum, quàm Marcellum, viros alioqui rerum geſtarum gloria celeberrimos, reprehendit, quòd nimia temeritate ſeipſos cum graui exercitus detrimento perdiderint. Et de Pelopida ad finem ait, ſeipſum Pelopidam, ac principatum ſuum præcipitaſſe.

52. In Scriptura ſacra exempla ſunt clara. Duo habemus ſub hoc ipſum tempus. Alterum eſt Aſaelis, qui dux erat, & princeps in exercitu Dauid; qui cùm occiſus eſſet ab Abner lib. 2. Reg. cap. 2. D & exanimis iaceret in via, milites omnes etiam in ipſo ardore inſequendi hoſtes morabatur, & frangebat animos alacres, & ad victoriam anhelantes. *Omnes, qui tranſibant per locum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.* Alterum Amaſæ 2. Reg. cap. 20. *Amaſa autem conſperſus ſanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quod ſubſiſtebat omnis populus ad videndum eum, & amouit Amaſam de via in agrum; & operuit veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum.* Sed eſt optimum exemplum Holofernis, cuius mors exultantes victoria militum animos, & nihil ſibi de ſua fortuna, atque virtute non promittentes, ſic debilitauit, ac fregit, vt quos mures paulò antè vocauerant, leones putauerint, & non in armis, ſed in E fuga turpiſſima ſpem vitæ poſuerint. De quibus Iudith cap. 15. *Cúmque omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet, fugit mens, & conſilium ab eis, & ſolùm tremore, ac metu agitati fugæ præſidium ſumunt. Ita vt nullus loqueretur cùm proximo ſuo; ſed inclinato capite, relictis omnibus euadere feſtinabant Hebræos, quos armatos ſuper ſe venire audiebant.*

53. Moralis ſenſus ex hac hiſtoria informari poteſt opportunè in hunc modum. Goliath iſte, qui nũc eſt à Dauide lapide percuſſus, ſuperbi ſpiritus, & ſuperbiæ vitiorum reginæ ſymbolum eſt, vt ex

Victa ſuperbia vitiorũ regina, alia vitia facilè vincuntur.

Bernardo

Bernardo ſuprà latè didicimus. Hæc, vt Gregorius docuit lib. 3. moral. cap. 31. regina dicitur vitiorum omnium, quæque vt imperator in caſtris duces ſub ſe continet plurimos, quibus vires ſufficit, & arma miniſtrat: qua extincta, aut exanimata, reliquæ aliæ peſtes animorum langueſcunt, & cadunt: quòd ſi viuat, vigeatque, deuictum cor vitiis aliis calcandum, & ſubigendum tradit. Sicut Ioſue cap.10.Principibus exercitus deuictorum Regum colla calcanda ſubiecit, v.24.*Et ait ad Principes exercitus, qui ſecum erant, ite & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Eodem modo ſuperbia, de qua Gregorius citato nuper loco: *Ipſa*, inquit, *vitiorum regina ſuperbia, cùm deuictum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit. Quos videlicet duces exercitus ſequitur, quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriũtur.* Deinde exercitus horum ducum ſingulatim deſcribit. Vt ergo ſuperato Goliath,aliis ducibus exciderũt animi, & effluxerunt arma de manibus, ſic etiam ſi ſuperbia vitiorum regina, dux, & altrix ſubacta fuerit, tota concidet vitiorum inimica cohors.

54. *Sublata vitia,quæ in homine dominantur, alia vitia facilè languent.*

Aliam ego hîc pugnam, aliud documentum inuenio. Eſt quidem in Goliath, homine inſolente, ac ſtupido, ſuperbiæ quoddam ſpirans, & viuum ſimulacrum, quæ plurima ſub ſe fouet, & continet vitia.Sed eſt etiam in hominibus ſingulis proprium quoddam, & quaſi naturale vitium, quod alia plura ſuſtentat, & fouet; quod ſi ſuſtuleris, alia etiam debilitantur, & languent.In aliis dominatur libido; in aliis auaritia; alios inuidia vrit; alios emollit, & frangit iners quædam, & nimiùm delicata mollities; alios rapit, & præcipites agit iracundia. Quæ inſtar Goliath terrent ſubiectos animos, faciúntque, vt aliis etiam vitiis,ſine quibus illorum regnum ſtare non poteſt, obſequantur. Tunc autem à viris ſtrenuis,quique victoriam de Philiſthinis; id eſt, de his, quæ diuinis conſiliis, & animarum commodis aduerſantur, comparare ſtudent, eò enitendum eſt, vt vitium illud, quod in ſuis animis dominari ſentiunt, omninò expugnent, adhibeantque lapides quinque de torrente, & quicquid eſt in ſpirituali militia machinarum;& in nomine Domini in hoſtem illum familiarem, & inteſtinum intorqueãt; quem ſi ex ſuo loco, ſtatúque deiiciant, ſtrauiſſe exiſtimabuntur, non vnum, ſed multos hoſtes, quos ille in ſuo regno alienis ſumptibus alebat, audientque triumphale illud Cãticum,quod vno occiſo hoſte cecinerunt Iſraelitides pſaltriæ Dauidi: *Percuſſit Dauid decem millia.* Sanè qui Abſalomem haſta perfodit,qui regnum patris ſeditione turbarat, totum exercitum, quem ipſe contra patrem armauerat, edomuit. Qui Sebam, à quo populus commotus eſt,vt à Dauide deficeret, occidit,ille bellum extinxit,& regni ſeditionem ſuſtulit.Qui arborẽ ſuccidit, de qua Dan.c.4.ille omnes volucres, ac feras fugauit,quas illius arboris rami,atque vmbra fouerant.

55. Verſ.52. *Ceciderũntque vulnerati de Philiſthiim.*] Cùm primùm cecidiſſe viderunt Philiſthæi,quem ducem & propugnaculum exercitus putabant; quaſi in ſuo quiſque capite vulnus accepiſſet, amentes, & attoniti, relictis caſtris, in fugam ſeſe dant, in qua cùm ſine vllo ordine, atque conſilio fugerent, magno numero hoſtili gladio ceciderunt. De numero nihil habemus ab Scriptura certum. Ioſephus lib.6. Antiq. cap.11. triginta hominum millia periiſſe tradit, & duplò plura fuiſſe vulnerata. Cùm autẽ Hebræi Philiſthinos vſque ad Geth, & Accaron eſſent perſecuti, reuerſi ſunt ad caſtra, vbi hoſtes paulò antè conſederant; &, quod conſequens erat, debitúmque victoribus,abſtulerunt, diripueruntque,quicquid ibi pretioſum, & ad humanos vſus commodum inuenerunt. Quod fecerunt poſteà ciues Bethuliæ,poſtquàm occiſo Holoferne, exanimati milites fugæ ſeſe dedere;tunc enim inuaſerunt,ac diripuerunt caſtra, quæ opimis onerata ſpoliis deſeruerunt Aſſyrij,Iudith.15.

56. Verſ.54. *Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, attulit illud in Ieruſalẽ.*] Fecit Dauid,quod alij fortaſſe fecerunt anteà: fecerunt certè,ſi credendum fabulis:ſed fecerunt poſteà tam Gẽtiles, & exteri, quàm Hebræi;quod eo fecerunt cõſilio,vt de hoſtibus triumphum agerẽt, aut vt eleuatis, propoſitiſque capitibus, in conto præfixis, inimicis cõſternationem, & timorem afferrent; ſociis exultationem, & animos. De Ptolomæo à Gallis occiſo ita Iuſtinus lib.14.*Ptolemæus multis vulneribus ſaucius capitur:caput eius amputatur,& lancea fixum tota acie ad terrorem hoſtium circumfertur.* Idem accidit Piſoni, & Galbæ, quos Otho ſuperauit, de quibus Cornelius Tacitus l. 17. Annal. Præfixa contis capita geſtabantur inter ſigna cohortium. Ex hac vulgari conſuetudine Virgilius libro 9. cecinit.

Hoſtium capita in contis præferri ſolita & publicè proponi.

Quin ipſa arrectis, viſu miſerabile, in haſtis
Præfigunt capita,& multo clamore ſequuntur
Euryali, & Niſi.

Quod ſpectaculum ſic affecit Troianos,quos duros antè;id eſt, aſſuetos laboribus, & illis idoneè perferendis ſatis ab vſu, & fortitudine comparatos vocauerat, vt animum, vultúmque demiſerint. De quibus ſtatim:

Stant mœſti,ſimul ora virũm præfixa videbant
Nota nimis miſeris, atróque fluentia tabo.

De Sacris eſt illud Iudit.cap.14. vbi caput Holofernis in muro ſuſpenſum eſt. Et caput Saulis infrà cap. 31. eo prorſus modo, quo caput Goliath à Dauide, per ciuitates Palæſtinæ circumductum eſt. Et longè poſteà Nicanoris caput abſciſſum eſt, & eo loco ſuſpenſum, vt à Solymitanis videri poſſet, lib.1. Machab. cap.7. ad finem. Quibus locis abſciſſa principum capita in triumpho ab hoſtibus aut haſtis præfixa, aut in publicis, frequentibuſque locis ſuſpenſa ſunt.

57. *Hieroſolyma olim Iebuſæus, Hebræiſq; communis.*

Attulit illud in Ieruſalem.] Circumtulit Philiſthæi caput Dauid per plures alias ciuitates, per quas tranſibat victor exercitus, vt conſtat ex ſequenti cap.v.6.Nam ex vrbibus dicuntur egreſſæ mulieres, & epinicium tam Sauli, quàm Dauidi cantaſſe. Sed cur præcipuè Hieroſolymam allatum dicitur vaſtum illud Philiſthæi caput;eo maximè tempore, in quo nondum erat ſub Hebræorum dominatu? Rationem reddit Abulenſis à q. 37. quia licèt arx Sion; id eſt,pars expugnatu difficilis, eſſet in Iebuſæorum poteſtate,quam ex illorum manibus poſteà extorſit Dauid, & à ſuo nomine *Ciuitatem* appellauit *Dauid:* tamen reliqua pars ciuitatis Hebræorum dominatum ſubierat. Et quidem captum eſſe Hieroſolymæ Regem, & occiſum à Ioſue, habes Ioſue 10. v. 23. Deinde captam ciuitatem à filiis Iuda, Iudic. 1. v.8. Quare ratio non erat, quæ prohiberet Gigantæum caput in ea parte collocari, in qua eſſet Hieroſolymæ maximè conſpicuum, quia illa nobiliſſima ciuitas fuit; atque ideò tam inſigni trophæo nulla pars in Chanaanitide regione commodior. Deinde vt Iebuſæi, qui ciuitatis

arcem

arcem in ſua poteſtate diu retinuerant, & nunc etiam obſtinato conſilio tuebantur, ex eo facto diſcerent expugnari poſſe arcem illam arte, atque natura munitam, fauente Domino Iudæorum votis: ſicut terror Hebræorum, & arx Philiſthinorum firmiſſima Goliath, excuſſo è paſtorali funda lapide, deiectus eſt. Hoc poſterius indicat Theodoretus q. 41.

58. *Arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo.*] Quidam de Tabernaculo fœderis accipiunt; quod eo ſibi argumento perſuadent, quia poſteà cap. 21. gladium Goliath, tradente Achimelec Sacerdote ſumpſit è Tabernaculo. Sed ſi ita eſſet, cur hiſtoricus ſacer addidiſſet, *ſuo*, cùm Dei eſſet, & commune omnibus, non proprium Dauidis tabernaculum? Mihi veriſimile eſt, aliquandiu arma Goliath, quorum ſuprà magnitudo, & pondus deſcripta ſunt, poſita primùm in Dauidis tabernaculo. Nam habuiſſe tabernaculum proprium, in quo militari more degeret in caſtris, cùm iam nobilis haberetur, & Princeps, ſtrato tam inſigni victoria Philiſthæo, nemo, credo, dubitabit. Deinde arbitror ab eodem Dauide ad Tabernaculum fœderis fuiſſe tranſlata, vt eo dono fateretur diuinæ fuiſſe virtutis victoriam illam; atque ideò extare oportere non in ſuo, ſed in diuino Tabernaculo illius inſigne monumentum. Quandiu ergo durauit triumphus, & ſpectari à populo licuit immania illa feri hominis arma, fuerunt in tabernaculo Dauidis; quia eò conuenire debuerunt, quotquot vellent factùm illud egregium cognoſcere, & immanes illas tanti mõſtri exuuias intueri: vbi autem ſæpiùs videndo curioſos animos expleuerunt, ad Domini Tabernaculum tranſmiſſa ſunt. Ita putant Abulenſis, Caietanus, nec diſplicet Hugoni.

Verſ. 55. *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens.*] Cur Saul Dauidem ignorauerit, cùm illum ſæpè canentem audiiſſet, diximus ſuprà cap. 13. Neque eſt, cur quicquam hîc addamus. Si verum eſſet, quod ſuprà dicebãt antiquitates Biblicæ Pſeudophilonis, dum ferrum iugulo excepiſſet Goliath, mutatam eſſe formam Dauidis ab Angelo, ita vt à nullo poſteà cognoſceretur; mirandum non eſſet, ſi cùm rediret è palæſtra, ab Abner duce, & à Saule Rege non agnoſceretur. Sed Antiquitates illæ, vt ſæpiùs diximus, nullam merentur fidem. Quare rationes illas probo, quas antè cap. 13. probaueram. Et illud hîc obſeruandum propono morali, atque Chriſtiano Philoſopho, quàm leuem gratiam pro ſuis benefactis ſperare debeat ab homine mortali, quantumuis ille diuitiis ſit, & dignitate potens. Eſt enim in potentibus maximè infirma, & futilis, ſi tamen vllæeſt, beneficiorum memoria; & ſi qua, quod perquàm rarum eſt, aliquandiu durauit, illam vel tenuis offenſiuncula obſcurat, & delet. Sæpiùs pſallente Dauide, ab ſpiritu laxabatur malo, & ab ingentibus animi, ac corporis angoribus Saul; & tamen ignorat, à quo tam ſæpè magnum illud beneficium acceperit. Et cùm ignominiam à Regio capite, & ab Iſraelitarum nomine depulerit, imò & libertatem peperit, quam populus ille exanimatus, & pauidus videri perdidiſſe poterat; non propter aliquam Dauidis incuriam, aut arrogantiam in loquendo, ſed propter aliorum ingrata verba in triumphali plauſu, ſic illum animo inſecutus eſt hoſtili, vt æternas in eum, certè ad mortem vſque inimicitias aluerit. 59.

Viuit anima tua, Rex, ſi non.] Hoc genus eſt iuriſiurandi inter Hebræos familiaris; quod idem eſt, ac ſi dicas: *ita viuas*, aut *per vitam tuam ô Rex.* Illud porrò, *ſi*, idé valet quod *non*, vt pluribus oſtẽdimus ad illud c. 14. *Si ceciderit capillus de capite eius.* 60.

IN CAP. XVIII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

ILLA tanta Gigantis interfecti gloria, tum ingenij ſuauitas, & ſpecies externa, (quæ plurimum valere ſolet ad gratiam) ſic populo, populique Principibus commendarunt Dauidem, vt magno apud omnes eſſet in amore, & pretio. Quare Rex ipſe ſecum retinere voluit, quem etiam præpoſuit mille viris: Ionathas verò eo illum ſtudio, atque amore complexus eſt, vt vnam putares animam in geminato corpore; quam gratiam quotidie nouæ victoriæ à Dauide iam Chiliarco comparatæ magis augebant. Sed dum populus magis Dauidis nomini fauet, aduerſus illum apud Regem, quem tunc dira inſania exagitabat, inuidiam conflauit. Cum enim puellæ pſaltriæ Dauidis cantarent triumphale carmen, ſic illius extulerunt militarem gloriam, vt Saulis deprimerent. Quare ex eo die mortale in Dauidem concepit odium, quem ſtatuit eſſe tollendum, ne ſui nominis ſplendori, quod verebatur, officeret. Quem confeciſſet omninò iniecto in illum ſpiculo, niſi petitionem illam cautè declinaſſet. Amouit igitur illum à ſe, & ſibi, reique publicæ bellicam operam nauare iuſſit. Cúmque in ſingulos dies rebus ſtrenuè agendis eſſet illuſtrior, cauere ſibi ab illo cœpit, quaſi Regij nominis, & dignitatis æmulum. Quare, vt illi occultas moliretur inſidias, nuptui illi deſpondet filiam Merob. Et deinde cùm Merob alteri tradidiſſet, ſecundam locat filiam nomine Michol. Cúmque ad nobiles illas nuptias parum ſe putaſſet idoneum, cùm pauper eſſet, neque Hebræorum more ad ſponſam Regiam coëmendam facultatem haberet, Rex dotis nomine centum exigit Philiſthinorum capita, quæ ille ſtatim duplicata reddit. Sic initæ nuptiæ, & cum inuito Rege affinitas contracta, cuius in Dauid magis, ac magis inflammabat odium.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

1. ET factum est,cùm complesset loqui ad Saul;anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.

2. Tulitque eum Saul in die illa,& non concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui.

3.Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.

4. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcum suum, & vsque ad balteum.

5. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quęcumque misisset eum Saul,& prudenter se agebat:posuitque eum Saul super viros belli,& acceptus erat in oculis vniuersi populi,maximéque in conspectu famulorum Saul.

6.Porrò cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorósque ducentes in occursum Saul regis,in tympanis lætitiæ,& in sistris.

7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes:Percussit Saul mille,& Dauid decem millia.

8. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste: dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?

9.Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa,& deinceps.

10. Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies: tenebátque Saul lanceam,

11.Et misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete:& declinauit Dauid à facie eius secundò.

12. Et timuit Saul Dauid, eo quòd Dominus esset cum eo,& à se recessisset.

13. Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi.

14. In omnibus quoque viis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.

15.Vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis,& cœpit cauere eum.

16. Omnis autem Israel & Iuda diligebat Dauid:ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.

17. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.

18. Ait autem Dauid ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener regis?

19.Factum est autem tempus,cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor.

20. Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera.Et nunciatum est Saul, & placuit ei.

21. Dixitque Saul:Dabo eam illi,vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie.

22. Et mandauit Saul seruis suis:Loquimini ad Dauid clam me,dicentes:Ecce places regi,& omnes serui eius diligunt te.Nũc ergo esto gener regis.

23. Et locuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.

24. Et renunciauerunt serui Saul, dicentes: Huiuscemodi verba locutus est Dauid.

25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad Dauid:Non habet rex sponsalia necesse,nisi tãtùm centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum.

26. Cúmque renunciassent serui eius Dauid, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis Dauid, vt fieret gener regis.

27. Et post paucos dies surgens Dauid, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi,vt esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem.

28. Et vidit Saul,& intellexit quòd Dominus esset cum Dauid.Michol autem filia Saul diligebat eum.

29. Et Saul magis cœpit timere Dauid: Factúsque est Saul inimicus Dauid cunctis diebus.

30.Et egressi sunt principes Philisthinorũ à principio autem egressionis corũ,prudentiùs se gerebat Dauid quàm omnes serui Saul,& celebre factũ est nomen eius nimis.

IN CAP. XVIII. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers.1 *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.*

1. *Veri amoris exemplum in Ionatha.*

PARENTEM Saulē,& filium Ionatham dissimillimo ingenio fuisse oportet. Alter laudem, & victoriam Dauidis suam sibi iniuriam,& ignominiam esse duxit; alter sibi illius laudem, & triumphum perinde accepit, ac si ad se totū illud omninò pertineret. Neque enim Dauidis animam à sua cogitabat esse diuersam, cùm non minùs in Dauidis corpore,quàm in suo viueret; iuxta illud Platonicum, *Amans in proprio corpore mortuus est, viuit in alieno.* Hinc fit, vt qui verè amant,aliorum grauiter ferant incommoda, de suis non laborent. Sic Arria moritura dixisse fertur, non graue sibi esse vulnus, quod sibi adacto in viscera ferro amens intulerat; futurum tamen esse grauissimum,quòd eam ob causam sibi coniux Pætus esset illaturus. De quibus ita Martialis lib.1.epigr.14.

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides; vulnus,quod feci,non dolet,inquit,
Sed quod tu facies,hoc mihi Pæte dolet.

2. *Amoris vis & natura.*

Hîc vis amoris, & illius natura expressa est, qui amantis animum,& sensus in eorum, quos amat, corpora transmittit;seu animā suam,quod fecisse hîc dicitur Ionathas,cum alterius anima conglutinat. Hinc illi vsitati dicendi modi, quò amicus amatum dicit esse alterum se. Hinc amicos appellamus animæ nostræ dimidium; sic animā nostram;sic cor nostrum,& alia huiusmodi. Sic quia in amicis viuere, aut viuere in nobis amicos volumus, moriētium amicorum spiritum haurimus ore hianti. Vnde apud profanos vsitatum, *ore excipere alicuius animam,*siue *spiritum.* Quam consuetudinem optimè in oratione de Satyro fratre explicuit Ambrosius. *Nihil,*inquit, *mihi profuit vltimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirasse morienti.* Augustinus, iuxta Horatianum illud lib.1. Carm. ode 3. *Et serues animæ dimidium meæ.* amicum sui dimidium appellauit lib.4. Cōfess.cap.6. *Benè quidā dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam illius,& animam meam vnam fuisse animam in duobus corporibus. Et ideò mihi horrori erat vita: quia nolebam dimidius viuere. Et ideò fortè mori metuebam,ne totus ille morereturquem multùm amabam.* Gregorius Nazianzenus in oratione funebri Basilij: *Vna vtrique anima videbatur duo corpora ferens. Quòd si minor fides iis habenda est,qui omnia in omnibus posita esse dicunt: at nobis certè credendum est, quòd vterque in altero,& apud alterū positi eramus.* Hic igitur amor significatur inter Dauidem, & Ionatham, dum illorum animæ in vnā coalitæ,seu cōglutinatæ dicuntur. De hoc amore aliquid à nobis dictum est ad illud Cant.1. *Osculetur me osculo oris sui.* Qua de re alij disputauere latissimè, & nos hîc pro nostro instituto satis. Quid porrò sit, animam Ionathæ cum Dauidis anima esse conglutinatam,statim declaratur,cùm dicitur: *Et dilexit eum Ionathas quasi animam suā.* Vbi illud *&* non est copulatiua, sed expositiua particula.

In amicis vna,eadémque anima in multis corporibus.

3. Vers.3. *Inierunt Dauid,& Ionathas fœdus.*] Hoc fœdus amicitiæ fuit, quam duo isti Principes inter se voluerunt habere perpetuam. Quod autem *fœdus* hoc fuerit,explicatur postea cap.20.de quo nos eo loco pluribus. Sed quæret aliquis,cur illud pactum tam arctum,tamque latè patens inire voluit homo nobilis, potens, & è Regio semine; cum homine tunc rustico,incognito,& cui nulla erat à natalium nobilitate commendatio, cur suā illi posteritatem tantoperè commendat? Sed est prompta,facilisque responsio. Nam primùm vbi Deus est,qui suis addit ad amorem honestum ardentes faces; & virtus,quæ ad se trahit etiā auersos inimicorum animos; quæ duo proculdubiò spectabat in Dauide Ionathas; non est cur plures inuestigemus amādi causas. Aderat præterea morum, studiorúmque similitudo maxima, quæ arctissimo modo coniugat amicitias. Vterque erat fortis, & strenuus; vterque patriæ religionis, & Israëlitici nominis studiosus; vterque ingenio minimè inuido,ac malo; vterque habuit, quid in altero amaret,atque suspiceret. Neque sæpè amor causas in amante cōsiderat, sed à natura sua liberali,ac nobili ad amādum, & benefaciendum incitatur vltrò. Neque dubitabat fortasse Ionathas Israëliticum regnum à suo patre, atque familia, ad Dauidem,eiusque posteritatem esse traducendum, qui iam antè à Samuele cognouerat reprobatum esse patrem, & illius loco ad regnum illo meliorem esse suffectum.

4. *Verus amor in amatum liberalis est.*

Vers.4. *Nam spoliauit se Ionathas tunica,qua erat indutus.*] Sicut matrimonium, quod duos facit vnum esse corpus,coniuges aut inuenit, aut facit æquales; sic amicitia, si vera est, similē reddit,& æqualē amicum,cui sua omnia ita cōmunicat liberaliter, vt eis velit vti pro suis. Non satis apta videbatur esse,aut firma,fidáque societas inter regium,ac nobilē Principē, & adolescentē ad illum vsque articulū ignotum; inter aulicum,& militē, & rusticum pastorē, quem non cassis, & gladius, sed funda,& baculus armabant. Quare cùm primùm cum Dauidis anima Ionathæ anima cōglutinata est,militarem habitum, & regium,à seipso detractum largitus est Dauidi;& quod ipsi in illo rerum statu erat speciosum,& vtile munimētum, ornamentū illius esse voluit, quē sibi præ omnibus amicum adoptauit. Dedit ergo militarē chlamidem,gladiū, arcum, & balteum, ne quid deesset ad speciem eius,qui studium profiteretur bellicum. Et quia hæc nō aptè cadunt super pellicea, & sordida pastoris indumenta,reliquas etiā vestes impertitus est; ita vt exuisse videretur pastorem, & agrestem personam,& induisse Principem.

5. *Balteus præcipuum militum ornamentum, & insigne.*

Sed quærat hîc curiosus,cur post gladium, & arcum, & reliqua tanti Principis ornamenta extremo loco numeretur balteus? Ego eam rationē esse puto; quia cùm Balteus militū esset insigne, ille exauthoratus censebatur, & honesto militis nomine indignus,cui ablatus esset, aut excidisset balteus;& magnum in re castrensi supplicium cēsebatur,si quis balteo;id est,militari cingulo priuaretur. Vnde sæpè legimus à tyrannis detracto balteo exauthoratos Christianos milites,quia noluerūt Christianā abiurare religionē. Et quemadmodū quicquid erat pretiosum olim, ab his, qui militarem profitebantur artē,non in vasis,aut supellectili domestica ponebatur,sed in his,quæ ad militarem instructum pertinebant: sic quia balteus ornamentum erat militare, & militum insigne, in illo aliquid spectabatur pretiosum, & illustre. Sanè præcipuum balteorum ornamentum erant bullæ,à quibus, Varrone teste, balteus no-

Balteus vnde dictus.

men

men accepit. Putat enim balteum dici, quasi bullatum; id est, bullis distinctum. Cùm autem balteus omnis distinctus esset bullis, Hispanè *tachonado*, pro personarum tamen dignitate varia erat bullarum materia, modò aurea, modò argentea, interdum verò è pretioso lapide. Trebonius Pollio in Salonino, auro, gemmisque distinctos dicit quorundã militum balteos: *Cùm cingula*, inquit, *sua plerique militantium, qui ad conuiuium venerant, ponerent hora conuiuij, Saloninus puer auratos, constellatósque balteos rapuisse perhibetur.* Clariùs idem in Gallieno, cui gemmatum balteum attribuit. Et Parthicos balteos Claudianus lib. 2. de raptu, gẽmis baccatos esse dicit. Accedebat ad materiæ pretium artis præstantia, & in argumento mira varietas, quæ Homerus in balteo Herculis, Odyss. lib. 11. & Iliad. 4. in Menelai cingulo describit. Vtrumque Virgilius in Pallantis cingulo coniunxit, vbi auream adhibuit materiam, & in ea argumentum illustre, historiam nempe Danaidum cælo Eurytionis eleganter expressam. Sic autem ille lib. 10. Æneid.

Baltei ornatus pretiosus.

—Rapiens immania pondera baltei,
Impressúmque nefas, vna sub nocte iugali
Cæsa manus iuuenum fœdè, thalamique cruenti,
Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro.

6. Hoc verò ante hoc Ionathæ sæculũ in populo Israëlitico, regionibúsque proximis fuisse in vsu; nempè vt pretiosus esset balteus, & regni, aut eximiæ alicuius potestatis insigne, à quo discingi grauis censeretur ignominia; indicat Iob, cap. 12. v. 18. *Balteum regium dissoluit, & præcingit fune renes eorum: ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat.* De dignitate, atque vsu *baltei*, seu militaris cinguli sunt in antiquo iure multa lectu digna. Vide l. penult. de castrensi peculio. & l. si quis in conscribendo C. de pactis. & l. final. de apparit. Magist. milit. lib. 2. cum aliis pluribus, quæ congerit Petrus Gregorius syntag. iuris 3. p. lib. 31. cap. 30. à num. 11.

7. Cùm ergo Ionathæ balteus pretiosus esset, & insigne gloriosæ militiæ, cùm filius esset Regis, & in illius exercitu dux eximius, donum videtur Dauidi dedisse omnium maximum, stellatum fortasse, & radiantem scintillantibus gemmis, à quo distinctus speciem præ se ferret eius, quẽ aliquod indecorum factum exauthorasset. Atque ideò vt oratio per suos veluti gradus assurgeret, in donorum omnium extremo numeratus est.

8. Vers. 5. *Egrediebatur quoque Dauid ad omnia, quæcumque misisset eum Saul.*] Iam inde ab eo tempore, quo sublato Gigante, abstulit Dauid ab Hebræorum populo dedecus, & opprobrium, omniũ gratiam, & beneuolentiam sibi demeruerat; auxit tamen plurimùm, cùm dato sibi muneri ita satisfecit, vt nihil tentauerit, in quo quis desiderare studium, atque prudentiam; nihil susceperit, quod non fuerit secundus euentus cõsecutus. Quare cùm omnibus esset gratus, illis tamen maximè, qui familiaria Sauli, atque domestica ministeria præstabant. Hæc porrò videntur ante suum tempus anticipata narratione prædicta: neque enim fieri potuerũt, antequàm virgines cum tympanis egressæ cecinerunt Dauidi, cùm victor è palæstra rediret. *Percussit Saul mille*, &c. Post has verò acclamationes constitutum esse Dauidem à Rege tribunum super mille viros, cõstat ex v. 13. vbi hæc eadem ab illo facta narrantur, quæ hoc v. 5. continentur. Prolepsin autem, seu anticipationem vsitatam esse in Scriptura, nemo in ea mediocriter versatus ignorat.

A Vers. 6. *Egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes.*] Ex valle Terebinti, vbi commissum fuerat singulare certamen, direptis iam Palæstinorum castris, redierunt victores tum ad vrbes alias, tum maximè ad Ierusalem, vbi quasi illustre trophæum constituerunt caput Goliath. Ex vrbibus autẽ, quæ in ipso traiectu erant, egrediebantur virgines obuiæ Dauidi, atque Sauli onustis opimis inimicorum exuuiis, quæ de patrio more cecinerunt epinicium. Id enim erat proprium virginum, si quid erat lætum, sicut nuptias, & victoriam; aut triste, sicut funus, & acceptam cladem, aut lugubri, aut hilari cantu celebrare; illa epithalamio, aut epinicio; hæc epicedio, & næniis. 9.

Virgines Epinicia, Epicedia, & Epithalamia cantare solita.

B Vers. 7. *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.*] Hoc fuit psaltriarum canticum, in quo non pauca nobis excutienda sunt. Primùm, non probo, quod Magister historiæ Scholasticæ asserit, præiisse in cantico mulieres, nuptas videlicet, dixiséque: *Percussit Saul mille*; respondisse verò virgines, *Dauid decem millia.* Neque enim hoc ex Scriptura colligitur; neque necessarium videtur, aut consentaneum, vt diuersi cõstituerentur psallentium chori. Et si hoc demus (nam sæpè id accidit in dramatico cantico) magis est vsitatum, vt eadem repetant, qui secundas partes obtinent in cantando, quæ illi, qui primas partes habent, & principes vocantur in psalmis, præcinuerunt: licèt de hoc nihil certum habeam, aut possim affirmare. 10.

C Deinde videndum, cur cùm Dauid vnum occiderit Goliath, dicantur tamen ab illo occisa decem millia. Communis est, & meo iudicio vera, faciliúsque responsio; ideò à Dauide decem hominum millia interfecta censeri, quia multa hominum millia, sublato Gigante, desponderunt animos, & penè vltrò victoribus subdidere iugulum; cùm vires ad resistendum, & ad inferẽdam plagam audacia defuerit. Quemadmodum excidisse multos arboris ramos ille dici potuit, qui truncum succidit, qui illos antèa sustentauit, & aluit. Imò & aliquid maius cantare de Dauide iure poterant optimo puellæ psaltriæ: nempè non solùm multis hominum millibus ademisse animum, sed etiam millibus sociorum plurimis spiritum, & vitam reuocasse; & ideò illorum fuisse interitum, horum vitam, vt ex cap. 17. v. 24. non D obscurè constat. 11.

Ego hoc canticum, aut certè huius cantici formam prouerbialem esse arbitror in Hebræorum canticis, siue lugubre aliquid, siue lætum, atque triumphale, siue nuptiale sonent. Cùm enim aliquid quasi eximium celebrare volunt, aliquid assumunt in eo genere præclarum, cui eum, quem laudare student, anteponunt, vt ex ea cõpositione magis emicet illius prælata, & eo modo commẽdata virtus. Apud profanos exempla sunt plurima; ex illis pauca accipe. Theocritus Idyl. 8. cùm significare vellet virginis amorem tanquàm pestem vitandum esse iuueni, idipsum comparationibus explicuit, adducens illa, quæ rebus aliis E noxia, atque ideò valde metuenda. *Arboribus*, inquit, *tempestas metuendum malum, aquis cœnum, auibus laqueus, feris agrestibus retia*; *viro autem tenera virginis amor*: id est, multò magis fugiendus amor adolescẽti. Et Idyl. 9. cum eadẽ cõparatione vocis suæ suauitatẽ cõmendat: *Dulce vitulus mugit; dulce etiam bos, dulce fistula, dulce pastor; & ego dulce*, supple *magis*. Quæ enim postremò dicuntur, primum in cõmendatione obtinent locum. Quem in eodem 12.

Comparatio in laudando adhiberi solita.

laudandi

laudandi modo imitatus est Virgilius ecloga 3.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber,
Arboribus venti; nobis Amaryllidis ira.

Et statim.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis,
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amynthas.

Vbi, vt vides, ex comparatione, multum alteri extremo laudis accrescit. Similia sunt illa obuia: Præ huius facundia oratorem summum infantē videri: luscīniam alioqui maximè vocalem, esse mutam; atram esse niuem, ignem frigidum, & similia.

13. In sacris exempla sunt neque minùs frequentia, & magis ad hanc nostram cogitationem accommodata. Primùm, illa omnia testimonia, quæ multa præmittunt eximia, & ad extremum, quæ multùm in eo genere excellunt, adiungunt: vt est illud Prouerb. 30. v. 18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro; viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam piscis in medio maris, & viā viri in adolescentia.* Ac si dicat: Licèt illa tria sint difficilia, illud tamen quartum difficilius est. Similia habes statim v. 15. & v. 29. & Amos cap. 1. & 2. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quarto non conuertam eum.* Sed sunt, quæ sequuntur, magis accommodata testimonia. Psal. 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui:* Id est, licèt magnum sit ciuitati præsidium à montiū altitudine, & ascensu arduo; maius tamen est à Dei custodia, qui ciuitatem circuit. Prouerb. 27. v. 3. *Graue est saxum, & operosa arena; sed ira stulti vtraque grauior.* Hebraicè est: *& ira stulti.* Isaiæ cap. 62. v. 5. *Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus:* Id est, suauiter viuet iuuenis cum virgine sibi desponsata; sed longè suauius viuent in te, ô Ierusalē, filij tui. Magnum gaudium capit sponsus ex sponsa in genialibus deliciis; sed maius ex te, ô Ecclesia, seu, ô anima sancta, capiet Deus. Ad hunc ergo modum hoc psaltriarū Canticum interpretor: Fortis fuit Saul, qui mille occidit viros; sed multò Dauid fortior, qui decē hominum millia percussit. Quo dicendi genere plurimùm etiam commendatur Saul; nam in commendatione, vt diximus, quæ ex cōparatione nascitur, aliquid semper assumitur in eo genere præclarū. Quomodò paulò antè gaudium sponsi, quod existimatur esse maximum, sumptum est, vt gaudium explicaretur, quod capit Deus ex anima sibi mysticè desponsata: & ad explicandum molestum pondus, quod aliis imponit stulti furor, pondus assumitur arenæ, & saxi.

14. Quòd autem modus iste cantandi in epiniciis familiaris fuerit Hebræis, ex eo mihi persuadeo; quia cùm ex variis vrbibus varij procederēt virginum chori, omnes tamen eamdem cantilenam ceciniſſe traduntur. Conueniſſe autem omnes, in eadē verba, & melicos numeros in Dauidis triūphali pompa, non est verisimile. Quare sumpserunt ex ea consuetudine, quæ Hebræis eo tempore familiaris fuit. Vt enim in luctu familiarē formam habuerunt, aut qui ex animo plorabāt, quales erant cognati, & amici; aut qui lachrymas habuere venales; vt sunt lamentatores, aut præficæ; sic etiam in triumpho. De luctu constat Ierem. cap. 22. v. 18. *Non plangent eum, væ frater, & væ soror: non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte.* & cap. 34. v. 5. *Væ Domine plangent te.*

15. Vers. 8. *Iratus est autem Saul nimis.*] Hæc puellarum gratulatoria contilena magno Saulis animum affecit dolore; quia victoriā illam non tam

A suæ prudentiæ, atque virtuti, quàm Dauidis audaci robori adscribi videbat: & cùm iam inde à Samuelis minaci vaticinio, de regno transferēdo ad alium non sine formidine, atque dolore cogitaret, grauiter commotus est, cùm publica psallētium; id est, totius, vt ipse interpretari poterat, populi voce, priores in triumphali plausu partes Dauidi sunt datæ, sibi verò posteriores. Quare prudenter meditabatur, illud tantùm in posterum reliquum videri, vt illi à toto populo, qui cantatricum verba, triumphalémque plausum probasse videbatur, regnum traderetur. Quocirca toruis ex illa die, atque infensis oculis spectabat Dauidem; quia præferri sibi quemquam à populari turba, & regni successorem iam habere ferebat iniquiùs.

B Vers. 10. *Inuasit spiritus Dei malus Saul.*] Hinc 16. constat, quod suprà dicebamus, perturbationem, aut ægritudinem animi magnum spiritui malo ad corpus, & ad animam item hominis aditum aperire. Quando post grauem illum dolorem, & cogitationem doli, atque furoris plenam, à spiritu nequam, à quo aliquandiu laxatus videbatur, exagitari cæpit. Sed fuerunt etiam noua crimina ex eo die contra virum Deo gratum, déque re Israëlitica optimè meritum concepta, quæ dæmonem aduocarunt tam iniquæ mentis, & barbaræ cogitationis vindicem.

Et prophetabat.] *Prophetare* hoc loco est, non 17. spiritu afflari diuino, & eo inspirante futura prædicere sedatè, & cum illa rerum cognitione, qua C carere non solent, qui veri Prophetæ sunt; sed à malo exagitari spiritu, & verba fundere interdum vera, sed fanatico more. Quo modo loqui energumeni solent, qui non tam ipsi loquuntur, quàm per ipsos omninò rerum inscios loquuntur dæmones; aut quomodò loquuntur, qui vocantur à Græcis ἐγγαστρίμυθοι: id est, *ventriloqui*, quia in vētre habere videntur alienam aliquam naturam, quæ per hominis fauces spiritus effundat, & voces, quas alienis organis ad certam aliquam significationē formet. Quales fuere fœminæ, quæ spiritum dicuntur habuisse Pythonicum; vt illa Sibylla, de qua Virgilius lib. 6. quæ sic iactabatur ab aliena, & interiori vi, vt varias acciperet, & horribiles formas, vnde furere dicebatur, & insanire.

Prophetare *sicut & vaticinari idē est interdū quod* furere.

D Sic autem de illa Maro.

——*Cui talia fanti*
Ante fores subitò non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument. Maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei.

Pythonissam eodem penè modo describit in Agamemnone Seneca.

Crebérque totum possidet corpus tremor.
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina, & versi retrò
Torquentur oculi, rursùs immites rigent.

Plura in hanc sententiam occurrent apud pro- 18.
E fanos. Et quia apud illos eiusmodi plerúmque edebantur oracula, & furiosa, seu à furentibus vaticinia, fiebat, vt *vaticinor* sæpè in ea sumatur significatione, in qua *deliro*, & *bacchor*. Sanè pro insanire, & furere sumpsit aliquando Cicero. Hoc modo prophetasse Saulem; id est, dixisse futuros rerum euentus à malo spiritu correptum, cùm ipse nihil aut sentiret, aut nosset, docent communiter omnes, Abulensis, Hugo, Caietanus, Theodoretus, Lyra. Pro omnibus accipe Theodoretum. *Pseudoprophetæ*, inquit, *agitati à malo spiritu sunt similes furore percitis Corybātibus. Hoc passus*

Saul quomodò à Dæmone correptus prophetauit.

est etiam Saul vexatus à dæmone. Chaldæus pro *prophetabat, insaniebat* reddidit. A

19. Quid Saul arreptitius, aut quid potiùs in arreptitio Saule locutus sit dæmon, non tradit Scriptura; neque alius bonus auctor diuinat, aut cõiectat. Solus auctor Antiquitatum Biblicarum, quid ab insano Saule prædictum fuerat, insanus ipse diuinauit. *Mansit*, inquit, *spiritus in Saul, & prophetauit dicens: Quid seduceris Saul? aut quem persequeris in vanum? Completum est tẽpus regni tui. Perge in locum tuum; tu enim morieris, & Dauid regnabit. Nónne tu, & filius tuus simul moriemini, & tunc apparebit Dauid regnum?* In eo quod subiecit posteà, nobiscum sentit, qui paulò antè dicebamus obsessum esse Saulem à dæmone, & illo exagitante, voces illas, ipso prorsus neque intelligente, neque sentiente, fuisse formatas. *Et abiit*, inquit, *Saul, & nesciuit, quæ prophetauit.* B

20. *Dauid autem psallebat manu sua.*] Sicut *cantare*, aut *canere* non solùm humanæ vocis est, sed etiam instrumenti, siue inflatu resonet tibicinis, siue plectri percussu: vnde apud Latinos frequens est *canere tibiis, canere fidibus*, &c. Sic etiam *psallere* sic est accommodatum voci, vt ad instrumentum etiam interdum transferatur. Vnde Dauid psallere dicitur manu sua, quia musicum manu pulsabat instrumentum, licèt illi etiam vocem associaret.

21. *Dæmoniaci, aut artibus magicis adducti ad illa feruntur interdum impotes, quæ valde horrebant.* Vers. 11. *Tenebátque Saul lanceam, & misit eam putans quod configere posset Dauid.*] Experientia compertum est, idque à dæmoniacis sæpiùs audiumus, interdum sic se à dæmonibus esse correptos, vt nihil norint, aut sentiant; interdum cum integris sint sensibus, & rationis, ac mentis omninò compotes, agi tamen ita vehementer in rem aliquam indecoram, & turpem, vt quasi impotes sui ferantur ad ea, quæ proponuntur animo, præcipites. In re venerea infinita penè occurrunt exempla, vbi per magicas artes homines etiam, & virgines honestissimæ continere se non possunt, quominùs amentes, & cæci rapiantur ad illa, quæ proximè vehementer oderant. Id ex eo, quod frequenter accidit, expresserunt poëtæ in suis Pharmaceutris, neque pauca occurrunt in sacris scriptoribus exempla. Quod etiam in furore, studióque vindictæ passim experimur, cùm spiritus hominum, qui miti sunt ingenio, atque sedato, subita quadam rapiuntur insania, & exorbere cupiunt illorum sanguinem, contra quos nihil priùs hostile cogitarant. Hoc est illud, quod apud poëtas sæpiùs audimus, homines ad vindictam, & cædem aliorum ardentibus furiarum tædis agitari. Hinc illud Eumenidum commẽtum, quæ furorem dicuntur inspirare hominibus, neque sinunt vllo aut tempore, aut loco esse quietos, nisi animos expleant vindictæ sitientes. Hanc vim expressit Virgilianus Turnus lib. 7. Æneid. cuius vbi Alecto, id est diabolus, aut spiritus furoris, animum inuasit, omnem illi quietem, & pacis studium ademit, & totum abripuit, atque conuertit ad cædem, & arma. De quo sic Maro. C

Sic effata (Alecto) *facem iuueni coniecit, & atro*
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas,
Olli somnum ingens rupit pauor, ossáque, & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro, tectisque requirit:
Sæuit amor ferri, & scelerata insania belli:
Ira super. Magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis vndantis aheni. D

22. Ex his duos ego in arreptitio Saule status inuenio. Nam primùm cùm prophetasse dicitur, erat omninò à malo dæmone, qui superiores hominis partes; id est, rationis sedem præcipuam occuparat, à mente commotus. Atque ideò quid faceret, aut diceret, ignorabat. Cùm configere hasta voluit Dauidem (in quem pridie illius diei, cùm nondum in illum spiritus malus irrupisset, grauiter erat affectus) sic afficiebatur ab obsidẽte dæmone, vt tamen liberum haberet rationis vsum. Quod ex eo patet, quia intorsisse dicitur hastam in Dauidem, putans traiici illum posse, & configi cum pariete. Hæc autem cogitatio satis indicat, non fuisse tunc temporis illum à mente commotum; sed agitari intus ardentibus furiarum tædis; id est, instigari à malo spiritu, qui iam nouerat, quàm sibi Dauid futurus esset aduersarius, vt illum hasta de medio sublatum amoueret à regno. In hanc sententiam inclinat Abulensis q. 17. E

Et declinauit Dauid à facie eius secundò.] Dubiũ 23. est, an Dauid à lancea in suum exitium destinata declinauerit, vel à Saule. Neque illud *à facie*, cogit nos hæc ad Saulem referre; nam etiam facies aliis ab animali natura iuxta Hebraici sermonis proprietatem accommodari solet. Sic enim dicimus *à facie famis, frigoris, arcus, gladij*: id est, à fame, frigore, arcu, gladio. Quare optimè dici potuit Dauid ab hastæ facie declinasse. Tunc verò sensus esset, modico corporis flexu elusam esse Saulis petitionem, & irrito iactu delatam fuisse lanceam in parietem: idque contigisse bis; quia bis Saul eodem tempore hasta petiit Dauidem, & bis Dauid intentum ab hasta vulnus declinauit. Et ita putat Rupertus lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 7.

Sed puto ab illo pronomine *eius* Saulẽ potiùs, 24. quàm hastam referri. Primùm, quia affixum èius generis est masculini מפניו *mipanau*. At חנית *chanith* terminationẽ habet fœmineam; quare cum hasta conuenire non potest. Non sum nescius חנית *chanith* semel in genere reperiri masculino; sed nobis fauet & vsus frequentior, & terminatio fœminea. Deinde quia non est verisimile, aut eos, qui aderant, cùm viderẽt furere Saulem, permissuros esse, vt iterùm resumeret lanceam; aut Dauidem, qui iam Saulis sensum, & furorẽ agnouerat, mansurum ibidem, quandiu furor ille, & spiritus væsanus non deferuesceret: atque ideò necessarium non erat, vt bis lanceam à Saule cõtortam declinaret. Facit ad hoc conspirans omnium penè Interpretum in hanc cogitationẽ consensio. Sic Abulensis q. 18. Lyra, Hugo, Caietanus, Dionysius, Magister histor. Scholast. Bis autem dicitur Dauid declinasse à Saul, & illius domum, atque consuetudinem. Primùm cùm paulò ante bellum reuersus est ad patrem, & pastorale ministerium; à quo tunc, vt verba hæc indicant, recessit non inuitus. Iterùm modò, cùm ex toruo Saulis aspectu, quem sæpiùs obseruarat, tum ex hastæ coniectu prudenter cõiectaret, se apud Saulẽ non posse diu sine manifesto vitæ suæ periculo commorari. Ita omnes penè, quos proximè citaui.

Libet hîc adiicere, quod Chrysostomus medi- 25. *Stulta Saulis in Dauidem offensio.* tatur de hac Saulis inuidentia in eũ, à quo & ipse speciatim, cùm à malo vexaretur spiritu, & populus Israëliticus, occiso Philisthæo, singulare accepisset beneficium. Primùm, non omninò in puellarum cantu cõtemnebatur Saul; sed ille bellator prædicabatur maximus, quando ex eo sumebatur cõparatio ad explicãdam fortitudinem illius, qui secum ferebat Gigantæum caput; & cuius causa sumebatur triumphalis ille plausus. In quo is, cuius gratia sumitur, quasi omnium esset Princeps, & maximè de republica meritus, celebrari solet; alioqui

alioqui inurbana esset, & indecora laudatio. Neque aliquid illi detractum est, imò aliquid additum, quod ab illius meritis fortasse videbatur alienum. Cùm enim laus tota attribui debuisset Dauid, qui animos ademit aduersariis, & addidit suis, quos vnius hominis aspectus sic affecerat, vt censeri potuerint pro mortuis: tamen ex illa aliquid Dauidi detractum videbatur, cùm homines mille occisi dicuntur à Saule. Sic autem Chrysostomus in cap. Genes. 21. homil. 46. *Iam vide*, inquit, *hîc, quàm absurda operatus sit inuidia morbus. Postquàm enim Rex vidit iustum hunc tanta gloria celebrari, & tripudiantes clamare, vicit Saul in millibus, Dauid autem in decem millibus* (sic enim legunt Septuaginta) *non ferens mansuetè quæ de hoc dicebãtur (quamuis iuxta rationem iustam ei magis tribuerant, quàm Dauid) victus inuidia benefactori malũ rependit. Et quem oportebat vt saluatorem, & benefactorem agnoscere, eum interficere quærebat. O excellentem insaniam, ô stuporis magnitudinem! Eum, qui vitam sibi seruarat, & omnem suum exercitum ab alienigena Goliath furore liberarat, vt hostem despexit, & immenor beneficij ab affectione vincebatur; sed mente sua obtenebratus ab inuidia, perinde ac ab ebrietate quadam, benefactorem vt hostem spectabat.*

25. *Saul à duobus potissimis vitiis exagitatus ambitione, & inuidia.* Sanè vbi in vnius animum duo conspirarunt rationis, atque consilij hostes potentissimi, ambitio, quæ honores appetit; & inuidia, quæ aliorum gloriam, suam ignominiam, & aliena lucra sua arbitratur esse detrimenta, à mente commouent, & ad illa rapiunt, quæ neque in amẽtes, & cæcos videbantur cadere potuisse. Quid magis à sana mente alienum, quàm dolere, quòd res tuæ felicem sortiãtur exitum, quia ex tuis cõmodis alteri aliquid accedit nobilitatis, & gloriæ? Hoc accidit olim Philippo Macedoni, de quo Demosthenes ait, vsque adeò gloriæ fuisse cupidum, vt omnia præclara facinora sua esse videri vellet, & magis indignaretur ducibus, ac præfectis, qui prosperè, & laudabiliter aliquid gesserant, quàm his, qui infeliciter, & ignauè. Cui quàm simillimus fuit filius Alexander, qui, vt refert Curtius lib. 6. *vinci quidem hostes volebat, Antipatrum vicisse re tacitus indignabatur, sua demptum gloria existimans, quicquid cessisset aliena.* Habemus Saulis ambitioso, inuidóque cõsilio exemplum quàm simillimum in quodam Assyriorum Rege, de quo Xenophon lib. 4. Cyropædiæ, qui Gobriam, cui propter egregias corporis animique dotes, filiam suam desponderat. *Cùm igitur illum secum venatum inuitaret, ratus se illi longè equitatione præstare. Vrsa verò oblata est, cùm vtrique illam persequerentur, misso Rex iaculo illam frustratus est: at Gobrias spiculum vibrans illam prosternit. Quam rem ægrè, moleste que Rex tulit, inuidiámque clam recondit. Sed & obiectus est leo, quẽ itidem à Rege irrito conatu insecutum idem Gobrias confecit. Hic Rex secum aliquid mussitans arrepta à quodam ministro lancea pectus Gobriæ transadigit, atque ita adolescentem, cuius strenuitatem ægris tulerat oculis, vita spoliauit.* Miramur Regis stupidam inuidiam, & ambitionem à sana mente omninò præcipitem: sed sanè multò magis miranda est in Saule in omnem partem excors, & præceps ambitio, cui dolori est in re longè grauiori, in qua de Regis, regníque libertate certamen erat, sibi rem cecidisse fœliciter, & eam ob rem in benè de patria meritum ciuem consilium mortis iniisse.

26. Vers. 13. *Amouit ergo eum Saul à se, & fecit illum tribunum super mille viros.*] Receserat Dauid, vt diximus, à Saulis consuetudine, & aula; reuocauit tamen illum Saul, quia non aliter fortasse existimabat satisfieri posse populi votis, & amoti, quo Dauidẽ, à quo summa sperabat omnia, prosequebatur. Vt tamen honestam odio suo, atque inuidiæ speciem prætenderet, si à suo conspectu summoueret Dauidem, Chiliarchum illum cõstituit; id est, mille viris ducem præposuit. Quid autem in hac præfectura speraret præcipuè, statim ostẽditur; nempe vt dum in bellis pro suo munere, ac fide continenter versatur, vt est fortuna belli varia, aliquando caderet.

27. *In egressu, & ingressu libera significatur, ac summa potestas.* Deut. 3. Num. 17. *Et egrediebatur, & intrabat in conspectu populi.*] Cùm alia multa apud Hebræos significet hic dicendi modus; vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis super Acta ad illud cap. 1. *In omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos:* tum maximè liberam, summámque potestatem, qua quis quicquid velit, impunè faciat, & suo res administrat arbitratu. Sic sanè Moysis summa potestas explicata est, Deuter. 31. vbi sic ille de seipso. *Cẽtum viginti annorum sum, non possum vltrà egredi, & ingredi:* id est, populum istum moderari. Nam qui ingreditur, egreditúrque, quandocúmque libet, ille non ex alterius præscripto, ac voluntate pẽdet. Et idem Num. cap. 17. *Prouideat Dominus, &c. hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos.* Vnde fit, vt *clauis* pro dominatu, ac summa potestate sumatur aliquando, quia clauis aperit, & claudit, & qui clauem obtinet, ille cùm libuerit, pro sua voluntate ingreditur, & egreditur. Vnde Apocal. cap. 1. audimus habere Christum clauẽ mortis, & inferni, quia vtriusque Dominus est, & ad vtrúmque homines mittere, & ab vtroque liberare potest. Vide quid nos in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 22. *Et dabo clauem domus Dauid.* *Clauis pro imperio.*

28. *Conscientia peccatorum vltrix.* Vers. 15. *Vidit itaque Saul, quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.*] Sanè quàm verissimum est, & quotidianis compertum exemplis, conscientiam malam timere omnia, neque habere duriorem, aut magis assiduum carnificẽ, quàm seipsam, quæ nunquam à metu vacua est, & ipsam non solùm medicinam, sed salutem horret; maximè, vt suprà dicebamus, cùm ad conscientiam mali, accedit quoque liuor ex inuidia. Sic Cain peccati conscium perturbabat multis modis, & vanis sæpè terroribus exagitata conscientia. Vide Ambrosium lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. vbi hac de re optimè. Sed habes hoc apertè Sap. 17. v. 10. *Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Recreare potiùs debuit animum Saulis sollicitum, & timidum, Dauidis in rerũ administratione prudentia, & in bellorum euentu secundo, ac facili explorata felicitas: sed hausit è medicina venenum, & contra se armari putauit prudentiam illam, & robur, quæ pro ipsius, suíque populi salute, ac gloria laborabant: neque minùs sibi à Dauide, quàm ab infenso Palæstinorum agmine cauendum existimauit.

29. Vers. 17. *Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem.*] Pollicitus fuerat antè Saul, cùm Goliath quotidiana prouocatione, & exprobratione terreret, & pudefaceret Hebræos, daturum se filiam suam illi, qui gentis opprobrium de medio sustulisset. Nunc filiam suam maiorẽ, & eo nomine dilectam magis Dauidi despondet; siue vt Regiam exoluat fidem priùs obligatã, quod nõ reor; siue vt gener Regis, & eo nomine apud omnes magis quàm antè nobilitatus, suo nomini, ac titulo debere se multò plura existimaret; atque ideò in maiora se discrimina coniiceret, & inimicorum

tum ferro conficeretur. Id quod ſtatim v. 21, cùm loco Merob deſpondet Michol, vt maiorem habeat occaſionem conſerendi cum Philiſthæis manus, patefecit. Quare quæcúmque illi beneficia præſtitit, fuerunt ἄδωρα δῶρα: id eſt, *dona non dona*; qualia videri poſſunt dulcia pocula, in quibus ſimul venenum porrigitur; aut eſca, quæ obiicitur piſcibus, in qua latet hamus. Apertè priùs nixus fuerat perforare haſta; ſed cùm iactus ille foret irritus, inſidiis rem aggreditur, dum Chiliarchum conſtituit; & noxia illi obtendit vxoris blandimenta. Et tandem vbi his callidis conſiliis nihil promouet, ſeipſum apertè, & exercitum armat in illius exitium.

30. *Dauidis in vxore ducenda modeſtia, & ſuæ vilitatis cognitio.*

Verſ. 18. *Quis ego ſum, &c. vt fiam gener Regis?*] Longè erat Dauid, qui maius aliquid ſpectabat, dum vitam ſuam in apertum periculum coniecit, vt præmium victori à Saule promiſſum exigeret, quando vltrò oblatum tam ingenuè recuſat. Nõ quod in vxore aliquid aut damnet, aut improbet, quam nunquam fortaſſe viderat; ſed quia ſe tanto nomine indignum arbitrabatur. Atque ideò & ſuam vitam; id eſt, viuendi modum extenuat, cùm maiorem vitæ partem egiſſet ruri, & cognationem ſuam, quæ longè aberat, vt aliquid ambire, aut meditari poſſet eximium. Nec cogitabat modeſtus, & ingenio planè liberali adoleſcens, cognationem Saulis multò fuiſſe ignobiliorem, ex tribu nempè Benjamin, quæ propter infandum ſcelus ad pauciſſimos redacta fuerat, & tantùm non extincta: & vxorem, quæ tunc offerebatur, illius eſſe filiam, qui non anteà dudum paſcebat aſinas. Quid ergo tantùm horreret pecuarius, quem explorata virtus regno dignum oſtenderat, nuptias illius, quæ aſinario patre nata eſt, & quæ iuxta patriam conſuetudinẽ ipſa quoque aſinariam vitam inſtituerat? Sed ſanè qui prudẽtes ſunt, à priori, humilique fortuna nunquam auertunt oculos; neque ſic illos inflat præſentis ſtatus ſplendida conditio, vt non etiam prioris memoriam retineant. Neque credo prioris ſtatus obliuiſcebatur Dauid, cùm Rex erat plenus victoriis, onuſtus exuuiis, quem amabant ſui, horrebant alieni, vt benè ſecum actum exiſtimarent, quibuſcum ipſe ſociale pactum iniiſſet. Neque alienum aliquid à Dauidis ingenio, atque modeſtia cogitaret, qui exiſtimaret antiqui ſtatus inſtrumenta, tãquam monumenta prioris fortunæ, ab ipſo fuiſſe conſeruata, vt cùm videret ſe Regem, paſtorem ſe fuiſſe meminiſſet; & cùm Regiæ occurrerent deliciæ, & ornamenta, ad memoriam reduceret ſylueſtrem cibum, cibarium panem, ſycomoros, quos in thecuano campo vellicarat, pelles, & ſaga, quæ non tam ornant, quàm indecorè tegunt afflictum corpus, quod inter medios cleros noctes duxit inſomnes, quod æſtus vrebat, & gelu. Habebat tamen aliquid in memoria, quod vanis, blandiſque cogitationibus opponeret. Neque mirum, ſi id faceret Dauid, quod feciſſe dicitur Agathocles Siciliæ Rex, qui vt antiquæ fortunæ recordaretur, qui parente figulo natus fuerat, cùm abacos argenteis, atque aureis vaſis onerare poſſet, ſemper tamen fictilibus vtebatur.

31. Verſ. 19. *Cùm deberet dari Merob Dauid, data eſt Hadrieli.*] Hîc iam ſe magis prodit animus Regis, & quanti fecerit Dauidem, cùm oblatam illi, imò & debitam vxorem alteri tradiderit; quæ ſanè ſingularis fuit iniuria, cùm illam nõ iam à ſpe coniugij, ſed ab ipſo penè complexu diſtraxerit. Ferendum eſſet mitiùs, ſi debitã negaret; at oblatam auferre, dolor eſt, & ignominia maxima. Quæ quidem in caſu non diſſimili ſic affecerunt, atque exulcerarunt Samſonis animum, vt non aliter cenſuerit ſumendam eſſe vindictam, niſi exuſtis frugibus, oliuetis, & vineis, & ingenti plaga, quæ Philiſthinorum plurimos extinxit.

32. Verſ. 20. *Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera.*] Sicut anima Ionathæ conglutinata fuerat animæ Dauidis, in quo multæ erant, illæque non vulgares amandi cauſæ; ſic etiam anima ſororis eius Michol. Quod quidem Sauli non diſplicuit, non quidẽ quòd benè Dauidi cuperet, cuius multis modis inſidiabatur vitæ; ſed quia rationem quærebat, qua illum honeſta aliqua ſpecie, & ſine ſuo labore perderet. Futurum enim putabat, vt filiam in prodendo coniuge haberet obſequentem: neque neſcius erat fœminarum blanditias ad quiduis perſuadendũ potentiſſimas eſſe. Quod ex caſu Samſonis, qui non anteà dudum contigerat, quod non poterat ipſi, aut cuilibet de populo non eſſe notum, ſperare potuit; quem ſciebat vnius Palæſtinæ blanditiis captum, illuſum, excæcatum, & mortuum. Atque ideò addidit.

33. Verſ. 21.] *Vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.*] Hîc ego formam ſimilitudinis ſubaudio, in hunc ſenſum, vt ſit illi in exitium, & ſic ab illa illecebris amatoriis intereat, ſicut anteà Dalilæ blanditiis Samſon datus eſt in manus Philiſthinorum, & ab illis talia paſſus, qualia Dauidi ab iiſdem aduenire cupiebat. Sed longè aliter accidit: plus enim apud filiam valuit coniugis amor, quàm patris obſeruantia. Sicut accidit Antiocho, qui Ptolomæo Regi filiã Cleopatram coniugali nexu ſociauit conſilio planè fraudulento, vt aditum ſibi ad alienum regnum aperiret. Sed Cleopatra videri maluit Ptolomæi vxor, quàm Antiochi filia. Ita Daniel, c. 11. v. 17. *Et filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illum, & non ſtabit, neque illius erit.* Vide quæ nos in illum locum. Porrò illius matrimonij cauſa venturum putabat Dauidẽ in Philiſthinorum manus, quia ſtatuerat ab illo dotis nomine centum Philiſthinorum præputia poſtulare; quod ille ſine magno capitis periculo tentare non poterat. Ita Hieronymus ex ſententia Hebræorum in traditionibus Hebraicis.

34. *In duabus rebus gener meus eris hodie.*] In hoc loco varij ſunt Interpretes, in quibus hoc deſidero, quòd admodùm pauci pro noſtræ Vulgatæ tranſlatione laborant; imò quod magis miror, quidam addunt in Hebraico textu tantùm eſſe *duabus*, & non *rebus*; ita vt in *duabus* perſonæ intelligantur, nempe duæ filiæ Saulis. Et in his variæ ſunt ſententiæ. Quidam dicunt *in duabus filiabus* generum fuiſſe Daujdem, quia altera promiſſa eſt, atque ideò cum illa contractum interceſſiſſe ſponſalitium; cum altera verò coniugali vinculo fuiſſe coniunctum. Ita dicit Lyra placuiſſe quibuſdam Hebræorum, neque ipſe reprobat, quibuſcum aliquo modo cõſentit Caietanus. Alij illud *in duabus* ſingulariter capiunt, in hunc ſenſum, *in vna duarum filiarum*. Sicut alibi ſæpè in Scriptura fit, vt docet Pagninus lib. 4. Inſtit. c. 15. vbi aliquot adducit exempla. Vt illud Iud. 12. de Iephte: *Sepultus eſt in ciuitate ſua Galaad.* Hebraicè eſt: *in ciuitatibus Galaad*: id eſt, *in vna ciuitatum.* Vbi idem hunc locum ſic exponit, *in duabus*; id eſt, *in altera è duabus*, Eodem modo Vatablus. Alij hanc explicationem ſic admittunt, vt illam præferant, quæ nobis omninò exiſtimatur vera. Hi verò ſunt author hiſtoriæ Scholaſticæ, Dionyſius, & Hugo.

Aliis

35. Aliis placet, in *duabus* res esse potiùs intelligendas, quàm personas; id est, rationes, titulos, seu merita Dauidis, propter quæ illi puella Regia matrimonio copulari debuerit; licèt non eodem omnes modo declarent. Hieronymus in tradit. Hebr. duas adhibet sententię huius explicationes: *in duabus*, inquit, *rebus generum sibi futurum dicit, quia iam ei attulerat præputia Philisthinorum pro Merob, quam Saul dedit Adrieli Molothitæ, & posteà pro Michol ducenta. Et quamuis non aperte dicatur pro Merob Saul præputia Philisthinorum Dauid dedisse; tamen qui præcedentia, & subsequentia perlegerit, & perscrutatus fuerit, inueniet eum bis Sauli Philisthinorum præputia dedisse.* Hæc est prior ratio, deinde alteram adducit: *Potest etiam*, inquit, *& aliter intelligi: In duabus rebus gener meus eris hodie: quia ego quæsiui à te centum præputia Philisthinorum, & tu obtulisti ducenta.* Cum Hieronymo sentiunt Author historiæ Scholasticæ, Rupertus, Angelomus, Glossa interlinealis, Hugo, Dionysius, Emanuel Sa, & ex parte Abulensis q. 33.

36. Ego primùm dico, de rebus hunc locum exponendum esse potiùs, quàm de personis: neque aliter piè accipi potest, quando id apertè Vulgatus expressit. Secundò, duas res esse, seu titulos, quibus gener esse Regis meruit Dauid; & quia Philisthæũ occidit; cuius præmium erat Regia puella; & quia centum Philisthæorum capitibus nuptias illas coëmit. Ita sentiunt illi, quorum nomina modò produximus, vno excepto Hieronymo, seu potiùs exceptis illis, qui traditiones aut scripserunt, aut collegerunt Hebraicas, quarum author ignoratur; neque enim certum est, opus illud esse Hieronymi. Ratio est, quia explicationes aliæ nimis videntur esse contortæ, quia multa fingunt, quæ non facilè sacer textus admittit. Hæc verò facilis est, quæ duos agnoscit titulos, & vtrúmque proximè in Sacris literis expressum.

37. Illud autem miror, viros alioqui Hebraici sermonis non imperitos existimare illud *rebus* non esse in Hebraico textu; & ideò in eam sententiam adduci, vt personas intelligant; non res; qui meo iudicio in Hebraica Grammatica infantilis est aut error, aut inertia. Notum est enim apud Hebræos, qui genere carent neutrali, genus fœmineum, sicut & neutrum, substantiuè sumi. Quod Hebræorum idioma aliquando seruauit noster Interpres, Psal. *Vnam petij à Domino, hanc requiram:* pro *vnum petij*, & *hoc requiram.* Plura exẽpla nos aliis locis adduximus. Hebraicè fœminea ponitur terminatio שתים *setaijm*: quæ exponenda neutraliter, & dicendum *in duobus*; id est, *in duabus rebus.* Sicut eleganter, & communiter Latini faciunt, qui rarò dicunt *duas res*, sed frequenter *duo.* Et quidem apud Hebræos, cùm *duo* sine certo aliquo adjuncto substantiuo ponitur, nunquã, quod ego sciam, ponitur, nisi שתים in terminatione fœminea. Exemplis id constabit, quæ afferre non pigebit, quia hìc viros doctos hærere video, & apertè dicere, in Hebraico textu non esse *rebus*, aut quod huic Latinæ voci respondeat. Quasi quis dubitaret, si quis dicat, *duo desidero*, aut *odi*, an explicare possit, *duas res desidero.* Adducamus igitur loca aliqua, vbi שתים sine vllo adiectiuo neutraliter ponitur, & duas res sine vlla dubitatione significat. Prouerb. 30. v. 7. *duo rogaui te, ne deneges mihi.* Isai. 51. v. 19. *Duo sunt, quæ occurrerunt tibi.* Iob 13. v. 20. *Duo tantùm ne facias mihi.* Psal. 61. v. 12. *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui.* His locis nuda vox ex שתים; & tamen *duas res*, seu *duo* neutraliter significat. Quid igitur miremur à nostro Interprete versum esse *in duabus rebus?* Mirarer ego potiùs, si vertisset aliter. Quòd si nihil haberemus aliud, quàm sic à Vulgato fuisse conuersum, hoc ipsum mouere debuit hominem pium, vt aliam de duabus sororibus explicationem abiiceret. Cum nostro Interprete consentit Hispanica translatio antiquissima: *Con dos condiciones seras oy mi yerno.*

REGVLA. *Genus fœmineum pro neutro, quo carent Hebrai.*

Hoc loco, vt alibi, miri sunt Talmudistæ, qui in Chaldaica paraphrasi, quam habet Latinam Complutensis bibliotheca, quædam hìc addunt omninò ridicula: Dicunt enim cognouisse Dauidem in pacto de nuptiali dote, quòd cẽtum petebat Philisthinorum præputia, errorẽ esse grauem: quia centum præputia non æquabant pretium vnius denarij: nulla autem censebatur desponsatio valida, si dos oblata minor esset denario. Cùm nemo, si centum præputia venalia prostarent, pro illis vnum impenderet denarium; ducenta protulit: hæc enim pro canum, & catorum Saulis alimento vnius denarij pretium habere videbantur: neque enim plus carnis emeret denario Saul pro canum, catorúmque domesticorum vilissimo pabulo. Quis non rideat tam aniles nugas? Aut quis non doleat, tantum esse in his, qui sapientes existimantur, amentiæ? 38.

Hìc obseruandum, nuptias apud Hebræos per coëmptionem fieri, quam ad rem aliquid afferat necesse est, qui alterius ambit thalamum, & nuptias, aut pecuniam, & quod pecunia à prudentibus æstimari solet, vt est vinea, qua in Canticis emi fingitur sponsa; aut tritico, quomodò ab Osea empta dicitur sponsa; aut labore, & seruitute, quomodò Iacob duplici septennio pastoralis curæ duas sibi à Laban vxores coëmit; aut certè labore, & sanguine, quomodò Christus acquisiuit, atque emit Ecclesiam sanguine suo, Actor. cap. 20. Sic modò Dauid sanguinem, & vitam impendit pro thalamo Michol, dum centum quærit Philisthinorum capita, quæ sine sanguinis, ac vitæ periculo referre non poterat. 39. *Coniuges coempta apud Hebræos.*

Vers. 22. *Et mandauit Saul seruis suis, loquimini ad Dauid clam me, &c. esto gener Regis.*] Hinc coniectare aliquis prudenter posset, eadem nunc respondisse Dauidem Regi, dum spondet iuniorem filiam, quæ paulò antè, dum maiorem offerret. Nempe neque familiam suam tenuem, & ignobilem, neque rusticum ad illud vsque tempus viuendi genus, aditum habere posse ad regium thalamum, & generi nomen. Neque enim, si Dauid annuisset postulatis à Rege, sequestros interponeret, & quasi paranymphos, qui nuptias illas secretò, & callidè conciliarent. 40.

Num parùm videtur vobis generum esse Regis?] Eadem, quæ Sauli priùs, respondet nunc illius paranymphis, quibus suam obtendit inopiam, & quæ ambitiosos etiam spiritus ab illa cogitatione deduceret. Et tandem addidit, rem magnam esse ad gloriosum illud nomen aspirare, & cum Regio sanguine rusticum, & ignobilem commiscere; neque se satis habere, etiamsi paterna bona omninò conturbet, vt tam nobilem sponsam aliquali dote demereri queat. Prætereà nomen illud Regio affine maiora secum importare pondera, quàm vt ab ipso præstari possint. Qui enim locum sublimem consecuti sunt, multorum oculis, & cogitationibus seruire debent, caueréque vehementer, ne quis eorum, quibus tanquam viuendi forma proponitur, in illorum moribus aliquid informe deprehendat. Imò & præire alios 41. *Magna præstare debet qui cum potestate est.*

in officio debent, neque aliis aliquid negotij imponere, aut difficultatis adire, ad quod non illi quasi duces præuiam lucem prætulerint. Id verò arduum est, & vires, ac spiritus plusquam Gigantèos desiderat. Quare qui magnũ nomen appetit, perpetuas appetit excubias, perpetuum laborem, cùm nullius periculi, nullius aleæ quantumuis ancipitis exsors esse debeat.

42. Vers. 25. *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum.*] Extenuarat Dauid, vt apparet, genus suum, neque aliquid habere dixerat, quod honestè posset ad nouæ nuptæ delicias, & ornamentum afferre. Quod molestè ferunt virgines, maximè cum nuptiarum appetit maturitas. Quocirca ad illam præcipuè partem respondet Saul, & ait Regibus non esse necessarias filiarum dotes, cùm ipsi satis habeant diuitiarum, quibus & filias, & generos locupletare possint; se nihil optare magis, quàm iniurias vlciscì, quas à Philisthæa gente Israeliticus populus accepit. Quare satis dotatam videri filiam, si centum Philisthinorum capita dotali nomine parenti tribuantur. Id ergo Dauidi per nuptiarum pronubos renunciari iubet, optare Regem coniugium, quod quæsitæ sanguine dotes conciliant, reliqua alia non curare.

43. Vers. 27. *Et post paucos dies surgens Dauid.*] Annuit Dauid & Regis imperio, & illorum consiliis, quos Rex nuptiarum conciliatores esse iussit: neque diu distulit offerre dotale pretium; nam post paucos dies eduxit secum viros, quibus præpositus fuerat Chiliarchus, & duplicato numero pro centum præputiis ducenta numerauit; quasi qui dotalem pecuniam ad nuptias numerare solent. Est qui putet, non occisos, sed circuncisos à Dauide fuisse Philisthæos, quia præputia tantùm Saul, non capita poposcerat, & id tulisse Philisthæos multò molestiùs, quàm si illis vita foret adempta. Id indicat Lyra. Sed planè textus ipse non obscurè significat, occisos esse, & non tantùm circuncisos ducentos illos Philisthæos. Petiit autem Saul non illorum capita, sed præputia, vt eo signo cognosceret, non Isaelitarum esse cædem illam, quibus erat caro à primis annis nudata præputio; sed aliorum, quibus naturale illud integumentum ablatum non erat. Neque tot hominum capita afferri poterant sine molestia, neque ante Regios oculos sine horrore proponi. Atque ideò id adduci iussit, quod alieni generis signum esset, possétque sine vlla omninò molestia portari. Adduci autem potuit, imò ita fortasse factum est, vt putat Abulensis, non tantùm id, quod è Iudæo semine circuncisione detrahitur, sed etiam pars illa, quæ præputio tegitur.

44. Vbi Vulgatus, *post paucos dies*, Hebraicè est: *& non impleti sunt dies.* Hi verò dies aut sunt, quos Rex adducendis Philisthinorum præputiis præstituit; aut qui nuptiarum tempori designati fuerant, siue à Rege, siue à consuetudine. Quasi velit historicus sacer significare nuptiarum tempore nihil à Dauide fuisse prætermissum, quod nuptialia sacra, aut nubentium consuetudo requireret. Vbi Vulgatus, *annumerauit*, Hebraice est, *impleuit*, vbi in eadem voce lusus videtur esse non inelegans; quasi dicat, nondum erat impletum tempus promissionis, & iam ad vnum fuerant impleta promissa.

Vers. 28. *Et vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus esset cum Dauid. Michol autem filia Saul diligebat eum.*] Id agebat Saul in nuptiis illis, quas magis odium, quàm beneuolentia contraxerat, vt Dauide filiæ suæ blandimentis illecto, aut Philisthinorum manibus, quorum præputia dotale munus esse voluit, occiso, amittendi regni metum deponeret. Sed contrà accidit: nam sine vllo suo, aut suorum detrimento duplicauit dotem, vnde didicit diuinæ illum creditum esse custodiæ: & filiæ post nuptias magis in Dauidem augebatur amor. Vnde factum est, vt cùm ab illa spe prorsùs excideret, timeret Dauidem multò magis, & ad finem vsque vitæ implacabili prosequeretur odio. 45.

Vers. 30. *Et egressi sunt Principes Philisthinorum.*] Cur egressi tunc fuerint ad bellum Philisthæi, duæ rationes adducuntur, quas notauit Abulensis q. 37. Altera est, quia cùm circumcisionem detestarentur, tulerunt grauissimè aliquos è suo genere fuisse circuncisos; quare vt inustam suo nomini tam fœdam ignominiam exurerent, statim se ad bellum accingunt, & in Hebræorum terminos irrumpunt. Sed hanc nos sententiam paulò antè reiecimus, cùm diximus non priùs circuncisos, quàm occisos fuisse Palæstinos. Nisi dicamus illos in summo ignominiæ loco posuisse, quòd suorum præputia ad Hebræorum nuptias allata fuerint ex pacto, & à frequenti, ac populari turba habita ludibrio. Altera est sumpta ex Hebræorum sensu, qui dicunt ideò statim Palæstinos de bello cogitasse, quia didicerant Dauidem iniisse nuptias, & iuxta legem illi vno saltem anno cessandum à bello. Cùm autem eo tempore habituri non essent illum aduersarium, quem vehementer timebant, maturandum esse sibi existimarunt, & nihil illi curæ præuertendum. Sic putant Hebræi. Quæ ratio parùm apud Palæstinos habuisset momenti, nisi illi aliorsum legem accepissent, quàm voluit legislator. Illa habemus Deut. c. 24. v. 5. *Cùm acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, neque id quidpiam necessitatis iniungetur publicæ; sed vacabit absque culpa domi suæ.* Quæ verba, vt vides, non prohibent quemquam eo tempore militare; sed tantùm cauent, ne quisquam cogatur sub illud tempus dura belli ministeria subire. Neque Dauid tũc ad bellum nouus maritus egrederetur, si contrà staret diuinæ legis sacrosancta religio. De hac lege vide Abulensem cap. sequenti q. 7. Neque puto aliam esse causam mouendi belli, quàm illius gentis in Hebræum populum inueteratum, & quasi naturale dissidium. Quod fortasse inflammauit, & acuit recens victoria, cum iniuria recenti, fecitque, vt omnes quamprimùm se ad assuetum bellandi ministerium accingerent. 46.

IN CAP. XIX. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

EO Saulis in Dauidem odium erupit, vt non iam simulatè, aut callidè, sed apertè aliorum etiam manus in illius interitum armauerit, quibus id maximopèrè commendauit negotij, vt illum de medio omninò tollerent. Admonuit primùm Ionathas Dauidem, sibi vt à patre diligenter caueret. Deinde loquutus apud patrem de Dauidis meritis ornatiùs, eò illum adduxit, vt iuramento firmaret, auctore se, Dauidi non esse moriendum. Sed sanè illum paulò pòst à priori consilio non continuit iuramenti religio: nam in illum iterum hastam coniecit, cuius ille petitionem iterum elusit. Deinde in eius domum satellites mittit, qui occidissent illum, nisi obiecta pro Dauide caprina pelle vxor, & parentis fanatico furori, atque odio, & satellitum armis eripuisset. Cùm nullum Dauid locum vacuum existimaret ab insidiis, profectus fuit ad Samuelem in Ramatha, quo duce, & socio abiit in Naioth, vbi aliquandiu cum illo commoratus est. Eò Saul lictores mittit, qui Dauidem comprehenderent, & ad se deducerent. Qui subitò mutato animo, cùm in Prophetarum cuneum incidissent, quibus præerat Samuel, obliti sibi dati negotij prophetare cœperunt. Quod cùm iterum, & tertiò insana Regis ira tentaret, idem etiam iterùm, ac tertiò accidit. Tunc ille sui, atque furoris non satis compos eò etiam se præcipitem corripit: sed mutatus à seipso repentè deponit vestes, & nota Regiæ dignitatis insignia, & cum aliis etiam, in medio vaticinantium choro prophetauit; ita vt qui astarent, sicut antè admirabundi repeterent prouerbiale illud: Nunquid Saul inter Prophetas?

CAPVT DECIMVMNONVM.

1. LOcutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde.

2. Et indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obserua te, quæso, manè, & manebis clam, & absconderis.

3. Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro vbicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcúmque videro, nunciabo tibi.

4. Locutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem suum, dixitque ad eum: Ne peccet rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde.

5. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israel: vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa?

6. Quod cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur.

7. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & A indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri & nudiustertius.

8. Motum est autem rursum bellum: & egressus Dauid, pugnauit aduersum Philisthiim: percussítque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.

9. Et factus est spiritus Domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam, porro Dauid psallebat manu sua.

10. Nisusque est Saul configere Dauid B lancea in pariete; & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.

11. Misit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cùm annunciasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris.

12. Deposuit eum per fenestram. Porrò ille abiit & aufugit, atque saluatus est.

13. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellē pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. C

14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid, & responsum est quòd ægrotaret.

15. Rur

15. Rursumque misit Saul nuncios vt A viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.

16. Cúmque venissent nuncij, inuentum est simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius.

17. Dixítque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum vt fugeret? Et respondit Michol ad Saul: quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

18. Dauid autem fugiens saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nunciauit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Naioth. B

19. Nunciatum est autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha.

20. Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi.

21. Quod cùm nunciatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nũcios: qui & ipsi prophetauerunt. Et iratus iracundia Saul,

22. Abiit etiam ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, & interrogauit, & dixit: In quo loco sunt Samuel & Dauid? Dictúmque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha.

23. Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsq; dũ veniret in Naioth in Ramatha.

24. Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum ceteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Vnde & exiuit prouerbium: Num & Saul inter prophetas?

IN CAP. XIX. LIB. I. REGVM
COMMENTARII.

Vers. 1. *Locutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid.*]

1. CVM res fraudulentis tentata consiliis nõ A procederet, in apertum erupit, quæ latere diu non poterat inuidia, & ex ea ortum odium implacabile. Quare non iam astu hostiles manus, sed domesticas instimulat, & armat contra Dauidem. Alloquitur igitur Ionatham, & omnes seruos, quorum expertus fuerat virtutem, & fidem, & illis magnoperè commendat, suam vicem vt doleant, & omni studio Dauidem, quem suis consiliis aduersarium vocat, extinctum curent.

2. Vers. 2. *Et indicauit Ionathas Dauid.*] Opus hoc fuit diuinæ prouidentiæ, vt Ionathæ anima conglutinata fuerit cum anima Dauidis, vt non de illius minùs, quàm de sua sollicitè laboraret. B Quare statim amicum; id est, alterum se admonuit, sibi vt caueat quammaximè possit diligenter, à parentis insidiis, seu certè aperta vi; cuius potentiam declinare difficillimum est, cùm tot habeat manus, quot habet suorum consiliorum administros. Se porrò curaturum, ne vnquam discedat à paterno latere, vbicúmque locorum fuerit, siue domi, siue in agro, vt illius animum ad beneuolentiam, & æquitatem traducat, vt illius consilia accuratè dispiciat, de quibus Dauidem quamprimùm admoneat. Neque minùs fuit fidelis in præstanda fide, quàm C fuerat in promittendo prolixus. Placauit enim parentem Dauidi, illúmque de meliori parentis animo docuit; ac tandem perfecit, vt rediret in aulam & Regi, vt antè solitus, familiariter assisteret.

3. Vers. 8. *Motum est autem rursus bellum.*] Cùm iam paululùm respirassent Philisthini, seque à superiori plaga refecissent, mouent rursùs bellum contra Israel; quos iterùm Dauid cum plaga, atque ignominia non minori fugauit. Et ecce tibi in animo Saulis iterùm inuidia, iterùm odiũ, atque iterùm in Dauidis interitum noua machinatio. Rursùs inuadit illum, & exagitat malus spiritus: & cùm Dauid psallendo furiosum, & rabidum sedare, atque recreare, sicut anteà sæpè, conaretur, in illum iterùm intorquet hastam, quam cùm Dauid corporis flexu maturè declinarat, elusit iterùm petitionem illam, & nocte illa excessit ex aula, & in domum suam sese recepit; quia cum furioso, atque inuido: adde etiam cum potentissimo Rege commorari parùm tutum putabat.

4. Hic dubitabit quispiam, an Dauid propriam habuerit, haberéve potuerit domum, cùm ipse pauper esset, & externus potiùs hospes, ex aliena ciuitate, ac tribu, quàm illius ciuitatis incola, in qua Regiam tunc sedẽ Rex habebat. Sed habuisse domum propriam separatam à Regia suadent primùm expressa huius capitis verba, & Hebræorum consuetudo, apud quos quemadmodum nupta filia familiam mutabat, & nomen, ita & ad viri familiam transcripta putabatur, vt diximus in nostris Commentariis ad illud Cant. 8. *In domum matris meæ.* & ad illud cap. 4. *Soror mea sponsa.* Sic relicta paterna domo, ad viri domum traducebatur. Vnde ortus est dicendi modus, *vxorem ducere.* De mutata filiarum, quæ viris nupserunt, familia, docet illud Leuit. cap. 21. Isti dicuntur Sacerdotes, prohibentur contaminari in funere ciuium suorum, nisi consanguinei fuerint, & propinqui. Et qui sint existimandi *cognati*, statim explicatur, dum dicitur: *Id est, super patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem*

trem quoque,& sororem virginẽ,quæ non est nupta viro. Et cap.22. cùm permittatur his, qui sunt ex familia Sacerdotum, sanctificatis vesci, etiam vernaculis; non tamen permittitur filiæ nuptæ, nisi vidua, vel repudiata, & absque liberis redeat in domum patris. Inter Romanos, vt scribit Gellius lib.18. cap.6. *Materfamilias in mariti sui familiam veniebat.*

5. Quòd verò filiæ ex paterna domo matrimonio copulatæ excesserint, docet exemplum Abessan Iud.12. *Iudicauit Israel Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foris maritis dedit,& eiusdem numeri filiis suis accepit vxores introducens in domum suam.* Quod etiam antiquis temporibus apud alias gentes in vsu fuisse docuit Maro ex communi, vt reor, consuetudine, qui Priamum dixit retinuisse domi nurus suas, quas nimirùm in suam familiam adoptarat, lib.2. Æneid.

Nouæ nuptæ in viri domũ traductæ.

Vidi Hecubam,centúmque nurus, Priamúmque per aras
Sanguine fœdantem, quos antè sacrauerat ignes.

Habuit ergo iuxta Hebræorum consuetudinem Dauid domum à Regia separatam, in quam nuptiali iure traducta fuit Michol. In hanc ergo domum misit Saul armatam satellitum manum, vt Dauidem occiderent, quorum industria vxoris eluſit conatus, & euasit incolumis.

6. Vers. 13. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum.*] Vbi Vulgatus *statuam*, Hebraicè est *teraphim.* De quo nos pluribus ad illud Oseæ 3. *Et sine teraphim.* Quod autem ad hunc locum spectat, *teraphim* imagines sunt, aut signa, quæ Aquila, vt Hieronymus refert, μορφώματα transtulit. Quæ imagines, licèt interdum aliquid significent impium, quale est idolum, sicut Genes.31. v.19. vbi Rachel furata dicitur idola patris sui, Hebraicè *teraphim*; tamen non rarò aliquid significant honestum, imò & sacrum, vt patet ex hoc loco,& Oseæ 3. posuit ergo Michol statuam in lecto, quæ Dauidem ibi aut dormientem, aut ægrotantem simularet.

7. Addit Iosephus, stragulis subiectum esse caprarum iecur, quod aliquandiu postquam excisum est, palpitare solet, vt ex illius motu Regij satellites cubare ibi suspicarentur Dauidem, & sub stragulis illius viscera respiratione moueri. Idem tenet Theodoretus,& Magister histor.Scholast.& Hugo. An id verum fuerit, iudicent alij: certè ex Scriptura sacra non colligitur,neque vox apparet vlla in Hebraico textu, quem nunc habemus, quæ iecur significet.Neque præterea puto eam futuram caprini iecoris palpitationẽ sub stragulis, vt foras se proderet & respirantis, seu stertentis hominis speciem referret. Hoc idem in aliquibus codicibus, & inter hos Syxtianis Septuaginta legimus, qui dicunt in inuolucro ex caprarum pilis tectum fuisse iecur, quod suo motu aliquid ibi cubare viuum ostenderet. Sed & hoc difficile, neque ex textu Hebraico desumi promptum.

8. Septuaginta pro statua κενοτάφια supponunt; vnde id sumpserint, non assequor, nisi ex similitudine duarum vocum, quæ sono sunt quamsimillimæ כבר *Kabar*, קבר *cabar*; è quarum altera כביר *Kebir* deducitur, quod *stragulum*, seu *operimentum* significat. Ab altera קבר *Keber*, quod *sepulchrum* est seu verum,seu simulatum,quod Græci *cenotaphium* vocant; id est, *sepulchrum vacuum.* Virgilius lib. 6. *tumulum inanem* vocauit, quæ *cenotaphij* explicatio est. Hispani *tumbam* appellant. Dicitur autem figmentum illud; id est, statua hominis κενοταφικὸς *cenotaphium*, vt inquit Theodoretus q. 48. quia sicut *cenotaphium* dicitur *sepulchrum*, quod cùm speciem ostentet continentis cadauer, à cadauere tamen vacuum est: sic *statua* cùm imago sit hominis, cùm tamen ibi nihil, præter vmbram, habeat humanum, *cenotaphium* vocatur, quia non magis hominem continet viuum, quàm *cenotaphium* hominis cadauer.

Et pellem pilosam caprarum posuit super caput eius.] Septuaginta φαγύλωμα τριχῶν, quod idem valet atque *pilorum glomus*, seu *globus*; aut, quod idem est, *pili in globi*, aut capitis similitudinem coacti. Siue ergo sit pellis, siue caprarum glomerati pili, eo loco positi sunt, & eam ob causam,vt Dauidis caput, quod ad ceruical è lecti stragulis extabat,simularet.Sed illud hîc explorandum,cur cùm varij sint,vt constat,caprarum villi;nam alij nigri sunt, alij candidi,alij flaui, & fului,alij subfusci,alij maculosi; cur non colorem aliquẽ certũ expressit historicus,qui fuluam Dauidis cæsariem referret. Neque satis videtur dixisse pilos,aut pellem fuisse caprarum; quia fieri potuit, vt pellis esset candida, vel nigra,quæ longè abesset ab aureæ capitis comæ similitudine. 9.

Huic difficultati satis, vt credo, cumulatè respondimus in nostris Commentariis super Cantica, ad illud cap.4. *Capilli tui sicut gregis caprarũ.* Vbi rationem reddidimus, cur capilli sponsæ,qui Regiæ purpuræ dicuntur esse similes,Galaaditidũ caprarum villis assimilentur: quia nimirùm capræ, quæ pascuntur in Galaad, & in his regionibus, quæ non procul absunt à Ierusalem, fuluas alunt lanas: atque ideò necesse non fuit colorem addere, cùm capræ illæ vnum tantum habeant colorem fuluum. Neque id mirum cuiquam videri debet, cùm in variis regionibus propter aquarum, pabulorúmque diuersitatem, varios etiam colores pecudes habeant. Ad Bætin fluuium ab ipsa natura, & non ab aliquo artis lenocinio fuluas esse lanas docuit Plinius l.8. c.48. & Martialis l.12. epigr.100. & l.14.epigr.133. vbi sic de lacerna Bætica. 10.

Varius lanarum color pro regionis varietate.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno,
Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

Idem Sibari, & Crati fluminibus tradit Ouidius lib. 15. Metamor. & Xantho Plinius l.2.c.103.& Aristoteles lib.3. hist.animal. cap.12.vbi tradit in Antandro duo esse flumina, quorum alterum cãdorem, nigrorem alterum pecudibus tribuit. Et Scamandrum fluuium ideò *Xanthum* appellatum esse dicit, quia fuluas reddit oues. Quòd si Palæstinæ capræ fuluos habent villos, vt locus hic indicat,& alius Canticorum,de quo suprà, non fuit cur sacer historicus colorem aliquem adhibere debuerit, cùm capræ in ea regione fuluum aliquid indicent:sicut oues, quæ ad Scamandri, aut Bætis litora pascuntur. Quemadmodum neque cygnis opus est, vt colorem candidum, coruis nigrum attribuas, cùm corui nunquam reperiantur candidi, neque cygni nigri. Quemadmodum variis locis, varij in animalibus reperiantur colores, vide Plinium l.2.c.103.

Reliqua ad v.20. obscura non sunt. Tantùm enim continent, quomodò deprehensum fuerit artificium Michol,& quo modo sese apud patrem ab obiecta suspicione purgauerit;quò se profugus contulerit Dauid, nempè ad Ramatha, vbi tunc agebat Samuel, & illuc obstinato consilio satellites dimiserit, qui illum omninò de medio tollerent. Occasione huius Saulis, & apparitorum il- 11.

lius

lius improbi, obstinatique consilij, à quo se feliciter exoluit, cecinit Psalmum 58. cuius hic est titulus; *In finem ne disperdas. Dauid in tituli inscriptione: quando misit Saul,& custodiuit domum eius, vt interficerent eum.*

12. Vers. 20. *Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid, qui cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuel stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cæperunt etiam ipsi.*] Quomodò in occasione non admodum dissimili in Prophetarum cœtu prophetarit Saul,diximus suprà cap. 10. neque aliud dicendum de Saulis seruis, quibus occidendi, aut ligandi Dauidis negotium datum est, qui in eũdem Prophetarum inciderunt cuneum, & repentè spiritu incumbente mutati, ipsi quoque prophetare cæperunt. *Prophetare* ibi idem esse putabamus; quòd laudare Deum; neque hîc significatur aliud. Ibi etiam diximus, Samuelem illius religiosi cœtus fuisse parentem,& fortasse primum, qui Religiosos viros in vnum coëgit, & illorum societati præfuit. Id indicat illud: *stantem super eos*, quod nihil est aliud,quàm illi psallentium, seu vaticinantium choro fuisse præpositum. Neque est cur plura à nobis quisquam requirat:inde petat, quæ hîc desiderari possunt.

13. Vers. 22. *Et iratus iracundia Saul abiit etiam ipse in Ramatha.*] Tulit grauiter Saul, cùm videret misso toties satellitio nihil se profeciisse. Cùm autem eam ob rem redire debuisset ad sanitatem, si quid in eo foret sanitatis,& mentis;multò tamen vehementiùs excanduit, & ipse in se recepit negotium,quod ab aliis frustra susceptum esse viderat; & rectà profectus est in Ramatha, vbi cum Samuele Dauidem esse audierat. Vnde verisimile est,tres illas satellitum cohortes non rediisse ad Saulem, sed adhuc in Prophetarum cætu remansisse; alioqui Rex non ignoraret cum Samuele Dauidem esse in Naioth, vbi illos inuenere satellites, & à spiritu meliori mutati vaticinati sunt. Nisi fortè dicamus, Naioth esse locum ciuitati proximum, & quodammodò suburbanum,in quẽ aut animi, aut meditationis gratia cum suo cœtu Samuel soleret aliquando secedere, & statim se in vrbem, & statiua domicilia referre. Quod ideò mihi fit probabile, quia statim Naioth in Ramatha esse dicitur, in agro videlicet illius. *Ecce* (inquiunt illi, à quibus Rex de Samuele, Dauidéque rogauerat) *in Naioth sunt in Ramatha.*

14. Vers. 23. *Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum spiritus Domini.*] Mutauit illum spiritus Domini; id est, pulsus quidem, & mens noua inspirata diuinitùs, quæ priorem Regi cogitationem excussit, quæ illum insano furore correptum in Dauidis exitium precipitem agebat. Et quasi eo consilio in Ramatha ad Samuelem, Prophetarumque collegium veniisset,vt laudaret Deum, hymnósque sacros in illorum conuentu ritè concineret, sic, puto, à diuino spiritu in eo tantùm articulo mutatus, Samuelis, atque Dauidis immemor,illa cantando recitabat carmina, quæ nunquam didicisset; imò quæ neque ipse aut aduerteret, cùm illam carminibus sacris operam daret; neque cùm ad se rediit, quicquam eius à se fuisse tentatum recordaretur.

15. *Et ambulabat ingrediens, & prophetabat, vsque dum veniret in Naioth.*] Ex eo loco, qui quodammodò sacer erat, vtpotè sanctorum pedibus assiduè calcato,quique sacris hymnis frequenter resonabat, prophetare cæpit Saul; id est, diuinas laudes personare, antequàm Samuelem, & prophetantium cuneum aspiceret;quos verisimile est vidisse nunquam, cùm extra se esset, neque quid faceret, cogitaret, aut nosset. Vbi qui vitæ addicti sunt Religiosæ, & loca inhabitant diuino cultui consecrata, documentum habent sanè grauissimum, vt discant à sacro Religionis, imò Dei familiari contubernio abesse debere,quicquid nõ benè cum morum sanctitate conuenit; non ibi inuidiæ, non iracundiæ futurum esse locum,neque alia de re nisi de diuinis laudibus, déque optima morum, ac studiorum conformatione esse cogitandum. Quando Rex impius, furore plenus,spirans minarum, & cædis,& à malo exagitatus spiritu, totus à se abit, neque prioris insaniæ, neque Regij status recordatur, neque diu, ac noctu, quandiu eo in loco fuit, à diuinis laudibus nunquam cessat. Sanè in loco sacro, qui sacris studiis aliquid auderet moliri contrarium, nimis esset impudens; neque solùm à viris reprehenderetur piis,sed etiam à Saule, quem alium in Prophetarum conuentu, ac loco; alium in aula, & in castris agnoscas.Illud *ambulabat ingrediens* Hebraismus est,quem imitatur Hispanus, dum dicit: *iba andando.*

In loco sacro deponenda sunt, quæ minùs cum religione conueniunt.

Vers. 24. *Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis: & prophetauit cum cæteris coram Samuele.*] Duo significantur hîc accidisse Sauli, quæ lictoribus, cùm prophetarent, non acciderunt. Alterum est, antequàm Prophetarum videret cuneum,prophetasse;cùm alij id tantùm fecerint, cùm se miscuere prophetantibus. Alterum, quia Regalibus se spoliauit ornamentis,quod lictores passi non fuerunt. Quo significare videtur voluisse Deus, quàm non reprehendendi lictores fuerint, quia datum sibi à Saule negotium non impleuerunt, contra quos ille vehementer exarserat,cùm multò antè quàm illi, mentem ipse mutauerit, neque subierit Dauidis nomen, neque quicquam fuerit de priori cogitatione reliquum; & eò processerit à spiritu correptus, vt ornatu depositio Regio, se Regem esse non meminerit.Sed de vestibus,quas deposuit,mox. 16.

Et cecidit nudus tota die illa, & nocte.] Quidam legunt *cecinit*,sed malè; neque vllo modo consentaneè ad textum Hebraicũ,qui habet ויפשׁט *vaipol.* Illud *nudus* varij variè accipiunt. Quidã omninò nudum esse putant:ita putant aliqui,quorũ Varablus nomen silet; sequitur tamen sententiam; & ait, ideò Regem non esse verecundatum omnia ad vnum vestimenta deponere, quia quos diuinus arripuit spiritus, omnem adimit pudorem. Quod sensisse dicitur Abenezra, quem ego non vidi.Dixisset meliùs, si dixisset, nihil cuiquam pudori esse debere, quod ad diuinam laudem pertineret. At quid ex nudo ea ratione Saulis corpore, aut honoris Deo, aut castis Prophetarum oculis vtilitatis accideret? 17.

Sed est communis aliorum sententia,deposuisse Saulem indumenta Regia,& ab illis spoliatum quasi vnus foret de turba, cum aliis nullo modo specie, insignibusque superior prophetasse. Ita Hieronymus in traditionibus Hebr. Theodoretus,Abulensis,Lyra, Author histor. scholast. Neque nudi nomen huic cogitationi incómodat.Vt enim diximus in nostris Commentariis in Isaiam ad cap. 20. ille nudus dicitur, qui sui ordinis ac dignitatis ornamenta deposuit. Sicut ibi Isaias nudus vocatur,quia vestem abiecit prophetalem; id est, Cilicinam, sine qua incedere non posset non indecorè;id est,extra dignitatem, nonnunquam prophe- 18.

Nudus dicitur, qui sui ordinis insignia non gestat.

19. propheticum. Quomodò nudus ambulare dicitur, qui præter morem patrium, sine toga, ac pallio foràs egreditur. Quod ideò mihi persuadeo, quia in Scriptura talis aliquis dicitur, cùm parùm abest à forma, à qua propriè, & verè talis vocari posset. Quomodò Isaiæ cap. 19. *siccum* vocabamus *Nilum*, quando minus haberet aquæ, quàm anteà solitus, aut quàm exigeret agri Ægyptij necessitas. Et *ieiunus* dicitur, qui parùm comedit; sicut socij Pauli Actor. 27. in nauigatione *ieiuni* fuisse dicuntur quatuordecim dies; quia nimirum toto illo tempore pertenui cibo famem sustentarunt.

REGVLA. *Ab aliqua forma nomẽ sumit, qui parum abest ab illa.*

20. Et ne pluribus commemorandis longè vager, in hac eadem voce aperta sunt exempla. Genes. 9. Noë *nudatus* fuisse traditur; quia ab ea parte nudus erat, qua se aliis irridendum præbuit. Deinde quis credat Dauid nudum saltasse ante Arcam, vt illi obiiciebat Michol, maximè cùm dicatur eo tempore indutus Ephod lineo? 2. Reg. 6. Petrus certè nudus non erat omninò, cùm de eo Ioannis 21. scribitur: *Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se; erat enim nudus.* Quod autem tunc vestes haberet interiores, docet vox Græca ἐπενδύτης: quæ non quamcúmque significat vestem, sed illam, quæ super alias inducitur, quale pallium est, aut toga. Ita putat Theophylactus, Toletus, & Maldonatus; & Euthymius nudum fuisse omninò negat. Erat autem Petrus nudus, ab eo nimirũ indumento, sine quo indecorè occurreret Christi oculis: quare accepit ἐπενδύτην: id est, *pallium*, quod breuiori vesti, & ad piscatorium studium expeditæ iniiceret. Obseruat autem in illum locum Ioãnis Theophylactus ἐπενδύτην, linteum esse, quo Phœnices, Syrique piscatores amiciebantur, seu nudi essent, siue vestiti. Ex quo aliqua lux affulget loco maximè obscuro, apud Marc. 14. Marcum cap. 14. Vbi dum Christus in horto cõprehẽderetur, adolescens fugisse traditur *amictus sindone super nudum.* Quæ videtur esse piscatoris descriptio, qualis erat Petrus, cùm ad Christum properauit à nauicula; & quali vtebantur habitu aliqui ex Discipulis, quorum è numero multi piscatores erãt. Neque incredibile est, cùm Christum sequerentur, familiare, ac notum suæ artis indumentum non abiecisse. Dum ergo adolescẽs fugisse dicitur *cum sindone super nudum*; id est, super breuiorem, & interiorem tunicam, indicatur A meo iudicio fugisse aliquis è duobus discipulis, Ioannes, seu Iacobus; quia hi duo cum Petro à reliquis assumpti à Christo fuerunt, & artẽ exercebant piscatoriam.

Accedit, quòd ea est loquendi consuetudo etiam apud externos: ab exemplis abstineo. Vnus sufficiet Seneca, qui id verbis tradit, & docet expressis, lib. 5. de beneficiis cap. 13. *Quædam*, inquit, *etiamsi vera non sint, propter similitudinem* (adde tu & propter vicinitatem) *eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum; sic qui malè vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* Quid clarius, magisque ad nostram sententiam? Accedit, quòd si Deus prioribus verbis omninò Prophetam futurum esse nudum significasset, frustrà addidisset, B *& discalceatus*; quia omninò nudus, pedum quoque caret integumento. Deinde habitus, quem assumere iubetur Propheta, designabat captiuorum habitum, quem habituri erant Æthiopes, & Ægyptij apud externos dominos: at captiui non tam nudi erant, quàm malè vestiti, aut certè induti breui, atque astricta tunica, & ad seruiendum idonea, qualem credo gestatam ab Isaia.

Nudus quẽ male, aut indecorè vestitus.

Cecidisse verò dicitur *tota die, ac nocte* Saul; aut 22. quia, vt dicunt aliqui ex Hebræis, viribus, & sensibus destitutus erat; quod etiã sensit Vatablus: aut quia adorantiũ more sæpè procidebat in terram. Quicquid illud fuerit, incertum est. Illud prius magis placet, quia cum aliis præphetasse dicitur; id est, ad aliorum morem, & cum aliis simul; ast alij *nocte, ac die* non *cecidisse*nt, imò neque in diuinas laudes continenter incumberent. C

Hîc existit dubium ex cap. 15. v. 35. vbi dicitur, 23. nunquam à Samuele visum esse Saulem, cùm tamen hîc veniisse dicatur Saul in eum locum, vbi erat Samuel. Huic difficultati satis, vt credo, factum est cap. citato. Sunt qui dicant, visum quidem à Samuele Saulem, non autem à Saule Samuelem. Ita Magister histor. Schol. & glossa interlinearis. Quod mihi verisimile est, cùm alienatus à mente fuerit Saul, quo tempore fuit in cœtu prophetantium; & si quando à furore recepit se, non aliis, qui sibi ab eius insania omnia metuebant, difficile fuit inuenire latebras, in quas se ab illius oculis, ac furore subducerent.

Num & Saul inter prophetas?] Hæc à nobis suprà cap. 10. explicata sunt.

IN CAP. XX. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

LONGVS inter Dauidem, & Ionatham sermo confertur, in quo Jonathas omnia Dauidi animi beneuolentis officia promittit, iurátque persanctè, si quid à Parente iniquius in Dauidem præstiterit, illud, quidquid fuerit, ad illum se delaturum, vt sibi à Regio furore maturè caueret: erat autem promptum, quid consilij Rex in animo versaret, cognoscere, cùm adessent Kalendæ, in quibus Dauid Regijs epulis cum aliis populi principibus solitus esset accumbere. Cumque prius omnia mutuò sibi promisissent, in suos etiam posteros humanitatis officia, tandem in certo quodam signo conueniunt, vt tutò, & sine arbitris posset Dauid à Ionatha cognoscere, quid à Saule foret de Dauidis capite decretum. Nempe vt opportuno lateret loco iuxta lapidem, vltra quem si sagitta foret emissa, intelligeret, nihil à Rege sperandum esse boni; sin verò citra, pacatum esse Regem in-

telligeret, neque quidquam hostiliter moliri. Fecit Ionathas, quod promiserat, fideliter & cautè: Inuenit autem Regem in Dauidis caput sic obstinatè sæuientem, vt seipsum filium, quòd Dauidis causam susceptisset, transuerberare lancea conatus fuerit. Quare cùm crastinus illuxisset dies, egressus est ad conductum locum, datóque signo, quod inter illos antè conuenerat, digressus est Dauid: renouato tamen iurato fœdere, quo sibi priùs vicissim fidem obligarant.

CAPVT VIGESIMVM.

1. FVgit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, veniénsque locutus est coram Ionatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

2. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquã grande vel paruum, nisi priùs indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud.

3. Et iurauit rursum Dauidi. Et ille ait: Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quinimmo viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu, ego mórsque diuidimur.

4. Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcũque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

5. Dixit autem Dauid ad Ionatham: Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.

6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam: quia victimæ sollemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis.

7. Si dixerit, Bene: pax erit seruo tuo, si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius.

8. Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

9. Et ait Ionathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi.

10. Respondítque Dauid ad Ionatham: Quis renunciabit mihi, si quid fortè respõderit tibi pater tuus durè de me?

11. Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cúmque exissent ambo in agrum,

12. Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israël, si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perendie: & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero,

13. Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.

14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero,

15. Non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra: auferat Ionatham dè domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.

16. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.

17. Et addidit Ionathas deierare Dauid, eo quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

18. Dixítque ad eum Ionathas: Cras calendæ sunt, & requirêris.

19. Requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum vbi celandus es in die qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel.

20. Et ego tres sagittas mittã iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum.

21. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas.

22. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus.

23. De verbo autem quod locuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me & te vsque in sempiternum.

24. Abscónditus est ergo Dauid in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem.

25. Cúmque sedisset rex super cathedrã suam (secundùm consuetudinem) quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid.

26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quòd fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus.

27. Cúmque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid.

uid. Dixítque Saul ad Ionatham filium suum : Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum?

28. Respondítque Ionathas Sauli : Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem.

29. Et ait : Dimitte me, quoniam sacrificiũ sollemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis.

30. Iratus autem Saul aduersum Ionatham, dixit ei : Fili mulieris virum vltrò rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ?

31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eũ ad me: quia filius mortis est.

32. Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit?

33. Et arripuit Saul lanceam vt percuteret eũ. Et intellexit Ionathas quòd definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid.

34. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eo quòd confudisset eum pater suus.

35. Cúmque illuxisset manè, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid : & puer paruulus cum eo,

36. Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio : Cúmque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum.

37. Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas : & clamauit Ionathas post tergum pũeri, & ait : Ecce ibi est sagitta porrò vltra te.

38. Clamauítque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens : Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad dominum suum:

39. Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant.

40. Dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei : Vade, & defer in ciuitatem.

41. Cúmque abiisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram adorauit tertiò: & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.

42. Dixit ergo Ionathas ad Dauid : Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes : Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum vsque in sempiternum.

43. Et surrexit Dauid, & abiit: sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

IN CPVT XX. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Fugit autem Dauid de Naioth.*]

1. NON putabat Dauid tutum sibi fore eo in loco manere, quem iam Sauli notum esse sciebat, à cuius manibus elabi non sperabat, nisi vis aliqua cælestis, & maior intercederet. Quare actutum fugit ex Naioth, & cùm fugæ locum celatum esse maximè expediret, illum tamen Ionathæ, cuius fidei, atque amicitiæ credebat omnia, celatum esse noluit. Apud quem de patris inclementia conquestus est; qui omnia illi prolixa pollicitus, meliori animo esse iussit. Totum caput obscurum non est, atque ideò in illius explicatione multi non erimus : sed illa tantùm breuiter attingemus, quæ Interpretis desiderant lucem, & industriam.

2. Vers. 3. *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu ego mórsque diuidimur.*] Hæc verba satis ostendunt, quanto in periculo, ac metu fuerit Dauid, cum hostẽ haberet potentissimum, in cuius ditione versabatur, cuius tot erant lictores, & manus, quot illius potestati, ac voluntati suberant. Atque ideò vno tantùm à morte dicit se abesse gradu, quia si quid ab illo minùs cautè susceptum sit, aut obseruatum negligentiùs, effugere non poterit Regis armatas manus, aut furorem inflãmatum inuidia. Quia quocúmque se conuerterit, occursabit Saul, aut in illius seruis Saulis infensa, & ineluctabilis potẽtia.

Gasp. Sanctij Com. in lib. Reg.

Cùm proximum est periculum, proximè dicimus abesse mortem; quare in mortuis numeramus illum, qui collum laqueo iam insertũ habet, & cuius imminet iugulo hostile ferrum. Quatuor digitis dicitur à morte distare, qui in altum mare ligneo incluſus vasculo se dedit. Quare Iuuenalis de nauigantibus dixit Sat. 12.

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, ac septem, si sit latissima tæda.

Ille autem, qui periculosum illud instituit viuendi genus, vno tantùm gradu à morte diuiditur, quia si quid peccatum fuerit, & vno tantùm gradu à nauigio recesserit, excipiet illum aquarum gurges, ex quo, si procul à portu abesse contingat, non enatabit. Tali in statu tunc erat Dauid, quem incuria quæcúmque, aut error leuissimus ad mortem adigeret; sicut ceruus, aut vrsus, quem vndecúmque circumsident aut casses, aut foueæ, aut intentæ venatorum hastæ: & hic vno tantùm gradu à morte discluditur, quia vbi primùm in vtramlibet partem fecerit gradum, illi moriendum est.

REGVLA. *Factum dicitur, quod proximum est, vt fiat.*

3. Vers. 4. *Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.*] Verba sunt Ionathæ, qui nihil facere, aut subire recusat, quod sibi à Dauide, quod ad ipsius incolumitatem pertineat, significatũ fuerit.

Modus ille dicendi familiaris est Hebræis, qui aliquem per illius animam circumscribunt. Et ita dicunt, *placet hoc animæ meæ; id est, mihi: hoc odit anima mea*; id est, ego odi. Sed habet hoc loco suã epitasim hæc dicendi forma; significat enim Ionathas facturum se quicquid Dauidi collibuerit, quodcumque illud sit; & ipsius voluntatem sibi futuram esse pro regula, etiamsi contra stet Saulis; id est, Regis, & parentis authoritas, & cum vitæ suæ non incerto periculo. Anima enim pro desiderio sumitur, vt Ezech. cap. 7. v. 19. *Animam suam non saturabunt.* Iob cap. 39. v. 1. *Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis?* id est, appetitum, & desiderium.

Anima pro desiderio.

4. Vers. 5. *Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum.*] *Calendæ* eædem sunt, quæ neomeniæ; id est, primæ lunationes, siue primi dies singulorum mensium: nã luna suo ortu inchoat, & suo occasu, siue silentio terminat menses. Ille verò dies primus solemnis est Hebræis, vt constat Num. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas*, &c. De quibus est illud Psal. 80. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Eo autem die sacrificia fieri solebant, vt liquet Numer. 28. *In calendis autem, id est in mensium exordiis offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos*, &c. His porrò diebus, qui aliqua sunt nota, aut religione nobilitati, instrui solet inter cognatos, & amicos solemne conuiuium. Sicut etiam nostra ætate fit in Principum domibus; quale amicis, cognatis, & principibus videtur condixisse Saul in proximas calendas. Aut certè id erat illi solemne, & quasi legitimum, vt singulis mensibus ad illorum exordium cognatis suis, regni, exercitusque principibus epulum instrueret; cui abesse non poterat Dauid, cùm gener esset Regis, & Chiliarchus, & præter cæteros rebus belli gestis egregius. Sed est verisimile, singulis etiam diebus ad Regiam mensam adhiberi, eo maximè tẽpore, cùm à malo spiritu vexaretur Saul. Neque enim honestè fieri poterat, vt cùm iam esset propter connubialem nexum Sauli domesticus, & quasi cognatus, & illi, nisi cùm graues inciderent casus, semper assisteret, vt molestiam, quam à cacodæmone patiebatur, psallendo leuaret; eo tempore iussum esse ab aula recedere, cùm sumendus esset cibus, maximè si filia Michol, iam Dauidi nupta, adhiberetur ad mensam. Et ideò v. 27. non solùm in calendis, sed etiam die proximo, qui tamen solemnis non erat, desideratus est à Saule Dauid. *Dixitque Saul ad Ionatham, cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* Et hæc sententia magis probatur Abulensi q. 9.

Calendarũ dies festiuus in quo sacrificia fiebant.

5. Vers. 6. *Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatẽ suam, quia victimæ solemnes ibi sunt, vniuersis contribulibus suis.*] Paulò antè diximus ex cap. Num. 28. vbi à versu 11. vsque ad 16. illa sacrificia numerantur, quæ in calendis afferri aut debent, aut solent. Hanc igitur consuetudinem in excusationem adduci vult Dauid, cur Regio conuiuio non interfuerit; Quia victimæ in patria solemnes fiunt, à quibus si ipse absit, qui omnium propter Regiæ coniugis nobilitatem princeps existimatur, iniquiùs accipient, & superbiæ attribuent contribules sui. Quæ ratio speciem habet, non parùm honestam; maximè, si ad hæc accedat ex victimarum sanctitate nonnulla, quæ apud viros, qui in sublimi sunt gradu, plurimum debet habere momenti.

6. Vers. 8. *Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice; & ad patrem tuum ne introducas me.*] Hoc fermè modo explicare solemus, quàm feramus aliquid iniquo animo, aut quàm aliquem rerum euentum horreamus. Nemo est, qui non horreat mortem, quam omnium terribilium terribilissimam dixit Aristoteles, & ipsa docet natura, quæ vt vitam tueatur, nihil putat nõ esse subeundum. At in morte aliquid solet interdum contingere, aut timeri, quod morte ipsa, iudicio etiam prudentium, iudicatur esse magis horribile. Vt si ab inimicis mors sit inferenda, à fœminea, seu imbecilli manu, ex qua morti accedat aliquid ignominiæ. Sic multi, vt morte aliquod redimerent in mortis genere ludibrium, manus sibi anticipato vulnere intulerunt. Exempla habemus apud profanos innumera, qui ne victoris hostis potestatẽ, aut vultum subirent, aut illorum gladio cæderentur, mortem ipsi tardantem aduocarunt, & sua ipsorum manu illatam subierunt. Qua in re mulieres etiam, quarum infirmus est animus, spiritus assumpserunt viriles; qualis fuit Portia Catonis filia, parentis exẽplum imitata; & Cleopatra. Ex hac hominum consuetudine familiari Virgilius Achemenidẽ inducit, qui Troianorum perire manibus lucrum deputat, dummodò nihil à Polyphemo homine semifero tale patiatur:

Aliqua grauiora morte existimantur.

Pro quo si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastóque immergite ponto,
Si pereo manibus hominum, periisse iuuabit.

Multi, vt ludibrium effugerent, mortem sibi conscierũt.

Idem propè dicit nunc Dauid: *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum*, &c. Neque in sacris literis exempla desunt. Iudic. cap. 9. v. 54. cùm Abimelech esset à fœmina percussus, vt illã ignominiam declinaret, accelerauit mortem: *Vocauit citò armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladiũ tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd a fœmina interfectus sum.* Sed est exemplum propius, & accommodatum magis in Saule, qui ne hostium, quos maximè oderat, manibus periret, sua sibi manu mortem consciuit. Infrà cap. 31. v. 4. *Dixit Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuũ, & percute me, ne fortè veniant incircuncisi isti, & interficiant me illudentes mihi.* Ad hunc ergo modũ mallet Dauid Ionathæ, quã Saulis manibus interire.

Vers. 12. *Et ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israël, si inuestigauero sententiam patris mei crastino, vel perendiè, & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te*, &c.] Promittit Dauidi Ionathas fidelem de illius capite, sedulámque custodiam; & curaturum se expiscari à patre, quocumque id artificio possit, quo sit in Dauidem animo, & quid de illius siue capite, siue honore constituat; & tandem admoniturum se maturè de parentis consilio, vt sibi ab illius furore opportunè caueat. Sin verò fidem datam aliqua ratione fefellerit, omnia sibi, ac suis imprecatur aduersa. Hæc aperta sunt. Illud obscurius; nam videtur illud, *Domine Deus Israël*, esse aut otiosum, aut à toto corpore diuulsum, cùm non habeat, quocum contexi, aut conuenire possit. Ego hunc dicendi modum familiarem, & quasi prouerbialem arbitror Hebræis: hi enim, vt contingere solet his, quæ vsu teruntur familiari, aliquid deterunt ex illis, quorum frequens est, & familiaris vsus. Qualia sunt iuramenta, execrationes, conuenta, & quorum certa est, atque legitima forma. Exemplum est aptum hoc ipso loco, in quo nunc versamur. Est enim verisimile, multa sibi, ac suis imprecatum esse Ionatham, si fidem fallat, quæ omnia paucis hisce verbis ab Historico comprehensa sunt; *Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc*

8.

REGVLA. *Prouerbia, aut quæ prouerbialẽ habent formam, nõ integra ponũtur, sed illorum pars imperfecta.*

& hæc addat. Et in iuramentis hoc est apud Hebræos frequens,qui prima adhibent formularum verba,cætera subaudiunt : *Si introibunt in requiem meam. Si dedero somnum oculis meis. Si Dauid mentiar* ; & similia. Vbi subauditur , *mendax habear, & falsus,dispeream,*& aliquid his affine. Apud Latinos id est obuium; cùm diuinam fidem obtestantur,hoc faciunt modo : *Dij vestram fidem,* nempè *obtestor,aut imploro. Me hercule. Mecastor. Medius fidius :* vbi subintelligendum *amet, iuuet.* Sic meo iudicio hoc loco , in quo sine dubio quædã concipitur iurisiurandi forma , aliquid subaudiẽdum est , quod iuramentis communiter adhiberi solet. In hunc igitur sensum hæc accipio : *Domine Deus Israël,tuam testor fidem, si fallo, tu mea perfidiæ testis esto,tu,me perde* ; aut aliquid simile. Tunc autem omnia sunt perquàm aptè contexta.

Vers.13. *Reuelabo aurem tuam,& dimittam te.*] Quid sit aurem,siue auriculam reuelare, diximus suprà cap.9.v.15. ad illud : *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis.*

9. *Et sit Dominus tecum , sicut fuit cum patre meo.*] Non petit , aut optat Ionathas talem Dauidi à Domino sortem indulgeri , qualem eo tempore pater patiebatur, quem assiduè vexabat sollicitudo,ac metus ; vrebat inuidia, & ex ea conceptus intolerabilis dolor ; exagitabat dæmon, & propè desperatio, & insania rapiebat ad restim ; ac tandem in suorum conspectu impurus exagitabat spiritus. Sed optabat illi regnum , quod datum est parenti,& tales in regno euentus, quos primo regni tempore sortitus est Saul , priusquàm à sua simplicitate,atque innocentia ; id est,à seipso deficeret. Tunc enim omnia illi contigerunt secunda , quibus & suorum animos conciliauit sibi,& alienos terrore concussit.

10. Vers.14. *Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini. Si verò mortuus fuero,*&c.] In illa promissione iureiurando persanctè confirmata , duo videntur obscurè contineri , quæ nunc clariùs, atque distinctiùs Ionathas explicat,& euoluit. Alterum est, si fidem præstiterit religiosè interpositam, vt Dauid, cùm ad regnum parentis sui loco peruenerit, ipsum , quandiu vixerit, amicè complectatur , & Dei in illum misericordiam exerceat ; id est,magnam : nam quæ magna sunt, illa Dei esse dicuntur,vt *montes Dei,cedri Dei*; aut certè , quia Dei est misericordia propria inimicis quoque suis benefacere , & vbi se ad illius clementiam supplices adiecerint,amanter amplecti: quòd si ipse vita functus fuerit,eundem cum posteris animum,& misericordiam seruet. Alterum est, si fidem fefellerit, quam nunc tam arctis beneuolentiæ , ac religionis vinculis astringit , habeatur inimicorum numero,ac loco,neque de illo, ac suis leuiores capiat pœnas , quàm de aliis, à quibus capitali dissidet odio , & quos maximè iactatos, & extinctos cupit. Hoc posterius significatur obscuriùs ; sed nulla meo iudicio informari potest explicatio commodior.

11. Vers.15. *Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid vnumquemque de terra , auferat Ionatham de domo sua , & requirat Dominus de manibus inimicorum Dauid. Pepigit igitur Ionathas fœdus cum domo Dauid , & requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.*] Hic locus valdè est impeditus,& dubius, in quo multa sunt addita à Vulgato , quæ in Hebraico textu , quem nunc habemus , non inueniuntur. Vt autem aliquantulum lucis capiat obscuritas huius loci , addamus hìc oportet textum Hebraicum , vnde apparebit, quid illi Latinus addiderit , magísque de vero sensu , quem continet Vulgata translatio , constet. Hebraicus igitur textus sic habet , quemadmodum illum Pagninus conuertit : *Sed etiam non abscindes misericordiam tuam à domo mea vsque in sæculum , nec cùm abciderit Dominus inimicos Dauid vnumquemque è superficie terræ.* Eodem modo reddidit in Commentario Vatablus,& Chaldæus, & Hispanica translatio antiquissima , quæ sic legit : *e que no cortaras tu merced de mi casa para siempre ni quando cortare el señor los enemigos de Dauid cada vno de sobre la faz de la tierra.* Huc alludit , licèt paulò obscuriùs , Septuaginta translatio. Neque abludunt aliquot codices Vulgati , inter quos sunt Complutenses,& Regij,qui ita legunt: *Non auferes misericordiam à domo mea vsque in sempiternum , quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid vnumquemque de terra.* Iuxta hæc, sensus difficilis non est. Petit enim Ionathas à Dauid , quem regnaturum putat, vt sui, suæque familiæ misereatur , etiam dum Deus hostes suos illius subiiciat potestati , & de terra tollat , quod futurum sperat ; in quibus ipsum quoque intelligit parentem Saulem , quo nullum habuit Dauid duriorem inimicum.

Sed Vulgata translatio aliter habet , & nunc à 12.
Syxto correcta magis probat ; cùm qua facit Caietani,& Tigurina translatio,quæ licèt paulò aliter , in eandem tamen sententiam conueniunt; neque illam deserere vllo modo licet. Quare sensus erit : Si fidelis fuero in præstando promisso,id abs te peto (ait Ionathas) vt me, ac meam familiam tueare ; sin autem fallam , in hostium tuorum numero haberi volo , neque recuso illa subire, quæ tu subactis hostibus inferre volueris, siue rerum iacturam,siue honoris,ac vitæ dispendia. In hanc sententiam explicat Abulensis. Age iam ad hanc cogitationem verba textus accommodemus.

Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid v- 13.
numquẽque de terra, auferat Ionatham de domo sua.] Hinc incipit noua clausula. Quando ab inimicis Dauid debitas Dominus exegerit pœnas ; & illi (tanquam de terra plantæ eradicatæ, quæ continuò moriuntur, & arescunt) de terra ; id est , de vita,quam cum hominibus in terris agunt, auferantur ; ego quoque auferar de terra,& de familia mea ; ita vt maneat nemo filiorum in domo, qui mei memoriam sustentet,& renouet.

Et requirat Dominus de manu inimicorum Da- 14.
uid.] Eadem videtur iterata sententia , paulùm saltem immutata. *Requirere de manu alicuius,*idem est,quòd vindictam sumere de illo, qui nobis iniurius , aut inimicus est. Genes.9. v.5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum :* id est , vlciscar. Paralip.2. cap.24.v.22. cùm vltionem imprecaretur Zacharias his,à quibus occidebatur, dixit : *Videat Dominus, & requirat.* Quasi dicat Ionathas,cùm à tuis hostibus, ô Dauid,pœnas exigat illatæ iniuriæ,ille quoque à me exigat pœnas violatæ fidei. Sed videtur hìc optare Ionathas , vt Deus Dauidis vlciscatur iniurias , & talia Dauidis referat hostibus , qualia ipsi detrimenta Dauidi moliebantur. Quasi dicat : *Atque vtinam ita contingat, vt inimicorum tuorum siue violenta , siue fraudulenta consilia impunita non sint.* Hanc ego explicationem germanam 15.
puto , quam nostris ; id est , Christianis Interpretibus communem dicit esse Lyra ; adducit tamen aliam , quam placuisse docet Hebræis, quæ huic nostræ videtur omninò contraria,

quam etiam hoc loco probat Caietanus. Putant enim hoc pactum sic esse in gratiam Dauidis cõceptum à Ionatha, vt etiam sibi, ac familiæ suæ Ionathas caueat, ne quid Dauid, postquàm ad Regium nomen ascenderit, ipsi, aut ipsius posteris mali moliatur. Et ita hunc locum exponunt: *Requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.* Sicut mihi (verba sunt Ionathæ) omnia aduersa imprecor, nisi Dauidis saluti fideliter cauero, sic de Dauide Dominus vindictam sumat, nisi mihi quoque, atque familiæ meæ fideliter caueat. Dicunt autem *inimicos Dauidis* sumi pro ipso Dauide, per euphemismum, quæ figura ab aliquo vocem illam summouet, quæ aliquid sonat dirum, & infaustum; quomodò à Deo remouemus maledictionis verbum, & pro illo id quod laudem, aut benedictionem significat, adhibemus. Sic Naboth accusatur, quòd Deo benedixerit, & tamen arguebatur in Deum iactatæ blasphemiæ, lib. 3. Reg. cap. 21. v. 13. Sic ergo vt verbum dirum, & imprecatorium à Dauide remoueret Ionathas, ad hostes reiecit, cùm tamen in illis Dauidem intelligeret. Exempla sunt apta ex ipsa quotidiani sermonis consuetudine desumpta. Cùm furoris impatientes alicui maledicere volumus, cùm illum amamus, aut alias ob causas obseruamus, & colimus, aliquid ab illo alienum, & illi longè dissimile nominamus, licèt execratoria verba in illũ primum impotenter eruperint. Irasceris amico, & dicturus eras, *malè sit tibi*, & cùm amicum esse cogites, cohibes indignatum animum, & iã erumpentem vocem, & dicis: *O malè sit illis, qui tibi malè cupiunt.* Vel quod magis est Hispanis in eo ardore familiare: *O malè sit diabolo.* Imò interdũ ne amicos, in quos videbamur indignari, offendamus, in caput nostrum diras, & maledicta conuertimus, quæ in illos imprudentes, aut efferueuescente furore iactauimus. Sic Tibullus lib. 1. eleg. 11.

Et mala, si quæ tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas, capiti sint precor illa meo.

Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 21. ait Mamarcum quendam, cùm Bollionem liberiori quodam verbo amarè perstrinxisset, illum his verbis voluisse sibi reddere beneuolum: *Quicquid mali dixi, mihi, & capiti meo.* Plura apud profanos occurrent exempla. Vide Brissonium lib. 1. formularum.

REGVLA. *Vt ab aliquo dirum aliquid remoueamus per Euphemismum cõtrariã vocem adhibemus, aut alienam.*

16. Sed est exemplum, quod hanc sententiam optimè confirmat, vbi ea desunt verba, & eadem persona, infrà cap. 23. v. 22. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat.* vbi cùm Dauid aliquid sibi imprecaretur mali, nisi graue de Nabal supplicium sumeret; pro seipso, boni, vt reor, ominis gratia, inimicos adhibuit, nempè quod ipsi maximè erat contrarium. Sicut locis suprà citatis, ne maledictio cum diuino nomine iungeretur, adiuncta est benedictio, quæ maledictioni est omninò contraria. Addunt Hebræi, vim huius execrationis expertum esse in suo genere Dauidem. Cùm enim Miphiboseth Ionathæ filio dimidiam bonorum partem ademisset, lib. 2. Reg. cap. 19. in pœnas violati fœderis Deus regnum diuisit, quod creptum è Roboam nepoti suo, transtulit ad Ieroboam. De quo suo loco paulò accuratiùs.

17. Hæc Hebræorum explicatio mihi non omninò videtur abs re; sed placet illa magis, quam superiùs adduxi. Quod probant alia, de quibus statim, quæ non benè cum hac explicatione cohærent. Non enim conuenit cum ingenio liberali Ionathæ, & cum amore, quo illum quasi seipsum A diligebat, vt illi aliquid precaretur graue, etiamsi pactis non stetisset, quæ tunc studebat cum illo componere. Neque Dauidis eo tempore afflicta conditio, qui à Rege tanto studio quærebatur ad cædem, patiebatur, vt seuera aliqua adiuratione Dauidem vrgeret, & astringeret. Huc facit, quod statim subditur. De loco 1. Reg. cap. 25. dicemus, cùm eò ventum fuerit; neque deerit ibi, vt opinor, accommodata responsio. Vide interim Abulensem q. 24. vbi hanc Hebræorum sententiam optimè confutat. 18.

Vers. 17. *Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quòd diligeret eum.*] Cupiebat Ionathas Dauidis animum ab omni sollicitudine, & metu liberare, & vt de se omnia speraret fidei, & amoris officia. B Atque ideò cùm omnia iam promisisset prolixè, quæ ad illius incolumitatem pertinerent, illud etiam adiecit, quod in ingenuis, Deique timentibus animis plurimum habet momenti; nempe sibi omnia imprecaretur infausta, nisi pacta, atque promissa liberaret. Id enim valet *deierare*, quasi à se iuramento, & execratione, quæ iuramẽtis apud Hebræos abesse non solet, honorem omnem, & bonam fortunam eiuraret, & expelleret. Hoc autem iterabat sæpè, quia de sua beneuolentia, ac fide Dauidẽ dubitare ferebat molestè; neque amor, quo illum prosequebatur, permittebat, ne quid sineret hærere in illius animo, quod illius pacem, & quietem turbaret. 19.

Vers. 18. *Cras calendæ sunt, & requireris; requiretur enim sessio tua vsque perendie.*] In Calendis, seu neomeniis, vt diximus, amici, atque cognati sese vicissim inuitabant. Quam consuetudinem videtur ipsi quoque Reges obiisse, vt locus hic indicat. C Calendis autem alter adiiciebatur dies, qui licet esset non ita celeber; tamen in eo interdum communi, ac generali epulo, sese amici familiariter excipiebant. Vnde dicit Ionathas, duobus diebus Dauidem esse requirendum, cùm vacuus appareat in triclinio locus, vbi de more Dauid sedere consueuerat. Locus autem ille fuit tertius à Rege; vt enim constat infrà v. 25. Ionathas, & Abner ad latus consedere Saulis. Post horum alterum accubuit, vt apparet, Dauid. Neque ratio defuit, cur illis prior locus assignari debuerit. Nam Ionathas filius erat Regis, & multò antè quàm Dauid con- D stitutus à Rege Chiliarchus, vt constat cap. 13. v. 2. Abner toti præerat exercitui, & erat Sauli cognatione proximus, frater nempe patruelis. 20.

An Saul cum suis conuiuis accubuerit, assederitve, incertum est: neque ea de re video à quoquam esse disceptatum; neque ego quid certò definire possim, quicquam exploratum habeo. Tantum dico, licèt Hebræi ante ingressum filiorum Israël in Ægyptum assidere potiùs mensæ soliti fuerint, quàm accumbere, vt docet Philo Iudæus lib. de Ioseph, dum explicat illud Genes. 43. *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua.* Tamen non multò pòst ex Ægyptiorum consuetudine triclinia construxerunt, & lectulos, vbi Gentium more discumberent. Cuius Exod. cap. 12. extant non obscura vestigia, dum Deus formã præscribit agni paschalis comedendi, illi contrariam consuetudini, quam ex Ægyptia cõtagione contraxerant. Iubet enim, vt agnum comedant festinanter, non per otium, & luxum cubãtes in triclinari, seu discubitorio lectulo; & accingant renes, & calceamenta habeant in pedibus. Quia nimirùm ante discincti, & cubantes, & sine soleis comedebant, ex Gẽtilium veteri siue disciplina, siue mollitie, & luxu. Sanè Hebræos in lectulis sub

Hebræi à temporibus Ægyptiis ac cumbere soliti.

hæc

hæc tépora solitos esse discumbere, docet Amos c. 6. & Ezechiel cap. 23. vbi nos ea de re aliquid, & plura ad illud Cant. 1. *Cum esset Rex in accubitu suo.* vbi accubitum lectulum esse diximus triclinarem. Ego eò magis inclino; quia vox Hebraica, pro qua Vulgatus reddidit *sessionem*, & posteà v. 25. *cathedram*, vbi agitur de sede Saul in eo conuiuio, est משב *mosab*: quæ vox *sessionem*, non cubationem, aut accubitum importat. Item quia cathedra Saulis dicitur fuisse iuxta parietem; quæ instratæ mensæ dispositio magis assidentium, quàm accubantium ordinem ostendit.

21. Vers. 19. *In die, in qua operari licet.*] Hæc verba dicta sunt à Ionatha pridie calendarum, vt constat. Cur verò tam vrgeat Ionathas, vt quamprimùm Dauid ad locum illum secedat, B vbi opportunum habeat latendi locum, ipse rationem reddit; quia dies ille, qui proximè calendas antecedit, solemnis non erat; atque ideò cùm lex ab illo nullum opus seruile prohiberet, poterat tantum viæ ambulando conficere, quantum sabbati, aut diei festi religio permitteret. Vnde duo colligo, meo iudicio necessariò. Alterum est, contrà quàm nonnulli existimant, primum diem mensis esse solemnem, neque illo posse seruile aliquod opus exerceri. Id omninò docet Ionathas, dum monet Dauidem, atque vrget, vt eo die, in quo operari licet, secedat in agrum, ad lapidem Ezel; tantum verò spatij in die festo confici non poterat. Quare non probo, quod dixit Abulensis in cap. 28. Numer. cap, 18. vbi C docet, offerri quidem in neomeniis quædam sacrificia, non tamen homines cogi, vt à seruili abstineant ministerio. Cui subscribunt Ribera lib. 5. de templo cap. 2. & Cornelius à Lapide in cap. 28. Numer. v. 10. Sed quo tempore hęc tradidit Abulensis, nondum viderat, quid hoc loco doceret Scriptura, atque ideò hic contrarium omninò tenuit q. 24. sub finem & latiùs q. 9. vbi docet, his diebus vacandum esse ab opere seruili, non tamen Dei præcepto, sed ex speciali populi deuotione, ac voto. Quod item tenuit Augustinus ab Abulensi citatus Numer. 28. qui tamen locum, vnde sumpserit, silet; neque ego inuenire potui. Ait igitur (vt verba sumam ab Abulense) Augustinus: *Melius facerent Iudeæ mulieres, si in neomeniis nerent, quàm in his impudicè saltarent.* Et quidem quæ de neomeniis habemus in Scriptura, eiusmodi sunt, vt facilè probent celeberrimum esse diem, & illi negandum non esse, quod diebus aliis solemnibus religio concedit, nempe vt à seruili ministerio vacet. Ps. 80. v. 4. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ: quia præceptum in Israel est.* Obserue illud, *quia præceptum.*

Neomenia, & calendæ festiui dies, in quibus operari non licet.

22. Sed est quod huic sententiæ vehementer incommodet, quódque alios in contrariam cogitationem impulit, quòd cùm festa numerarentur omnia Leuit. cap. 23. non tamen eo loco auditur Neomeniarum, aut Calendarum nomen. At E priùs antecesserat v. 4. *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.* Ex hac salebra facilè se extricat Abulensis, dum dicit, hoc festum non esse institutum à Deo, sed introductum populi deuotione. Sed hæc verba, quæ sine dubio referunt, quæ subsequuntur, solùm ostendunt festa, quæ semel in anno celebrari iubentur, vt facilè quiuis mediocriter attentus intelliget. De his verò, quæ sæpè, singulis mensibus, aut hebdomadibus legitimè redeúnt, nullus sermo.

Leuit. 23.

A Vnde cùm sabbatha celeberrima sint festa, quia sæpè iterantur in anno, post illa verba non numerantur. At dices, paulò antè sabbathi factam esse mentionem; quod ego non nego: non tamen ideò puto nostram valde debilitari sententiam; quia ad vniuersalem illam clausulam, non erat aliquid, quod Neomeniarum recordari cogeret: ast post illam ea tantùm numerantur festa, quæ semel certis anni temporibus repetuntur. Sed habemus aliquod in Scriptura fundamentum, vnde existimare possimus in Neomeniis nullum esse locum seruili ministerio. Tum quia sæpe sabbatha cum Neomeniis, siue Calendis cóiunguntur, quæ magno apud Hebræos in honore sunt. Tum quia licet paulò obscuriùs idipsum inuenimus Numer. cap. 29. v. 1. vbi numerantur dies omnes festiui, qui mense Septembri celebrantur, qui sanè plurimi sunt; & incipit à die primo mensis, qui non aliam ob causam solemnis esse dicitur, & venerabilis, nisi quia dies Clangoris, & Tubarum est. In Neomeniis autem, & Calendis præceptum esse, vt clangor tubarum resonaret, nuper ex Psalmo 80. audiuimus; & Numer. 10. v. 10. vbi tempus definitur, quando clangendum est tubis. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, &c.* dies autem festos hìc illos intelligo, qui semel celebrantur in anno.

Colligo ex hoc loco secundò, lapidem illum, 23. ad quem missus est à Ionatha Dauid, vt ibi tandiu lateret, quandiu de Saulis animo nihil haberet exploratum, longiùs abesse vrbe, tanto videlicet spatio, quantum in die sabbati; id est, in die festo percurri non possit. Ideò enim admonuit Ionathas, vt locum illum adiret Dauid, eo die, in quo locum seruili negotio permitteret religio. Hæc verò sabbathino progressu mille confici passus sinebat, vt est communis Hebræorum opinio. Ego aliquid amplius arbitror à lege, seu consuetudine permitti, vt pluribus docui in Commentariis super Acta ad illud cap. 1. *Sabbathi habens iter.*

Cui nomen est Ezel.] Loca aliqua nota insignia, 24. certis etiam solent notari nominibus, vt vidimus suprà cap. 14. v. 4. vbi duæ dicuntur esse petræ, quarum altera dicebatur *Bosez*, altera *Sene*, quæ, vt D arbitror, non longè aberant ab *Ezel*, de qua modò, quia omnes erant iuxta Gabaa Beniamin, vbi tunc agebat Saul. Ex nomine *Ezel* coniectant aliqui, in quibus est Lyra, lapidem illum esse ambulatorium; id est, quod viam ostenderet iter agentibus: quales fortasse sunt, qui lapides dicuntur *Mercurij*, aut qui viarum distingunt spatia; quales esse etiam apud Hebræos, sicut apud Romanos, diximus ad illud Actor. cap. 1. *Sabbathi habens iter.*

Vers. 20. *Et ego tres sagittas mittam.*] Quia ti- 25. mebat Ionathas, ne fortè solus non posset in locũ prodire, vbi latebat Dauid; atque ideò, ne qua permanaret ad patrem, cuius offensionem, & iram timebat, sibi cum Dauide aliquod esse pactum; signum cõstituit, quo Saulis animũ posset cognoscere absens Dauid, etiamsi multi simul cum Ionatha egrederentur in agrum. Illud autem fuit, aut sagittæ iactus, aut de sagitta referenda ad puerum Ionathæ vox. Si enim ad puerum diceret, citra ipsum esse sagittam, signum esse placati Saulis animi, & mitius aliquid de Dauide cogitantis; si verò esse vltra puerum, nihil esse boni sperandum à Saule; atque ideò statim aliò commigrandum. Cætera aperta sunt.

26. *Sacrificiorũ carnibus mundis tãtùm vesci licitum.*

Vers.26. *Cogitabat enim, quod fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus.*] In ipsis Calendis neque quæsiuit Saul, neque questus est de Dauid, quòd non interfuisset conuiuio, quia suspicatus est aliquid interueniſſe causæ, cur ille sanctè ad illud epulum accedere non posset. Illo etenim die oblationes fiebant luculentæ, & plurimæ, ad quas non nisi mundi assidere poterant, vt constat Numer. cap. 28. v. 11. & cap. 10. v. 10. vbi de epulo è sacrificiis nonnihil. Et quia hoc frequens, & fortasse legitimum erat in Israël; ideò hanc timori suo, ac fugæ causam prætendit Dauid, quòd eo die calendarum victimæ essent in Bethlehem, & ibi sine dubio cognatorum epulum, ad quod ipse esset inuitatus à fratribus. Nemo autem immundus ad sacras illas epulas accedere poterat, nisi priùs foret expiatus. Cùm autem maculæ, quæ à sacra mensa remouent, plurimæ sint, ab illarum aliqua putabat Saul Dauidem esse pollutum.

27. *Illorũ, quos odio habemus, nomen audire, aut dicere graue est.*

Vers.27. *Cur non venit filius Isai?*] Illorum, à quibus animo dissidemus hostili, nomen audire recusamus, sicut etiam imaginem: nam & nomen effigies quædam hominis est, atque ideò nomen potiùs alienis notis, aut vocibus circunscribimus, quàm proprium assumimus. Quod tunc præsertim fit, cùm in parentibus, atque cognatis aliquid videmus hæsisse indecorum, & turpe. Hoc passim apud profanos audimus; sed neque apud Sacros exempla desunt. Duo habemus in hoc capite; alterum est hoc, in quo nunc explicando versamur, vbi pro Dauide, in quo nihil inueniebatur humile, ac mediocre, cùm vir esse tot victoriis illustris, & cõstitutus in acie Chiliarchus, patris illius adhibetur nomen, qui vitam egerat, quasi vnus è populari turba, rusticam, pastoritiam, & in qua nihil agnoscebatur eximium: Alterum in Ionatha, cui pater cùm nihil obiicere posset ignobile, nisi seipsum turpitudinis vellet arguere, maternas obiicit sordes; & non illum Ionatham, sed *filium* appellat *mulieris vltrò rapientis virum.* Iuxta hanc consuetudinem Prophetæ dicuntur *filij hominum*; & Ierusalem Micheæ cap. 5. v. 1. *latronis* appellatur *filia.*

28. Vers.30. *Fili mulieris virum vltrò rapientis.*] Vt proximè ignominiæ causa vocauit Dauidem *filium Isai*, sic modò Ionatham vocat *filium mulieris vltrò rapientis virum*; quæ descriptio est fœminæ meretricis, & vagæ, quæ viros appetit, & illos ad prostituti corporis commercium inuitat. Quo significat, à sordibus maternis ipsi aliquid adhæsisse sordidum, & maternum potiùs in suis moribus expressisse, quàm paternum. Aut certè indicat, non se illum habere filiorum loco, sed ab aliquo nebulone, & diobolari homunculo ex adultera matre fuisse susceptum, & appellari debere, non Saulis, sed terræ filium; cùm ille, qui ex meretrice nascitur, & ea meretrice, quæ viros appetit, vt profundam exsaturet libidinem, non possit certum agnoscere parentem. Hic communis est; &, vt arbitror, germanus sensus. Alij aliter transferunt, nempe *mulieris rebellis*, contumacis, transfugæ. Sed omnia hæc licèt voce diuersa, in eundem tamen sensum modico discrimine consentiunt.

29. *Diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ.*] Suspicor Saulem, vt illa ferebat ætas, plures habuisse vxores, & plures item filios è diuersis. Sanè è Respha concubina duos à Saule susceptos esse filios habemus lib. 2. Reg. cap. 21. v. 8. Certum porrò est, matrem illam existimari gloriosam, cuius filio Regium, aut aliud quodque nomen illustre contigerit. Quod ostendit Salomonis regnum, quod tanto studio quæsiuit mater Bersabee; vnde illa quoque magnum inde nomen consecuta est. Exemplum habemus in profanis illustre, apud Tacitum lib. 14. Annal. vbi cùm Agrippina Neronis mater à Chaldæis accepisset, misèrè sibi pereundum, non alia quàm Neronis opera, si Nero filius imperio potiretur, respondit; non esse sibi vllam aut conseruandæ vitæ, aut mortis declinandæ curam, dummodò filium Imperatorem salutaret. Quare dum Saul Ionathæ, & illius matri, Dauide sospite, ignominiam denunciat, significat, nunquam ad illum venturum esse regnum, & ipsius matrem eo honore, qui à filio Rege prouenit, carituram; cùm casurus sit è regno primogenitus Ionathas, & alius ex alia siue vxore, siue pellice filius in regnum successurus; quod maiori matri futurum est dolori, atque ignominiæ.

30. Vers. 34. *Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris.*] Cùm eò patris iram progressam videret Ionathas, vt in filium quoque, quia Dauidis causam vsque adeò modestè tueretur, hastam coniiceret; desperata iam re, & ipse quoque ira succensus graui, erupit è conuiuio ieiunus, vt quod anteà promiserat, de rerum statu Dauidem admoneret. Egressus est igitur in agrum altero die à Calendis, in quo conficere ambulando poterat spatium supra sabbathinum, & ad vnum promissa compleuit; quæ ego nunc explicare supersedeo, quia obscura non sunt. Illud, *in ira furoris*, ex Hebræorum idiomate epitasim habet, & *iram* significat *ingentem.* Solent enim Hebræi geminato eiusdem significationis vocabulo, siue in eodem, siue in diuerso casu, magnum aliquid in quocumque genere significare. Sic Genes. 2. Adam formatus esse dicitur *de limo terræ*; id est, de limo purissimo. Psal. 39. vbi Vulgatus habet, *de luto fæcis.* Hebraicè *de luto cœni*; id est, copioso. Quo sensu in Psalmorum titulis sæpè ponitur *Canticum Psalmi*, & *Psalmus cantici*; quo, vt benè Genebrardus in titulo Psal. 107. præstantia talis Psalmi significetur. Sic nunc *ira furoris*, iram indicat grauem.

REGVLA. *Geminatum eiusdẽ significationis vocabulum cum epitaſi. Ira furoris ira grauis.*

31. Adoro, *idem sæpe quod reuereor.*

Vers. 41. *Et cadens pronus in terram adorauit tertiò.*] *Adorare* non significat id, quod Latini familiariter eo verbo significant; sed tantùm reuerentiam, quam homines his præstare solent, in quibus aliquid excellere arbitrantur; quæ obseruantia plerúmque fit inclinato corpore. Et ideò millies audis in Scriptura aliquos in terram cadentes adorasse. Fecit hoc autem tertiò Dauid, quia multa habuit, quæ in Ionatha laudaret, amarétque seu dignitatis ornamenta, seu charitatis officia. Nam primùm filius erat Regis, quo nomine aliquod illi debebat, & agnoscebat obsequium. Deinde vir erat, qui licèt à parente Rege nihil accepisset; à se tamen ipso habebat multa, quæ ipsi apud omnes obseruantiam conciliarent, & gratiam. Accedebat, quòd pro ipsius vita apud patrem toties laborauerat; & quòd eodem summo manè ad ipsum aduolarit. Eas igitur ob res pronus in terram adorauit tertiò, vt gratum se, & obseruantem ostenderet. Nam licèt amicitia pares faciat, quos impares inuenit; tamen multa à Ionatha beneficia acceperat, nulla retulerat; vel quia pro sua tenuitate non poterat, vel quia nulla se eatenùs obtulit occasio. Quare causas inuenit vir beneficiorum non immemor, vt pronum se tertiò in terram abiiceret, & largè de se meritum Ionatham adoraret.

32. *Et osculantes se alterutrum fleuerunt pariter; Dauid autem*

autem amplius.] *Oſculum* ſuperioribus ſæculis tum apud nationes alias, tum apud Hebræos maximè familiare fuit & primum beneuolentiæ ſignum, quod libabant alterutrum amici, aut cùm ſe primùm exciperent, aut cùm alter diſtraheretur ab altero. Quare id fecerunt duo hi amici maximi, quod ferebat patria conſuetudo: addiderunt autem lacrymas, quas non præſcripſit conſuetudo, ſed expreſſit dolor. Cùm verò vtrinque lacrymarum abundè profuſum eſſet, abundantiùs tamen fleuiſſe dicitur Dauid; quia plures erant illi dolendi cauſæ. Nam primùm videbat, cum Rege æquè potente, ac furioſo, & ſui ſanguinis ſitientiſſimo, futurum eſſe certamen, neque ſibi tutum fore in Iſraëliticis finibus, qui Sauli parebant, commorari. Videbat ſibi deſerendā eſſe patriam, atque cognatos, & ad externas regiones, ad quas non pertineret Saulis imperium, eſſe tranſmigrandum, à quibus etiam timere poſſet, cùm illas, aut illarum aliquas duris non ſemel plagis confeciſſet. Timebat præterea, ne quid ſua cauſa, licèt nulla ſua culpa paterentur fratres, & ſorores, & Pater Iſai extrema iam ſenectute confectus, cui ſciebat, quicquid foret reliquum ætatis, non futurum à metu, atque dolore vacuum. Videbat præterea viam illam, quam neceſſariò ſibi ſuſcipiendam putabat, eò tendere, vt quaſi ab Iſraelitico genere ſeparatus, cum Gentibus viueret, & in ſpecie vitā crederetur agere gentilicam. Hæc omnia religioſum virum, & amantem patriæ ſic afficiebant, vt non potuerit in ipſo à patria, & Ionatha diſceſſu continere lacrymas.

33. Verſ. 42. *Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace.*] Timebat Ionathas, ne exorto iam die, ab aliquo deprehenderetur Dauid, qui de illius fuga Sauli nunciaret; atque ideò vrget Dauidem, vt ſtatim ex eo loco ab omnium oculis aliquò ſe corripiat; precatus tamen illi pacem; id eſt, bonam fortunam, & ſucceſſum ex voto.

34. *Quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, &c.*] Petit Ionathas à Dauide pacti vt meminerit, quod ſempiternum iam antè eſſe voluerunt, tum inter ſe, dum viuerent, tum inter ipſorum poſteros; quod pactum iuramento firmatum eſſe dicit. Hoc pactum initum eſſe puto in hoc capite, licèt nulla in eo verba iuratoria Dauidis audiamus: ſed eſt veriſimile, in Ionathæ verba Dauidem quoque iuraſſe; nempe iuraſſe, facturum ſe, quod in ſuum genus Ionathas à Dauide fieri voluiſſet. Illud ſatis indicat, quod v. dicitur 16. *Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid.* In fœdere autem vtrinque promiſſum, vtrinque iuramentum præſtatur.

Illud hîc obſeruandum, hanc clauſulam imperfectam, & ſuſpēſam videri. Quod ideò factum exiſtimo, vt oſtendatur, quàm fuerit in ipſo diſceſſu Ionathæ animus ægre commotus, qui ſingultanti pectore non potuerit inchoatum abſoluere ſermonem. Quod in quocumque affectu, vbi paululùm fuerit concitatus, non in profanis ſolùm, ſed etiam in Sacris ſcriptoribus reperimus. Quare ad turbidos, ſeu ægros, aut ſubitos affectus exprimendos, inuenta eſt à Rhetoribus illa figura, quæ à Græcis ἀποσιώπησις: à Latinis *reticentia* vocatur. Vnde ſæpe audimus: *dij veſtram fidem*: & ſimilia. Eſt optimum exemplum apud Ouidium epiſt. 13. Laodamiæ, vbi cùm à Proteſilai amplexu diuelleretur, ait præ dolore non potuiſſe inchoatam orationem abſoluere.

Soluor ab amplexu, Proteſilae, tuo.
Linguáque mandatis verba imperfecta reliquit;
Vix illud potui dicere triſte; Vale.

Eodem modo diſcedens Ionathas imperfecta Dauidi mandata dedit; quia vis illi doloris intercluſo ſpiritu loquendi facultatem ademit. Huiuſmodi ſunt frequentes illæ locutiones: *Si Dauid mentiar; ſi introibunt in requiem meam; ſi dedero ſomnum oculis meis*; & ſimilia. His affine eſt in admiratione illud Pſal. 22. v. 8. *Calix meus inebrians*: nam illud, quod ſequitur, *quam præclarus eſt*, non eſt in Hebræo; ſed claritatis gratia additum eſt ab Interprete. Tale eſt, quod Chriſtus flens Lucæ 19. v. 42. dixit de Ieruſalem: *Si cognouiſſes & tu.*

IN CAP. XXI. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

DIGRESSVS à Ionatha Dauid peruenit Nobe, vbi tunc erat Tabernaculum, & in eo Sacerdos ſummus Achimelech, qui vbi primùm Dauidem, & ſolum, & inopinatò aduenientem aſpexit, ſtupore ex ipſa nouitate correptus; cauſam ſciſcitatur, cur ſolus, & repentinus accederet. Simulat ille, datum ſibi arduum à Rege negotium, quod quàm ocyſſimè tranſigi, & nemini notum eſſe oporteret. Cæterùm ſocios non longè ab illo loco ſubſtitiſſe, quos egere cibo docuit, cùm neceſſaria feſtinatio neceſſarium ad profectionem illam victum præparari non ſineret. Negat Sacerdos laicos eſſe, atque communes panes: illis autem, qui in ſacra menſa de more propoſiti fuerunt, non poſſe veſci, niſi mundos. Immundos negat eſſe Dauid ab vxorum congreſſu, neque quidquam obſtare, cùm neceſſitas ipſa ſalua religione impetrare poſſet panes à menſa ſublatos. Accepit item à Pontifice gladium, quem ipſe prius ablatum à Goliath in Tabernaculo poſuerat: accidit autem per quàm incommodè, vt eo tempore ſeruus quidam Idumæus, Saulis, nomine Doëg, in Tabernaculo lateret, qui magni poſteà incendij fax prima fuit. Cùm ergo Dauid in regionibus Sauli ſubiectis nihil putaret tutum à periculo, in regionem ſe contulit alienam, inter illos ratus commodiorem eſſe commorationem, quos tot affeciſſet incommodis, quàm inter eos, quibus ſaluti, & libertati fuerat. Cùm autem veniſſet ad Achis Regem Geth, qui inter Palæſtinos principes

erat

erat maximus, & statim esset cognitus, neque aliter putaret declinandum esse periculum; fatuum se, & amentem simulauit, quo artificio mortem, quæ iam iam impendere videbatur, effugit.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

1. VEnit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eo quòd veniſſet Dauid. Et dixit ei: Quare tu solus, & nullus est tecum?

2. Et ait Dauid ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illum & illum locum.

3. Nunc ergo siquid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inueneris.

4. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?

5. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.

6. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem; neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

7. Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul.

8. Dixit autem Dauid ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum: sermo enim regis vrgebat.

9. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle: neque enim hîc est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis, da mihi eum.

10. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul: & venit ad Achis regem Geth:

11. Dixerúntque serui Achis ad eum cùm vidissent Dauid: Numquid non iste est Dauid rex terræ? nónne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia?

12. Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth.

13. Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebántque saliuæ eius in barbam.

14. Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?

15. An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?

IN CAP. XXI. LIB. I. REGVM
COMMENTARII.

Vers. 1. *Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem.*]

1. CVm primùm Dauid à Ionatha discessit, solus sine victu, & gladio viam instituit ad illum locum, vbi tunc erat Tabernaculum, & qui illi præerat Achimelech Sacerdos, vt inde victum sumeret, & gladium. Eo autem tempore Tabernaculum erat in Nobe vrbe sacerdotali non procul à Gabaa, vnde profectus est Dauid, vt Saulis declinaret fanaticum furorem. Quando verò eò translatum fuerit Tabernaculum, non constat; est tamen verisimile, non diu postquàm capta fuit à Palæstinis Arca, vacuum iam ab Arca Tabernaculum mutasse antiquam sedem, & ex Silo, quæ erat in Ephraimitarum sorte, in Nobe, quæ ad Beniamin, seu Iudæ funiculum pertinebat, immigrasse. Quod neque diuturnam ibi sedem habuit; nam non longè post hæc tempora erat in Gabaon, quando nimirùm Dauid numerato populo grauem in populum pestilentiam inuexit. 1. Paralip. cap. 21. v. 29. *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon.* Durauit autem vsque ad tempora Salomonis, 2. Paralip. cap. 1. v. 3. *Abiit autem* (Salomon) *cum vniuersa multitudine in excelsum Gabaon, vbi erat Tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine.* Ex eo autem loco à Salomone in Templum translatum est, vt constat lib. 3. Reg. cap. 8. v. 4. Non disputo in præsentia pluribus, an hoc sit Tabernaculum illud, quod ædificatum esse dicitur in ciuitate Dauid lib. 2. Paralip. cap. 1. v. 4. Neque dubium esse potest, hoc Dauidicum Tabernaculum diuersum esse ab illo, quod à Moyse constructum est, quodque eo tempore erat in Gabaon, vt ex hoc ipso capite planè constat,

Tabernaculum varias sedes mutauit.

2.

Tabernaculum Dauidicum à Mosaico diuersum.

constat, in quo eodem tempore Tabernaculum Dauid in Ierusalem fuisse dicitur, & Tabernaculum Moysis in Gabaon. Porrò ad Tabernaculum, quod à Dauide Hierosolymis constructum est, confugerunt Adonias, 3. Reg. cap. 1. & Ioab cap. 2. quos ibi in regni sui exordio interfecit Salomon.

3. Ad hoc igitur Tabernaculum Moysis, quod erat in Nobe, appulit Dauid; quia rebus omnibus ad victum, vitamque necessariis indigebat, & à nullo melius, atque commodius, quàm à Sacerdote sibi non inimico postulandum putabat. Erat autem Achimelech pronepos Heli, ex familia Ithamar.

4. *Et obstupuit Achimelech, eo quod venisset Dauid: & dixit ei, quare tu solus?*] Miratus est Sacerdos, quòd eò vir tantus appulisset, distractus à Rege, cuius opera ipsi, ac regno magnos afferebat vsus, sine satellitio, aut vllo comitatu, qualis Chiliarchum, aut Regis generum decebat: non enim fieri posse videbatur, vt casus esset leuis, aut vulgare negotium, quod tantam adduxisset subitò rerum mutationem. Cuius interrogationi respondit Dauid, datum esse sibi à Rege negotium, quod neque moram pateretur, & oportere maximè omnibus esse celatum; neque se eò vsque venisse solum, sed socios condicto certis quibusdam locis esse relictos; & omnes sic esse ab vrbe raptim, festinatóque profectos, vt nihil ad viam necessarium attulerint. Quare magno sibi futurum esse beneficio, si aliquid sibi, ac sociis alimenti porrigat; vel saltem quinque panes, quot in domo vel instructa mediocriter abesse non solent.

5. Vers. 2. *In illum, & illum locum.*] Hebraicè est; *Peloni Almoni*: quod nihil significat certum, quod Latinus diceret, in certa quædam loca, quæ nosse tua non interest; aut in talem, & talem locum; aut in nescio quem locum: quæ voces accommodantur rebus, & personis. Cùm de personis est sermo, Hispanus sic explicat, *fulano y Zutano*. Egimus ea de re latiùs ad illud Dan. 8. v. 13. *Et dixit vnus sanctus alteri, nescio cui.*

Almoni, & Peloni quid, vnde vox hispanica fulano.

6. Vers. 4. *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum; si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?*] Optare se indicat Sacerdos Dauidi de victu, atque viatico cómodare; verùm nihil dicit sibi in præsentia suppetere præter panes propositionis, qui proximè, vt eorum loco recentes supponerentur, & calidi, sublati fuerant. Quos ea lege daturum se dicit, si qui illos comesturi sunt, maximè à nocturno concubitu mundi sint, cùm ab immundis panes illi sacri, sicut neque alia, quæ Deo sacrificata sunt, sumi non possint. Sanè capite præcedenti illam esse causam suspicabatur Saul, quominùs Dauid ad epulum venisset, quod in calendis instruxerat, quia ille pollutus esset, aut alias ob causas, aut quòd non abstinuerit ab vxorio congressu.

7. Sed est hoc difficile, quia Leuit. cap. 24. v. 9. non licebat aliis vesci panibus illis, nisi qui essent de familia Aaron. *Erúntque Aaron, & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo.* Et clariùs id docuit Christus Matth. 12. v. 5. *Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodò intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Disputant hæc Patres, & Interpretes ad hunc locum Matthæi, & Marci 2. Lucæ 6. Et communiter dicunt, quòd necessarium est, cùm id didicerint à Christo, propter necessitatem posse fieri multa, quæ sine illa non possent à culpa liberari. Quomodò vesci cibis à lege prohibitis, si aliter tibi pereundum est, aut graue aliquod detrimentum subeundum. Quare si nullus alius suppetat cibus à lege permissus, licebit sextis feriis carnibus vesci; & hominem, qui in te consilium mortis meditatur, occidere, si nulla alia se ostendat via, qua capitis periculum effugias. Hanc Christus rationem reddidit, cur Dauid, cùm Sacerdos non esset, & eius socij sacerdotali vesci pane potuerint; & sacerdoti panes, qui de propositionis mensa sublati fuerant, esurienti porrigere licuerit. Quod etiam facere potuisset, etiamsi immundi forent, vrgente fame, seu vitæ periculo; quale tunc Dauidi à Saule paratum videbatur, nisi quantocyùs se ex illius regno, & hominum conspectu subduceret. Ita communiter doctores. Vide Toletum in Lucam cap. 6. Salmeronem tomo 8. tract. 14. De hac re latè Abulensis q. 8. Plura Scholastici in materia de legibus.

Panibus propositionis, quibus vesci permissum.

Propter necessitatem fieri multa possunt, quæ sine illa non liceret.

8.

Matth. 12.

9. Est prætereà difficultas grauis, quia si textum capitis attentè consideres, non apparet Dauidem in illa fuga habuisse socios, & multò minùs illis datos esse sacros è propositione panes. At contrarium videtur omninò docuisse Christus Matth. 12. Marci 2. Lucæ 6. qui hæc Christi verba refert: *Non hoc legistis, quod fecit Dauid, cùm esuriisset ipse, & qui cum illo erant? Quomodò intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit eis, qui cum ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantùm sacerdotibus?* Varij hîc proponuntur dicendi modi.

10. Lyra putat Dauidem non venisse solum, sed cum tribus, quatuorve sociis, qui pro tanti viri dignitate, cùm Chiliarchus esset, & gener Regis, exiguus videbatur. Idem tenent Dionysius, & Hugo, imò & Athanasius hom. de semente, Abulensis q. 3. Pro quorum sententia est, quia iuxta quotidiani sermonis vsum, cùm pauci ex magno numero supersunt, omnes sublati, aut non adfuisse dicuntur; aut quod idem est, superesse, aut adfuisse nullum. Ieiunum dicimus illum, qui modico cibo ieiunium soluit; nudum, qui malè vestitus est. Cùm ergo Dauid multorum antè cœtu stipatus incederet, solus vocari potuit, cùm duos, tresve seruulos secum adduxit. Sed sanè hanc sententiam Lyræ multa conuellunt. Primùm, quia Dauid ad Ionathæ consilium solus latuit, & magno artificio sibi cauit, ne vllus illius fugam intelligeret. Deinde, quia ex Nobe solus in terram Philistinorum ingressus est. Prætereà, quia non est verisimile, si potestas esset adducendi seruos, illos ita venturos ab alimento vacuos, vt illud pro se, ac seruis Dauid ab aliis emendicare cogeretur. Imò fuisset multò æquius, & occultandæ fugæ magis opportunum, si non à Dauide, cuius erat occultanda fuga, sed à seruis quocumque modo panis quæreretur.

Dauid an solus venit in tabernaculum Nobe.

Solus dicitur, qui non satis pro dignitate stipatus.

11. Alij credunt, neque comedisse vllos Dauidis socios panem, imò neque vllos fuisse, qui comederent, sed omninò Dauidem venisse solum. Ita communiter Hebræi; neque id mirum, cùm illi neque Euangelium habeant, neque de illius fide, ac sanctitate curent. Sed tenent ex iunioribus Iansenius cap. 37. Concordiæ, neque displicet Salmeroni tomo 8. tract. 14. Neque putant hanc expositionem vrgeri valde Christi testimonio. Id enim agebat Christus, vt discipulos, qui spicas in sabbatho manu confricabant, à temerata sabbathi religione defenderet; quia fieri multa sanctè, pre-

mente

mente necessitate, possunt, quæ absque illa nefas esset, tentare. Ad hoc autem parùm intererat, Dauidem, & socios comedisse sanctificatos panes, cùm satis esset illos esse petitos à Dauide, & à summo Sacerdote porrectos; quod neuter faceret, si in petitione, aut porrectione vllum putarent intercedere potuisse flagitium. Et facit pro horum cogitatione, quod à quotidiano loquendi modo non abhorret, id dici fieri, quod fieri à consuetudine, seu religione permittitur; aut aliqua est, vt illud fieri possit, physica facultas. Quo modò diceret Carthusianus monachus: *Ego non comedo carnes*, quia nulla illi conceditur à lege, & voto carnes comedendi facultas. Et qui sic affectus est stomacho, vt hæc, aut illa eduliorum genera fastidiat, hoc communiter modo stomachi sui infirmitatem, & fastidium significat: *Ego hæc non comedo.* Sic sanè B. Virgo dixit, Lucæ cap. 1. *Ego virum non cognosco*, quia voto sibi cognoscendi viri facultatem ademerat. Sic ergo Dauid mãducasse dicitur, & dedisse eis, qui secum erant, panes è sacra mensa sublatos, quia & ipse comedere potuit, & sociis suis sine vlla culpa comedendos porrigere. Quo modo Rex si facultatẽ habeat comedendi carnes in sextis feriis, quadragesimalibúsve ieiuniis, & illas etiam filiis, aut aliis, quos ad Regiam mensam inuitauerit, impertiendi, optimè de illo diceretur: *Rex carnes comedit, & suis filiis, aut inuitatis porrigit.* Hæc ratio facit, vt hæc sententia sic explicata non omninò improbabilis videri debeat.

REGVLA. *Id fieri dicitur, quod vt fiat lex, aut religio permittit.*

13. Veruntamen dicendum esse puto, seruos quoque Dauidis panes comedisse; quod Christus indicat, aut potiùs apertè docet: & tamen neque cum Dauide ingressos esse Tabernaculum, neque socios illi fugæ fuisse; quod indicat, imò & fateri cogit caput istud. Quòd comederint, docent omnes penè, quotquot in Matthæum, & Euangelistas alios Commentarios ediderunt. Ita Hieronymus, & S. Thomas in Matth. Hilarius, Athanasius homil. de semente, Ambrosius, Toletus in Lucam, Maldonatus in Matthæum, & quotquot suprà diximus sensisse, Dauidem cum paucis ingressum esse Tabernaculum. Quòd autem nemo cum Dauide profectus fuerit, ingressúsque Tabernaculum, vt suprà ostendimus, neque vllus dubitare potest, nisi textui, ac sibi ipsi vim afferre velit.

14. Quomodò autem hæc duo, quæ non bene sibi cohærere videntur, componi possint, explorandum est. Et primùm placet, quod hoc loco meditatur Abulensis q. 5. nempè aduocatos à Ionatha aliquos seruos Dauid, in quibus plus fidei, & in dominum amoris inuenisset, & ab eo edoctos fugisse Dauidem, quò Saulis furorem declinaret, & quem in locum fugam, atque perfugium destinasset (neque enim credibile est id Ionathæ à Dauide fuisse celatum) vt eò profecti amici, atque fideles serui, Dauidi sedulam, ac fidelem operam præstarent, curaréntque, ne aut in vrbibus, aut in solitudine ad vitam vtcúmque tolerandam necessaria deessent. Cùm autem oneratus panibus egrederetur è Tabernaculo Dauid, illos inuenit, defessos fortasse, neque minùs, quàm ipsorum dominus, fame laborantes; vt qui studio assequendi, & comitandi domini sui nihil sibi alimenti parauerant. Illorum ergo famem sumptis è Tabernaculo panibus leuauit. Quod Christus ipse significasse videtur Lucæ cap. 6. dum ait de Dauide: *Panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit eis, qui cum ipso erant.* Hæc mihi videntur non difficilia, & satis consentanea & amori, quo serui A prosequebantur Dauidem, & rerum angustiis, in quas illum potentissimi, ac furiosissimi Regis inuidia compulerat.

15. At dices, si seruos secum habuit Dauid, quomodò solus in terra Palæstinorum inuentus? Quomodò seruulorum in illa fuga nullus auditus? Respondeo, non visum esse Dauidi satis tutum, in hostili terra comitatum habere è peregrina gente, cùm eam ob causam, quod maximè studebat, latere non posset. Quare illos, vnde egressi fuerant, redire iussit, vt apud Saulem suam, si opus esset, causam tuerentur, & quid rerum fieret, frequenter admonerent. Neque fortasse Ionathas Dauidis seruos subsecuturos dominum curaret, si sciret illum apud hostem statuisse diuertere. Tantùm enim fortasse nouerat, velle Dauidem adire Tabernaculum, vt consuleret Dominum, & ab illo disceret, quid esset opus facto: de Palæstina verò nihil fortasse cogitarat. Hoc modo conciliari posse videntur, quæ aliter existimari possunt non satis aptè consentire. Sic ego coniectabam; si quis, quod non dubito, aliquid attulerit melius, gratus amplectar.

16. Vers. 5. *Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.*] Quæ de omnibus videtur affirmasse Dauid, illa de se ipso asserere potuit quàm verissimè. Ex quo enim egressus è Gabaa, & statuit non iam ampliùs subeundum Regis aspectum, abstinuit sese ab vxoris consuetudine: & vt vidimus, ad lapidem Ezel biduò ab omni consortio separatus delituit; altero deinde; id est, tertio die, vt minimùm, ad Sacerdotem peruenit. Quare ex hac parte nulla fuerat contracta labes, quæ sacri panis esum impediret. Vasa autem sunt corpora, quæ sancta dicuntur ea sanctitate, quam in comedentium membris sacrificia requirunt. Quidam ex Hebræis alia agnoscunt vasa, illa videlicet, quæ panes excipiunt è Sacerdotis manu; qualia sunt canistra, & phialæ; aut etiam vestes puræ, & sine labe. Sed hæ meræ nugæ sunt, neque in illis confutandis aliquid nobis operæ aut ponendum, aut perdendum est.

17. *Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.*] Hæc verba obscura sunt, & quæ in varias explicationes abduxerunt Interpretum ingenia. Hieronymus sic ex Hebræorum sententia, in eorum traditionibus: *Quod verò ait, porrò via hæc polluta est: & in Hebræo legitur, porro via hæc laica est, sic est intelligendum: Via hæc laica est; ac si diceret, in lege præceptum est, ne extraneus comedat ex eis, & tu interrogas, vtrùm mundi sint pueri, qui etiamsi mundi essent, nequaquam eis vesci deberent. Idcircò via hæc est laica, quia tu laicaliter interrogas. Quod verò sequitur; sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis meis, ipsa vtique in vasis; id est, in mente sua sanctificari dicitur, quia necessitate corporis, & periculo vitæ vrgente, nequaquam vesceretur eis.* Hæc Hieronymus ex Hebræis. Longè aliter Theodoretus: *Cùm rogaret*, inquit, *Sacerdos, an illo die castus esset, dixit, tres dies fuisse castum. Et adiecit, propter viam propositam necessariò erit particeps sacri alimenti, vt ab eo roboratus, quæ sunt ei proposita, rectè gerat.* Abulensis q. 16. *Si quæris de immunditia, manifestum est, quòd in via ista nos contraximus aliquas immunditias, sed sanctificabitur hodie in vasis nostris. Id est, panis iste erit sanctus in vasis nostris; id est, corporibus, quia non contrahet immunditiam propter nos, qui immundi sumus, quia necessitas excusabit nos ab omni immunditia, & ita esset, sicut si comederetur iste panis à mundis.* Hæ sunt præcipuæ

Interpre

Interpretum ſententiæ. Ego quid hîc aut probem, aut coniectem, paucis exponam.

18. *Via multiplex ſignificatio.* Et primùm obſeruo *viam* apud Hebræos patere latiſſimè; modò enim vitæ rationem, aut in re gerenda modum, aut circuſtantiam ſignificat; modò conſuetudinem, & opera; denique idem penè quod *res*. Quare via polluta appellari poteſt ipſe panis ſacer; aut modus petendi, quo Dauid eſt vſus, aut interrogãdi, quem Sacerdos adhibuit; aut certè Dauidis inſtitutum militare; aut certè negotium, quod tum adminiſtrandũ à Saule ſuſceperat. Obſeruo ſecundò, *vas* aliquando ſumi pro corpore. 1. ad Theſſal. 4. v. 4. *Vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore.*

19. Quod ad viam attinet, quocunque accipias modo, explicatio adhiberi poteſt non difficilis. Si *via* ſit panis ipſe eo modo ſacer, quia ante Deum aliquandiu propoſitus, ſenſus eſt, panis iſte ſacer in hac neceſſitate, quam modò patior; & quia ſi aliquid intercedat moræ, nõ leue imminet ſuſceptæ profectioni periculum; perinde habendus eſt, atque ſi pollutus foret, & laicus, ſeu profanus panis. Solet autem apud Hebræos nota omitti ſimilitudinis, vt alibi à nobis ſæpiùs obſeruatum eſt. Sic igitur accipe. Panis iſte, quia excipiendus eſt in vaſis; id eſt, in corporibus famelicis, quaſi profanus exiſtimatur, neque in illis, etiamſi ſanctus ſit, vllo modo polluetur. Id enim valet, ſanctificabitur in vaſis, vt dicemus poſteà.

20. Poteſt item *via* ſumi pro petendi modo, quo vſus eſt Dauid, quia ſic petiit propoſitionis panes, quaſi laici forent, aut profani: aut pro interrogatione Sacerdotis, qua ſcire cupit, an mundi fuerint Dauid, & eius ſocij, quaſi à laicis etiam mundis comedi potuerint. Tunc autem hic erit ſenſus: Hæc via polluta eſt, quia panes hoſce ſacros ita petit, aut largitur, atque ſi laici forent; veruntamen in vaſis noſtris non polluentur.

21. *Via* etiam appellari poteſt, aut negotium, quod ſibi à Saule mandatum ſimularat Dauid; aut certè inſtitutum militare, quod profitebatur: vtrumque immunditiæ legali contrahendæ ſatis erat obnoxium. Quare dicit Dauid, viam illam, nempe militarem, quæ ſanguinem meditatur, & cædem, pollutam; id eſt, eiuſmodi vt facilè pollui poſſit; imò quæ rarò poſſit eſſe non polluta: verùm eum eſſe ſtatum vrgente fame, atque periculo, vt impolluta cenſeri poſſit, & ſancta. Hæc explicatio iam olim mihi valdè placuerat, & nunc omnium, quas hucuſque adduxi, maximè placet. Addam tamen extremam, quæ alicui fortaſſe non diſplicebit, & in qua minùs mihi ipſe diſpliceo.

22. Statuerat Dauid non ampliùs ſibi cum Iſraelitis eſſe viuendum, dũ in viuis ageret Saul, à quo non ſine cauſa metuebat omnia, neque ſperabat in eius ditione aliquem fore locum vacuum à periculo. Quocircà proficiſcebatur ad Palæſtinos, quibuſcum quaſi alienus ab Iſraelitico genere, & profeſſione viueret; cùm tamen verus eſſet Iſraelita, & nemo illo meliùs, atque conſtantiùs Iſraelitarum leges, & ſacra ſeruaret. Ait ergo Dauid viam, quam ipſe inſtituiſſet, de qua tamen nihil ad Sacerdotem, eſſe pollutam, quia tẽdebat ad Palæſtinos, vbi ipſe ſpeciem præ ſe ferret, quaſi ab Hebræis ſacris eſſet alienus: externis autem non licebat oblatis Deo veſci ſacrificiis, quomodò ſuprà ex Hebræorũ traditione referebat Hieronymus. Eſt ergo ſenſus; via hæc polluta eſt, ſi ſpeciem tantùm externam conſideres; tamen vaſa ſancta ſunt, quia perſona, quæ verã colit religionẽ, longè eſt, vt alienæ adhæreat diſciplinæ; & alioqui is vr-

A get neceſſitatis articulus, vt à profano, & laico ſacer iſte panis ſumi poſſit.

Sed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.] Propriè panis, aut quicquid *viæ* nomine ſignificari diximus, non ſanctificatur *in vaſis*; id eſt, in comedẽtium ſtomachis, quia iam panis ex Dei conſpectu, antè quàm fuerat antè compoſitus, ſanctitatẽ acceperat. Dicitur autem ſanctificari, quia non polluitur, aut fit profanus, iuxta Hebræorum conſuetudinem, apud quos illud dicitur aliquid accipere, quod non amittit. Sic ille dicitur viuificatus à latrone, vel hoſte, qui ab illorum alterutro interfectus non eſt. Infrà cap. 27. *Virum, & mulierem non viuificabat Dauid*: id eſt, omnes occidebat. Et 2. Reg. 8. *Menſus eſt Dauid duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*: Id eſt, diffiniuit B Dauid, quinam eſſent vel occidendi, vel ſeruandi. Actor. cap. 7. *Afflixit patres noſtros, vt exponerent infantes ſuos, ne viuificarentur*, id eſt, ne ſeruarẽtur. Sic etiam ſanctificari dicuntur in vaſis panes illi ſacri, qui ibi non amittunt; aut quod idem eſt, non polluuntur, quia fames, & neceſſitas profanis alioqui vaſis ſanctitatem conciliat.

Hîc occurrit difficile dubium, in quo, qui Cõmentarios ediderunt in Marcum, non modicè laborant. Nam qui hoc loco vocatur Achimelec, Marci cap. 2. vocatur Abiathar. Sic enim ibi Chriſtus: *Nunquam legiſtis, quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant, quomodò intrauit in domum Dei ſub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propoſitionis manducauit?* Varij ſunt huius nodi ſoluendi modi. Ille pluribus communiter probatur, qui meditatur patrem, & filium, Achimelec videlicet, & Abiathar, eſſe binomios; atque ideò modò vocari *Abiathar*, vt Marci 2. cap. modò *Achimelec*, vt hoc loco. Ita tenent Ianſenius, cap. 37. Concord. Toletus in cap. 6. Lucæ not. 5. Salmeron tom. 8. tract. 14. Quod ex eo fit veriſimile; nam 1. Paralip. cap. 15. v. 11. Dauide regnante, Sadoc, & Abiathar dicuntur eſſe Sacerdotes. Et cap. 18. v. 16. hoc idem dicitur de Sadoc, & Achimelec. Item 2. Reg. cap. 8. v. 17. vbi Achimelec dicitur eſſe filius Abiathar. Sicut etiam 1. Reg. c. 23. v. 20. Abiathar filius eſſe dicitur Achimelec. Multos autem in Scriptura ſacra fuiſſe binomios, res eſt ſatis nota. Et qui Achimelec pater vocatus dicitur *Abiathar*, idem etiam cap. ſequenti v. 9. filius vocatur *Achitob*.

Verſ. 6. *Dedit ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem.*] Cùm noſſet Sacerdos in eo articulo ſanctificatos panes à laicis ſumi poſſe, dedit illi neque inuitus, neque diu moratus. Qui ſint *Panes propoſitionis*, qua religione ſacri, quo pondere, ac mole, habes Leuit. c. 24. v. 15. & apud Ioſephum lib. 3. Antiq. c. 10. Neque enim mihi otium eſt, aut neceſſitas de hoc ſacrificio plura diſputandi. Tantùm dico, duodecim eſſe panes, iuxta numerum filiorum Iſrael, haberéque ſingulos duas decimas Ephi, quæ eſt decima pars cori: cùm autem corus triginta capiat modios, fit, vt benè Ribera computat, vt ſinguli panes pondus habeant fermè librarum octo. Hi porrò panes cùm in menſa proponerentur die E ſabbathi, eodem die poſt dies ſeptem tollebantur, & in vſum cedebant Sacerdotum, & eorum loco alij ſuccedebant recentes, & calidi.

Verſ. 7. *Erat autem ibi vir quidam de ſeruis Saul in die illa intùs in Tabernaculo Domini, & nomen eius Doeg Idumæus.*] Licèt omne ſtudium, atque artificium adhibuerit Dauid, ne cui conſilium ſuum, & fugam proderet; euitare tamen non potuit, quominùs Doeg quidam Idumæus, qui Sauli

REGVLA. *Id aliquis accepiſſe dicitur, quod non amiſit, & illud dediſſe quod nõ abſtulit.*

Achimelec, & Abiathar binomines.

Panes propoſitionis qui, & quo pondere.

Regi operam nauabat pastoritiam, quique pastorum omnium præfectus erat,& princeps,& illum videret, & quid tunc rerum fieret, obseruaret. Erat autem intra Tabernaculum, siue vt solueret votum pro salute, aut secundo aliquo rerum euentu antè conceptum. Quod putant Hebræi, vt docet in eorum traditionibus Hieronymus,& Petrus Comestor. Siue, vt volunt alij cùm Theodoreto q.53. quia vexabatur à Dæmone, aut tenebatur aliquo morbo, propter quod assiduus erat in Tabernaculo. De hoc Doeg multa fabulatur Hebræi. Primùm, huius consilio abductum esse Dauidem à pascuis,& inductum in aulam, vt à furioso Rege, quem haberet familiarem,& proximum, occideretur. Qua de re nos suprà cap. 16. ad illud: *Ecce vidi filium Isai.* Deinde dicunt, vt refert item Hieronymus ex Hebræorum traditionibus, hunc Doeg fuisse illum Saulis armigerum, qui noluit esse Regi suo superstes, atque ideò exemplum domini secutus, in suum gladium moribundus incubuit. Sed hoc æquè, atque illud fabulosum est.

Quid de Doeg Idumæo Hebræi.

27. Dicunt prætereà Hebræi, ex quibus sine dubio sumpsit Pseudo-Philo in Antiquitatibus Biblicis, Sacerdotes, qui tunc morabantur in Nobe ciuitate sacerdotali, vitam tunc egisse longè à Sacerdotum moribus alienam, qui neque pudori parcerent, neque vllam suæ dignitatis, ac nominis rationem haberent, neque aliter viuerent, quàm olim filij Heli: & ideò illos à Saule iubente, & à Doeg delatore,& vindice, fuisse sublatos, & hoc Deo iubente. Sed ista mera sunt Hebræorũ sõnia.

Quid de sacerdotibus à Saule occisis Hebræi.

28. Vers. 8. *Quia gladium meum,& arma mea non tuli mecum.*] Ex quo Dauid fuit ab vxore per fenestrã emissus, quo tempore, quia periculũ vrgebat, neque cum gladio cõmodè exilire poterat, gladium secum afferre non potuit; quia ex eo tempore tãtùm fuit cum Samuele, & pacifico prophetantium choro; neque deinde vllum habuit, à quo ferrum acciperet. Cùm verò parùm se tutum fore existimaret, si inermis incederet, gladium sibi, aut hastam à Sacerdote præberi voluit. Cúmque nullum Sacerdos gladium haberet præter illum, quem Dauid ipse non multò antè in Tabernaculo posuerat, vt extaret ibi tantæ victoriæ illustre monumentum, illum Dauidi tradidit, quem ille lubens, & gratus accepit; quia ad obuios quosque casus erat opportunus, & qui Dauidis lacertis tanquam habile instrumentum versari posset. Ex quo duo obseruo: Alterum est, robusto, atque procero corpore fuisse Dauidem, cui neque inutilis, neque inhabilis fuit gladius ille, quem Giganteæ molis Goliath antè gestauerat. Neque Saul, qui ab humero,& sursum supra reliquos extabat, sua illi tradidisset arma, nisi corpore esset etiam procero, cui illa conuenienter insiderent. Vnde etiam colligo, ætate magis esse prouectum, quàm magni etiam Interpretes communiter accipiunt. Qua de re nos pluribus suprà cap. 13. vbi de Saulis regno,& Dauidis ætate satis multa produximus. Sanè Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 13. Ionatham ætate minorem dicit esse Dauide; qui tamen, antequàm Dauid cum Gigante confligeret, iam erat Chiliarchus,& multa per se ipsum præclarè gesserat, quæ non nisi à robusta, & confirmata ætate sperari poterant. Sic autem ibi Ambrosius. *Dauid, cùm esset prudentior, Ionathæ tamen iunioris consiliis acquiescebat.*

Dauid robusto, atque procero corpore.

29. Alterum est, non perire nobis, quæ Deo dicata sunt, sed tunc nobis à Deo siue reseruari, siue restitui, quando maiori, imò & necessario nobis vsui futura sunt. Habuit Dauid, vtpotè præclarus dux, & multorum militum præfectus, armorum domi plus fortasse satis, quæ ex inimicorum acie sæpè cõcisa referre potuit; sed in graui hac necessitate nullum illi præbuerunt vsum: imò illa Saulẽ inimicum armarunt,& illos, quos Rex ille inimicus, & barbarus secum tulit, cùm ad necem Dauidem tam ardenter expeteret. Plus Dauidi attulit gladius dicatus Deo, quàm si ille cum aliis domi, aut in armamentario profano ad bellicos vsus seruaretur; imò quàm arma alia, quæ ipse aut ab aliis acceperat oblata, aut magno sibi studio, laboréque quæsierat. Inermis enim incederet in solitudine, vbi & leones occurrerent, & vrsi; homines item aduersarij, qui nihilò sunt leonibus, atque vrsis mitiores; nisi Deus oblatum sibi gladium in angusto illo rerum articulo reddidisset.

Quæ Deo dicamus maiori nobis vsui sunt, quàm quæ nobis retinemus.

Dubitãt hîc aliqui, an gladius ille dicatus Deo fuerit in Tabernaculo, vel tantùm ibi ad tempus repositus, vt inde, cùm vsus, aut necessitas posceret, repeteretur. Athanasius in custodiã dicit datũ Achimelec: idem putat hîc Lyra; quia si consecratus esset Domino, non posset ad profanos vsus posteà conuerti. Cuius rationem optimè confutat Abulensis q. 21. Et quidem magis erant sacri panes propositionis, quorum vsum lex, vbi sublati fuissent de mensa, tantùm permisit Sacerdotibus: at in necessitate porrecti sunt Dauidi; quod neque alienum à religione putauit Sacerdos,& probauit Christus legis illius Interpres optimus, & auctor. Quod nemo in lege Noua condemnaret, quando in graui necessitate conflari possunt sacra vasa,& ad pauperum leuandam inopiam religiosè conferri. Est ea de re pulcher locus apud Ambrosium lib. 2. de officiis cap. 28. qui citatur 12. q. 2. cap. *Aurum.* vbi docet, in graui aliqua necessitate, vbi pauperum salus, aut vita laborat, licere vasa etiam initiata conflare, confringere, vendere. Qualis sine dubio fuit Dauidis, cùm nullum haberet locum ab hoste, seu à periculo vacuum. Idem statuit Iustinianus l. *sancimus* 17. c. de sacrosancta Eccles.

30. *In necessitate, quæ sacra sunt, ad vsus non sacros cõuerti possunt.*

Non est huic alter similis.] Placet quod Abulẽsis putat, gladium Goliaih ita probari Dauidi, vt si multi essent alij, illum præferret omnibus. Ex quo anteà colligebam, quantum inesset Dauidi proceritatis,& roboris.

31. Vers. 10. *Surrexit itaque Dauid,& fugit in illa die à facie Saul,& venit ad Achis Regem Geth.*] Cùm iã antè se Dauid à facie Saulis subduxisset, cur nunc dicitur fugisse à facie Saul? Respondeo, quia sicut Rex multas dicitur habere manus, quia vbicúmque locorum ministros habet, quorũ manibus ad omnia, quæ animo collibuerint, vtitur pro suis: ita etiam vbique dicitur esse præsens, quia seruorum vbicumque sunt oculi, qui oculi censentur esse Regis, per quos vbique præsens est, quia per illos oculos, quos habet pro suis, omnia speculatur. De Regum manibus, quæ totum regnum amplectuntur, & cohibent, est illud Ouidij in epistola Helenæ.

Rex in toto regno præsẽs existimatur.

Sic meus hinc vir abest, vt me custodiat absens:
An nescis longas Regibus esse manus?

32. Quòd autem Reges multos habeãt oculos, multas aures, ita vt quæcunque dicuntur, ac fiunt, videãt, atque audiant, atque ideò nullibi non sint præsentes, probat ille loquendi modus, quòd qui exploratum mittuntur ab Imperatore, oculi vocantur Imperatoris; vrbium præfecti, consiliarij, & iudices, oculi Regis. Sanè apud Persas magistratus erant, qui dicebantur *oculi Regis.* Vide Hæsychium in voce βασιλέως ὀφθαλμὸς: & Suidam in

Quidã ferri dicuntur oculi, aures, & manus illius.

in voce ὀφθαλμὸς βασιλέως. Et alij, qui dicebantur ὦλαι καισαρὸς: siue βασιλέως ὦλαι: id est, *Regis aures.* Vnde prouerbium: ὦλαι καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέων πολλοί: id est, *Regum multæ sunt aures, & oculi.* Iure igitur Dauid, cùm egressus est è regno Saul, & ad alienum Palæstinorum regnum commigrauit, à Saulis facie fugisse dicitur; quia vbicumque foret in Israelis regno, Saulis occurrerent aures, oculi, manus, & omninò quædam Saulis torua, & inimica facies.

33. *Et venit ad Achis Regẽ Geth.*] Hic *Achis* à multis existimatur esse binomius, & simul appellatus *Achimelec.* Quod ideo sibi persuadẽt, quia id non obscurè indicat Titulus ps. 33. qui sic habet: *Dauidi, dum immutauit vultum suum coram Achimelec.* Quod statim v. 13. fecisse dicit coram Achis. Consilium autẽ sumpsit Dauid temeritatis prorsùs, & audaciæ plenum, quod non nisi necessitas dira vendicare posset ab amentia; si humanæ tantùm prudentiæ momenta consideres. Ingressus est in regionem illam, quam multis anteà incommodis attriuerat, quam insigni nuper affecerat contumelia, cùm ducenta Philisthinorum præputia circumcidit, quæ dotis nomine Sauli numerauit. Neque ignotus esse poterat, quem gens illa tam feliciter, ac sæpè non sine stupore dimicantem viderat. Adde, quòd si apud Palæstinos latere voluit, & ab illis aliquam inire gratiam, sicut antè fecit; at sibi maximè à Gethæis cauere debuit, quorum interfecerat Principem, & columen: & vbi non deerant cognati, & amici, qui illius mortem vlciscerentur auidè, & quam à Dauidis manu ignominiam acceperant, in Dauidis capite expiãdam putarẽt. Illud præterea non videtur sani esse consilij, gestasse ad Gethæos contribulis sui mortis insigne monumentum, & pij, vt ipsi crederent, irritamentum furoris. Cui enim ignotum esse poterat Goliath esse gladium, quem gestabat Dauid, cùm propter magnitudinem, & formam, omnes sæpè cum admiratione essent cõtemplati? Et quis tam esset immemor aut amici nuper interempti, aut patriæ gloriæ, qui hostẽ viuere, aut abire pateretur incolumem, quem suorum spoliis accinctum, & ornatum viderent? Sanè ex hominum sensu Virgilius lib. 12. Æneid. hominem inducit natura pium, qui cùm iam ad misericordiam flecteretur, & manum suspenderet ab inferenda plaga; tamen cùm in hoste vidit Pallantis spolium, sic exarsit subitò, vt omnem prorsus misericordiam exueret.

----- Stetit acer in armis
Æneas voluens oculos, dextrámque repressit.
Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Strauerat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquàm sæui monimenta doloris,
Exuuiasque hausit furiis incensus, & ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

34. Abulẽsis excusare conatur Dauidem, quod sanè facit piè; maximè, si quod explorabimus posteà capite 23. per Sacerdotem consuluit Deum: sed aut non consuluit, quod est non improbabile; aut certè consultus Deus non respondit. Neque enim successus fuit eiusmodi, vt illius author Deus videri possit; maximè cùm statim capite sequenti v. 5. Deus Dauidem per Prophetam Gad admonuerit, vt in terram Iuda reuerteretur. Rationes Abulensis vide q. 23. & 24. Qua de re nos capite sequenti pluribus. Ego vnam esse puto necessitatem, quæ interdum homines plenum desperationis consilium amplecti cogit, & minorum hostium ambire præsidium; quod etiam in feris obseruamus. Fugit ad Achis, qui non tam illum, quàm Saulem timebat, apud quem sperabat se aliquandiu latere posse; cuius maluit, si quid accideret aduersum, perire manibus, quàm Regis Israel, sicut præcedenti capite dixerat v. 8. Ionathæ: *Tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Deinde occultare potuit gladium, ne quisquam Gethæorum agnosceret; & cùm aliæ finitimæ nationes Sauli eo tempore non essent infensæ, in quibus multos esse Israelitarum oportuit, quibus Dauid ignotus esse non poterat, tutiùs esse putabat apud Palæstinos potiùs, quàm apud alios commorari. Sic à necessario Dauid ab insani consilij suspicione defenditur.

Vers. 13. *Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum.*] Vix dum Dauid pedem in vrbe posuerat, cùm cognitus fuit à Gethæis, qui optimè norant, quo loco esset apud Hebræos, & quod de se à virginum choris epinicium audierit. Cúmque id secum obmurmurarent, neque ita obscurè, aut tacitè, vt non illud audiisset Dauid; consilium subitò sumpsit, licèt minùs decorum, maximè tamen opportunum. Finxit enim se excidisse à mente; quod facilè ex eo sibi persuadere potuerunt hostes, quia non putabant hominem, qui tanto in loco, ac gloria inter suos fuisset, venturum esse solum in eum locum, quem multis sibi modis infensum reddiderat. Ergo quia illud consilium in illis rerum angustiis vnicum videbat, omnia in seipso edidit amentiæ, atque furoris argumenta. Immutauit enim faciem suam, distorsit os, crebro, atque multiplici coniectu vibrauit oculos, spumas agebat in ore, & quod stupidi est ingenij, saliuam indecorè, ac rusticè ex labiis effluere sinebat. Hæc amentis hominis argumenta sunt. Addidit etiam alia; nam inter manus illorum, qui comprehensum illum ducebant ad Achis, collabebatur, quasi pedibus nesciret, aut non posset incedere: aut certè labebatur mente, cùm ea diceret in via, quæ non nisi ab insanis, & temulentis audiri solent. Vbi Vulgatus *collabebatur*, Hebraicè est ותחילל *ytholel.* Quod non tam casus, qui est à corpore, quàm qui est ab animo significat, vt exponunt Interpretum non pauci. Et quidem חלל *halal*, in hithpael hanc sæpè significationem habet. Sic exponit Chaldæus, sic Septuaginta, qui legunt παρεφέρετο, quæ vox sæpe errorem indicat animi, & mentis excessum delirantis. Sic exponunt translationes nouæ, Tigurina, & Pagnini, & antiqua Hispanica olim à Iudæis ex Hebræo conuersa.

Hominis amẽtis signa.

Et impingebat in ostia portæ.] *Impingo* duo importat, alterum propriè, alterum figuratè. Figuratè est *cadere, collabi, offendere*, sicut faciunt, qui vertigine, aut ebrietate laborant; aut qui cæci errant, & vacillante gressu, si quod se offendiculum obiiciat, ridiculè labuntur. Propriè verò, aut lineas ducere, literas formare, rerum imagines seu calamo, seu penicillo describere. In priori significatione videtur sumpsisse Vulgatus Interpres, dum reddidit, *impingebat.* Nam hæc apud Latinos magis est nota, atque vsitata significatio; imò, vt arbitror, sola; neque enim video à *pingo* illud verbum componi, sed à *pango.* Et ita etiam existimarunt Septuaginta, qui reddiderunt ἐπιπλὴν, quod aliqui

36. *Impingo quid.*

aliqui *cadebat*, alij *tympanizabat* conuerterunt. Et in his Augustinus in expositione Ps. 33. Cúmque *tympanizo* duo significet, & *pulsare portas manu*, aut *bacillo*, quemádmodum tympanum à tympanista verberatur; & *collidere*, & *percutere*, allisione videlicet capitis, aut alterius partis corporis, vtrúmque amentis est: sed hoc posterius magis videtur ad textum Græcum, vnde expressum est, & ad formam dicendi, qua vsus est Vulgatus, dum vertit: *In ostia portæ*. Hispanica translatio habet: *Tendio se sobre las puertas*. Textus Hebraicus habet ויתו *vaithau*, à radice תוה *tauah*; quæ *scribere*, aut *signare* significat. Et ita quidam è recentioribus transtulerunt. Et quidem id proprium est eius, qui à mente excidit, aut pingere, aut lineas ducere, siue in terra, siue in pariete; & manibus, quæ rarò sunt otiosæ, aliquod edere signum desipientis animi. Chaldæus aliquid illum dicit incidisse, aut notasse vnguibus in porta.

37.

38. Vers. 14. *Quare adduxistis eum ad me?*] Non fuit vana sapiens ista amentiæ, atque stuporis simulatio, quam Deus effectu carere noluit. Nam Achis grauiter in illos indignatus est, qui furiosum, & desipientem hominem adduxerunt, quasi dedecori fuerit Regiæ domui, in illam stolidum, & insipientem hominem induci. Quare procul illum inde arceri iussit, illud ad imperium adiiciens, satis stultorum hominum esse in Palæstina, neque stultos foris asciscí oportere. Explicationem moralem, & allegoricam huius Dauidis insaniæ simulatæ, vide apud Augustinum in Psal. 33. qui scriptus videtur aut hoc tempore, aut ob hanc occasionem, cuius inscriptio est: *Dauidi cùm immutauit vultum suum coram Abimelec, & dimisit eum, & abiit.* Hic porrò Abimelec Achis esse creditur, & Abimelec commune Gethæorum Regum nomen existimatur. Psalmus item 55. de hoc ipso argumento videtur conscriptus, vt præfixus indicat titulus.

A

Antequàm hinc emergo, duo obseruo; Magistrum historiæ Scholasticæ, cui Dionysius subscribit, existimare, inter alias timendi causas, quas habuit Dauid, dum sensit se à Gethæis agnitum, illam fuisse grauem; quia Achis literas acceperat à Saule, vt sibi redderet fugitiuum hominem, quem apud se retinebat. Quod mihi non omninò videtur verisimile. Primùm, quia inimicus erat Saulis Achis, atque ideò ab illo potiùs esset fugitiuus à Saulis imperio receptus, quàm Saulis rogatu ad propria remissus. Deinde, quia non priùs cognouit, quò fugisset, aut vbi moraretur Dauid, quàm ad illum magna hominum multitudo confluxit ad desertum Haret: quod aliquot diebus accidit, ex quo se subduxit à Palæstina.

39.

B

Porrò stultitiam in tempore simulare, magna interdum prudentia est, qua vsus fuit quondam Vlysses, ne obire cogeretur durum Troiani belli, longúmque negotium. Hac vsus Solon, vt quod sanus, & prudens sine capitis periculo consequi non poterat, id in speciem stultus obtineret. Idem fecit Iunius Brutus, qui ab stultitia simulata illustre Brutorum nomen in suam familiam primus induxit. Id denique in Euangelij tempore fecere quamplurimi, dum humanos declinare student honores, & magistratus, quos non minùs horrent, quàm alij crucem, & ignominiam.

40. *Stultitiã in tempore simulare magna interdũ prudentia.*

C

IN CAP. XXII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

EGRESSVS Dauid ex Geth, & tota regione Philisthina venit ad speluncam Odollam, ad quam etiam conuenere fratres eius, atque cognati, & alij complures, quos aut mala fortuna, aut etiam æs alienum, aut rerum angustia duriùs affligebat; numero quasi quadringenti, quibus se ducem, & principem præbuit. Sed cùm à Saulis iniuria parentum vitam securam non putaret, ex illius ditione maturè exsolutos, & extractos peregrini Regis fidei commendauit. Interim Saul suam apud suos vicem dolet, queritúrque, quòd omnes cùm Dauid aduersus ipsius caput coniurasse videantur. Tunc Doeg Idumæus, qui in Tabernaculo tunc aderat, cùm dati sunt Dauidi à Pontifice maximo panes, & gladius, hoc ipsum prodidit Sauli, qui in Achimelech, & familiam totam sacerdotalẽ eo nomine grauiter infensus omnes ad vnũ obtruncari iubet, qui numero fuerũt octuaginta quinque: vnus ex omnibus euasit ex illa sacrilega cæde Abiathar, qui statim cõfugit ad Dauidẽ, à quo benignè exceptus est, & prolixa promissione ab omni metu, & sollicitudine leuatus.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

1. ABiit ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cùm audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc.

2. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps, fuerúntque cum eo quasi quadringenti viri.

3. Et profectus est Dauid inde in Maspha, quæ est Moab: & dixit ad regem Moab: D Maneat, oro, pater meus & mater mea vobiscum, donec sciã quid faciat mihi Deus.

4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manserúntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio.

5. Dixítque Gad propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in Terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret.

6. Et audiuit Saul quòd apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cùm maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens,

nens, cunctíque serui eius circumstarent eum,

7. Ait ad seruos suos qui assistebant ei: Audite nunc filij Iemini: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones:

8. Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renunciet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi: eo quod suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsque hodie.

9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob, sacerdotem.

10. Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.

11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius, sacerdotũ, qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad regem.

12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum domine.

13. Dixítque ad eum Saul: Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me, insidiator vsque hodie permanens?

14. Respondénsque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?

15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc à me: ne suspicetur rex aduersus seruum suum rem huiuscemodi, in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande.

16. Dixítque rex: Morte morieris Abimelech, tu, & omnis domus patris tui.

17. Et ait rex emissariis, qui circumstabant eum: Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.

18. Et ait rex ad Doeg: Cõuertere tu, & irrue in sacerdotes. Cõuersúsque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.

19. Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouémque & asinum, & ouem in ore gladij.

20. Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid,

21. Et annunciauit ei quòd occidisset Saul sacerdotes Domini.

22. Et ait Dauid ad Abiathar: Sciebã in die illa, quòd cũ ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annunciaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui.

23. Mane mecũ, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecúmque seruaberis.

IN CAP. XXII. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Abiit ergo Dauid inde, & fugit in spelunc am Odolam.*]

1. NOn diu ibi moratus est Dauid, sed alias sibi latebras quæsiuit in spelunca quadã ciuitatis Odolã, quæ in Scriptura sacra notissima est; tum quiá ibi primum habuit diuerticulũ Dauid, ex quo egressus est è Palæstina; tum quia aliis etiam temporibus, tam ipse, quàm alij confederunt ibidem. Vide lib. 2. Reg. c. 23. v. 13. 2. Paralip. cap. 11. v. 10. 2. Machab. 12. v. 38.

2. *Quod cùm audissent fratres eius, &c. descenderũt ad illum.*] Iosephus ait lib. 5. Ant. c. 14. missum fuisse à Dauide nuncium ad patrem, eiúsque familiã, qui doceret, quo in statu, ac loco ipse tunc esset, qui cuestigiò eò profecti sunt. Quos etiam comitati fuerunt illi, quos angusta fortuna, potentiorum iniuria, & æris magnitudo, ac denique cordis mœror, ac desperatio premebat, quorum numerus ad quadringẽtos peruenit, qui omnes sibi Dauidem, cuius iam nota militaris virtus, atque prudentia, ducem præposuerunt, & Principem.

3. Vers. 3. *Et profectus est Dauid inde in Maspha, quæ Gasp. Sanctij Com. in lib. Reg.* est *Moab.*] Addidit animos Dauidi multitudo illa, quæ ad ipsum, tum è cognatis, tum ex aliis, quos mala vrgebat fortuna, aut iniqua potentia, conuenerat. Quare statuit aliter, quàm anteà suscipere viuendi modum. Retardabat illum parẽtum ætas laboribus perferendis neque idonea, neque digna, quæ cum tantis conflictaretur incommodis, quæ in illo vitæ genere recusari non poterãt. Quare illos à se omninò in tutiora loca transmittendos ratus, ne quod in filium furoris venenum Rex conceperat, in parentes euomeret, abiit in Maspha, quæ in regione est Moabitide, vt parentes suos Regis Moab fidei, tutelæque committeret, quibus in Bethlehem; id est, in Saulis regno, non putabat vitam fore pacificam. Annuit Rex Moab, retinuítque apud se, quandiu Dauid profugus mansit in præsidio; in illo, inquam, præsidio, quod à Rege acceperat in terra Moab; ad illã, opinor, plagã, quæ non procul abest ab Israeliticis finibus. Quod beneficiũ tãdiu sibi, suísque parẽtibus

Dauid parentum suorum saluti, & commoditati consuluit.

bus impendi voluit à Rege Moab, quandiu Deus aliter de suis rebus, atque rationibus statuisset. Quare mora illa, seu commoratio diuturna non fuit: nam paulò pòst quàm parentes suos, atque familiam euocauit è patria, & alienæ fidei, custodiæque concredidit, admonitus fuit à Gad Propheta, vt præsidium desereret Moabiticum, & Iudæ fines repeteret, à quibus se fugitiuus abduxerat. Ad illud porrò tempus parentibus suis orarat hospitium: sic enim ille v. 3. *Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus.* Quis autem fuerit Rex iste Moab, incertum est; neque, vt hæc exploremus, certum habemus aliquod in Scriptura vestigium. Mihi verisimile est, sicut in Palæstina, sic etiam in Moab plures fuisse Regulos. Sed hac de re commodior alibi succurret disputatio. Porrò *Maspha* duplex est; altera in tribu Iuda, vbi Samuel & conuentus habuit, & iudicium exercuit. De qua suprà cap. 7. Fuit alia in terra Moab, de qua modò. Vtraque videtur sumpsisse nomen à situ præalto; *Maspha* enim *speculam* sonat.

4. Vers. 5. *Dixitque Gad propheta ad Dauid.*] Nunc primùm huius Prophetæ nomen audimus. Hic verò fuit, à quo res Dauidicæ traditæ sunt monumentis, vt habes lib. 1. Paralip. cap. 29. v. 29. Hic autem vnus fuisse videtur ex illorum numero, qui Dauidem secuti sunt, aut quia cognatione proximus, aut quia malè à fortuna, siue à potentiorum iniuria vexatus; seu, quod magis apparet verisimile, quia Dauidi Deus Prophetam illum adesse voluit, vt per eum, quid opus esset facto, maturè prædiceret.

5. *Noli manere in præsidio; proficiscere, & vade in terram Iuda.*] *Præsidium*, quod iubetur à Propheta deserere Dauid, erat illud, quod in regione Moabitide ab alienis acceperat. Cur autem ab illo excedere oporteret, non indicat Propheta. Ea fortasse ratio est, quia eorum, quos impia imbuit, renérque religio, parùm est constans, & secura fides, quam transuertit siue cupiditas, siue ambitio; siue rationes aliæ, quæ licèt sint à pondere, & religione vacuæ, aliquid tamen ab infidelibus habere ponderis existimantur. Potuit occiso, seu prodito Dauide, aliquid gratiæ inire à Saule, quorum intererat plurimi fœdus paciscí sociale; potuit euitare inuidiam, & odium, quod, recepto supplice, in suum caput à Rege potente, atque furioso excitare poterat. Potuit captare gloriam ex illius cæde, quem tam videbat non solùm apud suos, sed etiam apud alienos bellica gloria nobilitatum. Potuit sibi Palæstinorum conciliare, aut demereri gratiam, cùm vltor existeret Palæstini sanguinis toties effusi, & illius cædis, qui sua virtute contribulibus suis addebat animos, adimebat alienis. Propter hæc meritò sibi Dauid ab Idololatra Rege cauere poterat, & à Propheta ad patrium, & natale solum reuocari. Maximè cùm ibi plurimos haberet, qui ipsius fauerent commodis, & ad quos haberet tutum, paratúmque perfugium, qui aut inscio, aut etiam non ignorante Rege, in cuius nomen duriùs erant affecti, fidelem, atque benenolam operam laboranti præstarent. Hæ videntur non leues causæ, propter quas Dauid à Mobitarum præsidio abduci potuit; alias fortasse Deus intuebatur, aliud spectabat, quod nos ex Scriptura sacra non assequimur.

6. Vers. 6. *Et audiuit Saul, quòd apparuisset Dauid.*] Hinc constat, multis diebus ignorasse Saulem, vbinam gentium ageret Dauid; ex eo, opinor, tempore, quo cum Samuele fuit primùm in Ramatha, deinde in Naioth. Ex quo intelligitur mira solertia Dauidis, qui latere potuit tanti Principis tam perspicaces oculos, tam vigiles excubias, tam pertinacem in illius indagatione diligentiam.

Hastam manu tenens.] Hìc ego in *hasta* sceptrum intelligo, maximè si pura sit; id est, sine ferro, quæ nostra ætate imperatorium est insigne, & Hispanorum vulgo dicitur *baston*. Neque aliam esse puto *hastam*, quam cum scypho sustulit à Saule Dauid cap. 26. quam distinctam ab aliis fuisse oportet, & regni, nisi fallor, insigne. Quod autem olim multis in locis *hasta* pro sceptro fuerit, docet Alexander Neapolitanus lib. 1. Genial. cap. 28. Et quidem hasta non semel apud antiquos pro sceptro ponitur. Sic Argiui Reges, teste in Bœoticis Pausania, sceptra sua *hastas* appellant. Et quidem sub hæc tempora Reges alios hastas habuisse pro sceptris tradit Iustinus lib. 43. cùm enim ageret de primis Romanorum temporibus, quæ in hæc tempora Saulis inciderunt, ait: *Per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixere.* Adde, quòd Hebræi talem à Samuele petiere Regem, quales & reliquæ nationes haberent; quare si Reges alij suæ potestatis insignia gestabant hastas, verisimile est, Saulem pro Regiæ dignitatis insigni *hastam* habere voluisse. Quare domi, & in conuiuiis *hastam* secum habuisse dicitur, qua Dauidem, & Ionatham configere voluit. Et eandem ob causam, vt vbique locorum speciem retineret Regiam, in nemore, in quod animi leuandi gratia secesserat, *hastam* non dimisit. 7. *Hasta pro sceptro.*

Vers. 7. *Audite nunc filij Iemini.*] Quomodò *filius Iemini* idem sit, qui Beniaminita, diximus alibi, & probat Mardochæus, qui Esther capite 2. v. 5. vocatur *vir de stirpe Iemini*; & idem capite 11. v. 4. dicitur esse de Tribu Beniamin. Vocat autem *filios Iemini*, quia cognati erant, aut saltem contribules, ex eadem videlicet Tribu, quò illos pro cognato sanguine aduersus hominem alienum, nempe ex Tribu Iuda, & inopem accenderet. Sumit autem argumentum ab honesto; dum ait, pro consanguineo Principe aduersus alienum consanguineis esse laborandum: & ab vtili, cùm ab alieno, eodémque rerum omnium egeno sperari nihil possit, neque ad honorem graue, neque ad vitæ subsidium opportunum. Quam enim vineam, aut quod oliuetum accipiet aliquis ab eo, qui inops errat, exul, & cui præter animam, illámque admodùm iactatam, & ægram, nihil est reliquum? Quem honorem ab illo, qui vitam agit agrestem, & indecoram in syluis, vbi nec nomen Tribuni, aut Centurionis auditur? Ad extremum accommodatè ad *τέλος* queritur, omnes in suum exitium conspirasse, & in his filium suum, neque vllum esse, cui suus dolor dolori sit, cùm hostis viuat, qui assiduas vitæ suæ moliatur insidias; neque tamen, vbi lateat, quisquam renunciet. Quæ oratio sic permouit assistentium animos, vt Doëg, qui ad illud vsque tempus siluerat, tandem aperuerit, quod, cùm esset in Tabernaculo, attentiùs obseruarat: quemadmodum Dauid, quem hic assentatus domino suo filium appellat Isai, panes à Sacerdote, & gladium acceperit; vt denique pro Dauide diuinũ sciscitatus fuerit oraculũ. Quæ omnia Regis æstuantem inuidiã, & malè 8.

sanum

ſanum animum eò perpulerunt, vt talem in populo, ac ſtatu ſacerdotali ſtragem ediderit, qualis neque ab hoſte quantumuis alieno, imò qualis à fera timeri non poſſet.

9. Quærit hic Abulenſis, q. 18. an verum fuerit, quod Doëg obiecit Sacerdoti, conſuluiſſe Deum pro Dauide? Quidam hoc falſum dicunt eſſe cõmentum Doëg Idumæi, vt magis Regis animum aut ſedaret, cùm aliquid certum ſciret de Dauide, quod audire ſtudebat, aut accenderet contra Sacerdotes. Hoc Hugoni placet. Alij eò magis inclinant, vt putent reuerà Deum in cauſa Dauidis à Sacerdote conſultum. Et ſanè hoc innuunt verba Achimelech, de quibus ſtatim, dum cauſas adducit, cur pro Dauide Deum conſulere potuerit, ſine vlla Regis, aut alterius cuiuſuis offenſione. Neque ratio, quæ hanc cogitationem conuellere poſſe videbatur, admodùm premit. Non illa, quòd cupiebat Dauid fugam ſuam Sacerdoti celari. At hoc nulla poſſet ratione fieri, cùm futura eſſet nulla alia de re, niſi de fuga conſultatio. Hæc, inquam, ratio leuis eſt; quia hoc ipſum ſub generali quadam ſpecie interrogari poſſet. Hoc nempe modo; an quod tentare cogitabat Dauid, felicè habiturum eſſet euentum; an declinare poſſet periculum, quod timebat? Hinc etiam ſoluitur alia ratio; quia non videbatur Deus reſponſurus id, quod omninò nullam Dauidi vtilitatem attulit; & illum coëgit primum adire periculum, deinde mutata forma, & ſtupore ſimulato, inſignem cum inimicorum riſu ignominiam ſubire. Nam fieri potuit, vt alia de re diuinum fuerit oraculum conſultum. An videlicet venturus eſſet in Saulis manus; an aliquando quietam ſedẽ habiturus in patria, quam tunc neceſſitate cogente relinquebat inuitus? Quare verior eſt ſententia, quam amplectuntur communiter alij; nẽpe Dauidem per Sacerdotem conſuluiſſe Deum: imò hanc reor præcipuam eſſe cauſam, cur Dauid adire voluerit Tabernaculum, & Sacerdotem conuenire.

10. Verſ. 13. *Quare coniuraſtis aduerſum me tu, & filius Iſai, & dediſti ei panes?*] Hæc eſt Saulis accuſantis intentio, quæ duas continet partes, nempe Dauidem prodidiſſe fidem, quam Regi ſuo integram ſeruare debuit, & Regiæ vitæ inſidias inſtruere; & tam nefarij conſilij ſocium ſe Sacerdotem addidiſſe. Idque ea ratione probat, quia cibum illi dedit in viam, & gladium porrexit; & quod in re vulgari fieri non ſolet, pro illius ſiue ſalute, ſiue ſecundo rerum euentu oraculum conſuluit. Quæ duo non tam crimina, quàm criminum cõmenta Sacerdos eodem, quo obiecta fuerant, ordine depellit. Et primùm Dauidem ab inſidiarum ſuſpicione ea ratione vendicat; quia in eius mores nulla videtur eiuſmodi ſuſpicio cadere potuiſſe. Quia fidelis ſemper in Regẽ fuit, & pro illius ſalute, & patriæ libertate nullum vnquam periculum exhorruit; quia nunquam Regium detrectauit imperium; quia nihil eſt aggreſſus, quod non inſignis conſequeretur gloria; quia denique ipſi etiam Regi dignus viſus eſt, cui filiam ſuam deſponderet vxorem. Quare Regem ipſum ſuo aliis præſcripſiſſe iudicio, quid de Dauide ſentire, ac iudicare debeant. Deinde ait, nihil ſe de Dauidis conſilio, aut inſidiis in Regem audiiſſe, vt haberi potuerit maieſtatis reus; atque ideò non ſpectaſſe in Dauide Regis callidum inſidiatorem, ſed fidelem ſeruum. Quòd verò pro Dauide diuinum interrogarit oraculum, non deberi ſibi crimini, aut perfidiæ verti, cùm aliis ſæpè temporibus idem anteà fecerit, videnti, atque approbante Rege; quare quod anteà Regi gratum accidit, non putabat modò futurum offenſioni.

Verſ. 16. *Dixitque Rex; morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.*] Ecquod iudicium barbarum magis, & inſanum? Ecquid admiſit tota Sacerdotis cognatio, propter quod tam dirum exitium ſubire debuit? Sanè ab eo, qui derelictus eſt à bono, quemque malus exagitat, & moderatur ſpiritus, timeri poſſunt omnia, quantumcúmque à ſana, imò & ab hominum cogitatione aliena. Non expendit priùs, aut explorat inſanus, & impos omninò ſui Rex, an vera ſint, quæ in ſui defenſionem Sacerdos adducit, neque conſiderat ſacroſanctam illam dignitatem non debere ferro temerari ſacrilego; neque in ea ſacerdotali cognatione eſſe non paucos, quos vitæ innocentia à tam crudeli decreto vendicaret. Omnia proſternit furor, omnia deuorat, & perdit inuidia, quæ mentem excæcant, & ab hominum animis omne conſilium, & humanitatem expectorant. Neque diu diſtulit decretum impium inſtimulatus furor. Nam ſtatim edixit emiſſariis, ac ſatellitibus, qui ipſum de more circunſtabant, vt decretum Regium illicò complerent, & ſceleratum imbuerent ferrum ſacerdotali ſanguine. Qui tamen, licèt Rex vrgeret, & ſibi timere poſſent exitium, quod iubebantur inferre Sacerdotibus, continuerunt tamẽ ſe, & ſubire maluerunt, quàm ſacroſancto Sacerdotum ordini tam dirum impingere ſupplicium. Hos ſatellites commendat Theodoretus; & illud admiratur, cur iuſſus Saul à Deo perdere quæcumque pertinerent ad Amalec, optima quæque noluit ferro, incendióque ſubiicere; & impio Regi vitam, quam eripere debuit, indulſit; & illos, à quorum vel leuiſſima iniuria abſtinere debuit, vno decreto ita deleri voluit, vt ignouerit nemini; neque à fœminarum imbelli ſexu, neque ab innoxio paruulorum ſanguine temperarit, & in ipſa quoque muta animantia bacchatus ſit, & ciuitatem ipſam ſacerdotalem ab imis quoque fundamentis euerterit. Ex quo quiuis intelliget, in animis & vilibus, & malè conſtitutis plus valere ineffrænatos animi motus, quicumque illi ſint, quàm Dei voluntatem, & imperium; quando Saul ſuæ obſecutus iræ tantam edidit ſtragem ſacerdotalis ordinis, & illorum, quorum vita videbatur innoxia; neque iubente Deo voluerit in nocentiſſimum populum, necíque iã anteà deuotum gladium multorum ſcelerum vindicem adigere.

Saulis barbara crudelitas.

11.

12.

Verſ. 18. *Et ait Rex ad Doëg, conuertere tu, & irrue in ſacerdotes.*] Non ſine cauſa ſcriptor ſacer obſeruauit, genere Doëg fuiſſe Idumæum, vt Iſraëlitidem gentem à tanti ſceleris turpitudine liberaret. Neque enim vllus auſus eſſet ex Hebræorum ſemine, ſacerdotali ſanguine ſacrilegũ ferrũ, & manus ſceleratas imbuere. At cùm Idumæi ab ætate vſque parentis Eſau, inteſtino, ac penè naturali odio ab Iſraëlitis diſſiderent, non recuſauit Doëg, qui ad illud immane facinus vltrò ferebatur, in illud hominum genus, quod præcipuo erat loco apud Hebræos, gladium diſtringere, & totum, ſi fieri poſſet, delere ſacerdotale nomen. Sunt qui putent, duos Saulis filios ex Reſpha concubina ſuſceptos in illam impiam cædem manus quoque ſacrilegas armaſſe. Ita ex Hebræorum traditionibus Hieronymus in lib. 2. Reg. 21. quod item placuit ibidem Angelomo. Et ideò credunt, hos duos filios Reſphæ, Armoni,

13.

& Miphiboſeth actos fuiſſe in crucem à Dauid. Sed non, puto, hæc hiſtoricus ſacer ſiluiſſet; neque quod putat Lyra, habuiſſe Doëg ad illud crudele facinus plures adiutores. Quod etiam tenuit anteà Ioſephus lib. 6. Ant. cap. 14.

14. *Et trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo.*] De numero omnes æquè conueniunt, præter Ioſephum, qui ſuprà occiſorum numerum tercentos octoginta quinque fuiſſe dicit; fortaſſe de omnibus, qui erant è cognatione Achimelech, hunc numerum compoſuit, ex illis nempe, qui cum Achimelech ad Regium imperium venerant, & qui ex eadem cognatione in ſacerdotali ciuitate remanſerant. Quod ſi ita eſt, etiamſi quid addat hiſtoriæ Sacræ Ioſephus, nihil tamen affirmat Scripturæ contrarium. Porrò illi viri honoris gratia Pontificem comitati ſunt, veſtiti ephod lineo; aut quia eo familiari Sacerdotum habitu Pontificiam maieſtatem ornare voluerunt, quem non ſine cauſa graui accerſiri putabant; aut certè veſtiti dicuntur, quia aut iure poterant, aut ſoliti antè fuerant lineum illud indumentum portare. Eſt autem illud in omni literatura frequens, vt participium præteriti conſuetudinem, facultatem, ac dignitatem importet, & id ſignificet, quod nomina in *bilis*. Quomodò appellamus incorruptum Iudicem, qui corrumpi largitionibus neque ſolet, neque poteſt. Imperatorem inuictum, aut infractum, quem vis nulla queat frangere, aut vincere; locum inacceſſum, ad quem nemo accedere, aut aſpirare poſſit. Sic ergo hi veſtiti dicuntur ephod, quia aut ius habent illud portandi, vtpotè ſacerdotes; aut certè dum Tabernaculo legitimam nauant operam, illud portare cõſueuerunt. Porrò quod fuerit iſtud *ephod lineum*, & quomodò ab alio Pontificio ſeparetur, diximus ſuprà cap. 2. v. 18. ad illud: *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod.*

REGVLA. *Participia præteriti pro nominibus in* bilis.

15. Verſ. 19. *Nobe autem ciuitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij.*] Quaſi anathemati foret ſacerdotalis illa ciuitas addicta, ſic illam delendam exiſtimauit Saul, vt nihil ex ea voluerit eſſe reliquum. Atque cùm non ſatis ſibi habuerit illius furor Sacerdotes plurimos, imò & ſacerdotale nomen penè ſuſtuliſſe; deleuit muliebre, & infantile genus, neque pecudum, atque armentorum gregibus cenſuit eſſe parcendum. Hæc autè non perfecit vnus Doëg; ſed vel Saul ſtipatus vilium hominum, & ſiccariorum manu, vel alij, quibus id negotium peragendum commiſit, qui minùs illud horruerunt facinus; quia non erant Sacerdotum ferro temeranda corpora; ſed profanus, licèt innocuus, atque ferinus effundendus ſanguis.

16. Laudandi ſunt hoc loco Saulis ſerui, qui à Sacerdotum abſtinuerunt cæde, etiamſi Regi maximè viderent eſſe in votis; ſed hi non omninò liberantur à culpa; quia nullum adhibuerunt ſtudium, vt ſi minùs placare, & ad ſanitatem traducere Regium animum poſſent, at certè ita temperarent, vt aliquid remitteret de ſeueritate decreti. Quod Chryſoſtomus miratur, & reprehendit ſuper Pſalmum 134. vbi obſeruat, quo tẽpore damnatus eſt ad mortem Ionathas, interceſſiſſe omnes, neque conquieuiſſe, donec illum à capitali pœna reddiderunt incolumem. At hîc cùm viderent tot innocẽtes, eoſdémque Tabernaculi addictos miniſterio, ad cædem rapi, & Idumæi, id eſt, execrãdi hominis ferro permitti; nullus tamen fuit ex his, qui Regio aſtabant lateri, qui cauſam ſuſciperet innocentium, & funeſtam illam cladem aliqua ratione ſuo patrocinio leuaret. Sic autem Chryſoſtomus: *Quando Saulis filium eripere oportebat, omnes communiter aſſentantes Regem, licèt ſe iniquè geſſiſſet, eripuerunt. Quando autem volebat occidere tot Sacerdotes, ne vocem quidem emiſerunt, nec eos defenderunt. Quòd ſi tunc habebant naturam, quæ pro eis faceret, hîc etiam habebant iuſti naturam. Erant enim Sacerdotes, & erat cædes nefaria, quæ ex ira, non ex recto iudicio oriebatur. Sed huius rei cauſa erat ſocordia, & quod Sacerdotum vicem non valde dolebant.* Ego hîc aliam cauſam inuenio; quia cùm viderent Regis filij vitam in diſcrimen adduci, quod Rex ipſe non minùs dolebat, quàm illi, qui pro filij cauſa laborabant, non putabant offenſuros ſe apud Regem, ſi illius ſe iurato decreto oppoſuiſſent; atque adeò neque ſubituri periculum, neque Regis gratiam amiſſuri videbantur. Nunc verò, cùm cauſa ageretur Sacerdotum, in quos malè erat affectus Regis animus, & cùm Rex præcipiti fureret inſania, maluerunt obſequi, aut etiam aſſentari barbaro, atque iniuſto Regi, quàm miſerorum, quique longè aberant à culpa, occurrere periculo. *Sacerdotum cauſa impiè deſerta.*

De hoc Doëg Idumæi facto eſt Pſalmus 52. vt illius indicat titulus, qui ſic habet: *In finem intellectus Dauid, cùm venit Doëg Idumæus, & annunciauit Sauli, & dixit: Venit Dauid in domum Achimelech.* Addunt Antiquitates Biblicæ, ex ſcriptis, opinor, Talmud, eo tempore Doëg hoc durum accepiſſe vaticinium. Ad Doëg Syrum hæc dicit Dominus: *Ecce dies venient citò, & aſcendet vermis igneus in linguam eius, & tabeſcere faciet eum, & erit habitatio eius cum Iair in igne inextinguibili ſemper.* 17.

Verſ. 20. *Euadens autem vnus filius Achimelech.*] Ex tota, vt apparet, cognatione Achimelech vnus ſuperſtes fuit Abiathar, qui cùm in Saulis regno nihil putaret eſſe tutum, ad illum locum ſe maturè corripuit, vbi videbat contra Saulis potentiam, & inſidias aliquod paratum eſſe præſidium. Narrauítque, quemadmodum Saul terram ſacerdotali ſanguine fœdaſſet, neque quicquam feciſſet reliquum ex ea ciuitate, vbi ſacrum aliquandiu hæſerat Tabernaculum, & vbi Sacerdotum fuerat familiare domicilium. Accepit, vt par erat, Dauid mœſtus, & dolens tam crudele, & lamentabile nuncium, séque tantæ cladis licèt non auctorem, & cauſam, occaſionem tamen, & reum appellat; quia niſi à Sacerdote panẽ, & gladium poſtulaſſet, nunquam Rex furore cæcus tam inſipienter, & barbarè in ſacerdotale genus exarſiſſet. Neque verò ſe dubitaſſe, cùm in Tabernaculo vidit Idumæũ illũ, quin proditurus eſſet Sauli id, quod maximè ſtudebat eſſe celatum. (cauiſſet credo & ſuæ, & Sacerdotis ſaluti, ſi antequàm quicquam peteret, aſtare tam importunum teſtẽ cognouiſſet.) Quare Abiatharem quàm potuit amicè conſolatus, bono illum animo eſſe iubet; hortatur apud ſe vt maneat; séque promittit nõ minùs de illius, quàm de ſua, ſuorúmque ſalute fore ſollicitum. Quod fecit libenter Abiathar, neque exiguo fuit vſui Dauidi, pro quo, cum ſecum attuliſſet ephod, in dubiis quibuſque rebus Dominum conſuluit. 18.

IN

IN CAPVT XXIII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CONSVLTO Domino per Abiathar, qui Ephod secum è tabernaculo detulerat, subsidio succedit Ceilanis, quos à Palæstinis oppugnatum iri didicerat, quos iuxta Domini responsum, attritis ingente plaga Philisthinis, ab omni periculo præstitit incolumes. Adornauit statim eò profectionem Saul, sperans in obseratа vrbe, à qua è firmissimis claustris nullum sperabatur effugium, facilè comprehensurum iri Dauidem. Qui cùm Regis animum, atque aduentum non ignoraret, etsi in vrbe persistere statuisset, à Ceilanis hosti fore tradendum, (vtrumque enim à diuino oraculo didicerat) inde se maturè subduxit: cúmque in Ziphæorum solitudine incertis sedibus vagaretur, secretò ad illum Jonathas adiit, confirmauítque sollicitum animum, & pauentem, & pactum cum illo antè percussum renouauit. Interim Ziphæi ad Saulem referunt, in suis finibus visum esse Dauidem, neque esse difficilè illum in ipsius potestatem venire, quod se omninò curaturos esse promittunt. Accipit gratus Rex Ziphæorum officium, monétque, vt quo loco apud se lateat, quamprimùm ostendant. Præstant illi imperata sedulò. Aduolat Saul cum delecta suorum manu, & cùm eò esset à circumfusa turba adductus Dauid, vt nulla se aperiret ad salutem via, audito quòd Philisthini in Hebræorum finibus prædas agerent, necessariò ab eo, quod iam assecutus videbatur, reuocatus est.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

A

1. ET annunciauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam & diripiunt areas.

2. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.

3. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum?

B

4. Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua.

5. Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ.

6. Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, ephod secum habens descenderat.

C

7. Nunciatum est autem Sauli, quòd venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, concluſúsque est introgressus vrbem, in qua portæ & seræ sunt.

8. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret Dauid, & viros eius.

9. Quod cùm Dauid resciſſet, quia præpararet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod.

10. Et ait Dauid: Domine Deus Israël, audiuit famam seruus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me.

11. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israël indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet.

12. Dixítque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

13. Surrexit ergo Dauid & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nunciatúmque est Sauli quòd fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset: quam ob rem dissimulauit exire.

14. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansítque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non dedit eum Deus in manus eius.

15. Et vidit Dauid quod egressus esset Saul vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in sylua.

16. Et surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Dauid in sylua, & confortauit manus eius in Deo: dixítque ei:

17. Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc.

18. Per-

18. Percussit ergo vterque fœdus coram A Domino: mansitque Dauid in sylua: Ionathas autẽ reuersus est in domum suam.

19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nónne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ, in Colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti?

20. Nunc ergo, sicut desiderauit anima tua vt descenderes, descende: nostrum autem erit vt tradamus eum in manus regis.

21. Dixítque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.

22. Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callidè insidiet ei.

23. Considerate & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum: quòd si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.

24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Iesimon.

25. Iuit ergo Saul & socij eius ad quærendum eum: & nunciatum est Dauid, statímque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon: quod cùm audisset Saul, persecutus est Dauid in deserto Maon.

26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie B Saul: itaque Saul & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos.

27. Et nuncius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.

28. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

IN CAPVT XXIII. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Et annunciauerunt Dauid dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.*

1. CVM nossent Palæstini à Saule discessisse Dauidem, cuius auspiciis omnia videbant ex Hebræorum votis contigisse, ausi sunt rursus Hebræorum fines prædabundi repetere, & quàm possent acerrimè, illorum vires, & facultates atterere. Quare acies suas effundunt in eam partem, vbi sita erat Ceila, quam oppugnabant acriter; & quia tempus erat messis, diripiebant areas, & maturas iam segetes aut equorum sternebant vngulis, aut immissis flammis populabantur. Id, sicut nostra ætate, sic etiam olim in hoc populo familiare fuit, conculcare fata, & necessaria populis alimenta corrumpere. Sic Iudic. cap. 15. Samson alligatis ad vulpinas caudas facibus, Philisthinorum messes inflammauit. Sic Absalon 2. Reg. cap. 14. v. 30. segetes Ioab incendio vastauit. Sic Iudic. 6. v. 4. Madianitæ, & Amalecitæ Israëlitarum fata, sicut erant in agris, cuncta vastabant. Id ergo nunc in Ceilaitarum agris C eò se magnis itineribus contulit, perfecítque, quod ex oraculo futurum esse cognouerat.

Vers. 7. *Nunciatum est autem Sauli, quòd venisset Dauid in Ceilam.*] Non tam Saul in Palæstinos, quàm in Dauidem hostili afficiebatur animo. Quando Ceilanis suppetias afferre noluit, cùm extrema omnia à Palæstinorum agmine metuerent; & tamen eodem vim hominum maximam eduxit, vt obsideret Dauidem, quem mœnibus clausum euasurum mortem non putabat. Quis non crederet, post operam illam à Dauide tam fidelem, atque vtilem afflicto populo, imò & toti regno; Regíque ipsi in tam angusto rerum articulo nauatam, venisse Regem, vt benè de re communi merito gratias ageret, vt tã fidele studium Regia compensaret liberalitate; ac denique secum plaudente populo, & concrepante symphonia triumphantem reduceret? At venit, vt populi seruatorem extingueret, & seruatam vrbem ingenti afficeret dolore, & inimicum populum, cui vnus Dauid erat terrori, inopinata voluptate perfunderet. 2.

Non latuit Dauidẽ quid animo suo designasset Saul, atque ideò cæpit sibi, ac suis maturo prouidere consilio. Sed primùm quòd in re tanta videbatur necessarium, Deum consuluit; quod facere potuit, cùm apud se haberet Sacerdotem portantem ephod. Et primùm rogat, an quod incertus disseminarat rumor, venturus esset Saul in vrbem: & an Ceilani parùm memores recentis beneficij ipsum essent inimico Regi tradituri? Quod cùm vtrumque Deus affirmando respondisset, 3.

disset, extemplò ille profectionem adornat, ne A Ceilani incautum per insidias opprimant, aut ipsius fugam anteuertat, & occupet Saulis aduẽtus. Illinc autem egressus cum sexcentis viris, quos habebat laboris, atque fortunæ socios, vagus, & profugus incertis sedibus errabat. Cùm autem Saul ex vrbe illum excessisse cognouit, consilium texit suum, & ita se gessit, quasi de Dauide, ac profectione Ceilana nunquam cogitasset.

4. Vers. 14. *Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph.*] Duo spectare potuit Dauid, dum in *solitudinem Ziph* loca sibi ad fugam elegit, confragosa, & aspera; tum vt locum teneret natura munitum, vbi se, si qua vis incesseret aduersa, ab hoste tueretur, & hostem ipsum ab ascensu deterreret scopulorum asperitas. Porrò *Ziph* ad Tribum Iuda pertinet, vt auctor est Hieronymus, de locis Hebraicis; quem esse dicit montem nebulosum, & squallidum, propter asperitatem, opinor, quæ nulla potest agricolarum exerceri solertia: & eandem ob causam obscurum, & opacum, propter densos frutices, & syluestres arbores; quare statim mons dicitur opacus. Ibi autem tutus aliquandiu fuit à Saulis odio pertinaci; nam cùm perstudiosè quæsiisset; nunquam, cùm maximè cuperet, inuenit.

5. Vers. 16. *Et surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Dauid in syluam.*] Non immeritò dubitat Abulẽsis, quomodò potuit cognouisse Ionathas, quod ipsius pater ignorabat; vbi nempe ageret Dauid, & quomodò ad illum inscio parente peruenire vel potuerit, vel ausus fuerit, cùm non minus ipsi à parente, quàm Dauidi paratum esset malum; quod non multò anteà experientia didicerat. Ego hanc ex multis rationem esse puto. Certus erat Dauid de Ionathæ fide, incertus de Saulis eo tempore definito consilio. Intererat autem plurimùm, nosse quid Rex designasset animo, vt ad eius consilia suas quoque rationes attemperaret. Ergo cùm ex sexcentorum numero facilè potuerit exploratores habere, qui ignoti essẽt multitudini, per quos inuestigaret, quo in statu, ac loco res esset hostilis, cõmodissimè ex Ionatha expiscari poterat, cui paterna consilia magis esse, quàm aliis, comperta existimabat. Per exploratores igitur illum admonuit, ac docuit, quo ipsum loco, D ac tempore expectaret, ne longus esset, & molestus error, & inutilis via. Statim ergo surrexit Ionathas, quàm potuit occultissimè, & ad conditum locum peruenit, vbi prout temporis ratio postulabat, opportunum habuit cum Dauide colloquium. Et primùm illum bono esse animo iubet, & tantisper contra parentis iniurias, & locorum incommoditates obduret, ferendo, superandam esse fortunam, & sperato rerum euentu, & exitu secundo leuandum esse laborem, qui tunc si longior esset mora, non videbatur esse tolerabilis. Neque dubitaret, se parenti successurum in regno, cuius spes in arduo quantumcúmque rerum conflictu confirmare debet languentes animos; neque id ignorare parentem suum, quod apertè quondam à Samuele didicerat, & ex multis rebus non dubiè coniectabat. Hæc fuit eorum summa, quæ in eo cõgressu locutus est Ionathas; & cùm petiisset, vt cùm rerum Israëliticarum potiretur, ipsum haberet in regni administratione secundum, fœdus, quod erat inter illos antè percussum, adhibita iterùm, vt est verisimile, iurisiurandi religione firmatum est.

Vers. 19. *Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nónne ecce Dauid latitat apud nos?*] Redierat Saul in Gabaa, ad natale videlicet solum, fortasse desperans futurum se compotem tam ardentis voti, cùm nullus ipsius conatus ad illud vsque tempus successum habuisset. Tunc verò Ziphæi, in quorum se syluas præsidij gratia abdiderat Dauid, adeunt Regem, illique studium suum prolixè pollicentur; rogántque, vt descendat cum idonea manu; neque de euentu dubitet, suarum esse partium, & fidei, quam tunc persanctè obligatam esse volebant, hostem in ipsius manus tradere, rémque fore facili, aut nullo negotio transigendam. Laudat illos Saul, & pro illorum animo fideli, atque alacri gratias agit, cùm dolorem suum ipsis dolori fuisse spontanea illa B promissione docuerint. Quare iubet eos callidè inuestigare, quem locum subierit, vbi lateat; idque iterùm atque iterùm accuratè peruideant. Cùm enim, inquit, suspicetur nihil ipsum omissurum, vel virium, vel solertiæ, quò tandem illum in laqueum, & insidias trahat, mutabit sæpè locum, & alias, atque alias instabili, & erranti gressu latebras subibit. Quocircà videant, vbi ad extremum sibi diuerticulum pararit, & tunc admoneant quàm ocyssimè, vt non proficiscatur in incertum, & iterùm assumpti conatus, sicut anteà sæpè, cum ignominia, & dolore suo excidant inaues.

Vers. 23. *Quòd si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.*] Sicut qui miseri sunt, & à potentioribus vrgentur hostibus, optant ad ipsa vsque terrarum viscera descendere, si quo modo oculis se vigilantibus subducant, & intenta ab hostili manu tela declinent: sic etiam qui odio alios insano persequuntur, neque aliud expetunt auidiùs, quàm illorum exorbere sanguinem, eodem vtuntur genere loquendi: dicunt enim nullum fore lapidem non mouendum, perscrutandas esse abditissimas quasque terræ latebras, & si ad ipsos terræ penitissimos sinus altè demittant, inde esse eruendos. Sic sanè apud Maronem Æneas lib. 12.

—*Opta ardua pennis*
Astra sequi, clausúmque caua te condere terra.

Nihilò Saul hoc loco mitiùs, aut segniùs de Dauide. Ait enim, etiamsi in abditissimas terræ latebras se abdiderit Dauid, quæsiturum se illum pertinaci studio, neque aliquid sumpturum se esse quietis, donec illum è subterraneis extrahat latibulis; & cùm mille sint oppida; id est, quamplurima in Iudæ funiculo, vbi ortus est Dauid, nullum tamen se illorum omissurum, quod non perscrutetur, & euoluat. Hæc mihi sententia difficilis non est. Neque tamen illam improbo, quæ *in millibus* non oppida intelligit, sed eos, qui ex ea Tribu assueti sunt armis, & militare profitentur studium, quos assumendos dicit, illisque id mandandum esse negotij, vt Dauidem vndecúmque locorum extrahant, & ad se perducant. Meminit autem præcipuè Iudæ, quia Tribus illa homines aluit, qui & multitudine alias, & virtute E excellerent. Quare cùm homines euocantur, & conscribuntur ad arma, viri Iuda seorsum ab aliis numerari solent; quia in illis ad secundos bellorum exitus plurimum existimatur esse momenti. Suprà cap. 11. v. 8. *Fuerunt filiorum Israël trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia.* Et cap. 15. v. 4. *Ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.*

Tunc verò Ziphæi reuersi sunt quamprimùm

in

in patriam, vt mandata faceſſerent. Erat autem Dauid cum ſuis eo tempore in deſerto Maon, ad illam partem regionis campeſtris, quam habet à dextris Ieſimon. Quod vbi primùm Saul à Ziphæis exploratoribus accepit, eò cum delecta militum manu conuolauit. Neque id latuit Dauidem; quare è locis demiſſis, atque campeſtribus, ſtatim ad petram; id eſt, ad montis commoda faſtigia conſcendit: neque reliquit locum illum, quem apud Ziphæos elegerat, ſed in illius deſerto, quaſi in quodam præſidio morabatur. In eum igitur locum totam aciem corripuit Saul, qui ſic acceſſit propè, vt tantùm montis interpoſita moles vtrumque diuideret. Cúmque viri Saulis coronæ in modum montem illum, & in eo Dauidem cum ſociis vndequáque cingerẽt, eò deſperationis adductus eſt Dauid, vt actum eſſe de ſe iam omninò crederet. Sed vbi humanæ deficiunt vires, & nihil præſtat humana ſolertia, adfuit Deus, qui cuncta turbauit Saulis conſilia, & Dauidem iam penè hauſtum ex hoſtium faucibus incolumem eripuit.

10. Verſ. 27. *Et nuncius venit ad Saul.*] Cùm nihil haberet Dauid in ea ſolitudine, quod Saulis caſtris vtrinque diſpoſitis vtiliter opponeret, miſit Deus ad illius ſubſidium armatas Palæſtinorum manus; qui, quo tempore, vt hoſtem ſuum Dauidem opprimeret Saul, regnum totum à militari præſidio nudauerat, eruperunt ipſi de finibus ſuis, vt Hebræorum fines latè deprædati, copioſas in regionem ſuam reportarent exuuias. Tunc verò licet inuitus Saul, cùm res laboraret, & vrgeret publica, neque populi precibus poſſet non acquieſcere, relicto Dauide, quem iam tenere ſe manu arbitrabatur, aciem abduxit, quam Palæſtinorum viribus opponeret, & locum reliquit à milite, atque timore vacuum. Quæ res planè mirabilis, & à ſingulari, atque beneuola prouidentia profecta, argumẽtum præbuit Dauidi, vt Pſalmum caneret 53. cuius principium eſt: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac.* Et præfixus titulus: *Intellectus Dauid, cùm veniſſent Ziphæi, & dixiſſent ad Saul, nónne Dauid abſconditus eſt apud nos?*

Verſ. 28. *Propter hoc vocauerunt locum illum petram diuidentem.*] Non nouum eſt, vt ex aliquo euentu illuſtria quædam loca nomen accipiant. Sic ſuprà cap. 7. v. 12. quidam vocatus eſt *lapis adiutorij.* Cur verò hæc petra talem nacta fuerit cõpellationem, meo iudicio illa eſt non leuis ratio; quia illa in medio duorum caſtrorum interiecta ea diuidebat. Cùm autem res eſſet grauis, & duorum Principum in re vſque adeò ancipiti notata nominibus, ſatis habuit nobilem cauſam; vt petra vocaretur *diuidens:* ſeu vt alij plures docent; quia eo loco Saul deſtitit inſequi Dauidem, & cùm iam coronato monte militibus circumcircà diſpoſitis, parùm abeſſet, quin illum comprehenderet, ab eo tamen conſilio, ac loco ſeparatus eſt; & qui iam propè erant vt ſigna conferrent, diuiſi ſunt. 11.

IN CAP. XXIV. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

VIX dum hoſtem Saul ab Hebræorum finibus arcuerat, cùm ad inſtitutum redit, quod interruperat inuitus. Quare venit ad deſertos, inacceſsóſque montes Engaddi, vbi Dauidem ſua ſibi habere diuerticula nouerat. Accidit tamen, vt ventris leuandi gratia ad ſpeluncam intraret; quam tunc Dauid cum ſuis fortè ſubierat. Inſtant ſocij, hortantúrque Dauidem, ne oblatam diuinitùs occaſionem perire ſinat; negat ille fas eſſe illius corpus temerari ferro, quod ſacrum oleum imbuiſſet: ſatis autem habuit, vt ſuam poſteà Regi probaret innocentiam, extremam oram chlamydis abſcindere; quam deinde Regi, vbi paululum eſſet ab ſpelunca progreſſus, oſtendit; docuitque, ipſum facilè in eo articulo potuiſſe confici. Ex quo diſcere non difficilè potuit, quàm longè animus eſſet ab ſtudio vindictæ, ac cædis, cùm ipſe tunc illum non difficilè, ac tutò potuiſſet extinguere. Accepit Rex vocem illam, & tam patientem, ac fidelem animum admiratus, tam longè fuit, vt inchoatum perſequeretur opus, vt laudaret potiùs: & quia illum poſteà regnaturum nouerat, ſuam illi familiam commendaret.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

1. ASCendit ergo Dauid inde: & habitauit in locis tutiſſimis Engaddi.

2. Cúmque reuerſus eſſet Saul, poſtquã perſecutus eſt Philiſthæos, nunciauerunt ei, dicentes: Ecce, Dauid in deſerto eſt Engaddi.

3. Aſſumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Iſraël, perrexit ad inueſtigandum Dauid, & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt.

4. Et venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti: erátque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.

5. Et dixerunt ſerui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit orã chlamydis Saul ſilenter.

6. Poſt

6. Post hæc percussit cor suum Dauid, eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul.

7. Dixítque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus,ne faciam hanc rem domino meo,Christo Domini,vt mittet manum meam in eum,quia Christus Domini est.

8. Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos vt consurgerent in Saul: porrò Saul exurgens de spelunca,pergebat cœpto itinere.

9. Surrexit autem & Dauid post eum: & egressus de spelunca, clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terram,adorauit,

10. Dixítque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te?

11. Ecce hodie viderunt oculi tui,quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum,quia Christus Domini est.

12. Quin potiùs pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te:tu autem insidiaris animæ meæ vt auferas eam.

13. Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.

14. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

15. Quem persequeris, rex Israël? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.

16. Sit Dominus iudex,& iudicet inter me & te: & videat,& iudicet causam meã, & eruat me de manu tua.

17. Cùm autem complesset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit:

18. Dixítque ad Dauid: Iustior tu es quam ego:tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

19. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuã,& non occideris me.

20. Quis enim cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me.

21. Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël:

22. Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me,neque auferas nomen meum de domo patris mei.

23. Et iurauit Dauid Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam:& Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

IN CAP. XXIV. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers.1. *Ascendit ergo Dauid inde,& habitauit in locis tutissimis Engaddi.*]

1. Engaddi qua regio.

ENgaddi, vt docet Hieronymus in locis Hebraicis,iuxta mare mortuum est; ibi enim fuit ciuitas, à qua ager ille,ac vasta solitudo vocata fuit etiam *Engaddi.* Fuit autem locus ille amœnitatis eximiæ, vbi frutices quidam nascuntur,quos Cypros appellamus, qui balsamo stillant pretiosissimo. Cùm autem arbores illæ vitium multis modis similitudinẽ referãt,licèt plantæ illę viniferæ non sint;vineæ tamẽ,seu vineta dicuntur.Hæ porrò sunt illæ vineę Engaddi,de quibus Cant.1. vbi nos de illis nonnihil. De his Plinius lib.12.cap.25.vbi sic de frutice illo, qui vni tantùm Engadditano solo concessus est. *Hæc*, inquit, *arbuscula viti similior est, quàm myrto,malleolis seri dicitur,nuper vincta, vt vitis,implet colles vinearum modo.* Et ibidem arbusculæ ramos sarmenta vocat, quæ propria vinearum sunt. Ex hoc Engadditano tractu coniectura sumitur de illius regionis vbertate,ac specie,quam Deus demisso cœlitùs incendio cõsumpsit,quámque nunc aquæ maris mortui fœtentes oppleuerunt, quam Scriptura sacra Genes. 13. similem fuisse dicit paradiso Dei, cùm Engadditanus tractus coniunctus fuerit cum agro Sodomæo.

Ex deserto igitur Maon, vnde Saul reuocatus à nuncio necessariò recesserat, migrauit Dauid ad tractum Engaddi, quia ille asper erat, & inuius, & vel ipsa specie deterrere poterat inimicum, quantumuis aspiraret ad cædem, cùm vias haberet sic arduas,angustas,& præcipites,vt tantùm essent capris,& ibicibus peruiæ. Tum etiam quia cùm ibi habitarent Ziphæi, qui sua studia Sauli prolixè detulerant, quorum iam animos paulò antè cognouerat; non putabat ibi futurum esse latibulum, quod esset omninò à periculo vacuum. 2.

Vers.2. *Cumque reuersus esset Saul.*] Vixdum reuersus fuerat Saul, fugatis Palæstinis latrunculis, seu prædatoribus, qui Hebræorum agros, animósque turbauerãt, cùm ad opus interruptũ, eodẽ quo anteà spiritu, atque ardore reuertitur. Et cùm didicisset Dauidem ex Ziphæorũ finibus in Engadditanos cõmigrasse,eò secum rapuit tria virorum millia ex præcipuo suorum Hebræorum robore 3.

robore delecta; neque illius fregerunt ſtudium, & audaciam, acutiſſimi, atque prærupti ſcopuli, qui ſolùm ab ibicibus calcari poſſe videbantur. Sunt autem ibices dorcades, capreæque ſyluestres, quarum ſpecies numerat Plinius lib.8. cap. 53. *Sunt*, inquit, *caprę, ſunt rupicaprę, ſunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite vaſtis cornibus, gladiorúmque vaginis; in hac ſe librant, vt tormento aliquo rotati in petras potiſſimùm è monte aliquò in alium tranſilire quærentes, atque recuſſu pernicius, quò libuerit, exultant.* Et quidem de capris tam domeſticis, quàm feris, & agreſtibus mira narrant hiſtorici, quæ interdum non ambulare per ſcopulos, ſed ex ſcopulis potiùs pendere exiſtimantur, quæ tam paſtoribus, quàm venatoribus miras præbent voluptates, & ludos. De paſtoribus eſt illud Virgilianum eclog.1.

Ibices caprarum genus.

Iſte capellæ,
Non ego vos poſthac viridi proiectus in antro
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.

De venatoribus, Martialis lib.13.epigr.100.

Pendentem ſumma capream de rupe videbis,
Caſuram ſpectas, decipit illa canes.

4. Quod ſi ibices ſunt, quos Sardinia *Maſſones* vocat, quibus præ regionibus aliis maximè abundat, vim habet maiorem comparatio. Nam cùm hoc caprarum, ſeu tragelophorum genus caſum non metuet, etiamſi locus ſit altiſſimus, & cadentes capreas excipiant acutiſſimi ſilices, in omnia ſe diſcrimina coniiciunt; ſic tardam Regis molem per obuias quaſque ſalebras, & præruptas rupes agebat inuidia, nec mirum ſi belluarum more per ſyluas erraret, & ferinum amaret vitæ modum, cùm ferinus illum exagitaret furor.

5. Verſ.4. *Et venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti.*] Oues loca obeunt plerumque plana, certè non aſpera, atque interrupta ſalebris, quæ non horrent, imò plurimùm amant rupicaprę, & ibices. Tum quia in illis plerumque ſunt commodiora pabula; tum quia ibi tam pecudum, quàm paſtorum leuior labor. Primùm ergo Saul ad paſtorum caulas venit, quia in locis erant campeſtribus, neque ad inceſſum arduis; tum vt aliquid ab illis diſceret de Dauid, quem incertis indagabat veſtigiis, ſi fortè paſtores inueniſſet. Caulas autem eſſe puto ſpeluncas aliquas, ad quas turbidis temporibus ſua paſtores pecora cogebant.

6. *Erátque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem.*] Erant illa tempora magis ſimplicia, quàm quæ deinde conſecuta ſunt; aut certè furor omnem prodit maieſtatis curam; & cùm ambitio ſit honoris ſitientiſſima, tamen illa non verecundatur aut efficere audacter, aut negligenter omittere, quæ honori minùs, aut pudori fauent. Solebant olim, qui longè etiam aberant à fortuna Regiâ, portare in reliquo inſtructu viatorio vas aliquod, quod ventris onus exciperet, & hoc interdum è pretioſo metallo, quod laſanum appellabant. De quo eſt illud Horatianum lib.1. Satyr.6.

Prætorem quinque ſequuntur
Te pueri laſanum portantes, œnophorúmque.

Sed credo illa priora tempora, cùm nullum Saul haberet Regem in Iſraël, cuius ſequeretur exemplum, abſtinuiſſe ab hac ſuperba maieſtatis oſtentatione, neque aliquid feciſſe inuſitatum, aut à priori vitæ ratione, aut ab aliorum Principum exemplo.

Vbi Vulgatus, *vt purgaret ventrem*; Hebraicè eſt; *ad tegendum pedes*, quod vocabulo honeſto rem potiùs tegit, quàm explicat indecoram. Aliqui putant ideò opus illud naturæ per occultationem pedum ſignificari, quia cùm venter à ſuo leuatur onere, pedes operiuntur. Neque id mihi diſplicet, quia id facere aut debent, aut ſolent, qui modeſtiſſimè volunt naturæ eo onere laboranti ſubuenire: maximè apud Hebræos, quibus id præſtare difficile non fuit, cùm longas haberent veſtes, ſecùs atque nationes aliæ, quæ propter aſtrictas veſtes, breuioréſque lacinias id cōmodè præſtare non poſſunt. Sed quia id etiam neque perpetuum, imò neque facile ſemper eſt, tametſi id honeſtorum maximè exigeret modeſtia; ideò arbitror pedes hic ſumi figuratè, & pro re illa in virili ſexu honeſtè vſurpari, quæ non niſi inhoneſtè propriè ſignificari poſſet. Neque id nouum eſt in Scriptura ſacra, quæ *pedum* nomine obſcæna, & inuerecunda ſignificat. Exemplorum nos ſatis adduximus in noſtris Commentariis in Iſaiam ad illud cap. 6. *Et duabus velabant pedes eius.* Quod externis, atque profanis ſcriptoribus inuſitatum non eſt. Hoc enim dicendi genere vſus eſt Herodotus, imò oraculum quoddam, quod Herodotus refert, pedem ventris appellat, quod natura ſub ventre verecundè celauit; & quam propriè Iſaias vrinam appellaret, aquam vocauit pedum. Hac eadem phraſi idem naturæ opus in Æglone Moabitarum Rege, Iud.3. v.24. explicuit Scriptura. *Pes, pro abſcena corporis parte.*

In hoc autem apparet Scripturæ modeſtia, quòd ea, quæ turpitudinis aliquid habere videntur, ſiluit, & remouendo quod in eo opere inhoneſtè nudari poſſet, rem honeſto quodam artificio declarauit, neque quid attulit, niſi quod in re turpi honeſtè fieri ſolitum eſt. Eſt autem vſitatum ex actione aliqua, quæ alicui operi, aut arti familiaris eſt, opus illud, aut artem explicare. Quo modo dicimus aliquem pollinctum, & vnctum, quem functum eſſe vita ſignificamus. Et qui dixit apud Tullium aliquem cubito ſe emungere, ſalſamentarium ſignificare voluit, quia qui ſalſamenta curant, cubito ſolent nares emungere. Sic ergo quia in illo opere, quæ natura à ciborum reliquiis ventrem exonerat, homo tegit, quod eſſe nudatum pudor vetat; fit, vt pedes; id eſt, obſcæna tegere idem ſit, quod purgare ventrem. 8. *Scripturæ modeſtia in rerum turpium explicatione.* REGVLA. *Actio alicui rei familiaris pro re illa ponitur.*

Cur ad illud opus naturæ ingreſſus fuerit ſpeluncam Saul, multa dicunt Hebræorum magiſtri; quæ ego prudens omitto, & quia meo iudicio falſa ſunt, & quia non video quid poſſit vſus habere illorum cogitatio. Vide Abulenſem q. 5. Ingreſſus eſt autem ſpeluncam illam Saul, quia opus illud latebras amat, & ſeceſſum; neque vllus eſt tam abiectus, & ſordidus, qui rem illam alioqui neceſſariam ab hominum oculis non auertat. Seneca epiſt. 70. docet ſeruo cuidam nullum datum eſſe ſine cuſtode locum, niſi cùm ad corpus exonerandum ſecederet. 9.

Porrò Dauid, & viri eius in interiori parte ſpeluncæ latebant.] Magnam fuiſſe oportet ſpeluncam illam, quæ ſexcentos admiſit viros, atque illos ita celauit, vt Regis oculi, quantumuis vigilantes, & auidi, videre non potuerint. Huius rei cauſas varij varias adducunt. Ioſephus lib.6.c.14. ſpeluncā eſſe dicit longo receſſu opacam, anguſtā in principio fuiſſe indicat, & apertè affirmat in penitiore ſinu latè eſſe patentem. Quare ex ipſo ingreſſu ſuſpicari 10.

suspicari potuit Saul ibi non latere sexcentos viros, cùm pto tanta multitudine videret, aut certè existimaret non fore capacem. Lyra eam indicat esse causam, quia cùm spelunca esset prope viam, & fortasse via esset ex caulis, ad quas pastores hybernis, turbidisque temporibus includebant pecora, non putauit in locis minus à via, & hominum consuetudine remotis habitaturum Dauidem, neque ideò de spelunca perscrutanda curauit, neque vlla tunc subiit de Dauide cogitatio. Quæ ratio apud me leuis non est.

11. *Hebræorum fabula de Dauide, & spelunca.* Hebræi hoc loco mirè nugantur, neque pudebit referre, quæ ipsos fingere, & monumentis tradere non puduit. Dicam igitur quid q. 6. de illorum nugis dicat Abulensis, cui videre aliquando licuit Rabbinorum commenta, quæ nobis hoc tempore permissa non sunt. Dicunt enim, aliquando Dauidem quæsiisse à Domino, cur tria, quæ prorsus videbantur inania, in natura rerum esse voluerit: nempe homines stultos, araneam, & muscam. Cui Deus respondit, ipsum aliquando experientia cogniturum, non esse hæc tria prorsus otiosa. Quod in seipso Dauidem expertum esse dicunt. Nam cùm apud Achis stultum se esse simulasset, mortem effugit, quam, nisi eo vsus esset artificio, necessariò videbatur esse subiturus. Deinde cùm descenderet ad illum locum, vbi in castris noctu dormiebat Saul, quando lanceam ab illo sustulit, & scyphum, aiunt Rabbini incautè Dauidem inter Abneris crura, qui propè dormiebat, posuisse pedem; quem cùm extrahere non posset nisi excitato Abnere, quod Dauidi foret omninò exitio, cùm aduersus se vniuersa excitaret castra Saulis; repentè adfuit musca, cuius morsu explicuit Abner crura nondum solutus somno; & ea ratione Dauid præsens illud capitis periculum effugit. Sed sanè mirum est, quòd quisquam noctu mordentem muscam viderit: nam non vidisse, neque sensisse ipsum Abnerem ipsi docent Hebræi; qui dicunt illum mordente musca non tamen fuisse somno solutum. Quod de aranea fingunt, minùs quidem faciunt ineptè, fingunt tamen; certè non habent, vnde id ex Scriptura sacra coniectent. Dicunt enim, cùm primùm speluncam illam ingressus est Dauid, in ore interioris sinus aranearum telas esse pertextas, quare omnis recentis latebræ suspicio sublata est. Quod de S. Felice Episcopo Nolano sacri produnt annales. Hanc igitur dicunt esse causam, cur Saul existimare non debuerit intùs quemquam latere. Ego diuinæ prouidentiæ id totum attribuo, quæ Dauidem in eo rerum vestigio, quod sanè angustissimum fuit, seruare voluit. Quod si rationes quæras humanas, non videntur omninò contemnendæ, quas ex Lyra suprà, & Iosepho produximus.

12. Vers. 5. *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te; Ego tradam tibi inimicum tuum.*] Verba sunt illorum, qui in penitiori speluncæ recessu latebant cum Dauide, qui id, quod à Saule fieret ad ipsum speluncæ aditum illustratum à sole, intuebantur: qui instimulabant Dauidem, vt negotium illud molestum, ac periculosum vno ictu transigeret. Quod non esse tantùm vtile, sed etiam honestum, & cum religione coniunctum; quandoquidem conatus ille, si quid contra Regem audacius tentaret, auctorem Deum habuit. Illum enim diem, & articulum esse interpretabantur, quem Dominus antè promiserat, cùm dixit traditurum se Saulem in Dauidis manus quasi constrictum, ita vt de illius capite suo arbitratu, liberè, ac sine vllo periculo statueret. Quando hæc promissa à Domino acceperit Dauid, non constat, verum autem dixisse Dauidis socios non est dubitandum: neque res erat occulta, quando illi nouerant; neque, vt reor, sicut alia de se plura ignorabat Saul. Hæc, credo, Dauid sociis aperuerat, vt eorum solaretur animos, & ad dura tam inclementis, ac barbari Regis consilia confirmaret. Facilè enim homines obdurant contra omnia bellorum, fortunæque ludibria, cùm breuem putant futuram esse molestiam, & laboris propositam mercedem. Sed vnde id Dauidi à Domino prædictum, incertum est. Quidam à Gad, alij à Natham Prophetis acceptum esse credunt. Ego eò multò magis inclino, vt credam hoc à Samuele fuisse prædictum, quo tempore ad illum profectus est Dauid, cùm videret se à Saule ad mortem inquiri. Est autem verisimile tunc à Samuele didicisse Dauidem, futurum aliquando tempus, cùm in eius manus Rex ille inhumanus, inermis, & penè nudus, & quasi constrictus incideret. Aut certè, quia Dauid etiam Propheta fuit, idem hac à Domino promissione confortatus est.

13. *Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter.*] Quo animo surrexerit Dauid, incertum est, an vt oram chlamydis præcideret, quod postea fecit, an vt illum securum, & inermem occideret. In hoc posterius magis inclino, cum Abulensi quæst. 4. quia postea v. 11. ipsemet fatetur Dauid se de Saulis interitu cogitasse. Sic enim ille ad Saulem: *Cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.* Sed in medio cursu mutauit animum, neque tam voluit Regem occidere, quàm ostendere se facilè occidere potuisse; quod tunc abundè præstitit, cùm frustum ex chlamyde defectum ostendit. Mirabitur autem aliquis, quomodò Saul neque viderit, neque senserit Dauidem, imò neque vllum hauserit strepitum, cùm tamen proximè, vt apparet, accesserit Dauid. Sed vbi de Dei speciali cura, atque prouidentia constat, quam habuit in Dauidem, non est cur de reliquo laborandum putemus. Abulensis à Deo eo articulo inductam surditatem arbitratur, ita vt nihil audire potuerit. Neque hoc displicet; sed addere posset, immissam quoque fuisse ἀνεσθησίαν, id est, *cæcitatem*, sicut fecit olim cum Sodomæis, & aliquandiu post hæc tempora cum Syris in obsidione Samariæ. Et addit Abulensis, additam esse leuitatem pedibus Dauidis, ita vt gradum suspendere, & sine vllo strepitu ad Regem vsque peruenire potuerit. Sed fieri potuit, vt Rex deponeret chlamydem, vt illi naturæ operi commodiùs vacaret, & à se longiusculè reiiceret. Tunc verò accedere commodissimè potuit, & neque vidente, neque sentiente Rege cogitata perficere.

14. Vers. 6. *Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset,* &c.] Cogitarat priùs Dauid, vt diximus, Saulem occidere, sed ab eo consilio compunctum animum conscientia deterruit, & illa elegit, in quibus aliqua apparebat obseruantia, & nihil erat, quod pietas, aut religio damnaret. Quare satis habuit, abscissa chlamyde, referre secum seruatæ Regiæ vitæ illustre testimonium. Sed quia fidelis erat, ac pius Dauidis animus, in illa tanta

continentia aliquid habuit, quod non probaret, & quo læsam arbitraretur Regiam maiestatem; cùm decurtata chlamyde temeratam putaret Regiam personam, quam Deus sacro delibutam oleo ad regni culmen destinasset. Quare percussit Dauidem animus suus; id est, tristis quædam cogitatio, & angor conscientiæ, quasi consilium suum ipse damnaret, & infectum vellet, quod nimis præcipitato consilio fecisset imprudens.

15. Vers. 7. *Dixitque ad viros suos; propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini.*] Sperabant socij, cùm suo hortatu ad Saulis cædem Dauidem incitassent, & ille suorum votis satisfacere velle significasset, occisum iri Regem, & illum diem quotidianis molestiis, atque periculis finem allaturum. Cùm autem illum sospite Saule reuersum esse vident, rursus instimulant, vt Regem conficiat, neque oblatam diuinitùs occasionem perire sinat. Quod ille iurisiurandi interposita religione facturum se negat. Illud enim, *propitius sit mihi Deus*, absque dubio iuramenti forma est, ac si dicat; Aduersus mihi sit Deus, neque quid mihi ab illo succedat ex votis, si manus infideles, & impias attulero domino meo, & Regi vncto. Adducit autem duas rationes, cur nefas esse putet Regiam illam personam violare. Altera est, quia ipsius est dominus, atque ideò lex ipsa iubet, imò & rerum natura, vt illius seruet incolumem, non adimat vitam. Deinde quia corpus illud, quod gladius cõfoderet, sacrosanctum est ab vnctione sacra; sacra verò violare religio vetat. Propter quod lib. 2. cap. 1. gladio peremit illum, qui volentem Regem, & hoc ipsum orantem, imò & iam agentem animam occidit. Quæ duæ rationes satis produnt Dauidis ingenium liberale, & pium.

16. Vers. 8. *Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saul.*] Cùm viderent viri sexcenti, qui cum Dauide se in interiorem speluncæ secessum abdiderant, nihil grauius Saulem esse passum, statuerunt ipsi in Saulem irruere, & quod Dauid tentare non est ausus, rem totam temporis momento transigere. Sed repressit illorum efferuescentes animos, & ad cædem anhelantes Dauid, neque permisit, vt in Regem securum quicquam hostile molirẽtur. Orationem habuisse grauem, prout loci, & temporis facultas patiebatur, indicat illud, *confregit sermonibus.* Cuius illæ videntur grauissimæ fuisse rationes; quia dominus esset, & Rex, pro cuius vita omnem deberent aleam subire; neque fas esse sacrosanctum corpus, in quo redoleret adhuc aliquid ex oleo sacro, subditorum hominum ferro temerari. Perfecit denique sua auctoritate, & verborum pondere, ne quam à seruili manu Regium corpus pateretur iniuriam.

17. Vers. 9. *Egressus de spelunca clamauit post tergum Saul dicens: Domine mi Rex.*] Postquàm deposito ventris onere cæpit, quam instituerat viam, persequi Saul; egressus est Dauid, & quibus anteà modis, & fortasse magis officiosis, & obseruantiæ plenis suam pietatem, & obsequium ostendit; etiamsi nosset nihil illum amicum, aut sanum cogitare. Quare suum illum Regem, & dominum salutat, & inclinato corpore, & prono in terram vultu supplex adorat; nihil omisit denique, quod Regius fastus, & ambitiosa maiestas ab infimæ conditionis seruulo requireret. Hic porrò loquẽdi, ac salutandi modus, hic habitus hominis supplicantis, & cernui, optima est ab offenso, & ambitioso Principe beneuolentiæ comparandæ ratio. Deinde adhibet orationem, breuem quidem, quia id temporis exigebant angustiæ & animus Regis nondum pacatus; sed plenam dignitatis, plenam spiritus, in qua otiosa Rhetorum, & curiosa studia nihil desiderent. Primùm docet inanes esse, atque omninò fallaces voces illorum, qui Regi persuadere studebant, contra ipsius salutem, & vitam aliquid hostile meditari Dauidem. Quod ab effectu probat omninò dissentaneo. Quis enim credat, illum de eorum morte iniisse consilium, qui cùm facilè, ac tutò illorum possit spiritum extinguere, abstineat tamen manus, & abire patiatur incolumes? Cuius rei oblatam fuisse facultatem docet, cùm ostendat frustum è chlamyde desectum, & quemadmodum illum separatum à suis, & in spelunca quodammodò constrictum inuenerit.

18. Vers. 11. *Et cogitaui, vt occiderem te; sed pepercit tibi oculus meus.*] Ita loquitur Dauid ad Saulẽ demissè, vt modestè admoneat, sibi vt caueat, vel ab hominibus, si iniustè illos, & obstinato odio persequatur; vel certè à Deo, qui potentiorum calumnias, & iniurias impunitas abire non sinit. Quod à seipso probat, cuius animum subiit, vt Saulem occideret, & vno ictu à longa se vexatione liberaret; nihilominùs continuisse se, & dedisse vitam illi, cui sine periculo, & fortasse non iniustè potuisset eripere. Quid sit *oculum alicui parcere*, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem ad illud cap. 5. v. 11. *Et non parcet oculus meus, & non miserebor.* Qui dicendi modus in Scriptura sacra frequentissimus est. Ad quod eo loco obseruabamus, solere aliquod opus illi attribui, qui illud ab alio quopiam factum esse ostendit. Quo modo sol Eccli. 48. adiecisse dicitur dies Ezechiæ, quia signum fuit vitæ longioris. Quia ergo oculi animorum sunt indices, dum produnt, quid in animo lateat, sibi etiam vendicant id, quod animorum proprium est, nempe misereri, dolere, parcere. Quare sicut oculi dicuntur dolentes, hilares, quia animorum dolorem, & lætitiam indicant: sic etiam dicuntur misereri, ac parcere, quia miseratione commotum, & pronum ad veniam animum ostendunt.

Oculi cur dicantur parcere.

19. Vers. 12. *Tu autem insidiaris animæ meæ.*] Cùm animum suum innocentem, & ab omni alienum suspicione docuisset Dauid, nunc modestè iniquitatis coarguit Saulem, cùm ab illo exigat pœnas, qui nihil, cur vexari tam acerbè debeat, in Regem admiserit. Quare monet, vt à Deo, cui miserorum, & innocentium tutela credita est, tanquam à supremo, atque vniuersali vindice supplicium expectet, cui ipse suam causam integram committit, orátque, vt illam cum Saulis siue iniuria, siue innocentia componat; & quid aut probet, aut improbet, ipse iudex statuat, & puniat; neque aliquid Saul à Dauidis manu aduersum accipiat. Illud: *Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciscatur me Dominus ex te.* Non est optantis, aut imprecantis, sed prædicentis futurum, vt Dominus causam iudicet, & illatas Dauidi iniurias, & vexationes vlciscatur, etiãsi Dauid manus à cæde, atque vltione contineat. Illud enim valet, *Manus autem mea non sit in te.* Quasi dicat, ego in te, ô Rex, nihil moliar hostile; at Deus, sat scio, iniuriarum mearum iudex, & vltor existet.

20. Vers. 14. *Sicut & in prouerbio antiquo dicitur, ab impiis egredietur impietas.*] Duo in sacris literis valet *impietas*, sicut etiã *iniquitas*, *malitia*, *peccatum*, & similia. Alterum propriè, nẽpè opus sceleratum, & impium: alterum figuratè, scilicet impietatis,

atque

atque peccati pœnam. Ex hac duplici significatione duplex quoque eruitur sententia. Altera Dauidem à peccato purgat; ab illo, inquam, peccato, quo Regiæ vitæ insidiatus arguitur: ab impiis enim egreditur impietas, sicut etiam pietas egreditur à piis. Non est autem verisimile, impium aliquid quempiam esse molitum in eum, quem obseruanter, & piè prosecutus est. Cùm ergo dixisset proximè Dauid: *Manus autem mea non sit in te*; id ab ipsa rerum natura probat; neque enim impietas, qualis esset, in dominum, ac Regem insidias instruxisse; egreditur nisi ab impiis, quorum ipse mores, & imaginem horret. Et hæc videtur prouerbij genuina sententia. Neque pauca sunt in omni lingua in eadem significatione prouerbia, quæ tales esse dicit cogitationes, & opera, qualis est auctor.

PROVER. *Ab impio impietas.*

21. Si verò iniquitatem, aut impietatem pro supplicio impietatis adhibeas, sensus erit meo iudicio proprius, & magis consequentibus accómodatus. Etiamsi manus mea nihil contra te hostile moliatur; neque alius quiuis iussu meo de vltione capienda pro me, aut de tua morum intéperantia castiganda cogitet, non deerit aliquis impius, qui id audeat, & compleat. Quod si hic etiam absit, tua tamen conscientia pœnas abs te exiget scelerati consilij; imò à teipso tute pœnas exiges, non aliena manu, ac ferro, sed omninò tuo. Quod sanè ita accidit; nam paulò post hunc articulum Rex ipse à Palæstinis victus, vt ignominiã, & ludibrium vitaret, in suum sibi gladium incubuit, neque de sua vita minùs consuluit hostiliter, quàm consuleret hostis, aut quicunque Dauidis iniurias vlcisci vellet. In hanc sententiã inclinant Abulensis, & Lyra, Dionysius, & Vatablus; & mihi omninò placet. Istud prouerbium in Scriptura sacra non inuenio; fortasse sumptum est ex vulgi consuetudine, licèt sententia illa in Scriptura sacra infrequens non sit.

22. Vers. 15. *Canem mortuum persequeris, & culicem vnum.*] Minùs decere indicat dignitatem Regiã, bellum suscipere cum hoste neque nobili, neque robusto, ex cuius insectatione nihil referre potest præter ignominiam, si nihil eorum, quæ captabat ex illo certamine, consequatur: quòd si ex votis cogitata succedant, non maiorem consequetur gloriam ex illa victoria, quàm si mortuum insectaretur canem, aut pulicẽ vnum. Hæc pars apud eos, qui appetentes sunt gloriæ, & magno in loco apud alios haberi volunt, grauissima est, quam Rhetores *ab honesto* dicunt. Est autem hoc Hebræorum prouerbium, quod mirè extenuat alicuius conditionem miseram, & vilem. *Canis* aliquid indicat odiosum, & fœtidum; quòd si addas *mortuum*, nihil dixeris odiosius, & vilius. Sic de Semei homine impuro, & vili dixit Abisai, 2. Reg. cap. 16. *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo Regi?* Talem ergo se Dauid appellat, vt vel ea compellatione insolentis Regis ambitionem frangat.

Canis mortuus, pro re vilissima.

23. *Et culicem vnum.*] Hoc etiam vilissimi ingenij est, *culicem* venari, aut persequi. Sanè valde apud posteros laborauit Domitiani nomen, qui in secessu separatus licèt ab spectatorum oculis muscas venabatur. Vsus est hoc eodem prouerbio Dauid infrà cap. 26. *Egressus est Rex Israël, vt quaerat pulicem vnum.*

Culex, pro re nihili.

24. Vers. 17. *Nunquid vox haec tua est fili mi Dauid?*] En quàm mutatus est Saul à seipso! Quem modò quærebat ad cædem, insidiatorem appellabat, & vt illum venaretur vt feram, vitam ipse duce-

A bat ferinam, & agrestem; iam filium appellat paterno blandimento; & quasi vocem illius suauiter resonantem audiret, de vocis auctore, seu moderatore rogat, quasi non credat eius esse vocem, quem ipse amore deperiret ardenti. Tanta animi mutatio facta est, vt nunc cum suauitate audire videatur illius vocem, quam antè quasi leoninum fremitum horrebat.

Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit.] Fletus iste 25.
Saulis ortus esse videtur ex cognitione Dauidis innocentiæ, & suæ iampridem obstinatæ malitiæ, qua illum tot modis exquisiisset ad cædem. Maximè cùm accederet modesta illa, atque humilis oratio, qua se canẽ appellarat mortuum, & vnum è culicibus; cùm tamen ipse experientia iam sæpè didicisset, illo in Israële toto robustiorem esse neminem; neminem in re bellica magis aut fortunatum, aut industrium. Est sanè humilitas maximè in eo, quem corporis, atque animi ornamẽta commendant, ad domandos, & inclinandos animos, & frangendum furorem potentissima; neque credo contra ingenuos spiritus aliquid opponi posse potentius. Sanè cùm ira Regis, ira sit leonis, neque aliter in furore, quàm leo rugiat; sermo tamen mollis iram fregit Regis, sicut prostrata fera furorem sedat, & rabiem leonis. De quo Claudianus optimè:

B

—Toruique leones
Quæ strauisse valent, ea mox prostrata relinquunt,
Nec nisi bellantis gaudent ceruice iuuenci
Nobiliore fame.

C

Qua de re graues passim occurrent in omni literatura sententiæ, à quibus ego commemorandis abstineo; nonnihil tamen addam ad finem capitis.

Vers. 18. *Dixitque ad Dauid: iustior es, quàm ego.*] 26.
Iam agnoscit, fatetúrque Dauidem esse iustum, se autem illum esse, qui omnem iustitiæ modum abiecisse videatur, cùm in eum, à quo tot fuerit cumulatus officiis, sic fuerit iniurius, vt pro gratia, quam multis nominibus fuerat antè promeritus, iniuriam, odium, vexationémque retulerit. Cúmque alibi sæpè benè in Regem affecti animi præclara documenta dederit; nunc tamen ita dedit illustria, vt vel cæcis possint esse notissima. Cùm enim eò esset adductus, vt effugere non posset inimici manus; continuit tamen iustum, & multis stimulis irritatum furorem, & abire ex laqueo permisit incolumem. Ecquis enim est, qui cùm illigatum videat inimicum, & minarum adhuc spirantem, cum bona gratia liberum, atque intactum dimittat? Quare orat, vt quando à se sperari nihil possit boni, Deus illi pro tanta humanitate, & tam ingenui pectoris officio beneficium rependat. Ac tandem obsecrat, vt quando illum Regium nomen, atque potestas manet, de quo ipse non dubitat; & nunc certissimè ex eo tandem didicit, quia in illo Regios spiritus; id est, ingenuos, & clementes agnouit; ne semen suum, quod ipse ingenij sui, ac morum intemperie prodiderat, & iustæ vindictæ fecerat obnoxium, perdat, sed potiùs amplectatur, & foueat; sicut de suo genere sollicitus Ionathas sub eadem iurisiurandi forma paulò antè cauerat.

D

E

Vers. 22. *Neque auferas nomen meum de domo patris mei*] Duas hîc ego explicationes intueor; alteram communem, quæ in nomine Saulis, quod de paterna domo deleri non vult, progeniem intelligit Saulis; qua stante, stare quoque existimatur Saulis nomen, imò pater ipse, 27.

qui in filiis ſuis quaſi in imagine viuere exiſtimatur. Quare hæc verba ſuperiorum explicatio ſunt, neque eſt diuerſa, ſed eadem omninò iterata ſententia. Quam ego expoſitionem ita probo, vt mihi non diſpliceat illa, quam modò producam.

28. *Filij degeneres non ſolùm ab hæreditate, ſed etiam à familia dejecti.*

Certum eſt, in omni fermè natione, & apud Hebræos maximè, filios, qui degeneres à parentum ſuorum nobilitate fuerint, aut aliqua turpiori nota familiam obſcurarint, ſolere non ſolùm ab hæreditate depelli, quod eſt vſitatum magis, & à lege permiſſum; ſed etiam expungi à filiorum cenſu, & abdicari à familia. *Abdicare*, inquit Nonius, *eſt familia abiicere.* Idem cenſet Feſtus, Quintilianus lib. 3. cap. 6. *abdicatum* interpretatur, qui à familia patris abalienatus eſt. Quod apud Græcos vſitatum fuit. Certè id ſatis oſtendit Plato lib. 11. de legibus. *Si patres*, inquit, *velint filium per præconem coram omnibus abdicare, ne amplius ſecundum legem ſit filius.* Quod abdicationis genus non admiſere Romani, de quo Imperator, l. 6. cap. de patria poteſtate. Quod item aliquando fecerunt alieni, qui propter filiorum delicta, illos è nobilium familiarum ſtemmate, ſeu imaginum lineis expungendos eſſe cenſuerunt. Sanè ex illuſtrium familiarum imaginibus ſublati ſunt Caſſius, & Brutus, quia Iulio Cæſari manus attulerunt violentas. Tacitus lib. 3. in fine, cùm ageret de Iuniæ funere, quæ Caſſij vxor fuit, & Bruti ſoror, ad extremum addit: *Viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatæ ſunt, Manly, Quinty, aliáque eiuſdem nobilitatis nomina. Sed præfulgebant Caſſius, atque Brutus, eo ipſo quòd effigies eorum non viſebantur.* Et idem lib. 2. longiuſculè ante medium prodit, decretum eſſe, ne imago Libonis exequias poſterorum comitaretur, quaſi alienus foret à nobili familia. Et ne quis Scribonius cognomentum Druſi aſſumeret. Hoc verò nihil videtur eſſe aliud, quàm aliquem ex nobili familia deleri.

29. *Quæ inauſpicata ſint, & vilia in aliorum ordine, & cenſu numerari non ſolent.*

Id verò magis, opinor, vſitatum fuit apud Hebræos: nam quemadmodùm ſæpè alieni adoptabantur in filios, ſic etiam abdicabantur filij, & abalienabantur à paterna domo tanquam extranei. Sic ſæpè ad Hebræorum morem Deus Iſraëlitas dicit ſuos non eſſe filios. Sic quod aliquo nomine, aut turpitudinis nota infauſtum eſt, & triſte, inter illa, quæ in eodem ordine ſunt, non putamus eſſe numeranda. Sic Iob cap. 3. orat, ne nox, in qua natus eſt, cum noctibus aliis

Iob 3. numeretur, ſed quaſi damnata ex aliarum expungatur numero, & curſu. *Ne computetur*, inquit, *in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* Neque alio fortaſſe ſenſu Iacob iam moriturus de Simeone, & Leui, qui aduerſus Sichimitas arma

Gen. 49. ſumpſerunt, dixit Geneſ. cap. 49. *Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël.* Qui vt hos abalienauit à filiorum cætu, ſic etiam duos in illorum numerum adoptauit, Ephraim, & Manaſſe. Sic ergo ex ſuis promeritis optimè coniectabat Saul, aut meritò timebat, ne illius nomen è paterna familia deleretur, quia id illius exigebant peccata, ne ipſius nomen vnquam audiretur in Iſraël: an deletum fuerit, incertum eſt; expunctum tamen fuiſſe indicat, quòd cùm ex illius genere natus fuerit Mardochæus, cùm illius parentum audiantur nomina ad Cis vſque nomen, qui pater fuit Saulis, huius tamen nomen duobus locis prætermiſſum eſt. Eſther cap. 2. verſ. 5. *Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate vocabulo Mardochæus filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini,*

Saul ex ſua familia videtur expunctus.

A Hoc idem repetitur cap. 11. verſ. 4. Cùm autem inter Semei, & Cis multi fuerint omiſſi ex Mardochæi maioribus; non tamen videbatur prætereundus Saul, niſi ille è paterna domo ab aliquo ex Dauidis poſteris foret expunctus, cùm Regium illi nomen maximam ſupra reliquos è familia Cis auctoritatem conciliaſſet.

Verſ. 23. *Et iurauit Dauid Saulı.*] Promiſit Da- 30.
uid, ſicut anteà Ionathæ, quod orarat Saul. Quomodò tamen ſalua fide, & iuramenti religione aliquot Saulis filios Gabaonitis tradiderit, vt agerentur in crucem, ſuo dicemus loco, vbi ventum fuerit ad cap. 21. lib. 2. Regum.

Et Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.] Norat Dauid Saulis ingenium, maximè ex 31.
B quo illum malus exagitauit ſpiritus; norat ineffrænatum impetum, & inconſtantem animum. Quare non putabat minùs ab illo cauendum eſſe, cùm promitteret omnia, quàm cùm omnia aduerſa minaretur. Atque ideò etiamſi illum domum redeuntem videret, & ab ſpelunca recedere, vbi cum ſociis proximè latuerat; non tamen putauit ibi ſe futurum eſſe tutum, quia dæmonis, qui iam Saulem obſidere cæperat, nullas credebat inducias inſidiis carere. Tutiora igitur quærit diuerticula; & relicta terra, vbi laqueis eſt, & foueis opportunus locus, altiora conſcendit. Quod documentum viri ſpirituales maximè commendant his, qui in agone, quem cum dæmone habere debent aſſiduum, victores eſſe
C ſtudent, ne quid ſibi ab oblatis induciis, aut fucata ſecuritate promittant. Nunquam enim magis inimicus nocet, quàm cùm blanditur, cùm lætam oſtentat frontem, cùm de noſtris votis magis videtur eſſe ſollicitus. Exempla occurrunt plurima; ex hoc ipſo tempore, in quo nunc verſamur, pauca habeto. Interfecit Ioab Amaſam, cùm illi magnum beneuolentiæ ſignum oſtendiſſet, 2. Reg. 20. Occidit Abſalom fratrem Ammonem, cùm illum ad ſplendidam menſam inuitauit, quando ab inſidiis magis videbatur fore ſecurus. Idem accidit Simoni, 1. Machab. 16. in conuiuio, quod illi in amicitiæ fœdus, & ſignum Ptolomæus parauerat. Tales ſunt aut Syrenum cantus, aut crocodili lachrymæ: hæç
D enim dum aut ſuauitate delectant, aut dolorem noſtrum ferre ſe ſimulant familiariter, vitæ noſtræ magis inſidiantur hoſtiliter. Hæc de cap. 24. Nunc pauca ad extremum addenda ex Patribus.

Dæmonis, cùm maximè videtur à tentatione ceſſaſſe, fraudes timenda. Dæmõ, cùm blanditur, magis timẽdum.

Gregorius 3. p. Paſtoral. admon. 5. in Saule, 32.
cui, dum ventrem leuat, ima chlamydis ora deſecatur, ſuperiores intelligit, qui ab inferioribus reprehenduntur; vbi, quo id modo fieri debeat, docet; *Quid*, inquit, *per Saul, niſi mali rectores; quid per Dauid, niſi boni ſubditi deſignantur? Saul igitur ventrem purgare, eſt prauos præpoſitos conceptam in corde malitiam vſque ad opera miſeri odoris extendere, & cogitata apud ſe noxia factis exterioribus exequendo monſtrare. Quem tamen*
E *Dauid ferire metuit; quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes præpoſitorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cùm de imperfectione reprehendunt.* Vide reliqua. Idem lib. 12. epiſt. 31. maximè commendat ſubditis Dauidis exemplo, ne quid de Superiorum exiſtimatione detrahant, quia illorum detractio, ſiue vexatio ad Chriſtum pertinet, & eius Eccleſiam.

Prælatorum fama à ſubditis conſulendum.

Nec minùs grauiter, aut vtiliter ad mores Chry- 33.
ſoſtomus tomo 1. homil. de Dauide, & Saule, vbi

vbi Dauidis oratione mutatum esse dicit Regis animum. Tanta vis est orationis, humiliantis se, quæque nihil sonat iracundum, nihil minax, sed potiùs hostibus omnia se optare dicit secunda. Sanè verum est illud Prouerb. 5. *Responsio mollis frangit iram.* Et quam, Deus bone, iram? Iram Regis, de qua Prouerb. 19. v. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis.* & 16. v. 4. *Indignatio Regis nuncij mortis, & vir sapiens placabit eam.* Sanè sapiens Dauid, qui indignationem placauit Regis, & ex eius animo duriore silice dolorem, & lachrymas excussit; cùm tamen illam indignationē inflāmaret inuidia, vrgeret diabolus, & instimularet ambitio, quæ Regium nomen ad alium transferendum timebat. *Quanta*, inquit Chrysostomus, *subitò facta est mutatio? Qui nunquam sustinuerat illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur Dauide felicius, qui ex homicida fecit patrem, è lupo ouem, qui fornacem iracundiæ multo impleuit rore, quique tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem ira exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Dauidis ingressa in animum ipsius efferati totam hanc perfecerunt immutationem: quod è Saulis verbis deprehendas licet. Neque enim dixit, sermones tui isti, fili Dauid; sed vox tua ista, fili Dauid: adeò mox ad vocem ipsam incaluit.* Vide reliqua, quæ perbella sunt, vbi præclara à Chrysostomo documenta traduntur, quæ plurimùm valent ad sedandos iratos, & offensos animos; vt à quo offensus es, officiis occupes, honore præuenias, prior salutes. Quæ omnia sic tractat luculenter, vt hîc, si vspiam, maximè Chrysostomum agnoscas.

Oratio officiosa, & mollis furorem sedat.

IN CAP. XXV. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

SVB id tempus decessit Samuel, cui à toto populo magnificè, ac piè parētatū est. Erat autē in Carmelo homo potens, & diues, nomine Nabal, qui numerosos alebat greges, quorum cùm tonsionis venisset tempus, splendidum sibi, ac suis conuiuium instruxerat. A quo Dauid per legatos orat, vt suam necessitatem, quo posset modo, atque subsidio leuet, & quanto vsui gregibus illius, ac pastoribus fuerit, edocet. Ille legatos, vt erat homo obtusi, atque crudelis ingenij, non solùm ab omni subsidio vacuos, sed etiam conuitiis eneratos dimittit: suspicati serui, qui & honestam petitionem, & responsum durum Domini sui, atque illiberatè audierant, quid timeri posset à Dauide ob illam Nabalis intemperiem infenso, adeunt Abigail illius vxorem, cuius singularem prudentiam exploratam habebant; Dauidis merita commemorant, monéntque vt illius offensioni quamprimùm occurrat. Quod ipsa fecit diligenter, & sedulò, oneratisque asinis illis naturæ subsidiis, quæ à viro suo legati petierant, obuiam fit Dauidi, qui cum armata manu, vt graues à Nabale, ingratáque familia pœnas exigeret, veniebat, illúmque, & oblatis donis, & oratione graui, & eleganti sibi, ac marito placat. Intereà Nabal in geniali mensa cibis indulgebat, & poculis, & crastina luce, cùm iam edormisset, digessisset que vinum, quo ad ebrietatem vsque maduerat, cùm quid fecisset vxor, & quid facturus esset Dauid, nisi prudens vxoris intercessisset consilium, cognosceret, obstupuit, & cor in lapidis similitudinem obduruit. Ac decimo tandem die defunctus est. Quod cùm audiisset Dauid, gratias egit Deo, quòd ipse manus suas seruasset innoxias, & quòd eo modo Nabalis causa iudicata, suas Deo res esse curæ intelligeret: cúmque Abigail à viro iam solutam esse cerneret, illam sibi ad matrimonium deposcit, quod illa admisit non grauatè, & eodem tempore Sol abductam à Dauide filiam Michol alteri despondit.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

1. MOrtuus est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israel, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgénsque Dauid descendit in desertum Pharam.

2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erántque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo.

3. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail: erátque mulier illa prudentissima & speciosa: porrò vir eius durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb.

4. Cùm ergo audisset Dauid in deserto quòd tonderet Nabal gregem suum,

5. Misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè.

6. Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax: & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.

7. Audiui quòd tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo.

8. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis: & filio tuo Dauid.

9. Cúmque venissent pueri Dauid, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid: & siluerunt.

10. Respondens autem Nabal pueris Dauid, ait: Quis en Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos.

11. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint?

12. Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & nunciauerunt ei omnia verba quæ dixerat.

13. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctúsque est & Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas.

14. Abigail autem vxori Nabal nunciauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuncios de deserto, vt benedicerent domino nostro: & aduersatus est eos.

15. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conuersati cùm eis in deserto:

16. Pro muro erant nobis tam in nocte quàm in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges.

17. Quam ob rem considera, & recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.

18. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos:

19. Dixítque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicauit.

20. Cùm ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, Dauid & viri eius descendebant in occursum eius, quibus & illa occurrit.

21. Et ait Dauid: Verè frustra seruaui omnia quæ huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

22. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.

23. Cùm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram,

24. Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum, iniquum Nabal: quoniam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti.

26. Nunc ergo domine mi, viuit dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum.

27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum.

28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris; malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium, apud Dominũ Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.

30. Cùm ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel,

31. Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: & cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

32. Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum,

33. Et

33. Et benedicta tu,quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.

34. Alioquin viuit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi:nisi citò venisses in occursum mihi, nõ remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam,mingens ad parietem.

35. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixítque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuam,& honoraui faciem tuam.

36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis; & non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsque manè.

37. Dilueculo autem cùm digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.

38. Cùmque pertrãsissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

39. Quod cùm audisset Dauid mortuum Nabal,ait:Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem.

40. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te,vt accipiat te sibi in vxorem.

41. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.

42. Et festinauit:& surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ eius, & secuta est nuncios Dauid: & facta est illi vxor.

43. Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrael:& fuit vtraque vxor eius.

44. Saul autem dedit Michol filiam suam,vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

IN CAPVT XXV. LIB. I. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Mortuus est autem Samuel.*

1. QVOTO anno regni Saulis decesserit Samuel, incertum est,& tanta in eo assignando varietas, quanta in constituendo spatio regni Saulis. Qua in re nobis laborandum non est, qui suprà statuimus, Saulis regnum non fuisse productum vltra biennium. Quocircà cùm paulò ante Saulem defunctus fuerit Samuel,non est dubitandum sub finem anni secundi regni decessisse. Seder Olam tradit cap.13. Samuelem ante Saulis obitum quatuor tantùm mensibus fuisse defunctum.

2. *Et congregatus est vniuersus Israel, & planxerunt eum.*] Scriptura sacra,quæ à quotidiani sermonis vsu non recedit, vniuersali voce significat ea, in quibus multitudinis potiùs est, & frequentiæ, quàm propria vniuersalitatis ratio. Sic totus Israël dicitur secutus Absalomem lib.2. Reg. cap. 25. & totus mundus abire post Christum dicitur, Ioannis cap.12.v.19.& tamen scimus, neque totum mundum abiisse post Christum,neque totum Israelem adhæsisse Absalomi. Sic ergo quia frequentes ex omnibus tribubus Israëlis interfuerunt Samuelis exequiis; ideò vniuersus Israël ad illius funus, & planctum congregatus dicitur. Porrò quid sit apud Hebræos plangere in alicuius funere,docuit Hieron. epist.25.ad Paulã:*Stephano*, inquit,*fecerunt Hierosolymæ fratres planctum magnum. Et vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est. Denique de Iacob Scriptura sic loquitur: Et ascendit Ioseph sepelire patrem suum:& ascenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis,& seniores domus eius, & seniores omnis terræ Ægypti,& omnis domus Ioseph,& fratres eius. Et post paululum: Et ascenderunt cum eo quadrigæ,& equites, & facta sunt castra grandia nimis. Ac deinde: Et planxerunt eum planctu magno,& forti nimis. Planctus iste solemnis non longas Ægyptiis imperat lacrymas,sed funeris monstrat ornatum. Iuxta quem modum Aaron quoque,& Moysem fletos esse manifestum est.*

REGVLA. *Vniuersale signum aliquãdo paucitatem,aut multitudinẽ significat.*

Plãctus, seu luctus in funere quid.

Sepultus est autem in Ramatha, natali videlicet solo; inde tamen illius ossa longè pòst Constantinopolim fuisse translata, magnáque haberi in veneratione tradit Hieronymus contra Vigilantium. Nicephorus, lib. 14. capite 10. Ibi autẽ in illius honorem templum fuisse à Iustiniano constructum,auctor est Procopius lib.5.de ædificiis Iustiniani. 3.

Consurgénsque Dauid descendit in desertum Pharam.] *Pharam* oppidum est, de quo Hieronymus in locis Hebraicis,v.Faran. Quod esse dicit trans Arabiam iunctum Saracenis, qui in solitudine vagi errant: & per hoc iter feciisse filios Israël, cùm de monte Sina castra mouissent.Sed est etiam desertum à Sinai monte vsque ad illam partem terræ promissionis, quæ attingit fines Iuda. In quo deserto habitarunt Ismaelitæ, qui & Saraceni,vt docet suprà Hieronymus; & descendit hoc tempore Dauid.Quod ipse indicat, imò meo iudicio docet ipse Dauid non obscurè, cùm dicit, Psal.119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est,habitaui cum habitantibus Cedar.* Cedarenos autem habitasse in deserto Pharam, nemini credo dubium. Cùm autem Dauid ex spelunca, quæ 4. *Desertum Pharan.*

erat

erat in montibus Engaddi, migrasse dicitur ad tutiora loca, ad Pharam, vt apparet, profectus est; ad illam, inquam, partē deserti, quæ non lōgè abest ab his locis, vbi anteà Dauid, & illius socij habuere latibulum; nempè à Ziphæis, Maon, & Carmelo, de quo statim; quæ omnia proxima sibi sunt, & pertinent ad Tribum Iuda; vt liquet ex Iosue cap. 15. v. 55. Non tamen constat, quo in loco primùm considerit Dauid, postquàm ex Engadditano secessu profectus est. Videtur autem elegisse sibi collem Hachila, vt indicat cap. 26. in regione Ziphæorum.

5. Vers. 2. *Erat autem vir quispiam in solitudine Maon.*] Diximus, Carmelum proximum esse solitudini Maon, in Ziphæorum, vt reor, finibus. Eo autem loco vir erat potens nomine Nabal, cui res erat ampla pecuaria, & rustica, homo ingenio illiberali, distorto, & duro, ex genere Caleb, cui vxor erat ingenio, moribus diuersa, tum etiam eleganti forma, & prudentia singulari, nomine Abigail.

6. Vers. 4. *Cùm ergo audiisset Dauid in deserto, quòd tonderet Nabal gregem suum.*] Commune fuit Hebræis, cùm fructus perciperent siue ex agris, & vineis, siue ex pecore, habere lætos, & geniales dies. De messe est illud Isaiæ c. 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda.* Hoc idem de vindemia dicit Isaias, cap. 16. v. 10. *Auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit, neque iubilabit, vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat, vocem calcantium abstuli.* Pro *voce calcantium*, cùm hæc eadem repeteret Ierem. cap. 48. v. 33. *celeusma* posuit. *Nequaquam*, inquit, *calcator vuæ solitum celeusma* 7. *cantabit.* Eodem modo in ouium tonsione, quando maior è pecude capitur fructus, dies genialibus celebrantur conuiuiis; quod planè docet hic locus. Neque enim nosset Dauid conuiuiis indulgere splendidis Nabal, nisi experientia nosset (maximè cùm vitam aliquandiu pastoritiā egisset) dum tondentur greges, dies sumi hilares, & splendidos. Quod etiam docuit Absalom: nam cùm tonderet gregem, inuitauit Dauidem Regem ad conuiuium; neque aliam adduxit causam, quàm quòd eo die greges tonderentur. Sic autem Absalom ad patrem, c. 13. v. 24. *Ecce tondentur oues serui tui, veniat oro Rex cum seruis suis ad seruū suū.* Et v. 27. *Fecerat Absalom conuiuium, quasi conuiuium Regis.* Iuxta patriam igitur consuetudinem Nabal homo potens, splendidum amicis, & famulis conuiuium adornarat, quod v. 36. quasi conuiuiū Regis fuisse traditur. Quam occasionem Dauid perire noluit, sed decem ex sociis, quos secum habuit in deserto, cum his mandatis mittit ad Nabal. Iubet primùm, vt illum verbis salutent humanissimis, precentúrque non ipsi solùm, sed etiam toti familiæ, & his, qui cum ipso aderant, quos beneuolentiæ gratia fratres appellat; rebus denique omnibus, quæ ad ipsum quoquo modo pertinerent, pacem; id est, fortunam bonam; ne videlicet illis aliquid contingat aduersum. Et doceant tandem, quo in statu sit illorum sine vllo suo merito vexata conditio: quemadmodum cùm extrema paterentur in ea solitudine; nullam tamen ipsius pastoribus attulerint molestiam; cuius rei pastores ipsos testes accersere non esset difficile. Quare cùm in die bona venerint, quando dies sunt abundantes, & hilares, orare se, vt ex illa tanta rerum abundantia ad homines inopes, neque malè de gregibus, pastoribúsque meritos pars aliqua pertineat. Ad hæc mandata, quæ, vt erant à Dauide præscripta, à decem legatis delata sunt, sic respondit homo durus, & agrestis.

Lati dies Hebræis cū fructus ex pecore, messe, & vinea caperent.

A

B

C

D

E

Vers. 10. *Quis est Dauid? & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.*] Non solùm non tradidit Nabal id, quod per legatos supplex orauerat Dauid, sed etiam illos, & Dauidem ipsum contumeliis oneratos dimisit. Et primùm ignorare se dicit Dauidem, dum ait: *Quis est Dauid?* Quo dicendi genere tunc vtimur, quando aliquem contemnimus, aut nihil illi nos debere significamus; quasi ille nullo ad nos modo, iuréque pertineat. Quomodò Pharao cùm mandatum per Moysem accepisset à Domino; quasi Deū neque reuereretur, neque curaret, dixit, Exod. 5. v. 2. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Deinde appellat *filium Isai*, quod, vt diximus cap. 20. genus est conuitij. 8. *Nabal dura, & inurbana responsio.*

Hodie increuerunt serui.] Hæc non ad Dauidem 9. solùm spectant, sed etiam ad Dauidis socios, quos seruos appellat fugitiuos, & tamen Reges videri volunt, & aliis imperare, quæ sibi ad victum, vitæque subsidium necessaria sunt; quod intolerabilis est non arrogantiæ solùm, sed etiam impudentiæ. Illud, *increuerunt serui*, sic accipiunt communiter Interpretes, vt putent significari multiplicatos esse seruos à dominorum suorum dominatu fugitiuos, & ex illis conflatum esse latronum infensum, & copiosum agmen. Quod mihi placet, maximè cùm verbum רבו *rabbu*, pro quo noster Interpres, *increuerunt*, reddidit, id frequentiùs significet. Sed sanè verbum illud non solùm in quantitate, & numero, sed etiam in qualitate incrementum valet. Quare qui honore augetur, & dignitate, vt magister, & doctor רב *rab*, appellatur, seu *rabi*. Sanè illud Iob 32. v. 9. לא רבים יחכמו *lorabim iechamu*; pro quo Vulgatus: *Non sunt longæui sapientes*; alij *honorabiles* conuertunt, vt Pagninus; alij *Magnates*, vt Tigurina, & Vatablus. Et quidem verbum Latinum *incresco*, non tam quantitatem discretam; id est, augmentum in multitudine, quàm incrementum in quantitate continua, aut dignitate valet. Quare ego in hanc explicationem magis propendeo, & Nabal verba in hunc modum accipio. Hodie serui vilissimi, qui propter sua aut flagitia, aut æris alieni, quod dissoluere non possunt, graue pondus, à dominis, quorum imperio subeuant, effugerunt, increuerunt, id est, spiritus arrogant sibi Regios, ad aliquod quasi dignitatis incrementum sublati, ita vt ab aliis, quasi à vectigalibus, & subditis, victum suo sibi iure imperiosè exigant. Sed neque id extorquebunt à me, neque committam, vt quæ tonsoribus meis, ac domesticis paraui, illa deuorent, quos neque noui, neque nosse velim.

Mentitur hoc loco planè Nabal; neque enim 10. hoc loco Dauid quasi dominus imperat, sed quasi rerum omnium egenus supplex orat, quodcúmque porrigere voluerit alimentum. *Quodcumque*, inquit, *inuenerit manus tua, da seruis tuis. Quid differunt*, inquit Theodoretus, *hæc verba à verbis, quibus vtuntur mendici?* Sed sanè si verum esset, quod Dauidi, & sociis obiicit Nabal, satis *haberet* graue offensionis causam; est enim intolerabile, eos, qui cùm ex humili sint, & obscuro loco; videri tamen volunt Principes, & aliis ius dicere, & in aliorum non solùm opes, sed corpus plenam habere potestatem. Qua de re acuta sunt sapientum virorum, & amara conuitia. Duo, aut tria producam, tu plura inuenies. Horatius in epodo ode 4. ad quendam, qui è seruili conditione

Intolerabilis impudentia illorum, qui sordida fortunæ mutatione superbiunt.

tione ad magistratum ouectus inflatus incedebat.

Lupis,& agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.
Hiericis perasse funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne sacram metiente te viam
Cùm bis ter vlnarum toga
Vt ora vertat huc, & huc euntium
Liberrima indignatio?

Cùm eadem indignatione, atque offensione Tibul.lib.2.eleg.3.

Nota loquor,regnum ipse tenet,quem sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

11. Vers.12. *Regressi sunt itaque pueri Dauid.*] Cùm ergo duriùs essent accepti, re prorsus infecta serui Dauidis redierunt ad illum, & quomodò à barbaro illo homine forent excepti, retulerunt. Ad quorum verba sic exarsit Dauid,vt statim decreuerit de tam inurbana, atque ingrata responsione sumendam esse vindictam. Quare edicit omnibus, vt accingant se ferro; quod etiam ipse fecit,& relictis ad sarcinas ex eo numero ducentis,quadringentos alios armatos eduxit, & rectà tetendit ad locum, vnde supplices fuerant superbè,& inhumanè repulsi.

12. Vers. 14. *Abigail autem vxori Nabal nunciauit vnus de pueris suis.*] Facilè serui,qui tunc aderant, cùm durè Nabal,& contumeliosè supplices iussit longè facessere;coniectarunt, quo animo responsum illud esset accepturus Dauid, cuius spiritus, & ingenium nouerant ex longa consuetudine, quam cum illo habuerunt in solitudine Maon. Quare occurrendum censuerunt iustissimæ Dauidis indignationi, à quo tam Nabal, quàm illius familiæ paratum videbant esse malum. Cùm autem nemo Nabal propter illius in malo consilio offirmatum animum,& quia ab illo nihil opportunum exorari posse existimabant,admonere non auderent de periculo, quod iam iam imminere suspicabantur,adeunt illius vxorem Abigail, cuius prudentia credebant sedatum iri Dauidis offensionem.Illorum igitur vnus edocet, quid orarit Dauid, & quid fuerit illius petitioni responsum à Nabal, indignum videri tanto viro, à quo nihil gregibus esset allatum mali,imò à quo greges multùm commoditatis habuerint, tam fuisse rusticè, ac barbarè responsum, vt pro beneficiis contumeliam extorserit. Quare consideret iterùm atque iterùm, quid facto opus sit,nisi prorsus de ipsius viro,totáque familia actum esse velit.Accessit enim extremus malitiæ cumulus, neque videtur vlteriùs differendum esse supplicium, quod tanta viri intemperies accersit; neque eius esse ingenij hominem ferocem, & stolidum, vt proponi illi,aut ab illo sperari possit aliquid opportunum. Quare ipsa viri partes,atque familiæ suscipiat.

13. *Abigail munera affert Dauidi.* Vers.18. *Festinauit igitur Abigail.*] Nihil cunctata Abigail, quia nullam vis morbi medicinæ moram patiebatur,illa parauit omnia,quæ Dauidi in illis rerum angustiis vsui futura existimabat. Quæ omnia, vt apparet,pro se,suísque Nabal ad splendidum illud, tonsoriúmque conuiuium abundanter parauerat.Sumit itaque ducentos panes, & vtres duos vini plenos, quinque arietes coctos, & idoneè cóparatos ad mensã.Vbi Vulgatus,*quinque arietes coctos*,Hebraicè est, *quinque arietes factos*; id est, paratos ad mensam; Hebræi enim eodem interdum sensu accipiunt *facere*,ac *præparare*. Sic Genes.18.v.7.*Festinauit,& coxit illum*.Hebraicè *Festinauit facere illum*. Et Ioan.13.v.2.*Cœna facta*;id est,parata.

Facio idem quod paro.

Et quinque sata polentæ.] *Satum* mensura est Hebræorum, quæ, vt dicit Hieronymus ad illud Matth.13.v.33. *Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus*;modium continet, & semissem. Vbi Vulgatus *polentæ*,Hebraicè est קלי *Keli*,id est, *farina spicarum tostarum*. Hispanica translatio vertit:*Trigo verde tostado*.Quid sit *polenta*,diximus suprà cap.17.vbi Dauid dicitur ephi polentæ fratribus suis attulisse,neque aliud esse arbitror, quod hîc allatum est ab Abigail. 14. *Satũ polẽta quid.*

Et centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum.] *Ligaturæ vuarum* iam *siccarum*,quæque passæ sunt solem, & ad antiquitatem seruantur, sunt, vt opinor,racemi alligati funiculo,quæ appellari commodè solent *fasciculi*, qui certum, vt opinor,modum,aut pondus habent;alioqui nihil certum dixisset sacer hístoricus,cùm ligaturæ illæ esse possent valde inter se dissimiles. Translatio Hispanica vertit: *Cien seras de pasas, y docientas de higos*.Rab. Dauid *tortas* interpretatur;solent enim *caricæ*,seu *ficus*,sic comprimi, vt ad tortarum similitudinem conformentur. Hispanus dicit, *pan de higos*,Chaldæus,*libras*; omnes fortasse verè, quia massæ,seu tortæ libram vnam pendunt. 15.

Vers.19. *Dixitque pueris suis;præcedite me.*] Imposuit hæc omnia asinis Abigail,iussitque seruos antecedere,vt oblatis muneribus occupent Dauidem ad cædem intentum, & illum à sumenda vindicta remorentur.Sumpsit illa,opinor,aliquid moræ,vt se honestè componeret,quò Regiis oculis gratior appareret;sicut etiam aliquot pòst sæculis fecit Iudith. Satis enim notum est speciem valere plurimùm ad capiendos,& mouendos animos;vt docuit Phryne famosa meretrix,quæ cùm causa laboraret,& damnanda iam iudicio videretur,sua tamen pulchritudine perfecit, vt mortis, aut infamiæ periculum effugeret. Statim ergo subsecuta est seruos, neque viro suo consilium aperuit, ne fortè profectionem illam impediret; aut quia moræ aliquid interponere, cùm res esset agenda festinatò, futurum ex vsu non putabat. Occurrit autem Dauidi ad ipsas montis radices, non longè videlicet ab eo loco, vbi daturus esset Nabal suæ ingratitudinis, atque stultitiæ pœnas. 16.

Vers.21. *Et ait Dauid, verèfrustrà seruaui omnia,quæ huius erant.*] Quo tempore occurrit Dauidi Abigail, loquebatur Dauid aut secum, aut cum sociis; iniuriam repetens, & ignominiam, quam nullo suo merito acceperat à Nabal. Dicebat frustrà seruatos esse illius greges; & cùm nihil intereat, dum ipse ageret in ea solitudine passi fuerint,nullam ab homine scelesto receptam esse gratiam,imò potiùs singularem extortam esse contumeliam. 17.

Vers.22. *Hæc faciat dominus inimicis Dauid, & hæc addat.*] Hæc sine dubio imprecationis est apud Hebræos, frequentissima forma;sed est omninò nouus imprecandi modus. Cùm enim *hæc faciat*,& *hæc addat*;aliquid significent infaustum,& dirum;nihil videtur sibi Dauid imprecari mali, si hostibus eueniant illa, quæ harum vocum vsitata significatio portendit. Explicuimus hæc ad illud c.20. *Requirat Dominus de manu inimicorum Dauid*. Quæ tu vide; & insuper adde his verbis aliquid videri significatum, lætum quidem hostibus Dauidis,ipsi tamen Dauidi maximè contrarium. Ac 18.

si dicat Dauid,det hostibus meis Deus, vt sint in acie superiores, vt me de vitæ statu deiiciant ; vt quæ ego gloriosè feciſſe videor , illorum obscurentur meliori succeſſu. Hæc quidem imprecatio est,neque à litera,vt apparet, extorta ; quæ aliquid indicat,quod in Dauidis caput duriùs intorquetur.

19. *Mingentem ad parietem.*] Variè hic locus à variis exponitur. Quidam intelligi hîc putant eos, qui ex rationali natura firmo iam sunt , & adulto corpore , quique iam ad parietem possunt leuare væsicam.In his est Abulensis , & Chaldæus, dum reddit *cognoscentem cognitionem.* Alij ad virilem sexum ista contrahunt , quia ille loquendi modus minùs conuenit generi fœmineo. Communior est illa sententia , quæ his verbis canem describi putat. Quod mihi omninò placet; & fauet huic sententiæ , quòd vox Hebraica,pro qua Vulgatus reddidit,*mingentem ad parietem*, est משתין *maſtin*: quæ vox apud Hispanos canem significat *pastoritium.*Sunt autem apud Hispanos voces non paucæ ex Hebræorum fonte,sicut *Malsin*, huic similes , quæ detractorem , seu delatorem valent , & complures aliæ.

Mingens ad parietem, descriptio canis.

20. Secundò opinor hanc esse prouerbialem hyperbolem , qua furoris efferuescentiam significamus,& studium vindictæ. Quod & res ipsa indicat,& aliæ prouerbiales formæ his adiunctæ non obscurè probant. Lib.3.Reg.14. v.10. *Percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem , & clausum , & nouissimum in Israël : & mundabo reliquias domus Ieroboam , sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* Non dubium est,quin hæc hyperbolicè dicta fuerint : neque enim omnes vsque ad nouissimum percussi sunt in Israël , neque domus Ieroboam sicut fimus ad purum vsque mundata est. Esse verò hanc prouerbialem formã docet ipse loquẽdi modus sæpiùs iteratus. Quod si ita est,præstitisset, quod iuramento minatus Dauid fuerat ; si graue aliquod damnum intulisset Nabali.Id enim valet prouerbialis ille dicendi modus , etiamsi nullum attigisset canem ; aut non adeò grauiter illius familiam deformasset. Quod si ita est , non est , cur tantoperè laborent alij , vt Dauidem à peccato vendicent;cùm tantùm hoc dicendi momo significare voluerit , quàm esset,& quàm iure offensus ; cùm non solùm homo ille miserorum non subleuaret inopiam , cùm ab illis magnum sæpè beneficium accepisset;sed etiam grauibus illos conuitiis onerasset. Succensebat itaque vni Nabal,quia illum tãtùm habuit iniurium, quem, vt opinor ,sustulisset è medio , & eos , qui se pro domini sui defensione opposuissent,si qui forent; atque etiam eiusdem bona,quæ negarat , dissiparet , & perderet ; ab innocentibus autem abstineret. Quare si quod ibi peccatum , leue fuit; de quo paulò accuratiùs ad finem capitis.

Vsque ad Mingentẽ ad parietẽ, prouerbialis forma.

Hyperbole, in Scriptura vsitata.

21. Vers.23. *Cum autem vidisset Abigail Dauid , festinauit,& descendit de asino,& procidit coram Dauid super faciem suam.*]Descendebat absque dubio Dauid pedes de monte;quare cùm illum placare vellet Abigail,ipsa quoque pedes illum adire,& supplicare voluit. Desiliit igitur quamprimùm ex asino , & ante Dauidis pedes Hebræorum more procubuit in faciem ; & illo ritè adorato orationem habuit tam attemperatè,ac sapienter instructam, qualem in summo etiam oratore admiraremur.In qua,proposita honestatis , atque vtilitatis specie , æstuantem refrigerauit animum , & vindictam inhiantem compescuit. Totam autem orationem habuisse videtur ad Dauidis pedes adorabunda.

Vers.24. *In me sit,domine mi,hæc iniquitas.*] Mira exordiendi,seu insinuandi ratio, qualis in causa turpi adhiberi solet ab oratore, qui personam remouet turpem , & honestam inducit. Audiret quidem cum offensione Dauid nomen Nabal , in cuius væsanam intemperiem totus excanduerat; quare de Nabal in principio nihil , sed de se ipsa loquitur Abigail,in qua nihil apparebat , quod videretur aliqua vel leuissima vexatione mulctãdum,& in suum caput , si quid est à Dauide conceptum acerbitatis , deriuat ; quasi seipsam ream admissi à coniuge sceleris constituat. Quasi diceret,si quid contra te peccatum est , ego luam ; in meo capite,quodcunque fuerit sceleris , expiato. Quæ ratio dum ab innocente proponitur , plurimum habet ponderis ad veniam. Sic Paulus de Onesimo fugitiuo seruo ad Philemonem , quem seruo suo placare studet : *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me ; si autem aliquid nocuit tibi,aut debet,hoc mihi imputa.*An dubitaret Philemon Paulo ignoscere,aut illi negare,quod orabat pro Onesimo,cùm causam in se totam recepisset Onesimi? Mira hæc fuit eloquentia Pauli;sed neque minor fuit Abigail,cùm causam in se coniugis totam recepit.Sic ego cum aliis hæc prima orationis verba interpretor. 22. *Abigail ad Dauidem oratio.*

Sed addo explicationem aliam fortasse veram, ita vt *iniquitas* non significet peccatum,sed peccati pœnam ; quod in Scriptura sacra familiare est. Audierat Abigail , quid sibi mali imprecaretur Dauid , nisi ex rebus Nabal vsque ad mingentem ad parietem disperderet;quod religiosum Principem adducere potuit , ne ab illo desisteret consilio,quod iuramento , atque execratione firmauerat. Ab hoc itaque metu liberat Dauidem Abigail,dum in seipsam deriuat,quod timere ille poterat à periurio.Quasi diceret,quod tute tibi imprecatus est mali , id , te sospite , in caput meum Deus conuertat. Quod optimum etiam comparandæ beneuolentiæ artificium est.Hanc explicationem non improbat Hugo : cui similis est illa Rebeccæ,Genes.cap.27.v.13. *In me sit ista maledictio,fili mi.* 23.

Loquatur,obsecrò,ancilla tua in auribus tuis.] Hoc etiam ad beneuolentiam facit,dum se eius,à quo aliquid inire vult gratiæ , famulam appellat, & orat,sibi vt permittat loqui;quod illius est,qui se fatetur subditum , & ad alterius arbitratum se comparare. 24.

Vers.25. *Ne ponat , oro , dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal : quoniam secundum nomen suum stultus est.*] Ita iam nominat odiosum hominem Nabal,quod omninò præterire non poterat, vt tamen illum aliqua ratione , si non ab errore ; at certè à grauitate sceleris excuset;cùm illum hominem appellat stultum, quique errore potiùs , & stupore mentis lapsus fuerit, quàm consilio,cùm nihil considerate responderit. Iniquum sanè fuisse confitetur,ita tamẽ vt à stultitia præcipuè illa,quantacúmque est,manarit iniquitas. Vt autem depulsio culpæ illa optima est, quæ ignorantiam causatur ; sic qui stultitiam adducere potest in excusationem , magnum habet supplicij, atque adeò sceleris effugium. Stultitia enim,atque mentis tarditas,aut rationis quocúmque modo impeditus vsus magnam habet cum ignorantia cognationem.Quare multi cùm de nimia sermonis siue licentia, siue inuerecundia accusarentur, ebrietatem, aut amentiam in excusationem attulerunt. Sic ergo nunc Abigail non 25.

negat

negat aliquid iniquum feciſſe Nabal ; illi autem væniam dicit eſſe concedendam ; quia iuxta nomen ſuum (*Nabal* enim *ſtultum* valet) ſtultus eſt , neque rerum momenta perpendit.

26. *Ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos.*] A ſceleris grauitate aliqua ex parte tuetur Nabal mentis ſtupor,& ingenij tarditas;Abigail autem, quæ prudens erat,& quid obſeruantia,pudor, & recta exigeret ratio,probè nouerat, quæ in ſe quicquid erat culpæ antè deriuauerat ; alio modo à ſe totam remouet culpam. Ait enim , neque vidiſſe ſe ſeruos, quos antè miſerat Dauid , neque quicquam eorum , quæ geſta ſunt , donec abiiſſent, re infecta , ſerui , cognouiſſe. Quocircà leuem in coniuge , & in ſe nullam hæſiſſe culpam oſtendit.

27. Verſ.26. *Nunc ergo,domine mi,viuit Dominus, & viuit anima tua , qui prohibuit te , ne venires in ſanguinem , & ſaluauit animam tuam tibi.*] Iuramento confirmat Abigail , quæ priùs ſimplici quadam narratione affirmarat ; ſe videlicet nihil cognouiſſe de nunciis. De ſignificatione autem,& ponere huius iuramenti alibi à nobis pluribus dictum eſt , Iſaiæ 62. num.92. Nunc breuiter dico , hanc eſſe iuramenti vim. Sicut viuit Deus, aut ſicut viuus eſt Deus , & non mortuus , ſicut lignea Gentilium ſimulacra ; ita verum eſt , me de tuorum ſeruorum petitione , aut etiam aduentu nihil agnouiſſe. Illud , *& viuit anima tua* , eodem etiam modo explicari poteſt , *ſicut certum eſt te viuere* , aut *ita viuas , ſicut hoc verum eſt.*

Iuramenti, viuit Deus, quis ſenſus.

28. *Qui prohibuit te,ne venires in ſanguinem.*] Hic locus in duas patet explicationes. Altera eſt,prohibitum eſſe Dauidem à Domino , ne ſanguinem effunderet Nabal,& illorum,quos ad cædem animo deſignaſſet ; & eo modo ſaluauit Deus animam eius , quia aliter peccato foret inquinata. Ita communiter Interpretes , Abulenſis , Lyra, Dionyſius , Hugo , Caietanus. Et hæc explicatio mihi potior. Alia eſt , prohibitum eſſe Dauidem , aut potiùs liberatum à Deo , ne veniret in ſanguinem ; id eſt , ne occideretur , aut percuteretur ab hoſtibus , quos habuit potentiſſimos , ita vt ex ipſius corpore effuſus fuerit ſanguis ab hoſtili manu ; liberatus quoque , ne quis ipſi toties appetitam eripuerit animam. Notum eſt , quàm periculoſus fuerit Dauidis cum Giganteæ molis hoſte congreſſus ; quoties ad mortem quæſitus à Saule ; quoties ab illius ſiue aperta vi , ſiue occultis inſidiis liberatus.

29. *Et nunc ſiant ſicut Nabal inimici tui , & qui quærunt domino meo malum.*] Si priorem explicationem amplectare , ſic commodè locum iſtum expones. Facilè tibi fuit Nabal , à cuius ſanguine Deus tuum , ô Dauid , gladium , & furorem continuit , & eius familiam omninò diſperdere: atque vtinam reliqui , qui nunc oppugnant te, & tuum ſitiunt ſanguinem , tam facilè abs te deleri poſſint , quàm potuit Nabal ; nihil ſanè timeres ab illorum potentia , neque in illis ad vnum extinguendis quicquam aſſumeres negotij. Si verò magis poſterior placeat explicatio , illi commodè hanc explicationem attexes. Vtinam hoſtes, quorum tu modò inſidias , atque arma fugis , & quorum cauſa per ſcopulos , & ſalebras incertis ſedibus vagaris , tali ſint ingenio , atque conſilio , quali nunc eſt homo amentiſſimus Nabal;

neque enim tibi neceſſarium foret ſubire latebras , habitare ſolitudinem tam arentem , & aſperam ; ſed vbicúmque locorum , eſſes ſine metu, cùm neque vis eſſet in hoſtibus ad pugnandum , neque ad inueſtigandum aliquid induſtriæ.

Verſ.27. *Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc.*] Concluſio eſt orationis non tam longæ , quàm prudentis , & ad placandum offenſum animum opportunæ. Cùm ita ſit , vt in Nabal nihil niſi ſtultitia , & ſtupor reprehendenda ſint ; (neque enim hæc fecit odio tui , ſed quia ingenio eſt inurbano,& duro) ; & in me nihil inuenias , quod damnare , atque punire poſſis , niſi fortè mulctandam putes ignorantiam : fac tandem , vt iam benignior , atque placatior hoc xeniolum , & hoſpitale munus accipias , quo te , ſociósque tuos ſupplex , lubénſque proſequor.

Verſ.28. *Auſer iniquitatem famulæ tuæ.*] Se Abigail illatæ iniuriæ , aut illiberalis hoſpitij ream appellarat ; & ſi quod in coniugis caput ſupplicium eſſet conſtitutum , eidem ſe obnoxiam , futuram eſſe dixerat. Nunc ergo orat , vt immemor Nabal , ſibi vni remittatur hæc noxa ; neque in ſuo capite , quod tantum obnoxium eſſe vult , iniquitatem puniat.

Faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem , quia prælia Domini, domine mi,tu præliaris.] Duo adducit argumenta , eáque grauiſſima Abigail,vt doceat minimè decere Dauidem, aut ex illius vſu fore vindictam ſumere de Nabal. Altera , quia ille futurus eſt Rex Iſraël, quod credo iam vulgò notum erat , & frequenti ſermone diffuſum : & illa prudenter ex eo coniectabat , quia Dauid prælia ſæpè iniit pro Dei gloria , neque vllam recuſauit moleſtiam , & aleam,ſi in eo agi diuinā gloriā,& populi ſalutem intelligeret. Minimè verò decet Regē,aut illum, qui cum poteſtate fuerit , priuatas perſequi inimicitias , aut iniurias vlciſci proprias : & hoc eſt & verum , & externorum etiam ſcriptorum teſtimonio commendatum. Notum eſt illud Hadriani , qui renunciatus Imperator , à vindicta deſtitit illius , quem priuatus inſectabatur : quare cùm illi occurriſſet , dixit , *euaſiſti* ; quaſi diceret , hoc vnum perficere potuit , ne mihi pœnas dares , cùm Imperator iniurias ſuas perſequi honeſtè non poſſit. Seneca lib. 3. de ira capite 25. *Proprium eſt magnitudinis veræ non ſentire percuſſos. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit. Sic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur , inconcuſſus iniuria perſtitit : qui iraſcitur , motus eſt.* Et quidem vix Princeps videtur tolerabilis , qui ab ira rapitur , & furori ſuccumbit. Benignitas , & clementia conciliat animos ; difficile , inexorabile,quodque ſibi non temperat ingenium , alienat. Quæ ſententia ſæpè apud profanos inuenitur. Quare optimum eſt hoc conſilium datum ab Abigail, vt cum bona populi gratia iniret Dauid , & conſeruaret regnum. Et quidem ſi propriæ vindex iniuriæ Dauid ex Iſraëlitide Gente occidiſſet Nabal , & illius familiam deformaſſet , difficilem habuiſſet , aut certè minùs fauentem populum,quem Regio erat moderaturus imperio.

Non decet eum,qui publicam perſonam ſuſtinet,priuatas iniurias vlciſci.

Malitia ergo nō inueniatur in te omnib.dieb.vitæ tuæ.] Ita in Dauide æquitatē,& fidelitatē tam in Deum,

quam in populum commendat, propter quæ omnium sibi gratiam, beneuoletiámque promeruit; vt etiam hortetur, ne perpetuum illum benè instituti animi cursum interrumpat, ne quæsitam à populo gratiam, & æquitatis opinionem nouo aliquo, & inexpectato errore contaminet. Quod illi, si toto vitæ tempore religiosè seruauerit, magno vsui futurum est.

35. Vers. 29. *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium.*] Hæc est alia ratio planè grauissima, quæ adducere debuit inflammatum Dauidis animum ad æquitatem, & clementiam; quia qui in alios clemens est, ille diuinam sibi vindicat clementiam, & patrocinium, si quando in ipsum hostilis furor, aut quæuis alia durior fortuna consurgat. Et ita omninò accidit; nam cùm multa ab extraneis, neque pauca à domesticis passus fuisset Dauid, ab illis tamen omnibus liberauit illum Deus. Neque ignorabat ille, clementia, & mansuetudine diuinum parari patrocinium, quando in illius imploratione suam Domino mansuetudinem repræsentat. Psal. 131. *Memẽto Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.*

Clementia & misericordia aliorum clemẽtiam parat.

36. *Quasi in fasciculo viuentium.*] Sensus difficilis nõ est, translatio paulò obscurior. Quidam metaphoram tractam esse putant ab arborum ramis, qui in fasces colligati seruantur in aquis, aut humentibus locis, donec in locum transplantentur, vbi firmas agant radices, & diuturnas. Et iuxta hanc translationem sensus erit: Interim dum in alieno degis & peregrino loco, & remotus ab eo, in quo es æternum habiturus domicilium, seruaberis à Deo, sicut virides cum suo succo, ac vita seruantur rami, quorum in suo postea locò futurus est in omnem æternitatem vber, & iucundus prouentus. Ita Lyra, Dionysius, & Hugo, cum Petro Comestore; & hi duo postremi *vitium* legunt; sed cur ita legerint, non video.

Misericordia homines ab interitu seruat, & conseruat cum vigore.

38. Ego hic licèt metaphoram in fasciculo cognoscam; alium tamen esse sensum existimo. Fasciculus congregationem significat, eorum maximè, qui eodem vitæ instituto, & morum similitudine conueniunt. Sic reprobi, quia in morum studiorúmque similitudine consenserunt, in vnum fasciculum dicuntur colligandi, & in eundẽ suppliciorum locum extrudendi, Matth. 13. *Colligite zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum.* Et Ilaiæ 24. *Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur in carcerem.* Quare custodiri in fasciculo viuentium, nihil est aliud, quàm inter viuentes numerari, & à morte eximi, quæ hominem à viuentium fasciculo dissoluit. De fasciculo diximus non pauca ad illud Amos 9. *Fasciculum suum super terram fundauit.* Erit ergo sententia & facilis, & pluribus aliis Scripturæ sacræ locis cõsentanea, futurum esse Dauidem in fasciculo viuentium; quia nemo illorum, qui ipsius insidiatur vitæ, optata cõsequetur, quia illum Deus ab omni vi, atque hostili machinatione præstabit incolumẽ. Quod de misericorde sæpiùs audimus, cuius pars esse videtur ab vlciscendis iniuriis abstinere. Et clarè cecinit Dauid, Psal. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorũ eius.* Et quidem ita cõtigit Dauidi; nam cùm innumeris se præliis implicuisset, & varias varij molirentur insidias, longam tamen traxit ætatem, & senectus illum potiùs, ac naturæ necessitas, quàm ferrum extinxit, aut obla-

A ta vis. Hanc porrò metaphoram, qũæ statim huic ex aduerso respondet de inimicis Dauid, satis aptè declarat.

Porrò inimicorum tuorum animæ rotabitur, quasi impetu, & circulo fundæ.] Quæ in fasciculo sunt, nec dissoluta, ac dissipata, ipsa se ab iniuria, & interitu colligatione tuentur; & dum integra sunt, dominorum custodiam non amittunt. His comparatur Dauid, & qui dum operibus studet pietatis, diuinam sibi tutelam promeruerunt. His verò contrarii sunt, qui bonos persequuntur, & quos à sua custodia, curáque paterna Dominus abiecit. Hos igitur rotandos esse dicit, sicut lapides ad emissiones circumaguntur, & rotantur in funda; & eo impetu excutiendos, quo lapidem eiaculantur funditores. Qua similitudine his, qui hostile aliquid contra Dauidem moliuntur, omnia minatur, & prædicit infausta: Vt enim lapis, aut plumbum, quod ex funda torquetur, antequàm procul excutiatur, circumagitur, rotatúrque vehementer; quare cùm adhuc est in fundibularij manu, motum habet vehementem, & dum excutitur, vehementiorem multò; ac tandem procul amandatur, neque ad eius, à quo missus est, manum reuertitur. Sic etiam bonorum hostis nunquam habet requiem, quia ex quo cum bonis inimicitias suscepit, in funda locatur, & tunc aut rotari incipit, aut adigi longiùs.

38.

B

Peccator lapidis similis qui rotatur prius, deinde excutitur ex funda.

C Duo hìc obseruanda in funda, & lapide, quorũ seorsum meminit Abigail; alterũ est rotari, quod in *circulo* fundæ expressum est; alterum excuti, quod significatur in *impetu*. De circulo, seu rotatu ex disciplina veteri satis constat. Vegetius lib. 3. cap. 14. *Funditores sunt, qui fundis ex lino, vel setis factis (has enim dicunt esse meliores) contorto circa caput brachio dirigunt saxa.* Quod esse funditoribus vsitatum, docet illud Ouid. lib. 4. Metamor.

39.

Funda quis vsus.

Deque sinu matris ridentem, & parua Learchum
Brachia tendentem rapit, & bis, terque per auras
More rotat fundæ.

Virgilius lib. 9. Æneid.

Stridentem fundam positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena.

Et iterùm lib. 11.

D *Et fundam tereti circum caput egit habena,*
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.

Qualis verò sit impetus, quo ex funda lapis, aut plumbum excutitur, (nam plumbeæ ex funda pilæ, seu glandes excutiuntur) mox constabit. Is igitur est impetus glandis è materia plumbea, è funda vibratæ, vt in aëre liquescat, ardore à violento nimis impetu concepto. Id docet Virgilius lib. 9. de quo proximè, vbi cùm ageret de glande, quam excussit funda, subdit.

40.

Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit.

Lucretius lib. 6.

----Plumbea verò
Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.

E Ouidius item Metamor.

Non secus exarsit, quàm cùm Balearica plumbum
Funda iacit: volat illud, & incandescit eundo;
Et quos non habuit, sub nubibus inuenit ignes.

Quod item Aristoteles docuit lib. 2. de cœlo. & Seneca lib. 2. naturalium quæstionũ: *Aera*, inquit, *motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liquescit excussa glans fundæ, & attritu aëris velut igne distillat.* Ex his constat qualis sit illorum status atque conditio, qui iustis, seu verius Deo contradicunt. Vt enim lapis aut excutitur ex funda, aut

in

in ea rotatur,& ſuſdéque voluitur in circulo fundæ; ſic impius in iugi quadam ſollicitudine, ac turbine verſatur, & tandem eò proiicitur, vbi mortem ſubeat ſempiternam.

Peccatoris quã miſera conditio.

41. Verſ. 30. *Cùm ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia, quæ locutus eſt bona de te, non erit tibi hoc in ſingultum, & ſcrupulum cordis.*] Non dubium, quin homo prudens, quique ab aliis obſeruari, & amari cuperet;ſi in altiori loco ſederet, qualis eſt Regius,doleret grauiter,cùm à ſe reperiret admiſſum aliquid vel crudele,vel iniuſtum,maximè in ſuos:ſerò enim illa, in quibus aliquid turpitudinis eſt,exuri poſſunt ex aliorum memoria, qui non omninò fidendum eſſe putant illi, cuius ingenium aut nimiùm præceps eſſe nouerunt, aut parum clementiæ,& æquitatis amans. Hoc ergo monet Abigail,vt apud ſe iterùm & ſæpiùs reputet Dauid,ne aliquid nunc, dum ſuo nimiùm obſequitur furori, infigat animo, quod in æternum cruciet,& inceſſanter ploret. Illud eſt enim *eſſe in ſingultum*, quia diuturnam plorandi ſuggerat materiam;& *in ſcrupulum*,quia nunquam deerit quod conſcium crudelitatis animum ſemper compungat,& exagitet.

Conſcientia peccatorum vltrix.

42. *Quòd effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris.*] Singultus,& ſcrupulus ideò vexarent Dauidis animum, quòd innoxium ſanguinem ſua manu, & priuata authoritate profuderit. Innoxium verò ſanguinem appellat Nabalis,quia etiamſi ingratus fuerit,& iniquus,intemperantis,& maledicæ linguæ; nihil tamen admiſerat, cur capitali pœna, neque à poteſtate publica mulctari debuerit. Neque enim alienum rapuit, ſed ſuum homini ſupplici negauit: in quo licèt reprehendi poſſit inclementia, & ſermonis inurbani libertas; non tamen ea fuit vtriuſque grauitas, vt cum tam ſeuero ſupplicio comparata Nabalis ſanguis iudicari non poſſit innoxius. Adde, quòd licet prouerbialis eſſet dicendi forma, qua ſuam offenſionem, & iram expreſſerat Dauid, verba tamen aliquid ſignificabant maius; nempe omnium, quæ ad illam familiam pertinebant, interitum, vſque ad canem, & ſi quid cane vilius: quare fieri non poterat, vt aliquis ex tanta multitudine ſanguis non eſſet innoxius. Altera cauſa eſſet ſingultus,& ſcrupuli; quia quod publica poteſtas pro aliena iniuria vindicanda facere potuiſſet non iniquè,id ſi quis in ſua cauſa, ſua manu, atque iudicio faceret, non eſſet non iniquum. Porrò Dauid eo tempore licèt eſſet vnctus à Samuele, & Rex aliquando futurus deſignatus; at tunc neque populus illum Regem admiſerat, neque deſignationem illam omnes, ſed admodùm fortaſſe pauci cognouerant. Quare neque iuſtè,neque legitimè ſuas tunc poterat iniurias perſequi.

43. *Et cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.*] Duas hîc ego expoſitiones intueor. Altera eſt,orare Abigail, vt quando Dauid regnum obtinuerit, ad quod iam anteà à Domino deſignatus eſt; ipſius recordetur, & Regiam in ancillam ſuam liberalitatem oſtendat.Ita Abulenſis,& Dionyſius. Imò quidam ex Hebræis putant hanc eſſe Prophetiam Abigail, quaſi præſenſerit futurum, vt breui Nabal excederet è viuis, & ipſa aduocanda ad Regij thalami ſocietatem.Hoc poſterius confutat meritò Abulẽſis. Altera expoſitio eſt, cuius ego neminem patronum video,tunc cogniturum eſſe Dauidẽ,cùm ad Regiam ſedem ſublatus fuerit,quàm hoc documentum fuerit opportunum, quo nunc ab effundẽdo innoxio ſanguine reuocatus eſt;neque enim tam haberet gratum populum, quem in Regiam fidẽ, tutelámque ſuſceperat; neque ab illo ius acciperet Regium,quem tam innoxij,& fraterni ſanguinis effuſione grauiter offendiſſet. Quis enim dubitat,cùm tamdiu Vriæ cædes, & violatus thalamus Dauidis animum acerbè compunxerit, natarèque fecerit nocturnis lachrymis lectum, in quo decumberet, ploraturum quoque, laturúmque moleſtè Nabalis cædem, & familiæ innocentis iuratum exitium? Quare recordaretur huius tam opportuni documenti, & gratias ageret ei, cuius occurſu, admonitionéque prudenti, manus ſuas reuocaſſet impollutas à ſanguine.

44. Verſ.32. *Et ait Dauid ad Abigail:Benedictus Dominus Deus Iſrael,qui miſit hodie te in occurſum meũ.*] Reſipuit Dauid ad hanc tam grauem,& attemperatam orationem,& recepit ſe ab eo furore,quem antè conceperat:& gratias agit primùm Deo,qui hanc mentem dedit Abigail, vt ſe offerret obuiã, & æſtuantem animum ardore vindictæ quaſi gelida irrorata reſtingueret. Deinde Abigail, quæ ſermone vſque adeò prudenti armatas manus, & ſpiritus ad cædem anhelantes inhibuit. Nam ſi non ſe mediam interpoſuiſſet, ſtatuerat iam omninò ex familia,rebúſque Nabal, neque mingentem ad parietem eſſe relinquendum, idque antequàm matutinæ lucis ſeſe radij diffunderent. Accepit igitur hoſpitale munus,quod attulerat, atque illam domum cum honore,ac bona gratia dimiſit.

Abigail Dauidem placat.

45. Verſ.35. *Honoraui faciem tuam.*]Sicut cõfundere faciẽ alicuius, eſt facere,ne quod orat,exoret, ſed repulſus abeat re non impetrata;ſic honorare alicuius faciem,eſt poſtulata cõcedere. Vtriuſque exempla obuia ſunt in Scriptura. lib.3. Reg. cap.2.v.16. dixit Adonias ad Berſabee:*Petitionem vnam precor à te,ne confundas faciem meam.* Et ibid. v.20.ſic Berſabee ad Salomonem filium: *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam* Reuereri alicuius faciem, vel ſuſpicere,aut erubeſcere,frequens eſt. Hoc verò idem eſt, quod *honorare faciem*; quæ cùm ad alia etiam multa pateant,ad vſum,de quo proximè,frequenter adhibetur.

Honorare faciem, eſt poſtulata concedere: confundere autẽnegare.

46. Nunc videndum, an dum iniuriam ſuam perſequitur Dauid, & de Nabalis exitio tã ſeriò cogitat,idque interpoſita iuriſiurandi religione cõfirmat, graue aliquod peccatum admiſerit. Quidam negant,in quibus eſt Theodoretus q. 57. & 58. quia magno vſui fuerat Dauid gregibus Nabal,cùm eſſet in deſerto;neque ſupplices Dauidis preces in tanta rerum anguſtia repulſam illam contumeliis plenam pati debuerunt.Quare q.58. affirmat iuſiurandum de delenda Nabalis familia fuiſſe iræ non iniuſtæ;peperciſſe autem ſapientis, & moderatæ cogitationis.

47. Neque deeſt aliqua vel ratio,vel indicium,quæ ſuadeant ab hoc conſilio, atque iuramento abfuiſſe peccatum. Neque enim ideò iraſcebatur Dauid,quod Nabal exiguum illud vitæ ſubſidium præcisè negauit; ſed quod ſibi,ac ſociis turpem irrogaſſet ignominiam, dum fugitiuos appellat ſeruos; quæ vox ingenuis animis grauem inurit contumeliam. Quod autem hanc notam ex ſuo, ſuorúmque nomine delere voluerit Dauid, ipſe docuit v. 39. qui cùm audiiſſet mortuum eſſe Nabal, dixit: *Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal.* Hanc verò tam turpem, támque ab ingenuis animis alienam notam expiare videtur potuiſſe

Dauid in capite Nabal. Adde quod lib.3. Reg. cap.15.v.5.vnum tantùm peccatum dicitur admisisse Dauid: *Eò quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini,& non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi.*

48. *Dauid peccauit, cùm voluit occidere Nabal.* Sed eſt communis aliorum opinio,in hoc conſilio,atque conatu peccaſſe non leuiter Dauidem. Quod tenet Abulenſis q.5.Caietanus,Dionyſius. Neque eſt illius ſententiæ ratio difficilis;quia, vt paulò antè diximus, tam ſeueri ſupplicij comparatione Nabalis ſanguis erat innoxius,cùm neque graue videretur delictum, ſiue negata ab illo alimenta conſideres,ſiue irrogatam ab immoderata lingua contumeliam.Neque,ſi ſcelus eſſet capitale,puniri debuit niſi à publica,atque legitima poteſtate, qualem tunc nondum acceperat Dauid, cùm non tam eſſet conſtitutus, & admiſſus à populo,quàm vnctus,& deſignatus ad regnũ. Quòd ſi etiam innocentes delere conſtituerat, cùm vſque ad canes graſſaturum diceret ferrum, quo ſe ac ſuos ad illud hoſtile negotium accinxerat;quæ vlla erit honeſtatis ſpecies, quæ tantæ crudelitati poſſit obtendi?Accedit,quod ipſemet Dauid v.34. fatetur,in ea cæde,quam animo deſignauerat,intetuenturum fuiſſe peccatum; niſi prudens Abigail, ac feſtiua ſedulitas arma extorſiſſet è manibus.

49. *Quomodò Dauid tantum peccaſſe dicatur in verbo Vriæ.* At quî,dices,fieri potuit,vt ſemel tantùm peccauerit Dauid,vt nuper dicebamus ex lib.3. Reg. cap.15.nimirùm quando Vriæ thalamum adulterio,& manus ſanguine fœdauit? Hoc ipſum ego dicerem de numerato populo, in quo fuiſſe peccatum, illúdque non leue, probant multa hominum millia, quæ in illius ſceleris expiationem extincta ſunt.2.Reg.24. Hoc autem peccatum ad verbum Vriæ non pertinebat,vt vides. Huic igitur rationi reſpondeamus oportet.

50. Interpretes non aliam adhibent ſolutionem, quàm alia peccata, quæ fatentur à Dauide patrata,eius eſſe ordinis,ac gradus, vt cum hoc peccato de Vriæ cæde comparata, peccata exiſtimari non debeant. Quare putant eo loco de peccatis, vt ipſi loquuntur,enormibus tantùm eſſe ſermonem, qualia, præter Vriæ verbum,non fuere reliqua.Ita Abulenſis in cap.15.lib.3.Reg.q.3.Hugo, Dionyſius,Lyra,Caietanus.Quæ ſolutio aliis fortaſſe meritò, mihi nullo modo ſatisfacere potuit. Quare tentabo alias adhibere ſolutiones, ex quibus Lector,quam volet,eligat, niſi omnes omninò reprobandas putet.

51. REGVLA. *Multa ita proponũtur, vt vniuerſaliter intelligenda videantur, quæ tamen tantùm de, vno genere aut ordine intelligũtur,aut certè minus latè.* Et antequàm ad illarum vim, & pondus explicandum aggredior,obſeruo vſitatum eſſe in Scriptura ſacra,vt quædam proponat eo modo, vt de omnibus generibus, ac modis intelligenda eſſe videantur,quæ tamen de vno tantùm genere, aut ordine explicari debent neceſſariò: aut cum de omnibus aliquid affirmet,aut neget,aliquid tamẽ addit, quod excludendum ſit,aut addendum vniuerſali ſigno.Oſeæ cap.9.omnes filij Ephraim aut extinguendi dicuntur in vtero,aut ſtatim à partu perituri.*Ephraim quaſi auis, auolabit gloria eorum à partu,& ab vtero,& à cõceptu.*Et ſtatim addit:*Quod etſi genuerint filios ſuos, abſque liberis eos faciam in hominibus.*Ieremiæ cap.44.v.27.*Conſumentur omnes viri Iuda.qui ſunt in terra Ægypti,gladio,& fame, donec penitùs conſumantur.* Sed ſtatim dicuntur ex eo numero aliquot fore non conſumendi. *Et qui fugerint gladium,reuertentur de terra Ægypti viri pauci.* Et in hoc ipſo argumento ſunt exempla admodum illuſtria. Hic enim ipſe Dauid facturus dicitur omnes Dei voluntates ,Actor. 13.v.22. & tamen in verbo Vriæ à Dei voluntate declinauit. Quare neceſſe non erit, vt ſecundum Scripturam hæc verba quàm veriſſima ſint, vt nullo modo in aliquo peccatorum genere peccauerit Dauid. Quod autem genus peccatorum negetur, explorandum eſt.

52. Quædam admiſit peccata Dauid,antequàm regnum iniret Iſraël;quædam, vbi regni ſceptrum conſecutus eſt;alia, quæ ad priuatam; alia, quæ ad publicam œconomiam diſſoluendam, ac corrumpendam pertinerent.Si verum eſſet,quod putat Abulenſis,in numeratione,ac cenſu populi,de quo 2. Reg. cap. 24. non peccaſſe Dauidem, ſed potiùs peccatum illud eſſe populi, ſolutio huius nodi non eſſet difficilis: dici etenim poſſet,nunquam peccaſſe Dauidem,excepto verbo Vriæ, ex quo regnum obtinuit. Nam cùm de cæde Nabal conſilium iniit, nondum Iſraëlitici regni gubernaculum ſumpſerat. Sed quod Abulenſis putat, nemini probatur:cur enim tam graue ſupplicium ſubiiſſet populus,niſi graue aliquod peccatũ præceſſiſſet?Neque ignorabat Ioab illam numerationem non fore ſceleris expertem, cùm illum ab eiuſmodi facto deterrere voluit. Et ipſe Rex apertè confeſſus eſt,cùm dixit v.10. *Peccaui valde in hoc facto,ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui,quia ſtultè egi nimis.* Quæ autem fuerit huius peccati grauitas,dicemus ſuo loco.

53. Dici fortaſſe poſſet, tantùm in Vriæ verbo peccaſſe Dauidem, quia illud tantùm peccatum publicum fuit, cùm re ipſa Vriæ thalamum adulterio fœdauerit, & Vriam innocentem occiderit; reliqua verò peccata neque in actum prodierint, neque fuerint omninò manifeſta. In Scriptura verò ſacra illa dicuntur eſſe, quæ facta cognoſcuntur; & illa facta eſſe negantur, quæ ignota ſunt.Sic Melchiſedec ad Hebr.7. *ſine patre* eſſe dicitur, ſine matre,& ſine genealogia, quia de ipſius genere, atque natalibus nihil eſt à Scriptura ſacra proditum. Hoc ſenſu ſpurij *ſine patre* dicuntur,& his notantur literis S.P.id eſt,*ſine patre*,quia incertis ſunt nati parentibus. Cùm ergo Dauidis animum, atque conſilium non fuerit conſecuta cædes Nabal, & quid ipſe cogitauerit, illi tantùm noſſent, quorum ipſe manus in Nabal,illiúſque familiæ exitium armaſſet; & hominum vulgus cogitationes hominum neque videat,neque curet,illud tantùm eſſe peccatum iudicat,quod exitus probat. Quare apud vulgares homines imperitámque multitudinem,à quorum loquendi conſuetudine Scriptura ſacra recedere non ſolet:non ſat eſt peccatum voluiſſe, aut aliquem adhibuiſſe conatum, niſi voluntatem, & ſtudium conſequatur euentus. Idcircò hoc peccatum eſſe vulgus non putabat, quia neminem videbat extinctum,neque quo ſenſu fuerit Dauid profectus,meditabatur. Sed huic expoſitioni obſtat numerati populi manifeſtum peccatum,illúdque ſeptuaginta mille hominum interitu punitum.

54. Alio modo dici poſſet Dauid tantùm ſemel peccaſſe in caſu Vriæ, quia tunc vt homo priuatus, ſuæ obſecutus libidini peccauit; ſi qua verò alia fuerunt peccata, admiſit vt publica perſona; quale fuit numeraſſe populum, aut aliquod tuliſſe iudicium non æquum, aut certè hoc, de quo nobis in præſentia commentatio. Sed neque hoc vllo

modo

modo satisfacit, quia etiam in aliis peccatis suis affectibus obsecutus est: furori nimirùm, aut studio vindictæ, cùm ad Nabalis cædem anhelabat; ambitioni, cùm populi censum haberi voluit; aut, vt nonnulli volunt, auaritiæ. Quare non errore lapsus est in publica causa procurãda, sed priuata malitia, dũ plus satis suis sibi affectibus indulget.

Res est sanè difficilis, in qua laborarunt plurimùm Interpretes, qui fermè omnes eò inclinãt, vt putent in vno tantùm Vriæ verbo peccasse Dauidem, quia hoc fuit enorme; reliqua verò illius comparatione exigua, siue genus illorum, seu durationem spectes. Quam ego sententiam sic explico. In Scriptura sacra vsitatum est, vt si pauca desint ex magno numero, nihil existimetur defuisse. Vnde si ex multis vnus peccauit homo, nullus peccasse dicitur, & omnes dicuntur non peccasse. Sic quia Dauid multa edidit opera laudabiliter, & sanctè, etiamsi aliquando peccauerit, quia id fuit perquàm rarò, nunquam peccasse traditur; aut quod idem est, omnes Dei fecisse voluntates. Sic de illo Actor. cap. 13. v. 22. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et Eccli. cap. 49. v. 4. dicitur non admisisse peccatum. Et idem affirmatur de Iosia, atque Ezechia, qui licet aliquando peccauerint, id fecere perquàm rarò, & innumeris benefactis, peccatorum suorum nomen, atque memoriam obtriuerunt. *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.*

Vt ergo peccata numero pauca, vbi rectè facta occurrunt numero plurima, nulla existimantur; sic etiam peccata, quæ aut leuia sunt, aut quæ breui fuerunt ab animo benè constituto detersa, neque diu insederunt obstinatæ conscientiæ, censentur non fuisse: sicut natus non existimatur, qui vbi primùm est exceptus in lucem, statim interiit. Quomodò puer ex adulterio natus ex Bersabee non numeratur in filiis Dauid, quia vix dum natus interiit. Et cùm filia Archisynagogi verè mortua fuerit, Christus tamen Matth. cap. 9. dixit *non esse puellam mortuam*, quia nempè citò erat ad vitam reditura. Et idem Christus Ioan. 17. dixit *se non esse in mundo*, quia citò erat abiturus è mundo. Sic l. 3. de diuortiis, vxor si breui est reuersa, non dicitur diuertisse. Id quoque Hieronymus docet epist. ad Rusticum; & habetur in cap. *septies* 23. de pœnit. d. 3. *Septies cadit iustus, & resurgit. Si cadit, quomodò iustus: si iustus, quomodò cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* Cùm igitur in verbo Vriæ, id est, in peccato contra Vriam, diu hæserit Dauid, quia iam natus erat ex adulterio filius, quando à Natham Propheta reprehensus resipuit, & egit pœnitentiam, illud solum peccatum admisisse narratur. Cætera omnia statim execratus est, vt primùm ad se rediit; quale fuit hoc, quod ad orationem Abigail confestim damnauit, & gratias egit, quòd ab illa prohibitus gladium in vaginam reconderet, & manus referret à cæde puras. Quocircà optimè iuxta communem hominum sensum, & Scripturæ consuetudinem, excepto verbo Vriæ, nunquam declinasse dicitur Dauid à viis Domini, quia vel modicè deflexit, vel statim rediit. Quæ verò ita fiunt, vulgus hominum à peccatorum nomine, & turpitudine liberat.

55. REGVLA. *Quæ breui durarunt tempore, cẽsentur nõ fuisse.*

An verò Dauid violato ad preces Abigail iu-
56. ramento peccauerit, cùm Nabali pepercerit, cui extrema omnia fuerat minatus, non est quæstio difficilis, quam diluit Augustinus serm. in decollatione Ioannis Baptistæ, & Beda homil. 44. in eodem festo; vbi negant ibi interfuisse peccatum, sed potiùs graue in executione fuisse futurum. Vide 22. q. 4.

Vers. 36. *Venit autem Abigail ad Nabal, & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium Regis*]. Rediit domum Abigail læta, quòd à cõiugis iugulo Dauidis ferrum auertisset, quem inuenit hilarem, & multitudine conuiuarum, & splendore genialis conuiuij. Erat enim Regio instructum apparatu; id est, abundans, & splendidum, quale à Regibus exhiberi solet. Est autem vsitatum, & penè prouerbiale in Scriptura, vt quæ eximia sunt, Regum esse dicantur. Sic Cantic. 7. sponsæ capilli purpuræ assimilantur Regiæ; id est, pretiosæ. Et Isai. 60. lactanda dicitur Ecclesia Regum mammilla; id est, suaui, ac nobili. Et magnæ deliciæ Regum esse dicuntur, Genes. 49. *Præbebit delicias Regibus.* Cùm autem coniugem iucundum, & obuium inuenisset, nihil illi eorum, quæ gesta fuerant, aperuit; tum ne nocturnum illud conuiuium intempestiua narratione turbaret; tum quia in temulentis commota mens est, & parùm rebus percipiendis, aut considerandis idonea. Expectauit igitur matutinam lucem, vt cùm vinum per otium edormiisset, rem totam cognosceret, & quid præsens ille rerum articulus exigeret, accuratiùs expenderet. 57.

Vers. 37. *Et emortuum est cor eius extrinsecus, & factus est quasi lapis.*] His verbis grandis significatur stupor, qui ex subito quodam horrore, & ex duro, atque inopinato successu, ac nuncio concipitur; qui solet sic hominem vehementer afficere, vt exanguem reddat, & exanimem. Dicitur autem cor Nabalis emortuum, quia sic obstupuit, vt omnem amiserit sensum; quod sæpe in metu, atque dolore contingit. Legimus enim, & vidimus sæpè multos sic fuisse exanimatos dolore, vt habiti etiam fuerint pro mortuis. Quare in graui stupore, atque ægritudine animi & mens excidisse, & oculis lux sublata quibusdam fuisse dicitur. Sic sanè Ouidius de se lib. 1. de Tristibus eleg. 3. ex eo quod aliis contigisse viderat. 58. *Nabal moritur.* *Metus, & dolor multos exanimarunt.*

Non aliter stupui, quàm qui Iouis ignibus ictus
Viuit, & est vitæ nescius ipse suæ.
Vt tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit,
Et tandem sensus conualuere mei.

Neque aliud significant illa Poëtarum fabulosa commenta, quæ fingunt Niobem, cùm filiorum cædem audiisset, conuersam fuisse in lapidẽ; quàm illam præ nimio dolore amisisse sensus omnes, & instar lapidis obriguisse. Hoc omninò accidit Nabali, vbi primùm didicit, quo in periculo fuerit, & quàm abfuerit parùm, vt inter epulas, & cætus ebriorum, ebrius ipse, & amens occideretur. Hæc fuit sine dubio causa, cur cor mortuum esse dicatur interiùs. Est enim ridiculum, quod docent quidam Hebræorum magistri, ideò in lapidis similitudinem induruisse cor, quia vehementer doluit Nabal oblata Dauidi ab vxore munera suis facultatibus fuisse detracta. 59.

Vers. 38. *Cúmque pertransiissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.*] Decem dies transegit Nabal alienus à seipso, ita vt lapidem potiùs, aut caudicem, quàm hominem vocares; quibus exactis interiit à Domino percussus; an noua aliqua plaga, vel ingraueſcẽte magis cordis duritie, 60.

incertum est: aliquid tamen accidisse à sensuum stupore,& cordis induratione diuersum,verisimilius;quia post decẽ dies percussus esse dicitur,noua videlicet plaga,sicut indicat ipsũ dicẽdi genus.

61. Vers.39. *Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal;& seruum suum custodiuit à malo.*]Hinc colligebat Abulensis, vt nos suprà notauimus, non tam Dauidem succensuisse Nabali, quod rogatum vitæ subsidium denegasset, quàm quod legatos onerasset conuitiis, & Dauidis socios fugitiuorum ignobilem turbam appellasset. Ego in opprobrio vtrúmque cognosco,& irrogatam ignominiam Dauidi,ac sociis, & negatum esse,quod petebatur, alimentum;repulsam enim pati opprobrium quoddam est. Vnde qui non exorat,quod orat supplex,confundi dicitur,aut erubescere,vt paulò antè dicebamus.Agit ergo gratias Dauid Deo, quòd non permiserit vindictam opprobrij illius sumi à mortali manu; sed ipse inclementiæ, atque iniuriæ illius vindex esse voluerit. Quibus verbis agnoscit conatum illum non esse futurum sceleris expertem; quando se à malo seruatum esse profitetur.

62. *Et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius.*]Malitia Nabal fuit ingratitudo, inclemẽtia, verborum libertas,& linguæ immoderata procacitas;quæ luit homo ille rusticus, & barbarus capitali pœna.Et licèt eiusmodi supplicium irrogari soleat leuiori,ac veniali culpæ;qualis fuit vxoris Loth,quæ in statuam salis cõuersa est, Genes. 19.& Prophetæ,qui occisus fuit à leone, 3. Reg. cap.13.tamen improbabile non est aliquid à Nabale commissum esse grauius, cùm indigentibus, benéque de se meritis, quo tempore rebus abundaret omnibus,subuenire noluerit, propter quod tam seuero decreto in illius caput actum est.

63. Vers.39. *Et locutus est ad Abigail,vt sumeret eam sibi in vxorem.*]Placuit Dauidi plurimis de causis Abigail, & quod speciosa esset,ac liberali forma, quòd eloquio prudens,& optima mater familias, & quòd illius opera manus suas seruasset innoxias,& communem totius populi inuidiam, & odium declinasset;quam non effugisset,si cõtribulem suum Nabal propter negatam alimoniam occideret. Quare illam vxorem sibi assumere decreuit, déque ea re legationem misit. Quam illa accepit lubens, & quasi magnum agnosceret beneficium,procubuit in faciem,& absentem Dauidem, ex Hebræorum opinor consuetudine, supplex adorauit. Et insuper addidit, existimare se benè secum agi,si modò liceat in domo Dauid è seruulorum pedibus sordes abluendo detergere.

Abigail nubit Dauidi.

64. Vers.42. *Et festinauit,& surrexit Abigail.*]Non distulit Abigail postulata complere, neque deterruit à nuptiis aut Dauidis inopia, aut sterilis, & vasta solitudo, in qua vagus,& profugus incertis semper sedibus errabat;neque Saulis potẽtia, qui nullum non mouebat lapidem, vt,quem ambibat coniugem, opprimeret. Sed confestim assumpsit secũ puellas quinque pedissequas,& honorarias, & secuta nuncios, seu veriùs paranymphos, & pronubos, ad Dauidem abiit, & cum eo connubiali vinculo sociata est. Quid deinde fecerit Abigail,dum vagus, & extorris in syluis vagaretur nouus maritus, Scriptura non tradit; est tamen verisimile,rediisse in Carmelum, vt rẽ,familiámque curaret,interim dum Dauid incertis per syluas sedibus erraret:neque enim verisimile est,habere voluisse Dauidem secum in confragosis locis,& expositis Saulis insidiis, fœminam delicatam,& nobilem, & quæ futura erat cum suo comitatu fœmineo militibus impedimento maximo.Absens verò præstare poterat varios vsus illi exulum turbæ,cùm præbere posset ad victum necessaria,commodare hospitium,si quãdo ad Carmelum,qui non procul aberat, diuerteret. Cùm autem iam habuit certam sedem extra Saulis regnum,in terra Philisthinorum, in ciuitate Siceleg,ibi secum habuit Abigail, vt constat cap.30. nam inde ab Amalecitis abducta dicitur captiua, & in ciuitate Geth cap.27.

65. Hæc autem Abigail meliori, quàm aliæ vxores, loco apud Dauidem esse debuit;tum propter alia ingenij liberalis ornamenta; tum quia illum subsidio iuuit,atque consilio;& quia eo illi nupsit tempore,quando inops erat,extorris,& vagus, & potentissimi Regis insidiis,& armis appetitus ad cædem. Aliæ vxores tunc in illius thalamum sociali fœdere venerunt, vna excepta Achinoam, quando aut Rex erat renunciatus, aut certè eo apud omnes habitus loco, vt in exercitu Saulis princeps haberetur,& ab illo cuncti summa sperarent omnia. Quare ipsa,cùm Dauidi nupsit, multò quàm ille erat locupletior. Cui dicere potuit multò veriùs, quàm Oenone Paridi, cui seruo,atque pastori nupserat; à quo tamen, cùm è Regio sanguine ortum se esse cognouit, derelicta fuit: ad quem illa sic grauiter, meritóque conqueſta.

Nondum tantus eras,cùm te contenta marito
Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides(adsit reuerentia vero)
Seruus eras,seruo nubere Nympha tuli.

66. Vers.43. *Sed & Achinoam accepit Dauid ex Iezrael.*] Eodem tempore, quo duriùs vexabatur à Saule,alteram etiam duxit vxorem, ex qua primogenitum suscepit Adoniam; quam etiam secum habuit in Siceleg,vt habes infrà cap.30.Erat autem Iezrael in tribu Iuda,in eo ipso loco, in quo aliquandiu vagatus est Dauid, non longè à Maon, Ziph, Carmelo: has enim simul numerat Iosue,cap.15.v.55.

67. Vers.44. *Saul autem dedit Michol filiam suam, vxorẽ Dauid,Phalti filio Lais.*] Hinc apparet,quàm esset ingenio instabili Saul, cùm vxorem abstulerit,quam anteà tradiderat Dauidi, cùm priùs illum futurum esse Regem agnouisset; à quo precibus obtinuit,& lacrymis, vt sui generis, ac nominis rationem haberet.Iam verò sic est in diuersa mutatus,vt ablata filia,quæ seruandæ fidei, atque amicitiæ vinculum esse poterat, ruperit nexum,qui fœderis illius, aut solus, aut maximus esse debuit.Multa hîc quærit Abulensis, an videlicet in his nuptiis aut dissoluendis, aut contrahendis peccauerit Saul, & Dauid, Michol, & Phalti;quas ego quæstiones prudens omitto,quia mearum partium esse non puto. Videat apud Abulensem,qui plura volet.

Michol alteri viro traditur.

IN

IN CAPVT XXVI. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

RVRSVS Ziphæi ad Saulem referunt, in ſuis finibus abſconditum eſſe Dauidem ad collem Achila. Qui eò quamprimùm aduolat cum tribus hominum millibus viro de viro lectis. Cùm verò non longè conſtitiſſet ab eo loco, quem tunc occupauerat Dauid, idque Dauidi per ſpeculatores eſſet exploratum, alta iam nocte, cùm altus iam ſomnus omnes in caſtris occuparet ſopor, vno comitatus Abiſai in Saulis caſtra ſilentio deſcendit; cúmque Abiſai videret facilè à ſe Regem ſomno ſepultum opprimi poſſe, id ſibi, vt facere liceat, à Dauide poſtulat. Negat Dauid, neque fas eſſe dicit ab alia, quàm à diuina manu electum, atque vnctum à Domino Regem extingui: Iuſſit tamen, vt ſcyphum, ac haſtam Regis, quam habebat ad caput, ſecum auferret, vt haberet, quo ſuam apud Regem innocentiam probaret. Seceſſit Dauid longiuſculè, & ex prælto monte loquutus eſt ad Abnerem præcipuè, qui caſtris præerat, exprobrans, quòd nimiùm eſſet in Regis cuſtodia diſſolutus, & iners. Ad cuius vocem excitatus Saul, & quanto in periculo fuerit edoctus, tum præterea Dauidis oratione ad mentem meliorem traductus, gratias illi egit, quòd tot laceſſitus iniuriis; ignouerit tamen, illúmque vt ad gratiam, & antequàm ordinem ſe referat hortatur, non tamen perſuadet.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

1. ET venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ eſt ex aduerſo ſolitudinis.

2. Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſraël, vt quæreret Dauid in deſerto Ziph.

3. Et caſtrametatus eſt Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerſo ſolitudinis in via: Dauid autem habitabat in deſerto. Videns autem quòd veniſſet Saul poſt ſe in deſertum,

4. Miſit exploratores, & didicit quòd illuc veniſſet certiſſimè.

5. Et ſurrexit Dauid clàm, & venit ad locum vbi erat Saul: cúmque vidiſſet locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius,

6. Ait Dauid ad Achimelech Hethæũ, & Abiſai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis deſcendet mecum ad Saul in caſtra? Dixítque Abiſai: Ego deſcendam tecum.

7. Venerunt ergo Dauid & Abiſai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem & dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput eius: Abner autem & populum dormientes in circuitu eius.

8. Dixítque Abiſai ad Dauid: Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, ſemel, & ſecunda opus non erit.

9. Et dixit Dauid ad Abiſai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?

10. Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium deſcendens perierit:

11. Propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini: nunc igitur tolle haſtam, quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ, & abeamus.

12. Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.

13. Cúmque tranſiſſet Dauid ex aduerſo, & ſtetiſſet in vertice montis de longè, & eſſet grande interuallum inter eos.

14. Clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nónne reſpondebis Abner? Et reſpondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem?

15. Et ait Dauid ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſraël? quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum regem? ingreſſus eſt enim vnus de turba, vt interficeret regem, dominum tuum.

16. Non eſt bonum hoc, quod feciſti: viuit Dominus, quoniam filij mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis dominũ veſtrum, Chriſtum Domini. nunc ergo vide vbi ſit haſta regis, & vbi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput eius.

17. Cognouit autem Saul vocem Dauid,& dixit: Numquid vox hæc tua,fili mi Dauid? & ait Dauid: Vox mea domine mi rex.

18. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea?

19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba serui tui: Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade,serui diis alienis.

20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israël vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus.

21. Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltrà tibi malefaciam, eo quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quòd stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.

22. Et respondens Dauid,ait: Ecce hasta regis: transeat vnus de pueris regis, & tollat eam.

23. Dominus autem retribuet vnicuique secundùm iustitiam suam & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manũ meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.

24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini,& liberet me de omni angustia.

25. Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

IN CAP. XXVI. LIB. I. REGVM
COMMENTARII.

Vers. 1. *Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa.*]

1. FACILE nosse potuerunt Ziphæi adhuc Saulem esse malè in Dauidem animatum, quando abductam ab illius thalamo filiam alieno tradidisset; quod in toto regno non potuit esse, propter rei ipsius grauitatem, & naturam, non manifestum. Quare quod anteà fecerunt, iterùm nunc aggrediuntur. Docent igitur Regem in colle Hachila suum sibi, commilitonibusque perfugium posuisse Dauidé. Quam occasionem perire noluit Saul; & assumptis ex Israëlis præcipuo robore tribus hominum millibus,eò se quàm celerrimè contulit, & castra non longè à Dauidis statione metatus est.

2. *In Gabaa Hachila.*] Idem est *Gabaa Hachila*, quod collis Hachila; Gabaa enim idem est,quod collis, vt pluribus ostendimus cap.7. in principio ad illud v. 1. *In domum Aminadab in Gabaa.*

3. Vers.3. *Videns autem quòd venisset Saul.*] Non potest diu celari Principum incessus, cùm sine magno tumultu,ac strepitu fieri non possit. Quare accepit Dauid siue à rumore incerto, siue à nuncio ab amicis occultè destinato appulisse Saulem ad illum locum,qui proximus erat ipsius latebris; quod vbi per exploratores certum esse cognouit, ipse clàm ingressus castra, obseruauit diligenter locum, vbi Regium erat tentorium. Reuersus igitur ad suos duos elegit socios, quos ad opus, quod destinarat animo, secum adduceret. Cúmque aliis dormientibus, ad Saulis tentorium accessissent,inuenerunt illum decumbentem, & profundo quodam sopore captum; qualis reliquam etiam multitudinẽ occuparat. Erat autem ad eius caput hasta defixa, quia, vt suprà vidimus,erat Regiæ dignitatis insigne, & ea fortasse nota significabatur Regium illud esse tabernaculum. Cúmque Abisai, alter è duobus, quos sibi Dauid ad nocturnum illud opus socios assumpserat, cerneret in eo rem esse statu, vt facilè res tota vno tantùm ictu posset absolui, licere sibi petit à Dauid, vt Regem occidat, & semel, & toties intenta à Rege pericula declinent. Negat Dauid polluendas esse Regio sanguine sacrilegas manus; neque fas esse, vt qui sacro est oleo delibutus, excipiat ferrum à quoquam è suo contubernio; neque defuturas esse causas, quæ illum possint regno,ac spiritu priuare: esse enim Deum iniuriarum vindicem, qui causam tuetur, & vlciscitur innocentum; esse naturalem aliquam vim, quæ mortalem naturam morti tradat; neque defuturos alios hostes, qui Hebræorum fines assiduè populantur, & turbant: si ab his illi mors afferatur, ferendum esse; nullo verò modo à se, vel à suis Regio corpori afferendam esse vim.

4. Vers.12. *Tulit igitur Dauid hastam,& scyphum.*] Quemadmodum priùs aliquid ex Saulis chlamyde sustulerat, quo suæ vitæ periculum, & hostis sui clementiam, atque obseruantiam cognosceret: sic etiam nunc è Saulis tentorio hastam, & scyphum sustulit Dauid, vt ab illo iterùm suam seruatam esse vitam apertè cognosceret. *Hasta*, vt diximus, Regium erat insigne, sicut aliis sceptrum. De *scypho* multa meditantur Interpretes. Quidam matellam esse putant; id est, vas, quod vrinam excipit. Et quidem vrinam aquam appellari apud Hebræos,res est nota; vt nos pluribus ostendimus ad illud Ezech.7. *Omnia genua fluent aquis.* & Ierem.9. *Quis dabit capiti meo aquã?* Existimare præterea aliquis posset, hoc pertinere ad genus aliquod purificationis. Satis enim notum est purificationem; id est, lotionem, Iudæis esse valde familiarem, quia facilè existimabant maculam contrahi contactu rei,etiam naturæ nõ immundæ. Quare, vt constat ex Ioan. cap.2. hydrias habebant in priuatis domibus, quibus se ab omni mundarent labe. Quod etiam faciebant, si quid

Lotio Hebræorum valde familiaris.

quid in somnis accideret impurum. Quare in nocte sæpè lauabantur, quia huic immunditiæ nox erat magis opportuna. Ita Clemens Alexandrinus, lib. 4. Strom. cap. 7. *Hic erat mos Iudæorum, vt etiam sæpè in lecto tingerentur.* Quapropter mirum non est, si Rex, qui aliis ea in re exemplo esse debuit, scyphum haberet paratum ad illud familiare, ac frequens purgationis genus.

5. Ego Scyphum ad Saulis caput fuisse puto, ad sedandam sitim, aut ad ardorem, qui ex æstu, laboréque concipitur, refrigerandum. Solet enim noctu sitis, & calor vrere eos, qui sunt in via, præsertim æstuosa, qualis illa fuit, quia in tempus incidit, quo tondentur oues, quod non procul distat à tempore messis. Dicitur autem *Scyphus aquæ*, quia in illo aqua portabatur; quod nomen, vt reor, non amisisset, etiamsi vinum, aut aliquid aliud poculentum portaret. Vt enim in pane, ex Hebræorum idiomate, quodcunque esculentum; sic in aqua quodcunque poculentum intelligitur. Sanè in Hebræorum mensis sæpè panis, & aquæ nomen tantùm auditur; cùm tamen fercula sint, & pocula diuersa. Lib. 1. Reg. cap. 13. sæpiùs auditur panis, & aqua; cùm tamen verisimile sit, aliquid præter aquam, & panem adhibitum fuisse ad mensam. Quis enim credat à Propheta viro Dei, quem ad mensam hospitalem adduxerat, aquam tantùm, & panem fuisse porrectum? Isaiæ cap. 3. *Auferam à Ierusalem omne robur panis, & omne robur aquæ.* Et 4. Reg. 6. *Pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant.* Et statim indicatur aliquid esse appositum præter panem, & aquam: *Appositáque est eis ciborum magna præparatio.* Hæc mihi verisimilia sunt; nihilominùs eò magis inclinat animus, vt putem in Regio Scypho aquam esse tantùm, quia id sonat litera, & aqua eo loco, ac tempore plures habuit vsus, quàm vinum.

In pane, & aqua omne esculentum, & poculentum intelligitur.

6. *Omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.*] In tanta multitudine nemo fuit in Saulis castris, quem non occupauerit profundus sopor. Dominus enim, qui Dauidis causam, & vitam ab iniquo, & barbaro Rege tuebatur, somnum immisit vsque adeò altum, vt eo quasi sepulti, quotquot erant in acie, nihil, aut parùm distarent à morte. Sopor Domini aut ideò dicitur, quia infusus à Deo, aut quia grauis fuit; quæ enim in quolibet genere magna sunt, illa Dei esse specie prouerbiali dicuntur.

7. Vers. 14. *Clamauit Dauid ad populum, & ad Abner.*] Discessit Dauid cum hasta, & scypho; id est, cum suæ innocentiæ, ac fidelitatis testimonio. Cùm inde procul in locum sublimem, & tutum ascendisset, vnde si quid ea nocte Saul contra moliretur aduersum, paratum haberet effugium; hanc ad populum, sed præcipuè ad Abner militiæ principem habuit orationem: Ecquid, ô Abner, habes, quod pro te ad obiecta perfidiæ crimina respondeas? Cúmque Abner nomen illius, cuius accusabatur voce, audire studeret; & quod dormienti Regi obstreperet, increparet; respondit Dauid, dignos esse morte omnes quotquot essent in castris, quia pro Regis capite fideles excubias non egerunt; sed præcipuè Abner; quia cùm vir esset militiæ princeps, & vir fortissimus, cui credita fuerat & salus publica, & Regij corporis vigilans, ac fida custodia; minùs tamen fideliter datas sibi partes obiisset. Cùm ingredi potuerit ad Regis vsque tabernaculum vnus è turba, vt Regem occideret; quod quidem per Regij capitis custodes perficere tu-

A tò, ac facilè potuit; cùm hi illius audaciæ neque latus opposuissent suum, quod facere debuerant, neque vllum dedissent fidelis animi testimoniũ. Vt autem hoc fieri potuisse, imò & fuisse factum ostendat, iubet Abner, vt videat, an è Regio tabernaculo sublatum sit aliquid, & vbi sit hasta Regiæ dignitatis insigne, & scyphus aquæ, qui ad Regis caput erat; & inde intelligat eodem modo Regium caput ab humeris tolli potuisse, quo illa à tabernaculo, & ab ipso propè capite Regis sublata sunt.

Vers. 15. *Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret Regem.*] Licèt non eo animo ingressus fuerit Dauid, vt Saulem occideret; nihil tamen commentus est falsum: quia reuerà Abisai occidisset Regem, nisi ab eo conatu foret à Dauide prohibitus. Aut certè ibi subaudienda est conditionalis aliqua particula, sicut in Scriptura sæpè; in hunc sensum: Si aliquis è turba vellet Regem occidere, fecisset hoc facilè, cùm ex tanto numero nemo vigilaret. Ita Abulensis, quæst. 19. dum sic explicat. *Potuit ingredi aliquis de turba, vt interficeret Regem.* Et in eundem sensum transtulit Hispanica translatio; *Ca pudiera venir alguno de el pueblo.* Et quidem à domesticis quoque Principum caput custodiendum est, cùm hi etiam interdum non minùs sint infensi, quàm externi; maximè cùm duro sunt ingenio, & in subditos hostiliter affecti. Neque mihi dubium est, plurimos in castris magis esse in Dauidem, quàm in Saulem affectos; qui illum viuere, ac vigere, hunc autem extinctum esse cuperent.

8.

Vers. 17. *Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid?*] Ad vocem Dauid, qui procul, & Abner, qui propè loquebatur, expergefactus est Saul, & subitò à seipso mutatus. Qui cùm humaniùs illum compellasset, suámque in illum beneuolentiam ostendisset; suam causam apud beneuolum, & vt erat eo articulo rerum species, apud iudicem non iniquum ageret; rogat, quænam sit causa, quæ illius animum ad sumendum de innocente supplicium tam acerbè, ac pertinaciter impellat?

9.

Vers. 19. *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium.*] Ex tribus causis prouenire potuit hæc tam dura, atque diuturna vexatio; vt benè Abulensis, quæst. 22. Aut quia à Deo mouebatur Saul, vt Dauidem tolleret de medio; aut quia eò Regium animum inuidorum hominum fallaces, & inimicæ voces impellebant; aut quia à suo siue genio, siue spiritu Rex instigabatur, vt Dauidem opprimeret. De hac extrema, licèt esset omnium verissima, non loquitur Dauid, ne Regi aliquid obiiciat indignum, & turpe, quo Regium vultum pudefaciat, & vt suam in illum obseruãtiam ostendat. De prima agit libentiùs, & docet se non recusare, quominùs mortem subeat; si ita de se Dominus per Regem de suo capite statuat. Quare sicut victima neque obluctans, neque clamans ad altare ducitur; sic ipse placaturus suo sanguine diuinam offensionem, Regio cultro non inuitus iugulum summittet, vt ex suo corpore fiat, exigente, atque approbante Deo, suauissimi odoris holocaustum. Id enim esse puto, *odoretur sacrificium.* Cùm enim quod Deus ab homine sacrificium exigit, gratum existimetur; sic etiam existimatur Dominus, quẽ accensa victima odorem exhalat, libenter excipere, & odorari suauiter. Qui dicendi modus vsitatus est in Scriptura, Sic Genes. 8. odoratus dicitur Dominus sacrificium Noë; id est, gratum habuisse sacrificium; & millies audimus sacrificium esse, aut offerri Domino

10.

mino in odorem suauitatis. Quare nihil aliud dicit hoc loco Dauid; quàm se libenter futurum esse victimam, si Deus ita velit, & ad id Saulis animum tam vrgeat vehementer.

11. *Si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini.*] Hæc est altera causa, cur tam obstinato odio videri Saul potuit persecutus Dauidē. Quia alij ardenti Saulis animo faces admouebant; hos autem inuisos esse dicit, & execrabiles Domino. Quia innocentem hominem non solùm ex paterna domo, natalique solo, sed etiam ex Israëlitide terra abire compellunt; cùm in illa, dum Regius improborum halitu igneſcit furor, stabile habere domicilium, aut hospitium non liceat. Ex qua hominum inuidia, orationéque maleuola id consecutum est, vt dixisse videantur, non solùm vt patrias sedes exul, sed vt patriam religionem relinquam: id enim valet quod statim subiicitur.

12. *Vade, serui diis alienis.*] Quia in finibus Israël Dauid tutus esse non poterat, cùm Regum plurimi sint oculi, & manus longæ; coactus est in alienis regionibus, in quibus impia impuræ religionis simulacra coluntur, commorari. Quare vt vidimus cap. 21. ad Achis abiit Regem Geth, & iterùm cap. 27. Fuit autem apud Moabitas cap. 22. Cùm autem Hebræorum varium esset ingenium; & modò in hanc, modò in illam, tanquam hospites, religionem diuerterent; fiebat, vt ad illam se religionem applicarent, quam in honore esse videbant in illis regionibus, ad quas immigrare contigisset. Quare in Ægypto coluerunt idola, licèt non indigna solùm, quæ vllum apud cordatos homines honorem obtinerent, sed etiã omninò ridicula. Vt nos pluribus ostendimus ad illud Ezech. cap. 16. *Fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis.* Et cap. 20. ad illud. *Et in idolis Ægypti nolite pollui.* Et probat illud Iosue cap. vlt. v. 14. *Auferte deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto.* Et Isaiæ cap. 2. *In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, & vespertiliones.* Quod etiam, dum essent Babylone, Chaldæorum deos adorauerint, docuimus in nostris Commentariis in Ezechielem cap. 16. ad illud: *Fornicata est cum filiis Assyriorum.* Et Ierem. 16. v. 13. ad illud: *Seruietis ibi diis alienis.* Et idem accidit aliis, qui ad regiones alias non captiui, sed peregrini, & hospites appulerunt. Psal. 105. v. 35. *Et commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum; & factum est illis in scandalum.* Cùm autem Deus illorum cognouisset ingenium, vetuit, ne cum Gentibus miscerent connubia, aut res haberent, rationésque communes; quia futurum videbat, vt abiurata patria religione sequerentur alienam. Dum igitur qui Saulem instigant, vt Dauidem persequatur, id etiam efficiunt, vt illum ad Gentilium regiones excedere compellant, quibuscum sine veræ religionis iniuria, ac sine periculo abiurandæ pietatis commorari non potest. Perinde igitur est, dicere Sauli, *persequere Dauidem*; ac dicere Dauidi, *vade ad Gentilium fines, & illorum cole impia simulacra.*

13. *Hebræi gentium idola variis in locis coluerunt.*

14. Vers. 20. *Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino.*] Videtur Dauid significasse, non incitari à Domino Saulem; sed ab hominibus inuidis, qui Dauidis ipsius extinctam gloriam cupiunt; aut veriùs, licèt ipse honoris gratia taceat, à seipso, instimulante inuidia, & vrgente diabolo. Quare orat, ne suus effundatur sanguis in terram; sicut victimæ, quæ coram Domino ad aram immolatur. Illud *in terram* prouerbiali figura aliquid indicat inutile; id est, ex quo nullus prouenit fructus. Quod etiam Latinus eadem dicendi forma significat. Sic sanè Cicero lib. 9. epist. vltima. Vide plura suprà cap. 3. ad illud: *Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Et huic significationi accommodatè subiungitur:

Quia egressus est Rex Israël, vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus.] Verè in terram defluueret sanguis Dauid, quia neque fuisset effundenti Sauli vsui, neque gloriæ. Non magis, quàm si Rex tantus vnum captaret pulicem; & in re tantula tantum otij, viriúmque consumeret. Quod paulò antè dixerat, cap. 24. v. 15. *Quem persequeris Rex Israël? canem mortuum, & pulicem vnum.* Aut certè persequitur, sicut auceps perdicem sequitur, auem innoxiam, facítque illam pauitātem, & fessam in montibus errare. Vbi Dauid cùm priùs seipsum comparatione culicis extenuaret; nunc suum angorem, & metum perdicis similitudine significat. Illud, *persequitur*, passiuè hoc loco ponitur, cùm tamen actiuam potiùs significationem habeat. Neque est, cur ideò fastidiosi quidam Grāmatici plus satis suo indulgentes genio, ne dicam ingenio, nostrum Interprerem reprehendant, quòd abusus fuerit vi, significationéque vocabuli. Vt enim obseruauit optimè Serarius super cap. 2. Iudith, ad illud: *Prædauit omnes filios Tharsis*; hoc etiam in verbis Deponētibus fecerunt antiqui, neque ideò à posteris sunt improbati. Dixit apud Nonium Ennius, *criminat*; Accius *miserarent, & contempla*; Turpilius, *proficiscerent*; Pacuuius, *moderant*. Sic apud alios ait inueniri, *miro, osculo, tuto, populo, perscruto*, & plura alia, quæ longum esset numerare. Quæ voces in terminatione passiua passiuā quoque significationem videntur habuisse. Neque maiorem licentiam assumpsit sibi noster Interpres, quàm in aliis etiam verborum aut significationibus, aut formis assumpserunt antiqui.

15. *Verba multa deponentia terminationem habent passiuam.*

16. Vers. 21. *Et ait Saul: peccaui. Reuertere fili mi Dauid.*] Compunctus Saul tam modesta, & graui Dauidis oratione, ab errore simul, ac furore resipuit. Quare suum primum peccatum confitetur, & quem hostem priùs appellarat, filium compellat, & vt ad antiquum locum, & ordinem reuertatur, inuitat; promittítque depositurum se cum errore animum priorem, neque vnquam admissurum, vt aliquid meritò à Regia potentia, & offensione timere possit; cùm iam semel, atque iterùm reipsa cognouerit, debere se Dauidi vitam suam, quam tutò, & facilè potuisset adimere: vnde etiam intellexerit, quanto in errore versatus sit, & quàm aliena susceperit ab humanitate, & à prudenti ratione consilia.

17. Vers. 22. *Ecce hasta Regis, transeat vnus de pueris Regis.*] Ad hæc Dauid cùm obtulisset, quam in fidei suæ testimonium abstulerat hastam, quod priùs oratione significauerat simplici, interposita iurisiurandi religione confirmat. Iudicem enim implorat, testatúrque Deum, vt talem se vtrilibet eorum præbeat, qualem alter in alterum æquitatem, fidémque præstiterit; & tanti faciat Deus ipsius vitam, quanti ipse fecit vitam Saulis, cui non permisit nocere quemquam, cùm tamē multorum in illum incitaretur furor: & liberet ipsum ab omni vexatione, vitæque periculo, sicut ipse Saulis vitam ab imminente iam morte liberauit.

18. Vers. 25. *Et quidem faciens facies, & potens poteris.*] Ex Dauidis clementia, & fide in Regē suum, præsagit quodámodò Saul, quis illum in eo, quod erit

erit vitæ reliquum, exitus maneat. Et quasi Dei, à quo Dauid suæ fidei, atque æquitatis iudicium, ac testimonium optauerat, vocem assumeret, respondit talia, qualia à Deo summo iudice, ac teste sperari poterant, & qualia posteà satis cumulatè confirmauit euentus. Illa porrò eiusdem vocis geminatio magnam habet epitasim. *Faciens facies*; id est, facies omnia expeditè, & facile, neque studiis tuis deerit successus. *Potens poteris*; id est, potentissimus eris, in omni negotio, quod aggressus fueris, quicquid se difficultatis obiecerit, superabis.

IN CAPVT XXVII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

LONGO iam vsu didicerat Dauid, Saulis promissis nullam deberi fidem, cuius mentem tam facilè malus turbabat, atque peruertebat spiritus; atque ideò statuit excedendum esse ab omni loco, ad quem Saulis sese porrigeret imperium. Quare tam ipse, quàm viri sexcenti, qui se iam antè adiunxerant socios, cum eorum familiis in terram Philisthinorum commigrarunt. Petiit autem Dauid ab Achis certum quemdam locum, vbi ipse cum suis seorsum ageret, cuius postulatis annuit Achis, deditque Siceleg, in qua mensibus quator stationẽ suam locauit Dauid. Inde in varia loca excursiones faciens eorum populabatur agros, & opimas in suam ciuitatẽ prædas abducebat. Neque vllum siue virum, siue mulierem relinquebat viuum, ne quà ad Achis, viróque Palæstinos de cæde, ac præda rumor permanaret. Res autem sic gerebat cautè, & occultè, vt Achis illas prædas ex Hebræorum finibus asportari sibi persuaderet. Quare sic secum meditabatur, cùm tot Dauid Hebræos affecisset incommodis, neque ausurum esse ad illos vnquam redire, neque ipsi infidelem futurum esse seruum.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

1. ET ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nónne meliùs est vt fugiam, & saluer in Terra Philisthinorum, vt desperet Saul, cessétque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius.

2. Et surrexit Dauid, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth.

3. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse & viri eius: vir & domus eius: & Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal carmeli.

4. Et nuntiatum est Sauli quod fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltrà quærere eum.

5. Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum?

6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda, vsque in diem hanc.

A 7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum quattuor mensium.

8. Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad Terram Ægypti.

9. Et percutiebat Dauid omnem terrã, nec relinquebat viuentem virum & mulierem: tollénsque oues, & boues, & asinos & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis.

10. Dicebat autem ei Achis: In quem
B irruisti hodie? Respondebat Dauid: Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel & contra meridiem Ceni.

11. Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur aduersum nos. Hæc fecit Dauid: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philisthinorum.

12. Credidit ergo Achis Dauid, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israël: erit igitur mihi seruus sempiternus.

IN CAP. XXVII. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers.1. *Et ait Dauid in corde suo, aliquando incidam vna die in manus Saul.*]

1. SAVLIS videbatur cautum esse Dauidis saluti à Regia fide; si tamen in Saule aliquid Regia fides haberet firmamenti. Sed quia quàm esset versatile Saulis ingenium, multiplici experientia cognouerat Dauid, maximè cùm illum inuaderet, atque agitaret dæmon, non putauit, post orationem, quæ plena videbatur humanitatis, & officij, magis se esse tutum à periculo, quàm cùm maximè spiritus habebat hostiles, & minacibus verbis omnia cõpleret. Quare statuit ad aliena se regna subducere, ad quæ non se porrigeret Saulis potentia; vt tandem euentu desperato, à consilio illo iampridem obstinato desisteret. Quare surrexit statim cum sexcentis viris, & profectus est ad Achis, qui tunc imperio Geth nobilem in Palæstina ciuitatem obtinebat.

2. Vers.3. *Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse, & viri eius, vir, & domus eius.*] Obtinuit Dauid ab Achis Israëlitarum hoste, & qui tunc, vt est valde verisimile, aliquid in Israëlitas meditabatur hostile, aliquem locum, vbi cum suis habitaret pacificè; cùm tamen anteà, vt vidimus cap. 21. quasi stultum oneratum conuitiis excedere iussisset. Quia satis tam longa fuga, & tam pertinaci Saulis odio, insectationéque cognouerat, non benè inter vtrumque conuenire. Quare cùm congrediendum esset Philisthinis cum Saule, cõmodum putabat habere secum Dauidem, de cuius in re militari virtute eximia, prudentiáque mirabili multa audierat, viderátque, qui non inutilem videbatur, si socius adderetur, nauaturus operam. Cùm autem ad illud vsque tempus, qui secuti fuerant Dauidem, suas alibi vxores, filios, & familiam reliquissent, quia magno pugnaturis & perscopulos, salebrasque penè continenti fuga gradientibus impedimento futura videbantur; nunc iam cùm stabile haberent domicilium, visum est ex vsu fore, si secum vxores, liberósque traducerent; cùm oneri iam ampliùs futuri non essent, & in finibus Hebræorum, si in illis fortasse relicti essent, parùm essent tuti à Saulis insidiis, qui commodè in vxores, & filios acerbitatis virus posset euomere, quod in illorum parentes & coniuges concepisset. Illud enim valet, *vir, & domus eius*, id est, quilibet, & eius familia. Quod enim *vir* aliquando valeat vniuersale signum, & sit idem quod *quilibet*, satis est notum. Et sicut alij suas secum habuerunt vxores, & filios; sic etiam Dauid eodem trãstulit duas vxores Abigail, & Achinoam. Sanè cap. 30. v. 3. ex Siceleg, vbi exules illi consederunt, adductæ esse dicuntur ab Amalecitis captiuæ vxores, filij, & filiæ illorum, qui nunc ad Philisthinos commigrasse narrantur.

3. Vers.5. *Dixit autem Dauid ad Achis: si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbiũ.*] Aliquandiu videtur Dauid cum sociis in vrbe regia consedisse; quod cùm minùs videretur opportunum & sibi, ac suis commilitonibus, cùm, vt destinarant animo, prædas securè, ac commodè agere non possent; tum etiam vxoribus, & liberis: nam illarum pudor non videbatur tutus à Philisthinorum petulantia; & horum mores aliquid meritò timere poterant à vicinorum labe. Quare orauit Dauid ab Achis, vt suam beneuolentiam, & quantum obtinuisset apud ipsum gratiæ, hoc vno argumento & probaret aliis, & sibi ostenderet, si vna ex omnibus assignaretur ciuitas, vbi ipse cum suis separatus ab aliis seorsum habitaret. Quasi non deceret aut Regium nomen, aut Regiæ sedis maiestatem ibi commorari peregrinos, & exules, vbi Rex viueret, & regni magistratus, & proceres. Acquieuit Rex Dauidis postulatis, deditque ciuitatem Siceleg; quæ quia ab his, qui erant è tribu Iuda, habitata fuit, in Iudæ funiculum contributa est.

4. Vers.7. *Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum, quatuor mensium.*] Modus dicendi obseruandus est. Vbi Vulgatus, *numerus dierum quatuor mensium*; Hebraicè est: *Dies & quatuor menses.* Solet autem Scriptura, cùm certum aliquod tempus definit, præmittere dies, quibus amplior aliqua summa completur. Iudic. 19. vbi Vulgatus: *Mansitque apud eum quatuor mensibus*, Hebraicè est; *diebus quatuor mensiũ.* 2. Reg. 19. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ.* Et Ps. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Quare *numerus dierum quatuor mensium* nihil est aliud, quàm quatuor menses. Aut certè si verba in Hebraico textu accuratiùs expendas, quæ sic habent, *dies & quatuor menses*, sensus erit, aliquot dies supra quatuor menses Dauidem fuisse in illa ciuitate commoratum, qui dies pauci fuisse vidẽtur; nempe duo, aut quatuor. Quòd si illud *Et*, expositiuè sumas, ita vt idem valeat, quòd *id est*, vt in Scriptura frequẽs; sensus erit facilis, & nostræ translationi consentaneus. Fuit Dauid ibi aliquot dies; id est, aut nempe quatuor menses, seu dies, quibus quatuor complentur menses.

REGVLA. *Cùm aliquod certũ tẽpus Scriptura definit, proponere solet dies, in quibus ille maior numerus completur.*

5. Vers.8. *Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri.*] Ex eo loco egrediebatur Dauid ad vicina loca Israëlitis, & Palæstinis, quæ neque ad hos, neque ad illos pertinebant, ex quibus agebat prædas, quibus sibi, ac suis parabat ad vitam necessaria. Quondam enim; id est, sub hoc tempus, quando nondum regnum inierat Dauid, Gessuræi, Gerzæi, & Amalecitæ alieni ab Hebræorum religione, regionem incolebant Israelitarum finibus vicinam ab ea parte, quę à Syria ad Ægypti terminos porrigitur. Quando verò scriptis mandata sunt, siue à Gad, siue à Nathan, iam erant hi pagi vel subiecti Regibus Israel, aut facta in illis grauis aliqua mutatio, propter quam nulla fuerit inter illos, atq; Israeliticum populum concertatio. Sanè Dauid ex Maacha filia Regis Gessur suscepit Absalomem, l. 2. Reg. c. 3. quod argumentum est, Gessuræos aut subiectos esse, aut fœderatos Dauidi. Hieronymus in tradit. Hebr. aliam affert solutionem. Ait enim primùm hos populos non pertinuisse ad regnum Achis; dici autem habitatos antiquitùs in terra, quia quieti,

&

& ſecuri habitati fuerant, & nullius hoſtis deprædationem perpeſſi. Quæ explicatio indicat, aut ſtatuit *habitati* importare ſecuritatem, & otium. Sed quominùs hæc expoſitio placeat, facit, quòd cum Geſſuræis, & Gerzæis, numerantur etiam Amalecitæ, qui paulò ante hoc tempus non ſolùm ſpoliati bonis, ſed penè deleti fuerant à Saule.

Chaldæus pro *antiquitùs* tranſtulit *à ſæculo*; & tunc ſenſus erit non alienus, ab initio Gentes illas regiones occupaſſe in finibus Iſraël; quia nunquam ab illis à nouis, legitimiſque dominis deturbati ſunt.

6. Mihi veriſimilius eſt, vicos aliquos expugnatos à Dauide exiguos, vbi agebant præcipuè viri, qui greges alebant, remque tractabant pecuariam & ruſticam, qui, antequàm Dauid datam ſibi à Palæſtinorum Rege ciuitatem habitaret, ipſi quoque vicos illos exiguos habitabant. Neque enim ſexcenti viri ciuitates illas oppugnare aut poſſent, aut auderent, quæ eſſent ciuibus frequentes, & aliquid haberent ad reſiſtendum virium. Cùm autem neque vir vllus, aut mulier ſupereſſet, inſuper greges omnes inde eſſent abducti veriſimile eſt, euerſos fuiſſe pagos illos, & in paſtorum tantùm mapalia fuiſſe conuerſos. Quem ſtatum videntur habuiſſe, quo tempore hæc à ſcriptore ſacro monumentis ſunt tradita: nam ante illũ ibi fuerant cœtus hominum, qui ciuilibus legibus, & ciuili congregatione viuebant. Hæc maximè videntur expedita. Quare relicti ſunt poſteà Amalecitæ, Geſſuræi, & Gerzæi, licet illorum aliqua pars eſſet occiſa, quam debellare poſteà, aut ſociali fœdere adiungere ſibi poſſent Reges Iſrael.

7. Verſ. 9. *Et veniebat ad Achis.*] Poſtquàm vicos habitatoribus, gregibuſque vaſtauerat Dauid, veniebat ad Achis, vt quid eſſet ab illo tentatum, peractumque, referret; tum vt illi aliquid impertiretur è præda, quo illius gratiam, & beneuolentiam conſeruaret.

8. Verſ. 10. *Dicebat autem ei Achis; in quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid, contra meridiem Iudæ.*] Putabat Achis prædas illas, quarum ad ipſum pars perueniebat non exigua, ablatas eſſe de terra Iudà: quia Iudæorúmque omnium, in quos ſummam habebat poteſtatem Saul, hoſtem ſe profitebatur; quaſi ab illis multis eſſet incommodis affectus. Quare ſolebat, cùm illi primùm occurreret, interrogare, ex quo populo abduxiſſet prædam; quam inuaſiſſet regionem, & gentem. Cui Dauid, ne ſua proderet conſilia, aut aliquo ſe mendacio conſtringeret, ſic callidè moderabatur reſponſum, vt Achis intelligeret tentatos eſſe Hebræorum fines, & ab illis abactã eſſe prædam. Dicebat igitur, ſe profectum in regionem Iudeæ meridionalem; cùm tamen Iudæ fines non attigiſſet; quia pars illa, quam prædabundus inuaſerat ad partem Iudeæ meridionalem pertinebat. Sic ergo diſſimulabat veritatem, vt nihil veritati falſum affingeret.

Dauid veritatem diſſimulat.

9. Verſ. 11. *Virum, & mulierem non viuificabat Dauid, neque adducebat in Geth, dicens; ne forte loquantur aduerſum nos.*] Timebat Dauid, ne qua illarum Gẽtium cædes, & deprædatio ad Palæſtinos permanaret; quare ex tanta multitudine nullum voluit eſſe ſuperſtitem, ne ſibi, ac ſuis, ſi res eſſet detecta grande malum induceret. Illud, *non viuificabat*, idem valet, quod *occidebat*, ſicut *nõ ſanctificare*, idem quod *polluere*; & *ſanctificare*, idem quod *non polluere*. De quo loquendi genere egimus pluribus ad illud c. 21. v. 5. *ſanctificabitur in vaſis.* Quam conſuetudinem ſeruauit vigilantiſſimè Dauid, quandiu inter Palæſtinos commoratus eſt. Ex quo prudenter coniectabat Achis, habiturum ſe Dauidem perpetuum, atque fidelem ſeruum, cùm nunquam videretur reuerſurus ad populum ſuum, quem ſic concidiſſet plagis, & rebus ad vitam neceſſariis toties exuiſſet.

Hîc multa quærit Abulenſis, quæ curioſus Lector ab illo petet. Quærit primùm, q. 16. an Dauid contra haſce Gentes pugnare, & tot atterere detrimentis potuerit? Et reſpondet, illum non peccaſſe, quia Scriptura hæc Dauidis facinora inter illius peccata non connumerat. Deinde, quia licebat Iſraelitis alienos populos, qui in aſſignata ſibi regione conſediſſent, occidere. Deuter. c. 20. v. 16. cùm ſermo eſſet de Gentibus, quæ in terra Chanaanitide conſederant, quam filij Iſrael eſſent occupaturi dicitur: *De his ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes viuere; ſed interficies in ore gladij.* Idem Numer. 33. v. 55. Geſſuræi autem, & Gerzæi, qui aliter exiſtimantur dici Machati, in finibus habitabant Iſrael, Ioſue c. 13. v. 13. Et licèt Amalecitæ extra fines habitarent Iſraeliticos, quia erant Idumæi; tamen Reges Iſrael mandatum acceperant à Domino, vt illos ad vnum interficerent. Vide quæ nos ſuprà c. 15. Cùm autem Dauid Rex eſſet deſignatus, & à Saule Rege Chiliarchus præpoſitus, publicam quodammodò poteſtatem habebat, vt eos, qui alienas occupauerant ſedes, inde pellerentur, non ſolùm bonis, ſed etiam vita mulctati, ſicut à Domino fuerat antè præceptum. 10.

Illud mirum, quomodò tamdiu celari potuit Palæſtinis, prędas, quas frequenter videbant à Dauide referri, non eſſe ab aliis, quàm ab Hebræis deportatas; cùm cædes tot virorum, ac mulierum, & expugnati, atque vaſtati habitatoribus pagi magiſtratus excitare debuerint, vt tantæ ſtragis inueſtigarent auctores. Qui ſanè, ſi vel mediocris adhiberetur inquiſitio, occultari non poſſent. Si cauſas conſideres humanas, nempe Dauidis ſolertiam, locorum diſtantiam, quæ illa interdùm, quæ magna ſunt, in hominum cognitionem venire nõ ſinit, omnes leuiſſimæ ſunt. Nam licèt ea, quæ magna ſunt, aliquando præmantur, non tamen opprimuntur; erumpunt enim tandem, & rumore nuncio aures etiam implent longè diſtantes. Neque illa quæ geſta ſunt à Dauide, vſque adeò fuere interiecto ſpatio ſeparata, vt non à Palæſtinis videri oculis, ac manu etiam contrectari potuerint. Quare hæc vni diuinæ prouidentiæ tribuenda ſunt; quæ ſic fauit Dauidis conſiliis, & votis, vt liberarit, vt vidimus, non ſemel à Saule; & res haſce, quæ natura ſua celari non poterant, ita moderatus eſt, vt nec in ſuſpicionem, ac mentem Palæſtinorum venire potuerint. 11.

IN CAP. XXVIII. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

PHILISTHINI rursus magnum contra Israëlitas bellum adornant, in quo non leuem sibi operam à Dauide, ac sociis sibi promittit Achis, quos ad sui capitis custodiam eligit ex omnibus. Contra hos suas quoque copias instruit Saul, & producit ad Gelboë. Philisthinorum autem acies contemplatus Saul vehementer expauit; cúmque consultus Deus nullum responsum illi dedisset, ad Pythones confugit; cùm tamen Ariolos, & Magos, & magicas, atque diuinatorias magistros sustulisset. Depositis ergò regijs insignibus, & alienum mentitus habitum, & formam, mulierem adit, quæ ab spiritu loquebatur Pythonico, à qua petit, sibi vt Samuelem excitet. Quod quidem factum est, non à Pythonissa, sed à Deo; qui priusquàm mulier aliquid esset molita Pythonicum, illum suscitauerat. Cui Saul ostendit, quo in statu sit res Israëlitica; quo modo consultus Deus respondere noluit, & omninò se inopem esse consilij. Quapropter orat, sibi vt ostendat quid facto opus sit? Cui Samuel omnia dura, & contra illius vota respondit. Primùm docet, Deum ab illo recessisse, & ad æmulum, cuius ipse tantoperè successibus inuiderat, regnum esse translatum; crastina denique die tradenda Philisthinorum potestati Hebræorum castra, & tam ipsi, quàm ipsius filiis esse pereundum. Quæ vox sic affecit infortunatum Regem, vt illum continuò in terram exanimatum abiecerit. Accessit Pythonissa mulier, hortaturque, vt languentem animum, corpusque debilitatum reficiat, vel modico cibo; quod cùm ille principiò respueret, tandem sociorum adductus precibus, paratos à fœmina cibos sumpsit, & eadem nocte ad castra, vnde excesserat, reuersus est.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

1. FActum est autem in diebus illis, cõgregauerũt Philisthiim agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israël: dixítque Achis ad Dauid: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.

2. Dixítque Dauid ad Achis: Nunc scies quæ facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

3. Samuel autem mortuus est, planxítque eum omnis Israël, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos & hariolos de terra.

4. Congregatíque sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam: congregauit autẽ & Saul vniuersum Israël, & venit in Gelboë.

5. Et vidit Saul castra Philisthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis.

6. Consuluítque Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per Prophetas.

7. Dixítque Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & scisitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor.

8. Mutauit ergo habitum suum: vestítusque est aliis vestimentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, venerúntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi.

9. Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quo modo eraserit magos & hariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar?

10. Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

11. Dixítque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.

12. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul.

13. Dixítque ei Rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.

14. Dixítque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.

15. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocaui ergo

te,

te,vt oſtenderes mihi quid faciam.

16. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?

17. Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid:

18. Quia non obediſti voci Domini,neque feciſti irā furoris eius in Amalec.idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

19. Et dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manus Philiſthiim: cras autem tu & filij tui mecum eritis: ſed & caſtra Iſraël tradet Dominus in manus Philiſthiim.

20. Statímque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis,& robur non erat in eo,quia non comederat panem tota die illa.

21. Ingreſſa eſt itaque mulier illa ad Saul, (conturbatus enim erat valde) dixítque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea: & audiui ſermones tuos, quos locutus es ad me.

22. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualeſcas, & poſſis iter agere.

23. Qui renuit,& ait: Non comedam. Coëgerunt autem eum ſerui ſui & mulier, & tandem audita voce eorum ſurrexit de terra,& ſedit ſuper lectum.

24. Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo,& feſtinauit,& occidit eum: tollénſque farinam, miſcuit eam, & coxit azyma,

25. Et poſuit ante Saul & ante ſeruos eius. Qui cùm comediſſent, ſurrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

IN CAP. XXVIII. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Verſ.1. *Factum eſt autem in diebus illis,congregauerunt Philiſthiim agmina ſua.*]

1. CVM iam fermè quartum menſem in terra Philiſthinorum compleuiſſet Dauid, habuerunt Philiſthini, ſicut anteà ſæpè, maximos militum delectus, quos in Hebræorum fines educerent.Tunc Achis admonuit Dauidem, vt ſe,ac ſuos ad expeditionem illam compararet; cui Dauid ſuam prolixè promiſit operam, quaſi ſui in Regem animi, atque virtutis editurus eſſet illuſtre documentum.De cuius fide,atque virtute bellica cùm nullo modo dubitaret Achis, illius cohortem ſui capitis voluit eſſe cuſtodem.Quare ſuo lateri ſemper adeſſe iuſſit.

2. Hoc loco multa dubitant, & quærunt Interpretes.Primum,quo ſenſu dixerit Dauid,tunc cogniturum eſſe Achis, quid facturus eſſet, nempe in ipſo pugnæ congreſſu. Verba enim nihil certò definiunt, neque magis Philiſthinorum, quàm Hebræorum rationibus fauent. Lyra pugnaturum putat fuiſſe Dauidem contra Saulem pro Philiſthæis; quod ea ratione probat, quia aliter infidelis eſſet Philiſthinorum Regi Achis, à quo multis fuerat non ſolùm tectus,ſed etiam ornatus modis; cui ſui capitis cuſtodiam crediderat, & de cuius virtute, ac fide ſumma ſperabat omnia; quem ſecurum, & incautum in fraudem, & periculū impuliſſe ſine graui peccato non poſſet. Neque deſunt graues aliquot cauſæ tū ex parte Saulis,tū ex parte Dauidis, quæ ipsū ab omni eximerēt ſuſpicione flagitij. Ex parte quidē Saulis,quia fieri potuit, vt aliqua pacta cum Philiſthæis inita legitimè violauerit; quales eſsēt induciæ ad certū aliquod tempus, & alia, quæ inter hoſtes ſolent ſanctè ſeruari.Quod quidem mirabile non eſt, cū maligno ageretur ſpiritu, vtpote arreptitius, & ſæpè quam dederat Dauidi fidem, violarat. At ex parte Dauidis, quia ille ius habebat ad regnum, quod Saul iniuſtus poſſeſſor occupabat.Quare vt illud ſibi ab iniuſto poſſeſſore vindicaret, bellum inferre potuit,& ad illud vti Palæſtinis adiutoribus.Quod autē Palęſtini ſubiugare ſibi noluerint Hebræorum imperium, & illius compellari Reges,ex eo probat;quia Saule cæſo,& Hebræorum exercitu profligato,nihil curarunt ampliùs; Imò Iſboſeth Saulis filius Rex ab exercitu, & populo appellatus eſt. Hæc Lyra, in cuius ſententiam Gloſſa interlinearis inclinat, quæ ad illud: *Nunc ſcies quæ facturus eſt ſeruus tuus*; addit: *Pro te contra hoſtes tuos.* Neque aliud videtur ſentire Vatablus, qui verba proxima in hunc modum exponit. *Si ita decreueris* (nempe vt tecum, ô Achis, in prælium egrediar) *vide quid me velis facere.*

3. Contrariū omninò placet Caietano,in quā cogitationē his maximè coniecturis adducitur.Quia tam longè erat,vt Saulis optaret interitum,vt audita illius cæde veſtem diſciderit, quod in dolore ſummo faciebant Hebræi, & in illū egit capitali pœna,qui de occiſo Saule pretioſa ab illo expectabat euangelia. Addo ego,quia cum aliquando illum tutò, ac facilè interficere potuiſſet, ab illius tamen cæde manus abſtinuit. Quòd autem prodere voluerit Achis, & cum illo conſiliis agere fraudulentis, non putat creditu difficile, cùm ingratus fuerit Ionathæ, priuando filium eius medietate bonorum; & ingratus, & proditor Vriæ, quem fraudulentis conſiliis interemit. Hæc Caietanus,cuius etiam ſententiæ fauet, quod ſi Dauid pro Palæſtinorum Rege pugnare contra Saulem voluiſſet, dixiſſet hoc verbis non obſcuris, quæque in contrariam poſſent detorqueri ſententiam;ſed expreſsè aliquid,ac definitò ſignificantibus, quò maiorem ſibi à Rege gratiam iniret. Cum Caietano conſentit Abulenſis q.5.

4. Burgenſis mediam quandam ingreditur viam, & primùm argumentis Lyræ, multò firmiora opponit argumenta; quod etiam facit Abulenſis q.5. & tandem dicit, profecturum quidem fuiſſe Dauid

Dauidem cum Achis, nisi prohibuissent Palæstinorum Satrapæ. Quid autem ibi facturus fuerit, nondum statuisse, sed rem totam diuinæ voluntati, atque prouidentiæ permisisse. Atque ideò consultò nil affirmasse certò, sed tantùm visurum esse Regem, quid ipse, cùm pugnandi adforet articulus, facturus esset. Qua verò ratione Deus & famæ, & conscientiæ Dauidis consuluerit, capite statim proximo constabit. Neque enim pugnauit contra Saulem, neque quam alligarat Palæstinorum Regi prodidit fidem; Hæc sententia minus mihi videtur impedita.

5. Vers. 3. *Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israël.*] Accommodatè ad hoc tempus iterat sacer historicus, quod c. 25. ante narrauerat de morte Samuelis; quia in summis rerum angustiis, cùm ad manum vt anteà solitus, Samuelem non haberet, spiritum consuluit Pythonicum, & veneficæ fœminæ magicis carminibus Samuelem sibi excitari studuit. Porrò hîc præteritum perfectum pro pluſquàm perfecto positum est; quod apud Hebræos non est infrequens, cùm tempore careant pluſquàm perfecto. Exẽpla habes non pauca apud Salmeronem proleg. 25. Regula 4. Erit ergo sensus minùs obscurus, si ita legas: *Samuel autem mortuus fuerat, planxerátque eum omnis Israel.*

6. *Et Saul abstulit magos, & hariolos de terra.*] Hoc etiam hîc traditur, licèt alieno loco, quia id exigit historia. Dicitur enim Pythonissa mulier ideò timuisse magicas artes exercere, ne ad Saulis aures aliquando permanaret. Quo tempore pernicioſum hoc hominum genus Regio edicto sublatum fuerit à Saule, incertum est. Potuit sanè hoc curasse Saul, cùm primùm regnum iniit, vt sublatis dæmonum oraculis, seu fallacibus, callidisque responsis, ad Deum omnes consulendum accederent; resque publica magis ex diuina, quàm diabolica voluntate regeretur. Quod maximè bonorum, atque prudentium conciliare potuit voluntates. Seu certè posterioribus diebus, cùm iam frequenter à dæmone vexatus, minùs apud alios esset in amore, ac pretio, quasi minus haberet religionis, cùm minus in rerum administratione cõsilij, & in seruanda fide constantiæ minus; imò & ferè nihil habuisset. Quocircà vt religiosi animi aliquod ederet publicum, & illustre testimonium, edicto cauit, ne vllus deinceps in suo regno permitteretur viuere, qui magicis artibus, & fallacibus responsis nimis credulum, & stultum populum deluderet. Iustinus Martyr q. 52. ad Gentes, aliam adducit causam: *Diuinatrices*, inquit, *abstulit Saul, eo facto se Deum conciliaturum sperans, vt suam ille sententiam, qua eum vt regno indignum repudiauerat, mutaret. Non hariolorum odio habens impietatem, sed regni adamans administrationem. Et quia cõsilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos is requireret, quorum non bono instituto patrauerat eadem.*

7. Vers. 4. *Congregatique sunt Philisthiim*, &c.] Eduxerunt Palæstini exercitum in Sunam; contra hos Saul quàm maximas potuit copias armauit, produxitque in montes Gelboe. Cúmque Palæstinorũ castra attentè prospiceret, eorúmque & numerum, & ordinem, totumque militarem instructum esset contemplatus, vehementer expauit.

8. Vers. 6. *Consuluitque Dominum, & non respondit ei; neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.*] Multis modis consueuit Dominus suã hominibus voluntatem, & futuros rerum euentus significare. Per somnia, vt fecit Nabuchodonosori, Pharaoni, Laban, vtrique Ioseph, sponso videlicet Virginis, & Patriarchæ, qui Ægyptũ fame, & inopia leuauit. Quod tamẽ Sauli, cum maximè cuperet, cõcẽssum non est. Ex Hebræorum sententia tradit Hieronymus, solere Iudæos, cùm per somnia aliquid à Deo offerri sibi volunt, ieiunare priùs, & orationi vacare. Vnde hoc sumpserint, ipsi viderint. Dicunt tamen, Saulem, cùm Deum per somnia consultum esse vellet, id omisisse, atque ideò nullum per quietem accepisse responsum. Neque per Sacerdotes, quorum nonnullos fuisse cum Saule non est improbabile: nã licèt omnes Sacerdotes, quotquot erant in Nobe, vbi tunc erat Tabernaculum, occidisset; tamen alij plurimi erant sub id tempus in variis Israeliticæ terræ finibus dispersi, quos nullo modo tetigit Saul: quia cùm procul essent à Nobe, neque consilio, neque auxilio adiuuere Dauidem. Fuisse autem eo tempore plurimos, ex eo liquet, quia Dauid 1. Paralip. c. 24. id est, paulò post hæc tempora, Sacerdotes in sedecim classes, seu ordines diuisit.

9. Sed dices, non alio modo solitos esse Sacerdotes Deum consulere, quàm per Ephod, quod cùm secum abstulisset Abiathar suprà c. 23. v. 6. non erat per quod Sacerdotes alij Deũ consulere potuerint. Respondet Abulensis, q. 14. & 15. non fuisse in Tabernaculo, aut inter Sacerdotes vnũ tantùm ephod, sed plura, sicut alia Sacerdotũ ornamenta non fuere simplicia, sed pro maiori, minori ve dierum solemnitate alia atque alia adhibebantur. Quare potuit esse ephod, vel antequàm Abiathar ad Dauidẽ confugeret; vel certè quòd posteà à Sacerdotibus cõcinnatum est, ne ad similes casus hoc diuini oraculi magnũ instrumẽtum deesset. Et quidẽ adhibitum fuisse ephod ad hãc Saulis interrogationem, ex eo cõstat: nã vbi Vulgatus habet *per sacerdotes*, Hebraicè est אורים *ba vrim*: id est, *per splendores*, aut *illustrationes*. *Vrim* autẽ fuisse in ephod, res est satis nota. Fuisse quoque in Saulis exercitu Prophetas, nõ videtur difficilè, cùm prope Gabaa patriam Saulis fuerit ille Prophetarum chorus, in quo Saul ipse antè prophetauerat, suprà c. 10. Cùm ergo nihil non tentasset Saul, vt à Deo responsũ aliquod exprimeret, Deus tamen illi quẽ iam tanquã indignum à Regia sede, imò ab hominũ societate deiecerat, nullum reddidit ad interrogata responsum.

10.

11. Vers. 7. *Quærite mihi mulierem habentem pythonem.*] *Pythius* Apollinis nomen est, seu quia pythonem serpentem interfecit, seu quia illius inter Gentes præcipua existimabantur oracula; id enim indicat verbum Græcum πυνθάνομαι. Vnde qui ab hoc existimantur afflari, exagitari, impleri, seu aliqua illustrari cognitione, *pythij* dicuntur, aut pythiæ, seu pythonissæ, qualis fuit Sybilla Cumæa apud Virgilium l. 6. Æneid. & illa puella, de qua Actor. 14. Species plurimas pythonici spiritus enumerat Abulensis, q. 22. quas hoc loco referre longi esset negotij, & ad nostrum institutum non admodùm necessarij. Tantum dico, duo esse pythonum genera, quia eorum hoc loco meminit sacer historicus. Quidam sunt, quorum corpora obsidet, & implet pythius; id est, dæmon, & per hominem sic affectum sua fundit oracula; qualis erat Sybilla apud Virgilium l. 6. & puella, de qua Act. 14. Qui verò talia à pythonico spiritu patiuntur, ἐγγαστρίμυθοι vocantur; id est, qui de ventre loquuntur, aut quorum spiritu, seu halitu, & in illorum ore, à dæmone, qui in ventre, aut visceribus latet, verba formantur.

Hi à

Hi à Saule exterminati dicuntur, vt habes in aliquot Latinis, Vulgatisque translationibus, quæ v. 3. habent; *Et interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.*

11. Alij sunt *pythones*, qui in assumptis corporibus loquuntur, & qui à diabolo per assumpta corpora responsa captant, spiritum dicuntur habere pythonicum. Hi verò existimantur euocare mortuorũ animas, quæ manes appellantur, vt ab illis aliquid, quod mortalium assequi non potest intelligentia, sciscitentur. An verò animæ illæ veræ sint mortuorum, aut certè species quædam, & inanes vmbræ à dæmone obiectæ, qui harum fraudum, ac spectrorum callidissimus est, & maximus architectus, alia quæstio est, de qua mox aliquid. Illud certum, sic existimari non à Gentilibus modò, sed etiam ab Hebræis; vt sanè videtur Saul existimasse, & illi, quos ipse in consilium, & societatem adhibuit Pythonissæ quærendæ. De hac manium euocatione, seu excitatione, quæ ψυχομαντία, seu νεκρομαντία: id est, per mortuos diuinatio, multa Gentiles. Virgilius in Pharmaceutria.

His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Et lib. 4. Æneid. sic Dido ad sororem de venefica.

Nocturnosque ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram.

Horatius satyra 8.

Cruor in fossam diffusus, vt inde
Manes eliceret, animas responsa daturas.

Longum esset recensere omnia, quæ hac de re prodiderunt antiqui. Quis porrò ritus, quæ ceremoniæ adhiberi solerent ab his veneficis ad euocandas animas, tradit Horatius suprà, Seneca in Oedipo, Lucanus l. 6. Tu plura vide apud Martinũ del Rio l. 4. Magiæ c. 2. q. 6. sect. 2.

12. Hi verò manes, seu mortuorum animæ non excitantur verborum, seu characterum efficacitate, aut vlla dæmonum arte, siue potentia dæmonum; sed quædam finguntur mortuorũ imagines, seu inanes vmbræ; quibus viuorum oculis specie vana dæmones illudunt. Ita Tertullianus l. de anima c. 57. Latè hac de re 26. q. 5. c. 14. & ibi Augustinus. Ex quo apparet, nullo modo excitatum à Pythonissa Samuelem.

13. *Quidã Samuelem negant.* Hic porrò grauis est quæstio, an verè, ac propriè excitatus fuerit Samuel, vel tantùm illius Sauli, ac Pythonissæ apparuerit phãtasma. Ex antiquis Patribus nonnulli crediderunt, non verum Samuelem, sed illius vmbrã apparuisse Sauli; eo argumento persuasi, quòd nulla sit magica, aut humana; seu creata facultas, quæ possit ex destinato à Domino loco manes, seu animas euocare; & multò minùs eas, quæ sunt in iustorũ sinu, & Domini complexu. Ita Tertullianus lib. de anima c. 57. Iustinus q. 52. ad Gentes, Augustinus l. qq. veteris testamẽti q. 27. & l. 2. de doctrina Christiana c. 23. vtrumque habetur, 26. q. 5. c. *Nec mirum.* Hieronymus Matth. 6. vocat *Samuelis phantasma.* Basilius in c. 8. Isaiæ, ascendentes Deos, dæmones esse dicit, qui tamen mutata sententia, ep. 80. animam dicit fuisse Samuelis. Rupertus in hunc locum c. 17. Isidorus l. 8. orig. c. 9. Inter alia, quibus suã sententiam confirmant Augustinus, & Rupertus, hoc addunt quasi non infirmũ huius cogitationis argumentũ. Quia Samuel, aut, vt ipsi putãt, Samuelis vmbra dixit Sauli, die crastina Saulẽ, & illius filios secũ esse futuros, id est eodem loco: at eodẽ loco non fuerunt Samuel, & Saul, cum longè diuersa fuerit illorum vita, diuersa merita.

Nihilominùs vera est, & penè communis posteriori sæculo sententia, verum esse Samuelem, à quo Saul futuros rerum euentus sine vllo errore, atque illusione didicit. Ita Augustinus l. de cura pro mortuis agenda c. 15. & 16. vbi priorem sentẽtiam apertè mutauit. Ambrosius l. 1. in Lucam c. de Zacharia turbato. *Samuel*, inquit, *post mortem secundum Scripturæ testimonium futura nõ tacuit.* Iustinus Martyr dialogo cum Triphone, ex eo probat animas relicto, ac dissoluto corpore manere superstites, quòd Samuelis anima apparuit Sauli. Quare aut mutauit sententiam, aut quæstiones illæ ad Gentes, vt nonnullis placet, à Iustino non sunt. Basilius epist. 80. S. Thomas 1. p. q. 89. a. 8. ad 2. ait negari non posse non esse vmbram, sed animam Samuelis, quæ Sauli prædixit, quis illum in diem crastinum exitus maneret; dummodò Ecclesiastici admittatur auctoritas: at hoc tempore S. Thomas Canonicã illi libro auctoritatem non negaret. Idem tenent omnes, quorum in libros Regum extant Commentarij. Abulensis, Caietanus, Dionysius, Lyra, Hugo. Item Frãciscus Suarez in 3. p. S. Th. t. 2. q. 52. disp. 42. sect. 2. Bellarminus t. 1. l. 4. c. 11. Martinus de el Rio l. 2. disquis. Magic. q. 6. & q. 26. sect. 4. Vallesius de sacra philosophia c. 33. Adde Iosephũ l. 6. Ant. c. 15. Neque ratio deest grauis ex sacræ scripturæ testimonio desumpta. Nam iuxta Septuaginta translationem l. 1. Paralip. c. 10. in fine apertè dicitur visus esse Samuel. *Interrogauit Saul in ventriloquo ad quærendum, & respondit ei Samuel propheta,*

14. *Verè excitatus Samuel.*

Sed est locus illustris, cui si antiqui Patres fidem inesse Canonicã cognouissẽt (antiquis enim temporibus nihil erat de huius libri auctoritate definitũ, vt cõstat ex S. Thoma suprà citato) aliter sine dubio fuissent locuti. Est autẽ hac de re illustre testimonium Ecclesiastici c. 46. vbi illa de Samuele narrãtur, quę nullo modo in Samuelis vmbrã, & speciem inanẽ conuenire possunt. Illa porrò, quę de Samuele dicũtur, omnia propriã habẽt, & historicã fidem, non figuratã, & secundum nudã, & externam speciẽ; quare hoc etiam historicã habeat fidem, oportet. *Et post hæc*, inquit (dixerat autẽ quæ non ad speciẽ, & figuram simulata; sed quæ ad rei veritatẽ historicè cõtigerunt) *dormiuit, & notum fecit Regi, & ostẽdit illi finẽ vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatẽ Gentis.* Locus hic illustris totus in laudãdo Samuele cõsumitur à v. 16. ad finẽ vsque capitis, vbi breui quadam cõplexione omnia fermè Samuelis gesta narrãtur. At si tãtùm apparuisset Samuelis vmbra, & hęc veteratorio dæmonis artificio simulacta, quę esset Samuelis tãta cõmendatio? Turpi potiùs pars hęc extrema Samuelis vitam obscuraret nota, quàm illustraret encomio. Quis porrò sanus sibi persuadeat ea figurata, aut phãtastica Samuelis oratione contra impietatẽ, quã ipse induxerat, & ómni studio firmare laborabat, aliquid diabolum fuisse molitum? Prophetia prærerea non est ab inani vmbra, neque aliquis prophetasse dicitur, nisi propria loquatur voce, qualis hæc fuisse dicitur. Non autem vox esset Samuelis, si à diabolo fuisset in Samuelis imagine formata. Præterea ostendisse dicitur Samuel Regi finẽ vitæ suæ; quod sanè Samuel alibi fecisse non legitur, nisi hoc loco; quare si hunc esse verum Samuelem non putemus, nullum inueniemus locũ huius prophetiæ. Iam reliquũ est, vt illis tandẽ occurramus, quæ nostræ, cõmunique sententiæ ab aliis opponũtur. Et primùm fatemur aliquando contingere, vt figuræ,

15. Eccl. 48.

16. *Figura, & vmbra rei figuratæ nomen aliquãdo sumunt.*

guræ, atque vmbræ rei figuratæ partes, & proprietates tribuantur. Sic qui in somnis speciem vidit Pauli, aut Christi, Christum se vidisse dicit. Sanè Pharao neque spicas viderat, neque vaccas ad ripam Nili; aut Nabuchodonosor priùs statuam, deinde arborem; & tamen ille vidisse se dicit in quiete spicas, & vaccas, & hic arborem, & statuam. Sed planè, vt vides, multa hîc dicuntur, & c. 46. Ecclesiastici, quæ non benè in vmbram conueniunt; & cùm verba Samuelem sonent, neque in verborum proprietate aliquid videatur absurdum, verborum omnimoda proprietas deserenda non est.

17. Neque illud plus habet difficultatis, quod dixit Samuel: *Cras tu, & filij tui mecum eritis*: Quibus verbis significare videtur Samuel, eodem futurum esse loco Saulem, quo ipse fuisset; id est, in Abrahæ sinu, iustorum nimirùm receptaculo. Sed est alia omninò huius loci sententia: nihil enim aliud Sauli Samuel significare voluit, quàm excessurum è viuis esse Saulem, sicut ipse excessit, & aggregandum esse defunctorum numero. Qui loquendi modus vsitatus est Hebræis, qui dum aliquem mortuum esse significant, hoc fermè modo explicare solent: *Appositus est ad parentes*, seu *aggregatus est cum mortuis*; *esse*, aut *requiescere*, quod non tam ad animam, quàm ad corpus pertinet. Quod etenim ad corpus attinet, in hoc sæculo eadem penè sanctorum, & impiorum conditio est, imò hominum, ac belluarum; vt considerabat Ecclesiastes c. 3. v. 19. *Vnus interitus est hominum, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, sicut moritur homo, & illa moriuntur.* Samuel igitur nihil hîc de loco animabus destinato affirmat, sed de sepulcro, & puluere, in quem dissoluenda erant Saulis ac filiorum corpora. Et quidem qui ita loquuntur, *omnes metam veniemus ad vnam; æqua lege necessitas sortitur insignes, & imos; omnium idem est exitus:* & similia, de corpore tantùm loquuntur; nam animarum ipsi etiam Gentiles magnam agnouere diuersitatem. Et in Scriptura sæpius audimus aliquos appositos esse ad parentes suos, aut cum parentibus dormiisse, quorum vita & mores fuere dissimillimi.

18. Quod verò hîc videtur esse difficillimum, quodque plurimos eò perpulit, vt non veram Samuelis animam, sed præstigiosam vmbram esse putauerint, suam quoque solutionem habet non difficilem. Dicunt enim hi excitatum esse Samuelem à Pythonissa necromantide; vt satis à litera significari putant: & impium esse existimari viri sanctissimi animam dæmonis imperio, & euocatione mulierculæ vilissimę, suam relinquere quietem, & piorum consortium, imò à Dei manu reluctantis, & ipsam quoque reluctantem diuelli: *iustorum enim animæ in manu Dei sunt.* Si excitatum esse dicamus à Pythonissa, idem ego, quod isti, lubens confiteret; neque enim prudens aliquis, opinor, admitteret, veram alicuius animam, viri præsertim sancti magicis incantationibus è suis sedibus, in quibus à diuina, supremáque potestate collocata fuerat, euocari posse. Dico igitur, Samuelis animam euocatam à Deo, non à necromantide, neque magicas artes in euocationem illam quicquam operatas. Quare si tunc artis magicæ vires omnes exprompsit Pythonissa, & illa exercente necromanticas leges anima Samuelis apparuit; non tamen virtute, aut potentia carminum excitata est; sed à Domino missa in Pythonissæ, atque Saulis oculos emersit.

Samuel excitatus à Deo, non à Pythonissa.

19. Sed vt verum fatear, persuadere mihi nunquã potui ad euocandam Samuelis animam aliquid operatam esse Pythonissam, aut eorum aliquid, quæ leges præscribunt necromanticæ tentasse; quod putauit suprà Bellarminus: sed antequàm expediret, applicarétque veteratoriæ illius artis instrumenta, & carmina proferret necromantica, excitatam fuisse à Domino Samuelis animam, & euentu ipso subsecuto, præuentum, & occupatum fuisse magicum studium. Quod his mihi rationibus persuadeo. Primùm, quia simul atque allocutus est Saul magam illam, liberauitque metu, quem ex ipsius Saulis contra maleficos edicto conceperat, apparuit Samuelis anima. At sacra illa necromantica, & quasi solemnes, & legitimi ritus multum desiderabant temporis; quos ego nunc omitto, quia res est molesta, & minùs fortasse necessaria. Tantùm adducam, quæ apud Senecam, vt manes euocaret Laij, fecisse dicitur Tiresias; neque mihi dubium est, has leges impositas à diabolo omnibus vbique necromanticis, & omnibus vbique regionibus esse communes. Sic autem in Oedipo Seneca:

Ad Samuelē ruocandum nihil omninò contulit, aut operata est Pythoniss. ſa.

20. *Magicæ artes nō exercētur breui tempore.*

Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Iaciuntur ignes. Ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frontem quatit,
Lugubris imos palla perfundit pedes,
Mortifera canam taxus astringit comam,
Nigro bidentes vellere, atque atræ boues
Retrò trahuntur, flamma prædatur dapes,
Viuumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde manes, téque qui manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus.
Carménque magicum voluit, & rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leues,
Aut cogit vmbras. Irrigat sanguis focos,
Solidáque pecudes vrit, & multo specum
Saturat cruore. Libat, & niueum insuper
Lactis liquorem fundit & Bacchum manu
Leua, canitque rursùs, & terram intuens
Grauiore manes voce, & attonita ciet:

21. Nec pauciora ad opus idem necromanticum adducit Lucanus l. 6. & Horatius satyra 8. eosdem penè ritus, & leges in fœmina quadã venefica, ac necromantide describit. Quantum putas temporis in his parandis, atque exhibendis hæc fœmina Pythonissa consumeret? At statim, absque vlla mora, & absque hoc magico apparatu, apparuisse dicitur Samuel.

Secũdò, quia turbata est vehemẽter Pythonissa; quod ex eo videtur contigisse, quia nõ eo modo, atq; habitu egressa est Samuelis anima, quo reliquę, quæ à magicis euocantur carminibus; seu potiùs, quia priùs apparuit, quàm adhibiti essent & necromantici ritus, & magica vis.

22. At dices, si Deus aperire voluit Sauli, quàm difficilis illum manebat exitus, cur in tempus illud distulit, in quo videri potuit factum à Pythonissa, adspirante, atque fauente diabolo? Respondeo primò, Deum expectasse tempus, quod maximè videbatur opportunum, vt illud etiam peccatum lueret Saul, quod consulto Pythone recẽs admiserat. Et quia tũc maximè ad angoris, atq; curarũ leuamẽtũ, quid futurũ, aut quid facto opus esset, scire cupiebat. Ad illud igitur tempus seruauit responsum illud durũ, quando videbatur fore grauissimũ. Deinde quia futurũ forsitan videbat aut gratũ, aut dubium, & omninò falsum futurum diaboli responsum; illius fraudes præuertere voluit oraculo verissimo, quod licèt Regiis auribus minùs accideret iucundũ, erat tamẽ magis illi rerũ articulo cõueniẽs, vt cognito priùs crastino infortu

infortunio,& ineuitabili morte,aut aliter res disponeret Israëliticas; aut quod multò verius est, vt grandia,& iam diu peccata cohærentia, matura pœnitentia deleret. Hæc mea coniectura est, quæ à Dei natura mitissima non abhorret. Iam ad textum.

23. *Pythonissam matrẽ Abner dicunt esse Hebræi.*

Dicunt Hebræi, vt tradit Hieronymus in tradit.Hebr.hanc Pythonissam matrem esse Abner, & tanti viri,& Principis militiæ causa non fuisse cum reliquis veneficis occisam. Sed qua id coniectura cognoscere potuerint, non video. Illud video minùs cum hac opinatione congruere, quod vt Abner erat ex Tribu Beniamin, sic etiam illius mater in eadem Tribu commorari debuit: at Endor,vbi illa viuebat Pythonissa, erat in Tribu Issachar. Deinde,quia cùm illa esset vxor Ner Saulis fratris(Ner enim filius erat Cis, suprà cap. 14.v.16.) non poterat ignorare Saulem; at illum non agnouit, nisi postquàm apparuit Samuelis anima, à qua didicit Saulem esse illum,quem, quia vulgarem habitum assumpserat, aliquem è vulgo fuisse credidit. Adde,quod ex Hebræorum sententia,vt dicit Lyra, vnus è duobus Saulis sociis fuit Abner,ex quo ipsa discere,aut coniectare potuit illum esse Saulem; neque enim militiæ Princeps comitaretur alium.

24. Vers.12. *Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit.*] Vidit vtique statim antequam expectarat illum esse venturum, quia illa nondum leges implerat necromanticas; neque Thessalicis carminibus euocauerat. Aut quia non illo modo apparebat illa animata species, quo apparere solent animæ,quæ magicis eliciuntur cantibus. Ex quibus intelligitur ab alio, quàm à Pythonissa euocatam esse Samuelis animam.

25. *Tu es enim Saul.*] Queritur fuga illa se à Saule fuisse deceptam, cùm agere se putaret cum aliquo de turba; ac tandem Saulem esse cognouit, quem omnium maximè timebat. Sed quomodò tunc illi notus Saul? Hebræi multa hîc suo more delirant, fingúntque, quod magis futurum esse putant ad populi plausum.Dicunt enim,vt refert Magister hist.Scholast. mortuum magicè suscitatum à pedibus primò moueri, & surgere, nisi ad Regis votum suscitetur; tunc enim à capite surgit.Alij dicunt Prophetam, nisi scisitante Rege, suscitari non posse.Mihi verius videtur, quod Iosephus refert,à Samuele didicisse veneficam,Saulem esse,cuius votis esset obsecuta; aut certè à dæmone, quem sibi mulier illa familiarem habuit. Sed nihil est certum.

26. *Fabula Hebræorum de Samuele excitato.*

Deos vidi ascendentes de terra.] Hîc quoque Hebræi miri sunt: dicunt enim, vt Thodoretus refert,q.62. *Quòd quæ per ventriloquas reduci videntur animæ,reducebantur pedes sursùm habentes;alij autem quòd supinæ,vt qui sepeliuntur. Et ideo ventriloqua cùm vidisset Samuelem rectum ascendentem,obstupuit,& dixit:Ego video Deos.* Ac si diceret, maius aliquid video, & diuino similius in eo, quem ascendentem de terra video, quàm in aliis,qui magicis eliciuntur carminibus;quare opus Dei hoc esse puto:neque enim in hoc hominum genus vlla esse potuit magica potestas;imò talis est splendor, vt non aliquem è mortalium numero, sed Deum ipsum immortalem esse putem.Neque mirum,si ita senserit muliercula rudis,& falsis sæpè imaginibus delusa:cùm rebus sordidis, & speciebus assueta deformibus, nihil vnquam vidisset aut augustum, aut aliqua ratione venerabile. Est autem vsitatum inter Gentiles, vt quicquid eximium est, & naturam, aut statum hominum videtur excellere, Deum esse dicant,aut diuino simile;à quorum ingenio non longè aberrant, qui inter Hebræos,mores,aut artes expressere Gentilium.

Vbi Vulgatus *deos*,Hebraicè est אלהים *elohim*; 27. quæ vox plerúmque Deum significat; aliquando autem aliquid eximium;quales sunt Angeli,& iudices,& Heroës: & cùm sit forma pluralis, aliquando tamen verbum sibi ascisit singulare. Quare nihil hîc diceret alienum à vocis siue proprietate,siue vsu,qui in *elohim* virum aliquem eximium agnosceret;& quidem Chaldæus *Angelum* reddidit. Quòd verò in hac plurali forma res intelligatur singularis, probat Saulis interrogatio, quæ relatiuum subdidit singulare. *Qualis est*, inquit,*forma eius?* Theodoretus suprà probabile censet voluisse Deum potestates sanctas ascendere cum Samuele simul, tum vt clarior appareret Samuelis gloria, tum vt ea, quæ ab illo prædicerentur, maiorem haberent auctoritatem, & fidem.

Vers.14. *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.*] Talis apparuit Samuel, qualem illum extremo vitæ tempore agnouerat Saul: erat enim senex, Iudex, & Propheta; & licèt non ex sacerdotali genere, sed ex Leuitico, sacerdotali tamen munere functus est. Et eam ob causam arbitror habuisse pallium,ex quo Saul, tanquam ex propria, ac familiari nota, Samuelem esse cognouit. 28.

Et inclinauit se super faciem suam in terra,& adorauit.] Vbi ex relatione Pythonissæ didicit Saul adstare sibi Samuelem,cuius sanctitatem,& quàm fuerit populo necessarius, non semel fuerat expertus; inclinauit se, quod in supplici maiorum obseruantia penè legitimum erat Hebræis; & procumbens in faciem illum adorauit:sicut capite 25.v.23.fecit Abigail ante Dauidem, & Dauid ante Saulem,cap.24.v.9. Quare nihil hîc nouum fecit Saul,sed quod homo supplex ante maiorem aliquam potestatem, seu excellentiam præterire non poterat. 29.

Vers.15. *Quare inquietasti me?*] Quies dicitur locus,vbi quis quietas sibi sedes,& stabile, atque pacificum domicilium nactus. Vnde ferarum cubilia quietes appellauit Lucretius lib.1.

Namque canes vt montiuagæ persæpè ferai
Naribus inueniunt intectas fronde quietes.

Quare qui educeret aliquem è sua quiete,aut loco iam stabili, & certo, ille *inquietare* diceretur quiescentem; maximè cùm in vtraque literatura *requiescere* dicantur mortui, aut quod idem fermè est, *dormire*, & *iacere*. Quasi ergo ægrè ferret Samuel ad auras redire,& communem hanc lucem, quam habebat inuisam, de Saule queritur, quòd illius opera, aut certè ad illius votum deseruerit sedem, in qua suam sibi quietem iam agere inceperat. 30. *Quies, pro quietis loco.*

Coerceor vimis,si quidem Philistkiim pugnant,&c.] Rationem reddit Saul,cur consilium illud extremum ceperit, & illa tentauerit per maleficam illam fœminam scrutari,quæ lex eo modo scisitari non sinit;quia in eas rerum angustias adductus est,vt non consilium solùm, sed etiam mens omninò defecerit. Palæstini enim magnas in Gentem Israëlitidem instruxerę copias, à quibus sibi, & populo omnia timet extrema, cùm recessisse Deum,à quo vno sperari poterat salus, coniectura multiplici didicerit;cùm varia ratione consultus respondere noluerit, sicut anteà, neque per somnia, neque per Prophetas. Quare tot vrgentibus 31.

in ea desperatione malis, coactum se fuisse ad illum denique confugere, quem magistrum, & ducem fidelem, & verum in bellorum administratione cognouerat, vt ab illo in ea rerum concursatione discat, quid opus sit facto.

32. Vers.16. *Quid interrogas me, cùm Dominus transierit à te?*] Hoc vno verbo omnia Samuel complexus est mala, quæ homini possunt in omni loco, ac tempore, & causarum omnium iniquitate contingere. Quid enim homo non metuat derelictus à Deo? Aut quod infortunium, aut pestis non inuadat eum, quem diuinæ manus custodia nō protegit? Quare optimè Samuel derelictum à Domino Saulem ab omni spe, solatióque depellit, cùm dicit inanem esse consultationem omnem, & omne consilium, ac subsidium humanum esse futile, si contra stet diuina seueritas, & offensio hominum iniuriis prouocata. Et quid non speret Dauid, contra quem immortale odium concepit, ac diu fouit Saul, cùm ad illum se conuerterit Deus, illiusque causam patronus, & vindex tueatur?

33. Vers.17. *Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea.*] Non mutauit Deus, quod antè Sauli fuerat minatus, neque semel audierat à Samuelis ore. Quare hoc ipsum modò iterat Samuel, & ait ereptum Sauli regnum traducendum esse ad Dauidem: & causam repetit, cur eo supplicio mulctandus sit; quia videlicet diuinæ voci obsecutus non est, neque in delendo Amalec, quē Deus de terra, imò de hominum memoria exterminatum esset voluit, diuino furori satisfecit. Addit porrò prioribus minas aliquot nouas, dicítque Israëliticum populum, & castra, quæ nunc habet eo consilio comparata, vt illorum castris, & viribus opponat, subactum iri Palæstinorum manu, & crastinam lucem illi futuram esse postremam, in qua tam ipse, quàm illius filij, quos in aciem educet, hanc auram deferent, & viuentium cætum, & ad mortuorum, quorum Samuel ipse vnus est, numerum accedent.

34. Hîc nobis explorandum, an vna tantùm Pythonissa Samuelem viderit ascendentem; & vnus tantùm Saul loquentem audierit. Quod ad priorem partem attinet, putant Abulensis q.29. Lyra hîc, & Dionysius, vni tantùm veneficæ fœminæ visum esse Samuelem. Quod ideò probant, quia si Saul spectrum illud animatum quodammodò vidisset, non quæsiisset à Pythonissa, qualis esset forma; ipse enim spectare potuisset singula, neque alienis indigeret oculis, ac voce.

35. *Pythonissa tantùm cur apparuisse videtur Samuel.* Sed obiiciet hîc aliquis, à Pythonissa videri euocatam Samuelis animam, quando illi vni tantùm apparuit. Respondeo, non sine graui causa illi præter cæteros oblatam esse, vt illius testimonio & ipsa nosset, & alij ab ea discerent, quanta esset, quamque illustris Samuelis anima comparatione aliarum, quas ipsa cantionibus magicis solita esset in lucem euocare. Nam primùm videre se dixit ascendentes è terra deos; id est, aliquid humano maius, cuius maiestate deterrita est. At priùs licèt artem illam necromanticam diu exercuisset, & sæpe, nihil eiusmodi vnquam viderat: reliquæ enim animæ, quæ magicis elici carminibus existimantur, obscuræ sunt, & ideò communiter vocantur vmbræ tristes, squallidæ, quarum te potiùs species terreat, quàm delectet, potiùs contemptum, quàm dignitatem vllam, & venerationem præ se ferat. Sic sanè Poëtæ ex eo, quod vsu frequenter euenit, cùm euocantur manes, aut cum vltrò sese dormientium, aut etiam vigilantium oculis obiiciunt, obscuri finguntur, & nubili, quousque vix aut agnoscas, aut audias. Sic sanè de Didone Virgilius lib.6.

----Quam Troïus heros
Vt primùm iuxta stetit, agnouitque per vmbram
Obscuram (qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam.)

Primum mensem vocat primum diem mensis, quando neque lyncei oculi discernere possunt nascentem lunam. Eodem modo euocatas animas exangues, & nubilas describit Seneca in Oedipo Act.3.

----Conuocat Ditis feri
Exangue vulgus: illicò vt nebulæ leues
Volitant, & auras libero cœlo trahunt.

Cùm ergo aliquid obscurum, & informe ad illud 36.
vsque tempus vidisset Pythonissa, & nunc aliquid videret maius, & illustrius, idque admirabunda non obscurè significasset; planè ostendit aliquid esse magnum, quod apparuerat, quod aliorum nemo discernere, ac iudicare poterat; vnde & Samueli aliquid accrescebat gloriæ, & illius verbis magna conciliabatur auctoritas. Hanc ob causam opinor oblatam fuisse Pythonissæ Samuelis animam. Quod quispiam dicat, vidisse quoque Saulem; neque tamen, cùm seuerus esset, & toruus Samuelis vultus, singula notare potuisse, atque ideò ea de re maleficam rogasse, in qua plus esset animi, non me ad suam cogitationem difficilem habebit. Quia reuerà timidus, atque turbatus animus, quique rebus horribilibus, quales sunt illorum animæ, qui ex viuis abierunt, & laruatæ formæ, videndis assuefactus non est, nequit de rebus iudicare, imò neque res ipsas intueri liberè.

Quod ad secundam quæstionem attinet, com- 37. *Saul solus Samuelem excitatum audiuit.*
munis est sententia, vni tantùm Sauli audita fuisse Samuelis verba. Ita Abulensis, & Lyra, Dionysius, & alij. Quod ideò sibi persuadent, quia cùm Saul exanimatus cecidit ad verba Samuelis, Pythonissa ingressa est ad illum, vt releuaret lapsum, cibóque reficeret. Neque enim ingrederetur locū, vbi Saulem Samuel allocutus fuerat, in quo sine dubio cecidit Saul, nisi prius fuisset egressa. Saul porrò, vt solus futuros rerum euentus acciperet, excluſit foras non solùm maleficam fœminam, sed etiam duos socios, quos secum attulerat; qui sanè si durum audiissent Samuelis oraculum, hortarentur illum, aut ne rursùs repeteret castra, vbi sibi crastino die pereundum audierat; aut certè, quando tradendæ erant in hostium manus Hebræorum acies, aliter de illis quàm anteà decerneret. Hanc fuisse causam arbitror, cur vnus Saul loquentem Samuelem audierit. Non nego alios etiam interesse potuisse, neque tamē audiisse, aut vidisse quicquam. Quod in similibus visionibus & audimus temporibus nostris, & antiquis non semel contigisse legimus. Daniel capite 10.v. 7. solus vidit visionem, & sermones audiuit, quæ fuerunt eiusmodi, vt nihil in eo virium reliquerint, & in terram exanimatus ceciderit; sicut modò Saul. Idem penè de Pauli sociis dicitur, Actor. cap.9. & 22. Vtro horum modorum contigerit, incertum est; audiisse præter Saulem neminem, magis probabile.

Anima à Magis euocata obscuræ, & tristes.

Dubitari prætereà posset, an Samuelis anima 38. *Samuel apparuit non in proprio corpore.*
assumpto proprio, vel alieno corpore se videndam obtulerit. Communiter auctores apparuisse dicunt in corpore aëreo. Ita Abulensis q.33. & sicut Moyses in transfiguratione, & Angeli, cùm apparent, corpus sibi formant, & aptant ex aëre,

vt

vt dicit S.Thomas in capite 17. Matth. Sic etiam Samuel non corpus resumpsit proprium, quod iam extabuerat, sed aliud sibi finxit ex aliena materia.

39. Vers.20. *Statimque Saul cecidit porrectus in terram.*] Non potuit Saul Samuele tonante, ac fulminante subsistere, atque ideò quâtus quâtus erat collapsus est. Huius porrò casus duæ assignantur causæ; & quia grauissimæ fuere Samuelis minæ, quæ illum integris viribus, & benè pastum omninò deiicerent; quis enim ad vicinæ mortis nomen non exhorruit? Et quia totam illam diem, & noctem ieiunus transegerat. Hebræus habet *tota die, & tota nocte.* Vnde necesse erat, vt languerent vires, & ille non procul abesset ab exanimi.

40. Vers.21. *Ingressa est itaque mulier ad Saulem.*] Egressa fuerat, vt apparet, mulier, sicut alij etiam Saulis socij, ne conscij essent eorum, quæ ipse à Samuele doceri aut voluit, aut potuit. Quare vt primùm in terram exanimatus cecidit Saul; quem casum, vt est verisimile, consecutus est gemitus, eo excitata est venefica mulier, & statim accurrit, vt illius languorem, & deficientem animum aliqua ratione reuocaret. Quapropter hortatur illum, vt vel cibo se modico reficiat; & quò eum ad suam voluntatem, & studium pelliciat, proponit, quid suæ voluntati debeat, cùm certum adierit famæ, vitæque periculum, dum illius causa artem exercet necromanticam, cui indictum esset capitale supplicium.

41. *Animam in manu sua ponere, quid.* Vers. 21. *Posui animam meam in manu mea.*] Hebræorum est prouerbium, quo certum significatur vitæ discrimen. Quo vsus est Ionathas ad patrem de Dauid, suprà cap.19. *Posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæũ.* Iob cap.13.v.14. *Animam meam porto in manibus meis.* Ps.118.v.109. *Anima mea in manibus meis semper.* Vnde sumatur metaphora, non est coniectare difficile. Nam quæ manibus tenemus, illa variis sunt exposita periculis, nempe vt excidant, aut eripiantur è manibus; quia alia, quæ gestantur omnia, alligata sunt corpori, vt patet de vestimentis, & ornamentis omnibus (nam Hebræis nullum esse capitis tegumentum, res est nota:) quare difficilè excidunt, aut detrahuntur è corpore. At quæ manu gestantur, soluta sunt, & si compressam manum explices, continuò excidunt. Cúmque manus, quæ omnium operum administræ sunt, expeditas esse oporteat; si quando aliquid nobis faciẽdum occurrat, id, quod erat in manibus, confestim abiicimus, quare proximum est vt pereat, vt ipsa docet experientia.

42. *Quæ gestantur in manibus facile excidũt, aut dãtur alijs.* Adde, quòd aliis ea, quæ in manibus sunt, quæque facilè porrigi possunt, facilè appetuntur à curiosis oculis, facilè ab his, qui minùs belli sunt, & vrbani, petuntur, & non nisi difficilè negantur. Quare quæ manu geris, perinde habere debes, atque si aliena forent. Hæc ratio est, vt opinor, huius prouerbialis metaphoræ; alij alias adducunt. Quocircà qui in manibus dicit animam suam portari, nil aliud significare vult, quàm vitã suam proximam esse periculo; sicut illa conseruari non possunt diu, quæ gestantur in manibus. Longè alia sors est illorum, quorum animæ sunt in Dei manibus; de quibus Sap.cap.3.v.1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et Deut. 33. v. 4. de Deo: *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* De his dixit Christus Ioan.10.v.28. *Oues meæ non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Qui locus mirificus est

Esse in Dei manibus, quid.

pro obedientia, per quam vir religiosus animam suam, & seipsum in manu Domini constituit, vt de se suo tantùm arbitratu disponat.

Et ponam coram te buccellam panis.] Hoc penè prouerbiale est apud Hebræos, vt cùm parcum aliquod, & tenue alteri conuiuium offerunt, modestiæ gratia *buccellam* appellitent *panis*; quia hæc maximè est frugalis, & tenuis. Quid sit *buccella*, aut cur *panis* dicatur *buccellatus*, diximus in nostris Commentariis super Acta, capite 2. v.46. ad illud: *Frangentes circa domos panem.* Quæ hunc in locum transcribere non erit abs re, quia non minùs hîc, quàm illic necessaria. 43.

Hac de re optimè Baronius 1.tomo Annal.anno 38. vbi dicit, accepisse se à Rabbino Iudaicæ antiquitatis peritissimo, solitos esse olim Iudæos panes ita fingere, vt profundæ lineæ in decussim traiectæ illos ita distinguerent, vt crebræ, ac minutæ tanquam areolæ conclusæ lineis per totam panis faciem relinquerentur, quæ *buccellæ* vocantur. Sanè apud Romanos panes in quadras distingui notum est, & probat satis Virgilij moretum, vbi in fingendis placentis rustica mulier hunc ordinem seruasse dicitur. Non tamen credo quadram dici quartam partem panis, vt est communis fermè hominum existimatio; sed quadratam illam buccellam, quam lineis transuersis descriptam esse diximus. Idque mihi persuadeo, quia βλωμίλιος est panis iuxta rationem nominis, qui buccellatim distinguitur: at nemo buccellam dicet quartam partem panis; sed *blomilius*, vt inquit Athenæus lib. 3. est quem Romani quadratum appellant. Item quia plurimas esse quadras in placentis tradit Martialis libro 9. epigram.92. 44.

Et plurima secta quadra de placenta.

Quod de quatuor partibus dici non solet. Et idem lib.6.epig.74. quadram aliquid esse minutum, ac vile indicat.

Cùm mittis turdúmve mihi, quadrámve placentæ;
Siue femur leporis, siue quid his simile;
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.

Ecce quomodò quæ priùs *quadra*, nunc *buccella* dicitur. Accedit, quòd cùm panis rotundus sit, vt in moreto docet Cybele, de qua Virgilius.

----Iamque subactum
Format opus, palmisque suum dilatat in orbem;
Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Non benè quarta pars appellaretur *quadra*, quia quarta pars circuli quadrari non potest. Et quidem instrumenta mensarum, quibus suppositis minutim epulas concidimus, tunc *quadræ* dicuntur, si quadratæ fuerint; si rotundæ, dicuntur orbes. Adde quod Hesiodus 2. lib. operum, & dierũ, meminit panis in triginta duas buccellas dissecti, ἄρσον δ' εἰκοσάδας τετραστεγὲς ὀκτάβλωμον. Quod Ioannes Zezes ibidem ita explicat, vt panis quatuor habeat incisiones, eásque in crucis similitudinem traiectas; ita vt quælibet octo *buccellas* habeat, quæ efficiunt triginta duas buccellas. Errant igitur, qui putant apud Hesiodum, panem in octo buccellas, aut quadras esse diuisum; neque enim quocũque modo quatuor lineas in solido describas, octo possunt effici partes. *Buccellati panis* meminit Ammianus Marcellinus, lib. 7. Spartianus in Pescẽnino, & Paulinus, & Therasia in epist.36. inter epistolas Augustini. Panis autẽ ille est, qui ad diuturnitatem excoquitur, qui vulgò *bis coctus* dicitur, aut *nauticus*: qui ideò *in buccellas* distinctus est, vt sulci in pane altiùs impressi intima etiam

nuda

nuda,atque aperta torrentibus flammis exhibeãt. Neque aliam ob causam puto panem à Romanis traiectis in aduersum lineis incidi.

45. Idem etiam in vsu esse apud Hebræos indicat modus ipse loquendi : nam *frangi panis* dicitur, *fragmen*, & *fragmentum panis*, & *buccellæ* nomen frequens. Quòd verò manu tantùm frangi potuerint suprà dicti panes, faciebant incisiones illæ, seu lineæ profundæ, quæ buccellas quadrabant.

46. Vers.23. *Qui renuit, & dixit, non comedam.*] Eò adductus est Saul seuera illa Samuelis denunciatione, vt libentèr videretur cum honesta, & voluntaria morte futuram ignominiam, & mortem commutaturus; quam ab hostili ferro metuebat. Quare cùm ab inedia mallet perire, quàm à ferro, negauit sumendum esse cibum, cùm tamen neque toto illo die, neque nocte, vt est in Hebraico textu, quicquam gustasset. Seu certè, quia in summo dolore, ac desperatione aliquod existimatur consolationis genus, nullam consolationem admisisse. Sic apud Senecam Oedipus in Thebaide Act.1. *Vnica Oedipo est salus, non esse Saluum.* Coactus tamen mulieris, & sociorum precibus, surrexit de terra, vbi postratus antè iacuerat, & sedit super lectum, nempe triclinarem, vt mos illius temporis ferebat, quem ab Ægyptiorum conuictu, apud quos diu inueterarat, traxerunt Hebræi, vt ibi oblatos à Pythonissa cibos acciperet.

47. Vers.24. *Mulier autem illa habebat vitulum pascualem.*] *Pascualis vitulus* est, qui aliter vocatur *saginatus*, & *altilis*, quem ad delicias, seu similes vsus alunt domi viri, qui sunt paulò lautiores; qualis videtur esse hæc venefica mulier, cùm etiam lectulos habuisse videatur discubitorios, seu triclinares. Tales certè habuit pater ille, qui apud Lucam cap.15. filium, qui dissipata substantia sua domum reuersus est, admisit, in cuius aduentum vitulum alium pascualem, & saginatum occidit.

Tollénsque farinam miscuit eam, & coxit azyma.] 48. Hic cibus facilè parabilis est; quod item fecisse traditur Abraham, Genes.cap.18. dum pro trium Angelorum conuiuio vitulum occidit, & dixit Saræ: *Accelera tria sata similæ, commisce, & fac subcineritios panes.* Quos hic appellat Abraham *subcineritios*, ij nunc dicuntur *azymi*; neque enim his fermentum additur, neque adhiberi poterat, quia omnis moræ erat Saul impatiens, & fermentatio non breuem moram exigebat.

Vers.25. *Et ambulauerunt per totam noctem illam.*] 49. Plurimum ex illa nocte absumpsisse videbatur nocturnum illud negotium, quod sanè breui tempore absolui non potuit. Quare quicquid erat spatij ad castra vsque, ex quibus paulò antè discesserant, magna celeritate conficiendum fuit. Hîc Hebræi multa de Saulis fidelissima constantia, qui cùm videret sibi eodem, quo appulisset, die, oppetendam esse mortem; deesse tamen sibi maluit, quàm suis, reíque publicæ: & cùm nosset hostili ferro suum deuotum esse iugulum; non tamen sic illud exhorruit, vt non audacter in medios inimicorum cuneos irruperit.

IN CAPVT XXIX. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM Philisthini ex aduerso Hebræorum castra posuissent, & iam iam committendi belli tempus instaret, qui Principes erant in eorum exercitu, cùm suos ducerent ordines, & castra lustrarent, considerauerunt in extremo agmine; id est, honestiori in loco cum Achis esse Dauidem cum sociali turba. Quod accepere durius, cùm nihil ab illo existimarent futurum esse tutum, ac fidele. Quare omninò negant ex vsu fore, vt inimicum secum habeant, qui in eo loco cum Palæstinorum cæde magnam suis operam nauare possit. Cùm frustrà Dauidem apud Principes defendisset Achis, Dauidem alloquitur, docétque quid principes meditentur, ac dicant, neque contra illorum consulta quidquam esse tentandum; cognouisse se iampridem illius animum, atque virtutem, & ab eius fide sperare omnia; sed quando aliter fieri non potest, excedat à castris, & hac suspicione, ac metu exercitum liberet. Dauid porrò de hac Principum suspicione modicè conquestus ad suam stationem rediit.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

1. COngregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrael.

2. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis & millibus: Dauid autẽ & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.

3. Dixerúntque principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul regis Israël, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquã ex die qua transfugit ad me vsque ad diem hanc?

4. Irati sunt autem aduersus eum principes Philisthiim, & dixerunt ei: Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in præliũ, ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus: quo modo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris?

5. Nónne iste est Dauid, cui cantabant

in

in choris,dicentes:percussit Saul in millibus suis,& Dauid in decem millibus suis?

6. Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus,& introitus tuus mecum est in castris:& non inueni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me, vsque in diem hanc: sed satrapis non places.

7. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthiim.

8. Dixítque Dauid ad Achis: Quid enim feci,& quid inuenisti in me seruo tuo à die qua fui in cõspectu tuo vsque in diem A hanc,vt non veniam & pugnem contra inimicos domini mei regis?

9. Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid:Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium.

10. Igitur consurge manè tu, & serui domini tui, qui venerunt tecum:& cùm dè nocte surrexeritis, & cœperit diluescere, pergite.

11. Surrexit itaque de nocte Dauid ipse & viri eius,vt proficiscerentur manè, & reuerterentur ad Terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Iezrahel.

IN CAP. XXIX. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina.*]

1. QVÆ hoc loco narrantur, antecesserunt C illa,quæ de Saule, ac Pythonissa proximè à nobis explicata sunt.Nã quæ de Pythonissa tradita proximè,pridie contigerunt ante extremã pugnam, Saulísque cædem:at hîc continentur quomodò se Philistæi ad bellum comparauerint,& quæ sit agminis, ordinúmque descriptio.Præcedebant in acie satrapæ;id est,Principes Philisthinorum, qui centenis, millenísque præerant:extremum claudebat agmen Rex Achis,cui summa erat in bellica administratione potestas. Huic aderat Dauid,cum sexcentis aliis,quos prætorianos Achis, & sui capitis custodes ex omnibus elegerat. Quod non probarunt Philisthinorum Principes,cùm parùm tuta videretur illa societas, quæ ex inimicorum gente, contra quos erat illa tanta molitio comparata,foret ascita. Ad quos Achis,satis sibi iampridem exploratam fuisse dixit Dauidis fidem,in quo nihil tot mensibus, aut annis,deprehensum affirmat,quod in dubium vocare possit illius animum;atque ideò non videri ex vsu fore illum à sua societate dimittere, cuius ipse virtutem,& militarem industriam toties esset expertus. B

2. Vers.3. *Et est apud me multis diebus, vel annis.*] Quatuor tãtùm menses, & aliquot præterea dies fuit Dauid in terra Philisthiim;vt habemus c.27. v.7. Quid ergo nunc affirmat Achis multos dies, vel annos apud se commoratum esse Dauidẽ?Ego D si mentitum fuisse dixero Achis, nihil alienũ dixero à Gẽtilium more,quibus non tam veritatis, quàm vtilitatis ratio grauis est.Neque id mirum, cùm sub id tempus inueniamus non semel Dauidem etiam fuisse mentitum, tum cùm loqueretur cum Achis tribus hisce capitibus,& priùs in Nobe cum Sacerdote summo.Hanc ego solutionem optimam omnium,& expeditam maximè esse arbitror:quã aliis in locis adhibere necesse est, cùm aliquid audimus ab his,quorum neque Canonica est auctoritas, neque probata fides, licèt probati mores:Scriptura etenim sacra non omnia probat; quæ ex aliorum ore refert, quia aliorum interdũ mendacia commemorat, & tantùm habemus ex Canonica Scripturarum fide, illa fuisse narrata, non tamen illis veram, aut etiam historicã inesse fidem. Qua de re nos pluribus ad illud Micheæ cap.5.*Paruulus es in milibus Iuda.*

Sed fortasse excusari Achis posset à mendacio; 3. licèt ego non putem admodùm esse laborandum, vt illum à mendacij labe vendicemus. Quia hic dicendi modus in ea regione prouerbialis esse potuit ad significandum aliquid, quod etsi breui tempore factum,aut obseruatum fuerit,eius tamẽ esse naturæ;vt haberi possit pro diuturno. Quomodò si dicas, dedi amico meo Petro decem & mille,cùm tantùm decem illi tribueris;quia ea est amoris vis,vt illi,si peteret,aut egeret, mille non negaret.Et de firma domo, quam post decem annos æquasti solo,quæque aliter videbatur in multa sæcula permansura,verè diceres durasse decem annos,& multa sæcula,quia contra multorum sæculorum iniurias extaret, si non esset ante suum tempus æquata solo.Sic igitur, quia fidelissimum putabat Dauidem Rex Achis, ait se aliquot mensibus illius fidem explorasse; neque aliud in eo deprehensurum, etiamsi multis secum annis illum haberet:vel retinuisse illum apud se aliquot mensibus, neque dubitaturum habere multis annis,cùm de illius fide suspicaretur nihil.

Vers.4. *Irati sunt autem aduersus eum Principes.*] 4. Nõ satisfecit Principum cogitationi,ac voto,Regis excusatio; quia Deus ita Palæstinorum consilia,ad Dauidis studia temperabat,vt neque datam Regi violaret fidem; neque contra Dei populum, cognatúmque genus arma versaret.Quare indignati grauiter contra Regem Achis, monent, aut verius cogũt,vt nullo modo Dauidem in suis castris versari patiatur;sed reducat in locum,vbi illi stabile,ac proprium domicilium assignarat.Nihil enim fore tutum ab hoste domestico, qui possit, cùm signa collata fuerint,ad hostem transfugere, aut in medio castrorum hostibus nauare nõ inutilem operam.Neque esse verisimile,illum sic esse animo in suos populares infenso,vt non optet inter illos agere,& apud Regem suum in gratiã redire. Quod nulla alia re meliùs obtinere posset, quàm si Israëliticæ gentis hostes malè mulctauerit. Quidnis autem ab illo timeri posse,cùm vir esset

REGVLA. *Scriptura sacra multa ab aliis dicta narrat, quæ nõ probat.*

esset audax, & strenuus, cui publico plausu, & puellari cantico plus in re militari gloriæ, quàm Sauli datum est.

5. Vers.6. *Vocauit ergo Rex Dauid,& ait ei.*]Molestè tulit Achis Principum exercitus obstinata consilia. Vocat ergo Dauidem, cui id etiam futurum esse molestum existimabat, & captata priùs beneuolentia, quid constitutum esset à Satrapis, & Principibus, ostendit. Ait igitur, sibi Dauidis fidem esse perspectam, & illius mores, & ingenium & placuisse semper, & nunc etiam vehementer probari; & quod ad se attinet, nihil de priore voluntate, ac sensu fuisse mutatum. Quare perinde est, atque si ipsi, vt antè conuenerat, assiduè hæreret, neque à suo discederet latere, quocúmque ferret pedem, siue egrederetur, siue ingrederetur, siue aliquid etiam occultum, & insidiosum tentaret; neque de re illa dubitandum esse, cùm ipsi caput suum, vitámque crediderit. Neque id mirum, cùm toto tempore, quo vixit apud ipsum, nihil inuenerit, quod vllus iure queat reprehendere: Verùntamen Satrapis visum esse aliter, qui aliis de causis ex vsu suo futurum esse negant, illum habere secum commilitonem. Neque fieri posse, vt ipse contrà nitentibus illorum studiis aliquid moliatur ex sua sententia. Quare ne in se concitet Satraparum odia, & oculos offendat; recedat feciliter in designatam sibi ciuitatem, ibique pacificè in bellorum strepitu securus cùm sociis agat.

6. *Exitus tuus,& introitus tuus mecum.*]Hoc dicendi modo explicari solet summa Principum, aut plena à Principibus alteri communicata potestas; qualem habuisse dicitur Dauid, 1.Reg.18. qui cùm factus esset Chiliarchus, egrediebatur, & intrabat in conspectum populi. Vide quid nos in illum locum. Porrò *in ingressu*, & *egressu*, siue *in exitu*, atque *introitu*, omnia alicuius opera significantur. Sic 2. Reg.3.v.25. dixit Ioab ad Dauid de Abner: *Venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum.* Quod explicuit statim, cùm addidit: *Et nosset omnia, quæ agis.* Et 3.Reg.3.v.7. Salomon de se ipso. *Ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum, & introitum meum.* Psal.120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Iuxta hæc sensus erit, quem suprà expressit, *exitum*, & *ingressum* Dauidis, futurum cum Achis ingressu, atque exitu; id est, nunquam Dauidem à Regio latere recessurum; vel in omnibus, quæ facturus esset Dauid, habiturum auxiliatorem, & patronum Regem ipsum, qui nunquam Dauidis conatus, & consilia deseret.

In exitu, & introitu omnia cognoscuntur.

7. Vers.8. *Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci?*]Cùm nihil Dauidi magis esset in votis, quàm neque pro Philisthinis, neque contra Dei populum, sibique cognatum dimicare; dissimulauit tamen animum suum, & finxit graue sibi videri, cùm nihil commeruisset, expelli tamen se à Regio comitatu, & indignum censeri, qui in Palæstinorum acie numeretur. Ad quem Achis sibi illius fidem satis esse probatam, neque Dei Angelum magis sibi placere, quàm Dauidem, sed aliter Satrapis esse visum. Quare omninò illi esse ab acie discedendum, quod vt faciat, vbi primùm illuxerit, hortatur; quod fecit Dauid non grauatè. Et eodem tempore, quo Dauid reuersus est ad suos, Palæstini mouerunt in Iezraël, vbi sua Hebræi castra locauerant.

8. Quærit Abulensis, q.9. cur Achis homo Paganus, qui de Angelorum natura nihil fortasse norat, aut audierat, dixerit Angelo Dauidem esse similem. Ego huiusce rei tres inuenio causas. Prima est, audiuisse quidem Achis ab Hebræis, quos habuit vicinos, & quibuscum, temporibus maximè pacificis, consuetudinem habuit, Angelos esse diuinæ voluntatis nuncios, & interpretes, qui sicut Dei fidelissimi essent ministri; sic nemo de illorum fide dubitabat. Et cùm in eis scientiam esse nossent præstantissimam, & maiestatem magnã, & speciem augustã, vtpotè à diuina libatam; fiebat, vt quæ in quocúmque genere eximia sunt, proprio uiali specie significarentur Angelorum comparatione, ac nomine. Vnus Dauid multa nobis suppeditabit exempla. Lib.2.cap.14.v.17. sic Thecuitis fœmina: *Sicut Angelus Domini, sic est dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* Et iterùm, v.20. *Tu autem domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Et cap.19.v.27. sic ad eundem dixit Miphiboseth: *Tu autem domine mi Rex sicut Angelus Dei es.* Cùm autem prouerbialem hunc dicendi modum sæpiùs, vt est verisimile, audiisset Achis, eodem vsus est ad explicandum quid de Dauidis fide, ac bonitate sentiret; & cùm ageret cum Hebræo, Hebræorum prouerbium vsurpauit. Sanè Assuerus Hebraici prouerbij vsum non ignorabat, quando Esther prudentissima fœmina illius maiestatem, & gloriam, Angeli Dei comparatione significauit. Sic enim illa ad Regem, cap.15.v.16. *Vidi te domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Hæc mihi propria est, atque germana solutio. Afferam tamen aliam, quæ mihi difficilis non est.

Sumpta ex Angelu similitudine, excellentia rerum significatur.

9. Cùm aliquid magnum esse, & diuino simile significare volumus, à Deo missum, aut de cœlo lapsum esse dicimus. Esse porrò apud Gentiles deorum nuncios, res est nota: sic Iouis Mercurius, Iunonis Iris mandata perferunt, & legationes obeunt. Denique de cælo dicuntur venisse, qui omni carent labe, in quibus summa sunt omnia: nam qui de terra sunt, & cum terrenis habitant, aliquid semper trahunt à terrena mole, & concretione mortali. Quare Cato, cuius apud Romanos grauissima fuit, & penè diuina fides, & auctoritas, de cœlo potiùs lapsus, quàm de humano conceptu natus esse dicitur. Sic sanè Iuuenalis satyra.

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Aut igitur hac, aut illa ratione laudatur Dauid à Palæstino Rege. Vtraque grauis videtur ad laudem, vtraque non aliena.

IN

IN CAPVT XXX. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

QVO tempore Dauid cum ſexcentis viris erat in Philiſthinorum caſtris, irruerunt Amalecitæ in vrbem Siceleg à propugnatoribus vacuam, ex qua abduxerunt omnes animas, ne vna quidem relicta, & quidquid erat in ciuitate pretioſum. Neque quidquam reliquerunt in ea, niſi miſerabile quoddam antiquæ ciuitatis, atque inane buſtum. Cùm verò è Philiſthinorum caſtris reuerſi ſtragem illam tantam inueniſſent, ſuorum deſiderio ſic planxerunt miſerabiliter, vt lacrymarum exhaurirentur, ac deficerent fontes, & nihil propiùs fuerit, quàm vt præ dolore nimio populus lapidibus Dauidem opprimere voluerit. Conſulit Dauid Deum per Ephod, & cùm didiciſſet, ex Amalecitarum manibus erepturum iri prædam, omnes ſimul inſequuntur hoſtem; ſed ex illis ducenti ad torrentem Beſor defatigati ſubſiſtunt; reliqui magno animorum ardore inceptum perſequuntur curſum. Accidit perquàm commodum, vt Amalecitæ puerum in medio curſu relinquerent, quia cùm langueret morbo impedimento magis futurus erat, quàm vſui: ab illo docentur, & quid factum fuerat, & quo loco prædatores eſſent comprehendendi. Quo duce ad illos deducuntur, & incautos opprimunt; ita vt ex tanta multitudine vix ſuperſtites fuerunt admodùm pauci. Redierunt igitur cum omni præda; & cùm multi iis, qui laſſi ad torrentem conſederant, negarent ex hoſtili præda quidquam deberi, obſtitit Dauid: immò potiùs dixit æqualem partem his, qui ſedíſſent ad ſarcinas, & qui cum hoſte conflixiſſent, eſſe tribuendam. Quod Dauidis decretum deinde apud Hebræorum poſteros legis pondus obtinuit. Ex qua præda partem miſit non exiguam variis ciuitatibus, & illis præcipuè, in quibus aliquandiu, dum profugus errat, & vagus, commoratus eſt.

CAPVT TRIGESIMVM.

A

1. CVmque veniſſent Dauid & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerant Siceleg, & ſuccenderant eam igni.

2. Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vſque ad magnum: & non interfecerant quemquam; ſed ſecum duxerant, & pergebant itinere ſuo.

3. Cùm ergo veniſſent Dauid & viri eius ad ciuitatem, & inueniſſent eam ſuccenſam igni, & vxores ſuas, & filios ſuos, & B filias ductas eſſe captiuas:

4. Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo voces ſuas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.

5. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezrahelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

6. Et contriſtatus eſt Dauid valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuſcuiuſque viri ſuper filiis ſuis & filiabus: confortatus eſt autem Dauid in Domino Deo ſuo.

7. Et ait ad Abiathar ſacerdotem filiũ Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad Dauid,

8. Et conſuluit Dauid Dominum, dicens: Perſequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixítque ei Dominus: Perſequere, abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

9. Abiit ergo Dauid ipſe, & ſexcenti viri qui erant cum eo, & venerunt vſque ad Torrentem Beſor: & laſſi quidam ſubſtiterunt.

10. Perſecutus eſt autem Dauid ipſe, & quadringenti viri: ſubſtiterant enim ducenti, qui laſſi tranſire non poterant Torrentem Beſor.

11. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam,

12. Sed & fragmen maſſæ caricarum, & duas ligaturas vuæ paſſæ. Quæ cùm comediſſet, reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt. non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus & tribus noctibus.

13. Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quò pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego ſum ſeruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiuſterius.

14. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi,& contra Iudam,& ad Meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni.

15. Dixitque ei Dauid:Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait:Iura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manu domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et iurauit ei Dauid.

16. Qui cùm duxisset eum,ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ, comedentes & bibentes: & quasi festum celebrantes diem,pro cuncta præda, & spoliis quæ ceperant de Terra Philisthiim, & de Terra Iuda,

17. Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes,qui ascenderant camelos, & fugerant.

18. Eruit ergo Dauid omnia quæ tulerant Amalecitæ,& duas vxores suas eruit.

19. Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum, tam de filiis quàm de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant,omnia reduxit Dauid.

20. Et tulit vniuersos greges & armenta,& minauit ante faciem suam, dixerúntque:Hæc est præda Dauid.

21. Venit autem Dauid ad ducentos viros,qui lassi substiterant,nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in Torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum,salutauit eos pacificè.

22. Respondénsque omnis vir pessimus, & iniquus de viris qui ierant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua & filij:quos cùm acceperint,recedant.

23. Dixit autem Dauid:Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos,& dedit latrunculos,qui eruperant aduersum nos, in manus nostras:

24. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc:æqua enim pars erit descendentis ad prælium,& remanentis ad sarcinas,& similiter diuident.

25. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israël vsque in diem hanc.

26. Venit ergo Dauid in Siceleg,& misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini:

27. His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem,& qui in Iether,

28. Et qui in Aroër, & qui in Sephamoth,& qui in Esthamo.

29. Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel,& qui in vrbibus Ceni,

30. Et qui in Arama, & qui in lacu Asan,& qui in Athach,

31. Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse,& viri eius.

IN CAP. XXX. LIB. I. REGVM
COMMENTARII.

Vers. 1. *Cúmque venissent Dauid,& viri eius in Siceleg die tertia,Amalecitæ impetum fecerunt ex parte Australi in Siceleg.*]

1. NOverant, vt ait Lyra, Amalecitæ abesse Dauidem, & sexcentos alios ab vrbe euocatos ab Achis,& in Palæstinorum castris commorari. Quare cùm à Saule priùs passi fuissent non leue detrimentum, deinde illius Gentis reliquiæ variis excursionibus,& prædationibus essent à Dauide conciſæ; studio vindictæ, & vt grauem suarum rerum iacturam aliqua ratione repararent, ipsi quoque de hostibus, cùm commodè possent,prædas agere,& iniuriam, ac vicem rependere statuerunt. Cùm ergo,vt Ægyptius Amalecitarum seruus retulit infrà, v. 14. varias Iudæ partes prædabundi lustrarent Amalecitæ, & ibi rumore nuncio cognouissent vacuam à propugnatoribus vrbem Siceleg,eò irruperunt, abduxerúntque prædas: & cùm fœminas, & imbelle vulgus captiuum abduxissent; nullum tamen illorum occiderunt. Tandem cùm vrbem animabus, opibúsque vastatam incendio deformassent, spoliis onerati ingentibus, in patriam, quam ornare se posse putauerant, gradum referebant. Hæc,aut his similia Lyra,cuius opinioni illud incommodat,quod statim v. 16. non solùm ex terra Iuda, sed etiam ex terra Philisthiim dicuntur abegisse prædas Amalecitæ. Quare verisimilius est,eo animo ex patria prodiisse latrunculos, vt vndecũque sibi prædas abducerẽt,& ideò præsertim in Siceleg fuisse debacchatos,quia cùm ibi nulli forẽt propugnatores,qui pro vxorib.laribúsque pugnarẽt,tutò id, ac facilè præstare potuerũt.

Vers. 4. *Et planxerunt, donec deficerent lacrymæ.*] Peruenit Dauid tertio die, ex quo dimissus fuerat ab Achis,in vrbem, cúmque ciuitatem inuenissent vacuam à filiis, & vxoribus, contemplarentúrque non ciuitatem, sed ciuitatis triste quoddam, & immane bustũ,lacrymati sunt omnes vsque adeò dolenter,& prolixè,vt exhaustæ lacrymæ deficerent,neque quicquam iam humoris

2. *Lacrymæ exsiccantur, & deficiunt, & quomodo.*

moris ſupereſſet, quod aut dolori ſuo, aut ſuorum funeribus impenderent. Illud *deficerent lacrymæ*, aliquid habet obſeruatione dignum. Deficiunt lacrymæ, aut cùm homines ſtupent, & nimius dolor mentem adimit, & rigere facit hominem inſtar ſaxi. Quod explicuere Poëtæ in fabuloſa Niobe, quæ doloris acerbitate, & aſſiduitate plorandi in lapidem dicitur fuiſſe conuerſa. Idem de ſe cecinit Ouidius lib. 1. de Ponto Eleg. 2.

Fine carent lacrymæ, niſi cùm ſtupor obſtitit illis,
Et ſimilis morti corpora languor habet.

3. Exſiccari interdum lacrymarum fontes, ita vt nihil ſit reliquum ſalſi illius humoris, quod per oculos eliquat, & effundit dolor, indicat Baſilius homil. 2. de Gratiarum actione poſt medium, & Ambroſius de obitu Valentiniani. Sanè Ieremias conſumptas lacrymas ſibi eſſe dolebat, & fontes lacrymarum optabat, vt populi lamentabilem caſum deploraret. Sic autem ille cap. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; & plorabo die, ac nocte interfectos filij populi mei?* Cui, vt inquit ſuprà Baſilius, naturæ lacrymæ non ſatis erant. Et Cicero, licèt fortaſſe falsò, ad rei tamen naturam accommodatè dixit orat. 2. in Antoniũ: *Hei mihi, conſumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.* Hoc modo puto Dauidi, ac ſociis ſuorum fortunam deplorantibus defeciſſe lacrymas, quia etiam humor ille defecit, quo ſtillant oculi.

4. Verſ. 6. *Volebat enim eum populus lapidare.*] Multæ Dauidi fuerunt dolendi, & lacrymandi cauſæ. Prima, quia communis erat, neque inſtauranda videbatur illa calamitas. Deindè quia duas vxores abactas eſſe viderat, neque norat, an à prædonibus eſſent interfectæ. Tandem quia populum ſuorum deſiderio ſic videbat eſſe commotum, vt non ſe putaret ab illius lapidatione ſecurum. Cum verò populus ſic efferueſceret in iram, vt à ſuo duce, ac Principe, à quo nullam accepiſſet iniuriam, exigere voluerit ſuæ calamitatis pœnas, nulla apparet grauior cauſa, quàm quia dolet: dolor autem & deliberandi facultatem adimit, & nouas excogitat cauſas, quas fuiſſe quàm veriſſimas putat, cùm tamen toto cælo aberrent à veritate. Alia eſt præterea huius populi propria, qui leuiſſimus erat, & huc atque illuc facili momento flectebatur. Amabat quidem Moyſem, ſequebatúrque ducem datum à Deo, & quaſi de cœlo lapſum: ſed vbi primum egere cæpit, & ſiti laborare, ſic in illum amens exarſit, vt tantum non oppreſſerit. De quo Moyſes ipſe ad dominum, Exod. cap. 17. v. 4. *Quid faciam populo huic? Adhuc paululùm, & lapidabit me.* Sic etiam nunc in Dauidem; quem de ſe non malè meritum cognouerat, quia illi aliquid, ſine vllo Dauidis merito, durius acciderat, ſic eſt affectus, vt facto in illum impetu penè lapidibus oppreſſerit. Hæc prætereà videri potuit grauis cauſa, cur populari motu ad mortem appeti debuerit, quia ſummouit ex vrbe propugnatores omnes, imbelli tantùm turba in ea relicta.

5. Verſ. 7. *Applica ad me Ephod.*] Cùm omnium re deſperata & languerent ſtudia, & frangerentur animi, erectus eſt tamen Dauidis animus ad benè ſperandum. Quare quamprimùm aduocat Abiathar, & iubet, vt de rerum euentu, per Ephod, quod ſecum è Tabernaculo tuliſſe diximus, Deum conſuleret. An ex vſu foret prædatores illos, à quibus abducta fuerat præda, & ciuitas exuſta, perſequi; venturíve eſſent in ipſorum manus, & referenda ſpolia ab hoſtibus ablata. Quibus reſpondit Deus ſine vllo dubio deprehendendos eſſe, ac ſubigendos hoſtes, & prædam ex illorum manibus extorquendam.

Verſ. 9. *Abiit ergo Dauid ipſe.*] Nihil ergo 6. cunctatus Dauid aſſumpſit ſecum ſexcentos viros, qui magnis, vt res ipſa poſtulabat, itineribus ſimul vſque ad torrentem Beſor omnes peruenere. Cùm verò eorum aliqui feſſi de via progredi non poſſent vlteriùs, ad torrentem illum ſubſiſtere coacti ſunt. Hi autem fuere numero ducenti, quibus ſarcinarum cuſtodia credita eſt; alij porrò magis expediti inceptam viam velociori curſu perſecuti ſunt. Commodum illis accidit; vt puerum quendam Ægyptium Amalecitæ cuiuſdam ſeruum offenderent, qui illos rectà perducere potuit ad latronum cuneum (nam ad illum vſque locum nullum habuerunt indicium præter veſtigia, vt ait Ioſephus, quæ illi recedentes impreſſerant, quæ, vtpotè à magna multitudine, celari non poterant.) Relictus hic fuerat à domino Amalecita, quia cùm æger eſſet, properantium greſſus aſſequi non poterat. Quare affectus ægrè, & extrema penè fame conſumptus iacebat humi moriturus. Qui poſteà cibo recreatus fugientem reuocauit animam; neque enim tribus diebus, ac totidem noctibus quicquam guſtauerat. Rogatus deinde de via, ac genere, Ægyptium ſe eſſe dixit patria, conditione ſeruum, qui cum Amalecita domino, à quo ibi foret æger relictus, Amalecitarum agmen ſecutus eſt, qui ciuitates aliquot prædabundi obierunt in Iudæa, ac Palæſtina, ex quibus ad extremum inuaſere Siceleg, eámque nudatam ciuibus incendio denique vaſtarunt. Quid ſit Cerethi, cuius Auſtralem plagam oppugnauerunt Amalecitæ, diximus in noſtris Commentariis in Sophoniam ad illud cap. 2. *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum.*

In libro de Traditionibus Hebræorum, qui 7. Hieronymo adſcribitur, aliter dicitur in Hebraicis, aliter in Latinis codicibus haberi, in quo minùs videtur probari Latina tranſlatio. Vnde meo iudicio non leue ſumitur argumentum, vt credamus, quod plerique ſentiunt, hoc opus non eſſe Hieronymi. Nam licet iſtæ Hebræorum dicantur eſſe Traditiones; non tamen Hieronymus illas hîc ſine ſua cenſura, illáque non leui, abire permitteret; cùm ſuam tranſlationem videret improbari, neque omninò cum textu conueniret Hebraico. Sic autem illæ Traditiones Hebraicæ: *Cùm in Latinis codicibus legatur, laſſos quoſdam ſubſtitiſſe ad ſarcinas; & in Hebræo habeatur, iuſſos eſſe vt reſiderent ad ſarcinas; locus hic monſtrat Hebraicam veritatem in hoc loco ſequi debere, quæ non laſſos, ſed iuſſos remanſiſſe ad ſarcinas dicit fuiſſe. Ait enim ita: Æqua pars erat deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas: quia ſi laſſi remanſiſſent, nulla eis deberetur de prædis portio.* Hæc ibi, quæ ſatis ſe ſuis compungunt acuminibus.

Verſ. 15. *Potes me ducere ad cuneum iſtum?*] Ro- 8. gatus Ægyptius ille ſeruus, an deducere poſſet ignaros loci, ac viæ, ad illum locum, vbi prædones Amalecitæ conſtitiſſent, facturum ſe promiſit, dummodò Dauid iuratus affirmaret, ne ipſum morti dederet, aut domini ſui poteſtati traderet; quod tandem fecit, poſtquàm à Dauidis obligata iuramento fide ſibi cauit.

Quæret hîc aliquis, quomodò ſeruus, qui tri- 9. duo aberat, noſſe potuerit quo in loco Amalecitæ conſtitiſſent, cùm triduano curſu longa potuerint

peragrare ſpatia,& variis locis conſidere, ſi fortè citatum illum curſum intermittere placuiſſet. Hac de re Abulenſis, q. 12. Sed eſt ſolutio non difficilis,quia vt nos quotidie audimus, quodque omnibus regionibus commune eſſe didicimus, latrones certa ſolent deſignare loca,in quæ cõferãt, quæ furto ſuſtulerunt,vt ea pro cuiuſque labore,ac meritis diſtribuant;vbi ſuos agãt conuentus;aut vbi ſe commodiùs, ac ſecuriùs oblectent. Sic puto inter Amalecitas conuenerat, vt in certum aliquem locum abſoluto prædandi negotio conuenirent,vt laxarent defeſſa corpora, & fatigatos remitterent animos, & primum caperent laboris fructum. Quod audierat Ægyptius ille ſeruus, cùm vnus eſſet è prædonum numero; atque ideo promittere potuit,quod optabat Dauid, & ſine vllo errore promiſſa complere.

10. Verſ.16. *Et ecce illi diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ.*] Securos reddebat Amalecitas, & quòd iam eſſent in patriis finibus, in quibus ab hoſtibus nullam metuebant vim; quia & illi nullam contrà pararent aciem ad repugnandum idoneam, & tam Palæſtini, quàm Hebræi, in quorum finibus loculentas ipſi prædas abegerãt, mutuis inter ſe diſſidebant odiis, & acies habebant vtrinque paratas;neque,cùm iam inſtaret pugnãdi neceſſitas, diſtrahere poterant vires, quas in maiorem hoſtem vndique collegerant.Quare ſecuri diſcumbebant in herba, comedebant lautè, bibebant largiter, geniales denique, ac hilares illos agebant dies, ſibi viciſſim gratulati, quòd excurſionem illam tam habuiſſent fortunatam,& facilem.

11. Verſ.17. *Et percuſſit eos Dauid à veſpera vſque ad veſperam.*] Non fuit difficile Dauid tantam Amalecitarum multitudinem turbaſſe priùs,ac diſſipaſſe,deinde peremiſſe. Quam fuiſſe ingentem ex eo fit veriſimile, cùm ipſius reliquiæ tantùm euaſerint,& hæ quadringenti viri fuiſſe commemorantur.Hanc autem exiguam eſſe illius multitudinis partem modus ipſe dicendi confirmat:*Et non euaſit ex eis quiſquam, niſi quadringenti viri.* Hanc verò multitudinem tantam quadringenti tantùm viri deleuerunt: nam ducenti alij ad torrentem Beſor laſſi,ſarcinarúmque cuſtodes ſubſtiterant. Acceſſere quidem ad Dauidem, poſtquàm ex Palæſtinorum caſtris exceſſit, viri quidam nobiles,quibus alij ſe fortaſsè commilitones,ac ſerui ſocios addiderant: at illi fuerunt vſque adeò pauci,vt non videantur momenti plurimum attuliſſe.De quibus lib.1.Paralip.cap.12.*Porrò de Manaſſe transfugerunt ad Dauid, quando veniebat cum Philiſthiim aduerſus Saul,vt pugnaret,& non dimicauit cum eis:quia inito conſilio remiſerunt eum Principes Philiſthinorum,dicentes, periculo capitis noſtri reuertetur ad dominum ſuum Saul. Quando igitur reuerſus eſt in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manaſſe Edinas,* &c.(octo numerantur viri Principes)*Principes militum in Manaſſe, præbuerunt auxilium aduerſus latrunculos.* Cùm ergo illud copioſum Amalecitarum agmen eſſet tunc imparatum, & inerme, & partim vino,partim ſomno ſepultum, facilè à ſubito Hebræorum impetu turbari,ac diſſipari potuit;cùm neque tempus haberent liberum, vt arma ſumerent,quæ habebant in ſarcinis, vaſiſque viatoriis inuoluta, & qui ſe interim armare potuerunt,vt tradit Ioſephus, non multò quàm alij difficiliùs cædebantur.

12. *A veſpere vſque ad veſperam.*]Duæ ſunt veſperæ diebus ſingulis;altera, quãdo ſol notabili iã flexu ad occaſum incumbit; altera propria,quãdo veſper;id eſt,nocturnus lucifer primùm apparet.Hoc probatur Exod. 12. v.6. nam vbi Vulgatus habet: *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam:*Hebraicè eſt, בין הערבים *ben ha arbaiym:* id eſt,*inter duas veſperas.* Et quidem Ioſephus de bello lib.7.cap.17.& Ægeſippus in anacephaleoſi non longè à principio tradunt,ad Paſcha ab hora nona vſque ad vndecimam hoſtias cædi;id eſt, ab vna vſque ad alteram veſperam. *Hebraiinditi duas veſperas ſtatuũt.*

Hinc igitur dubitare aliquis poſſet,an tota hæc pugna, ac cædes Amalecitarum cõtigerit *à priori veſpera*;id eſt,ab hora nona, quãdo aut epulis dabãt operã,aut temuléti, atque grauati ſomno decumbebãt,*ad nocturnam veſperam*;id eſt,ad vndecimam horam,in qua nõdum edormiiſſent vinũ, & minùs eſſent ad deliberãdum, & pugnãdum idonei.Vel certè *à veſpera*, nempe priori;id eſt,à prãdio *ad veſperã* vſque ſubſequẽtis lucis;ita vt Amalecitarũ cædes vnũ diẽ naturalem abſtulerit.Ioſephus priorẽ cogitationẽ amplectitur:*Durauit*, inquit,*ea cædes à prandio vſque ad veſperã.*Neque ratio deeſt ad rẽ coniecturalẽ non infirma.*Nam à priori veſpera* ſatis ſpatij fuit,vt quadringenti viri audaces,& ſtrenui,in populo ſecuro,& ad ſubitã illam irruptionẽ imparato,tãtam cædẽ ediderint.Deinde,quia ſi nox interceſſiſſet,quę vias ad fugã aperire ſolet expeditas,&varias,nõ videbatur futurus vllus,qui cùm fugiẽdo poſſet declinare periculũ, hoſtile ferrum inermis expectaret:atque ideò pugna in craſtinum diem producenda non fuit.

13. Veruntamen non eſt dubitandum,in ſequẽtem diem productam eſſe cædem,cùm id apertè dicat Vulgata trãſlatio, neque aliquid habeat contrà textus Hebraicus.Neque nimis vrget oppoſita ratio;nam etiã noctu pugnatũ eſt, & qui ex caſtris, vel potiùs ex ebrioſorum conuiuio ſe ſubduxerãt, & in ſaltu ſe,lociſque deſertis abdiderãt, cùm viderent hoſtium vigilantes oculos, & attentas aures,commouere ſe non audebãt, ne ad ſe aut motu,aut ſtrepitu traherent Hebræos,qui in omnem partem,tãquam ad concluſam prędam excubabãt. Cùm igitur illuxiſſet,omnes ſcrutabãtur latebras, quemadmodùm venatores, qui prædam odorati, tunc maximè ardent, cùm prædam vident ſeptis eſſe concluſam.Illa itaque venatio,quia multis in locis diſperſa fuit, craſtinæ lucis maximam ſibi partem vendicauit. 13.

14. Verſ.18. *Eruit ergo Dauid omnia.*] Cùm omnes præter quadringentos, qui vſi camelorum pernicitate mortem effugerant,eſſent occiſi,neque qui mortem euaſerant,aliquid poſſent ſecum aſportare de præda, quia hoſtis vrgebat; quæcúmque abſtulerant Amalecitæ, integra Dauidi, & ſalua reliquerunt. Quare recepit Dauid duas vxores, neque vnus de ſociorum familiis fuit, qui non fuerit ab hoſte receptus;non filius,ac filia,non vxor, non ſeruus, non denique quicquam de ſpoliis,aut gregibus,quæ ex vrbe vaſtata ſublata fuerant. Rediit itaque victor Dauid cum pecudum, atque armentorum gregibus, quos ipſe paſtoritiæ artis non imperitus præcedentes cogebat.

15. Verſ.20.*Hæc eſt præda Dauid.*]Sicut Iſraëlitides virgines, cùm ſublato Philiſthæo victor ex acie reuerteretur, triumphale cecinere carmen, illud iterùm, ac ſæpiùs iterantes: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia:* Sic nunc victor ille Hebræorum cuneus Dauidi duci ſuo, & tantæ victoriæ auctori, atque auſpici, feſtiuum cecinit epinicium, dixitque ſæpiùs iterato cantico, & triumphali plauſu.*Hæc eſt præda Dauid.*Notum eſt autem in triumpho à feſtiua, *Triumphales voces.*

&

& gratulante turba aliquid accini, quo & lætitia significaretur, & generalis gratulatio, & ducis in dimicando virtus, & in hoste debellando felicitas. Vnde tritum illud: *Io triumphe, Io pæan.* Ouidius.

Omnia te metuent, ad te sua brachia tendent:
Vulgus io, magna voce, triumphe canet.

Et idem iterùm.

Dicite io pæan, & io bis dicite Pæan,
Decidit in casses præda petita meos.

16. Et quæ in tabulis, quæ figi solent in triumphis, aut in triumphantium nummis inscribuntur, illa cantari etiam puto gratulatorio, & triumphali cantico. Quomodo in Augusti nummis legimus; *Rempublicam conseruatam, captam Ægyptum, Asiam receptam, seruatos ciues.* Quis dubitet hæc, & similia, in triumphali plausu populari voce esse cantata? Sic ergo puto à beneuola turba cantatum esse; *Hæc est præda Dauid,* & alia quasi legitima, & vsitata in gratulatione publica, vt; *viuat Dauid, Osanna. Protegat te nomen Dei:* & alia, quæ in Scriptura sacra frequenter obuia.

17. Vers. 21. *Venit autem Dauid ad ducentos viros.*] Antequàm Dauid ad viros accederet, qui ad torrentem Besor lassi, sarcinarúmque custodes substiterant, iam ipsi nouerãt ab aliquo, qui boni nũcij gratia alios anteuerterat, quàm feliciter à suis res esset cõfecta. Quare illi Dauidi, atque victori populo prodierunt obuiam gratulabundi; quibus arridens Dauid, bono animo esse, & à se omnia pro votis sperare iussit. Cùm autem alij, qui iniquo erant, & illiberali animo, quid illa salutatione sibi vellet, non dubiis signis essent odorati, dixere sub amaro murmure, nihil illis deberi de præda, in qua eruenda de latronũ manu nihil laborassent; sed satis illis à victore cuneo cõcessum videri, si quilibet vxorem suam, ac filios recipiat; neque esse, quod præterea ab aliorum, quorum opera parta victoria est, liberalitate desiderent.

18. Vers. 23. *Dixitque Dauid, non sic facietis fratres.*] Horum vocem humana quidem, graui tamen reprehensione compescuit Dauid; dixitque indignã illam vocem videri, quæ in vulgus exeat, hominúmque notitiam, cùm victoria illa à Deo potiùs liberali manu concessa, quàm humana virtute, atque industria comparata sit.

19. Vers. 24. *Æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas.*] Ex hoc tempore lex fuit in Israël, vt æquam partem ferrẽt ex præda, seu victoria, qui cum hoste confligerent, & qui ad seruandas sarcinas essent ab imperatore designati. Tanta enim fuit apud omnes Dauidis auctoritas, tanta legislatoris, ac legis humanitas; vt deinceps in eo populo egregium illud factum decreti publici vim, & põdus obtinuerit. Aliquid simile accidit Numer. cap. 31. vbi cùm filij Israël prædam ex Madianitarum victoria retulissent ingentem, dixit ad Moysem Dominus, v. 26. *Tollite summam eorum, quæ capta sunt, ab homine vsque ad pecus, tu, & Eleazar sacerdos, & principes vulgi, diuidéque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerũt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem.* Sed neque hîc lex vlla constituta est, cùm de illis tantùm Madianitarum spoliis sit illic sermo; neque ibi singulis pars æqualis ex ea spoliorum diuisione tribuatur. Pugnarũt etenim ex omni populo duodecim millia, ex singulis nempe Tribubus milleni, vt habes ibidem, v. 4. remanserunt autem in castris ibi, v. 50. sexcenta millia, & mille septingenti triginta; quare ad horum singulos aliorum cõparatione pars minima peruenit.

Lex Dauidis de diuidẽda præda.

Adde, quòd magnum est discrimen inter illos ad quos Madianitarum; & hos, ad quos Amalecitarũ spolia peruenere. Illi enim remanserunt in castris, neque se bellorum obiecere periculis; hi verò, licèt manus cum hoste non conseruerint; egressi tamẽ sunt ad pugnam, neque animus, aut studium, sed vires ad reliquum viæ conficiendum defuerunt. Nihilominùs aliquod hîc opinor exemplum habuisse Dauidem, quod sequeretur, si attentiùs verba textus expendas: eodem numerantur ordine, qui ingressi sunt pugnam, & qui ad pugnãdum egressi, si modò casibus impediti necessariis, atque legitimis, interesse prælio non potuere. Quo modo hi, qui lassi ad torrentem substitere, qui tamen aliquam operam pugnantibus nauarunt non inutilem, dum sarcinas custodiunt. Expendenda porrò sunt illa verba textus: *Diuides ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egressique sunt ad bellum:* Vbi duo constituuntur, vt apparet, militum genera; eorum videlicet, qui cum hoste contulere manus; & eorum, qui ad pugnãdũ egressi, quo minùs tamen cũ hoste cõfligerent, impediti sunt: quibus æqua debetur spoliorũ portio. Neque puto Dauid querulos socios tam reprehendisse liberè, dixissétque his, qui remansissent ad sarcinas, æquam deberi spoliorum partem, nisi antiquũ hoc habuisset exemplum; exemplum tamẽ: nam lex ex hoc facto, ac tẽpore primùm inducta est in Israël. Hanc legem post hæc tempora videtur aut accepisse Romani, aut adducti ingenuæ naturæ bonitate idem probasse, quod à Dauide in diuidenda hostili præda cautum est: vt enim auctor est Polibius lib. 10. idem quod Dauid fecisse traditur, Scipio expugnata Carthagine: *Tribuni,* inquit, *æquis portionibus inter milites pecuniam diuidunt: non solùm his, qui in subsidio manserunt; sed his quoque qui tentoria, & sarcinas custodierunt. Imò & ægrotis, & his, qui ad muneris alicuius curationem fuerant aliò missi.*

Vers. 26. *Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda.*] Rediit Dauid in vrbem, quam vastatam reliquerat, & Amalecitarum incendio deformatam, vbi cùm aliquot diebus commoratus esset, rémque constituisset ab hoste paulò antè turbatam, statuit senioribus Iuda, sibique aut sanguinis communione cognatis, aut studiorum, officiorúmque necessitudine coniunctis, partem aliquam mittendam ex præda: vnde non difficilè colligitur, illam fuisse non exiguam, quando inter tot viros, quot statim numerantur, distributa est. Voluit autem videri gratus, & memor officiorum, quæ in suo exilio, vt est non improbabile, à variis excepit. Quare inter hos viros, quos prædæ voluit esse non exortes, illi numerantur, qui erant in his locis, in quibus commoratus erat ipse, & viri eius.

Hæc prædæ distributio facta est, opinor, postquàm Dauid nuncium accepit certum de morte Saulis; nam vt habes lib. 2. Reg. cap. 1. v. 2. tertio die postquàm ab Amalecitarum cæde rediit in Siceleg, didicit mortuum fuisse Saulem, & illius filios. Quare non dubitabat ad ipsum venturum esse regnum, ad quod iam antè fuerat à Samuele designatus, atque vnctus. Breui autem illo tempore; id est, biduano, aut triduano spatio, non potuit instaurare collapsa, aut dissoluta componere, ac tandem per otium illa dispensare, quæ primũ in suos, deinde in tot oppida, ac viros partiri cogitabat. Hac ergo tã liberali largitione duo agebat Dauid; primùm ostẽdebat se non esse officiorũ immemorem; deinde vt muneribus, quæ etiã alienorũ animos expugnãt, suorũ contribuliũ,

id est,eorum,qui erant è cognata sibi Tribu,conciliaret gratiam, vt si quam in adeundo regno, ab aduersariis, atque inuidis oriretur difficultas, illam suorum auxiliari manu superaret. Hæc mihi cogitatio neque aliena videtur à Dauidis prudentia, neque ab illo temporis articulo, in quo nunc nostra versatur commentatio.

IN CAPVT XXXI. LIB. I. REGVM

ARGVMENTVM.

DVM hanc victoriam, & tam opimam prædam obtineret Dauid, Saulis exercitus male ad montes Gelboë concidebatur ab hoste Palæstino. Et qui ex Hebræis reliqui fuerunt à cæde, alij aliò dilapsi fuga sibi salutem quæsierunt. Occisi verò fuerunt Saulis filij: & Saul ipse grauiter à sagittariis vulneratus, ne viuus ab hoste ignominiam subiret, mortem optauit voluntariam, quam cùm precibus non posset extorquere ab armigero, sibi ipse sua manu consciuit. Cui superstes armiger esse noluit; sed ad domini exemplum in suum ipse ferrum incubuit. Quæ clades fecit, vt qui vicinas incoluere ciuitates, illis desertis, in tutiora se loca corriperent. Sequenti die, dum ex stratis corporibus spolia detrahunt Palæstini, Saulem cum filiis iacentem inueniunt, cuius abscissum caput per ludibrium ignominiosè circumferunt, & arma collocant in templo, cadauera regia de muro suspendunt. Quæ tamen inde sustulerunt ciues Iabes, illiúsque accepti beneficij memores honestè parentarunt.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

1. PHilisthiim autem pugnabant aduersum Israël: & fugerunt viri Israël ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë.

2. Irruerúntque Philisthiim in Saul, & filios eius. & percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua, filios Saul,

3. Totúmque pondus prælij versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis.

4. Dixítque Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiãt me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.

5. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cùm eo.

6. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter.

7. Videntes autem viri Israël, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugissent viri Israëlitæ, & quòd mortuus esset Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: venerúntque Philisthiim, & habitauerunt ibi.

8. Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboë.

9. Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis: & miserunt in Terram Philisthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.

10. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsam.

11. Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul,

12. Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsam: venerúntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi:

13. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

IN

IN CAP. XXXI. LIB. I. REGVM COMMENTARII.

Vers.1. *Philisthiim autem pugnabant aduersum Israel,& fugerunt viri Israel.*]

1. QVÆ hîc narrantur, omnia eodem penè modo repetuntur posteà,l.1. Paral.c.10. ex quo sumemus,si qua ad historiã plenam, atque dilucidam necessaria fore videbuntur. Hæc pugna accidit paulò postquàm Dauid à Palæstinorum acie digressus est,in qua ex Israelitide gente nemo fuit, qui non fuerit ab hoste cæsus,aut fugatus. Cædes autem maxima ex parte contigit in Gelboë.In his ceciderunt tres filij Saul,in quem deinde tota Palæstinorum moles incubuit;quem cùm tandem assecuti essent sagittarij, ad mortem vsque vulnerarunt.

2. Vers.4. *Dixitque Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum,*&c.]Vt Gẽtium more regnum administrabat Saul, sic etiam Gentiliũ imbiberat spiritus,& sensus.Sic enim fecisse legimus illorum aliquos,qui inter Gentes magnum sanctitatis,atque prudentiæ nomen consecuti sunt,vt ignominiam fugerent,quam viui, & sospites non videbãtur declinare posse.Pleni sunt antiquorum Annales illorum exemplis, qui ignobilem vitam cũ voluntaria morte permutarunt; aut seruitutem, quã timebant,aut gaudium de sua calamitate hostium suorũ occupauerunt, adacto in sua viscera mucrone.Quos tãdem idcircò ita celebrauit antiquitas,ac si aliquod dedissent inuictę fortitudinis & animi supra hęc humana sublati documentum. *Stultitia est*,inquit Seneca ep.70.*timore mortis mori. Veni,qui occidat,expecta, quid occupas? Quare susci pis alienæ crudelitatis procurationem? vtrùm inuides carnifici tuo,an parcis?*Hoc postremum spectasse videtur Saul,ne gaudendi Palæstinis occasionem præberet,ne illuderent capto,& tractato per ludibrium & ignominiam Rege,vile haberetur Hebræorum nomen.Sanè hoc intuebatur, vitaréque studebat Dauid,l.2.c.1.cùm dicebat de Saule, ac Ionatha peremptis:*Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircuncisorum.* Quare ne hanc, quam animo ignominiam conceperat, subiret,domestico maluit, quàm alieno gladio iugulum præbere, quasi hoc moriendi genus foret honestiùs.Meminerat credo Saul,quomodò Gens eadem illusisset Samsoni, cui effoderunt oculos, & alligatum pistrino molere fecerunt;& denique in Dagonis templo benè pastis,& potis ludus, & iocus fuit.Hoc ne sibi accideret,anticipata morte præuenit Saul.

Mortẽ optarunt multi, vt ignominiam euitarent.

3. Vers.4. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.*] Instabant, credo,Palæstini,& iam propè aderant; & nisi statim mortem properantem asciscret, acciperet priùs hostile ferrum, quàm acceptis iam ab hoste vulneribus interiret. Sua igitur manu peragere voluit,quod impetrare non potuit ab armigero:incubuit igitur in gladium,& vt exhalaret infelicem animam, alieno vulnere non indiguit.

4. Hic dubium incidit non leue, quod expediamus necesse est; An ex suo vulnere extinctus fuerit Saul, vel alienam sibi Amalecitæ manum ad extremum illud opus asciuerit. Neque leuis est dubitandi ratio,cùm l.2.c.1.statim audiamus,cùm iam esset animam acturus Saul,aduocatum esse adolescentem illum, à quo peremptus est, & per illius manus adducta fuisse ad Dauidem coronã, & armillam, quæ fidem facerent illius orationi, & à Saulis æmulo Regiæ necis debitum, & non vulgare pretium obtinerent.Ita Iosephus,& nonnulli ex Hebræorum magistris.

Veruntamen communis est sententia, suo sibi ferro Saulem attulisse mortem, non alieno. Ita Abulensis in l.2.Reg.c.1.q.5. vbi dicit, hanc esse sentẽtiam communem. Quod hoc modo probat: quia non priùs armiger seipsum interemit, quàm dominum suum occisum esse vidit; vidit autem occisum,statim atque in gladium offirmatum incubuit,v.4.& 5. At inter hunc Saulis in gladium incubitum,& aduentum,si quis fuit, Amalecitæ, aliquid moræ ex ipso dicendi genere interiectum oportuit.Deinde,quia si viueret armiger,cùm aduocatus fuit Amalecita,non sineret ab illius manu Regem occidi. Adde,quòd si gladio transuerberauit viscera,non potuit diu differri mors; neque,credo, id Scriptura sacra tacuisset, cùm de Saule alia minutiora longè tradiderit.

5. *Saul suo, nõ alieno gladio peremptus.*

Quid ergo ad verba Amalecitæ? Nihil sanè aliud,quàm egregiè fuisse mentitum, vt à Dauide gratiam eo artificio, ac simulato studio meliùs iniret. Ita communiter Interpretes, Theodoretus in l.2.Reg.q.1.Angelomus,Lyra, Dionysius,Serarius.Et quidem ipsa narratio Amalecitæ probat, ab illo non abfuisse mendacium, quando neque meminit gladij, in quem Saul moriturus incubuit;imò negat id, quod apertè Scriptura sacra docet, super gladium suum incubuisse Saulem. Cùm ergo constet illum in re tam aperta fuisse mentitum,quid de illius orationis tuenda fide laborare necesse est?Neque nouum est in Scriptura sacra,viros etiam iustos aliquando mentiri.Quod sub hęc tempora fecit non semel Dauid,& Achis, vt c.29.dicebamus. Neque Scriptura semper probat illa, quæ ab aliis narrata commemorat, quæ sanè ab illis esse dicta Canonica fides est; at esse vera,longè abest etiam ab historica fide.

6. *Amalecita mentitus cùm dicit à se Saulem interfectũ.*

Secundò dubitari posset; An Saul æternam quoque mortem subierit. Negant quidam Hebręorum,qui etiam laudant,quasi aliquid fecerit magnum, cùm pro Republica suæ credita fidei egregiè pugnauerit, neque in hoc extremo facto peccatum interuenisse putant;quibus aliquo modò Lyra subscribit,& adducit rationes, & exempla.Illæ satis videntur infirmæ: hæc non admodum faciunt ad Saulis excusandum peccatum. Quia qui seipsos occiderunt, & in Sanctorum habentur numero,fecerunt illud vel diuino aspirante afflatu, vt sæpè docet Augustinus;& cur in seipsos tam sæuirent atrociter, honestam causam habuerunt;neque tam id egerunt,vt priuatam effugerent ignominiam,quàm ne peccatis, quæ videbant sibi proposita,succumberent;siue vt Rempublicam aut augerent commodis, aut ab infortuniis liberarent,vt Samson Iudic.c.16.Vide Augustinum l.1. de Ciuit.c.26.& 27. At quæ causa fuit tam grauis, ac pia, quæque Deo potuerit es-

7.

se grata,quæ rei, à qua tantoperè recta ratio, & ipsa natura rerum abhorret, aliquam posset speciem honestatis obtendere ? Oppugnant hanc Hebræorum, Lyræque sententiam Burgensis, & Abulensis,q.10.quorum rationes omitto,ne longus sim,sicut & illas,quas pro Hebræorum sententia produxit Lyra. Vtrasque tu apud auctores
8. suos vide,quando ad manus habes. Ego duo dico: Alterum, ex quo Saul in ferrum incubuit,satis esse potuisse spatij, vt retractaret animo stultum, sceleratúmque consilium & peccatum illud ingens inducta pœnitentia deleuerit.Hoc certum est, neque vlla eget confirmatione, quia id Scriptura clamat sæpè, & apertissimè.Ezech. c. 18.v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam*, &c. & clamant sæpe Doctores,ac Patres. Vide Abulensem,
Saul condēnatus. q.10. Veruntamen quando hîc coniecturis agimus, & Saulis peccatum in extremo vitæ articulo legimus, & de illius pœnitentia nihil audimus,eò inclinamus, quò omnes penè Patres, & Doctores incumbunt, Saulem adacto in viscera mucrone,non temporariam solùm, sed æternam etiam mortem incurrisse. Ita Ambrosius in c. 9. ad Roman.Hieronymus in Ezechielem c.20.Bernardus serm.26.in Cāt. resurrecturum dicit Saulem,sed non ad vitam.

9. Et quidem grauissimum hoc esse peccatum nō nostri solùm,sed etiam externi & sentiunt,& docent. Vide Augustinum l.1.de Ciuit. à c.17. per
Grauissimū peccatum, seipsum occidere. alia plura.Cicero in somnio Scipionis docet, retinendum animum in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo est datus, ex hominum vita esse migrandum. Qua de re ibi multa Macrobius. Quod scelus sic detestabantur, vt qui sibi manus intulissent, indignos putarent honore sepulturæ. Sic Plato lib.9.de legibus,Aristoteles,Ethic.l.5.c. vltimo.Quod in suis fabulis expressērunt Poëtæ, dum illos,qui voluntariam mortem oppetierunt, sic in inferno constituunt, vt nulla inde emergendi potestas detur, aut spes relinquatur. De quibus sic Maro l.6.Æneidos.

Proxima deinde tenent mœsti loca: qui sibi lethum,
Insontes peperere manu,lucémque perosi
Proiecere animas.Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem,& duros perferre labores:
Fata obstant,tristique palus inamabilis vnda
Alligat,& nouies Styx interfusa coercet.

Sanè contra hos αὐτόχειρας grauissimæ sunt ab Imperatoribus indictæ leges, & ab Ecclesia non minùs graues,quæ hos iubet Ecclesiastica carere sepultura,& non aliter sepelire,quàm canes, aut asinos.

10. Vers. 5. *Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul,irruit etiam ipse super gladium suum.*] Eodem quo Saul spiritu, ne videlicet aliquam in morte subiret ignominiam, rogauit Iudic.c.9. Abimelec,vt idem faceret,quod à suo ité armigero Saul: *Euagina*, inquit, *gladium tuum, & percute me; ne fortè dicatur,quòd à fœmina interfectus sum.* Sed fuit euentus longè dissimilis : nam ille interfecit Regem,& infensas manus à seipso vulnerando continuit;hic tamen humanior abstinuit à suo Rege crudeles manus, & ne Regi suo superstes esset, quod à Rege continuit, in seipsum ferrū crudele cōuertit.Pium hoc alicui videri potuit;at certè scelere non caruit:& quod laudarūt tunc,& nunc etiam male non accipiunt, qui res expendunt, non diuina,sed humana,atque vulgari trutina,illud Deo gratum non fuit,quia iniussu suo animam de corpore, & de sua custodia emigrare non vult. Neque vlla apparet causa grauis, & honesta,quam in hoc casu plane funesto spectare potuerit hic armiger;nisi fortasse,vt Regiū oppeteret interitum,& laudem apud suos,& immortalem gloriam obtineret, quòd vitam Regi suo, reique publicæ largitus esset,& quòd ad mortem vsque seruasset pietatem,& fidem,quam in vita constanter eò vsque seruauerat. Sed sanè hæc omnia fuere vanissima, quæ neque spectare potuerunt diuinum aliquid, neque laboranti, & iam inclinatæ Reipublicæ subuenire;cùm magis, si qua esset spes vlla salutis,viuus,quàm mortuus prodesse posset occumbenti patriæ. Quare optimè concludit Abulensis, q. 11. graue ex illa voluntaria cæde Armigerum illum admisisse peccatum.

Sanè si hominum iudicia consulas, & ex illo- 11.
rum arbitratu rem totam expendas, dices hoc o- *Mors voluntaria ab aliquibus laudata, sed immeritò.*
pus æternis esse celebrandum encomiis;sicut alia ob eandem causam æternis videmus præconiis commendari. Sed aliud præscribit, qui auctor est & conditor vitæ, quam impendi non vult, nisi ipso iubente;neque tunc iubet,cùm nulla interuenit honestatis ratio, aut publica commoditas. Exempla occurrunt multa eorum, qui ideò nunc etiam post sæcula plurima commendantur,& viuunt,quod amicis,aut cōiugibus mortuis noluerunt esse superstites. Hos omitto,quia non difficilè studiosis occurrent. Illud dicam, quod ex eo quod communiter aut accidit, aut existimatur, dixit Maro l.9.de Eurialo,& Niso:

Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus,placidáque ibi demum morte quieuit.
Fortunati ambo,si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Quis fuerit hic armiger, incertum est.Quidam 12.
audaciùs,quàm litera permittit,Doeg Idumæum *Doëg Idumæus ab Hebræis existimatur armiger Saulis.*
esse putant,qui,vt diximus cap.22. Sauli aperuit, quomodò à Sacerdote Dauid fuisset exceptus,cuius gratia tot fuerunt extincti Sacerdotes. Ideò autem existimant Saule mortuo superstitem esse noluisse; quia patrono caruit, cuius auxilio euadere se posse credebat Dauidis gladium, quem propter Sacerdotum cædem offensum sibi magno suo merito arbitrabatur. Quare occupauit mortem,quam à Dauidis manu iam iam impendere sibi existimabat. Hæc ex traditione Hebræorum Hieronymus in tradit.Hebraicis. Sed hæ meræ sunt Hebræorum nugæ; neque video cur hæc magis de Doeg Idumæo, quàm de alio quouis ex Hebræorum genere confingant, nisi quia huius nomen ex Scriptura nouerant,aliorum præter admodum paucos ignorabant.Ego Doeg istum non militem,aut armigerum, quod eodē spectat, fuisse lego ; sed rei pecuariæ, seu armentariæ præfectum,qui c.21.v.7.potentissimus pastorum Saulis esse dicitur ; aut, vt alij legunt, Saulis mularum custos, hoc verò ministerium longè abest à militari negotio.

Vers. 6. *Mortuus est ergo Saul,& tres filij eius & armiger illius,& vniuersi viri eius.*] Propè deleta est vna die tota Saulis domus,& vniuersa progenies, quando ex quatuor filiis ex Regia coniuge susceptis, vnus tantùm fuit à cæde reliquus Isboseth. Nam ex concubina Respha duo alij fuerunt, qui l.2.c.21.in crucem acti sunt.Dicūtur autem mortui vniuersi viri Saulis, non quidem quotquot in exercitu fuerant;nam ex his multi dicuntur fugisse;sed omnes,qui erant domestici Saulis,vt viri aulici, qui illi erant assidui, & à Regio latere non recedebant:milites præterea prætoriani,quibus

bus denique circa Regiam perſonam vel cuſtodiendam,vel ornandam,aliquid erat negotij commendatum.

14. Verſ.7. *Videntes autem viri Iſrael,qui erant trans vallem,& trans Iordanem.*] Hi erant ex Tribu Ruben, Gad,& ex dimidia tribu Manaſſe, qui, vt ex Numer.c.32.conſtat, trans Iordanem in Galaaditide, & Baſanitide regione conſederunt. Qui etiam trans vallem habitaſſe dicuntur,quæ propter excellentiam ὀνομαστικῶς *Vallis* appellatur , quia vallis omnium nobiliſſima. Eſt autem vallis, vt ſuſpicor, Engaddi, quæ balſami eſt nobilitata prouentu,& eo nomine maximè illuſtris(quę proxima eſt mari mortuo , in quo olim fuere quinque ciuitates,& in illis totius mundi maximę deliciæ) & quia hic locus vallis erat, antequàm ciuitates illæ cœleſti deflagrarent incendio , & aquis opplerentur mortuis;& *vallis* etiam appellabatur, vt conſtat Geneſis c.14.vbi ſæpe *vallis* nominatur *ſylueſtris*. Hoc ergo nomen credo retinuiſſe,etiam poſtquàm fuit è cælo percuſſa : ſicut alia multa nomen retinuerunt antiquum , etiamſi nominis cauſa omninò perierit. Iſti igitur , qui trans Iordanem,trans illam nempe regionem Iordanis, quam vallis occupabat ſylueſtris , quia videbant Iſraelitarum caſtra aut cæſa fuiſſe,aut fugata ; neque vllam tunc in Iſraele vim eſſe tantam , quæ poſſet Philiſthinorum viribus vtiliter opponi; deſeruerunt vrbes , quas in valle coluerant , & in tutiora loca commigrarunt , in quas ſtatim,quia non longè aberant , Palæſtini ſucceſſerunt. Vbi hoc loco *trans vallem*, lib.1. Paralip. cap.10. eſt *in campeſtribus*. Sed eſt prorſus idem.

15. Verſ. 8. *Facta autem die altera venerunt Philiſthiim,vt ſpoliarent interfectos.*] Totum illum diem poſuerunt Philiſthini in cædendis , fugandiſque contrariis,quorum multi noctis beneficio euaſerunt incolumes. Vbi verò primùm illuxit , conuerſi ſunt ad caſtrorum,& cęſorum exuuias. Cùm autem è cæſorum corporibus ſpolia detraherent, Saulis inuenerunt, & trium filiorum ſtrata cadauera, quæ quidem ab aliis internoſcere difficile non fuit, propter ornamenta , quæ cum vulgaribus non debuerunt eſſe communia.Et quia aut aliquot fuerunt Iſraelitæ,qui in Palæſtinorum caſtris militauerant,ſicut ſuprà,cap.14.v.21.fuerunt cum Palæſtinis contra Iſraelitas Hebræorum non pauci;& his Saul, & eius filij, vt eſt veriſimile, ignoti non erant ;aut quia Palæſtinorum multi, vtpotè vicini , cum Iſraelitis familiarem habuerunt vſum, qui tam Saulem, quàm illius filios de facie norant.

16. Verſ. 9. *Et præciderunt caput Saul,& ſpoliauerunt eum armis , & miſerunt in terram Philiſthinorum.*] Quomodò inimicorum capita præfixa contis circumferri ſoleant ab hoſte victore, diximus ſuprà ad c.17.vbi Dauid idem feciſſe dicitur cum capite Goliath , ad cuius fortaſsè exemplum idem fecere Palæſtini cum capite Saulis. Circumtulerunt igitur caput per populos , vt illos exhilararent , cùm extinctum viderent hominem Palæſtini nominis inimicum. Quod item attulerunt ad templa, vbi maior erat hominum concurſus , qui & gratulabundi pro victoria magno ſtudio,atque frequentia confluxerant. Primo libro Paralipomenon additur , caput Saulis in templo Dagonis eſſe propoſitũ, vt triumpharet videlicet de Iſraelitarum Rege; quemadmodùm Dei Arca de Dagone deiecto ſæpe,atque confracto , cum magno Palæſtinorum dolore,atque ignominia ante triũpharat. Et quia præcipuus erat Palæſtinorum Deus,præcipuo dono,capite videlicet Regio , ornare voluerunt.Sic olim idem populus in Dagonis templum Samſonem induxit,vt quanto prius ille conciſis Philiſthinorum plurimis Dagonem contriſtarat;ſic etiam poſteà captiuus , cæcus , & variis illuſus modis oblectaret. Fecit poſteà Machabæus lib.1. cap.7.v.47.aliquid ſimile,cùm caput , dextrámque Nicanoris ſuſpendit contra Ieruſalem , ſicut Dauid Goliath caput antè ſuſpenderat,cap.17.v.54.

Gentilium diis præcipua ſpolia conſecrata.

Verſ. 10. *Et poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth.*] Mos antiquus fuit non ſolùm apud Gentiles, in quibus etiam numerantur Palæſtini ; ſed etiam ſuper religioſos,Deique veri cultores, ſpolia quædam in templis ſuſpendere , quæ perpetuò prædicarent aliquam à Deo conceſſam eſſe victoriam : ſicut etiam acceptæ libertatis , inſtauratæ valetudinis , & conſeruatæ vitæ extare voluerunt in templis , in votis , ac muneribus æternum monumentum.Sanè quod ad Gentes pertinet, mille habemus exempla. De his , qui vel à morbis, vel à tempeſtatibus, aliiſque vitæ periculis,deorum, vt ipſi ſibi perſuaſerant , auxilio liberati ſunt,eſt illud Tibull. eleg.1. ad Iſidem. 17. *In templis dona ſuſpenſa.*

Nunc dea nunc ſuccurre mihi ; nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Cicero lib.2. de natura Deorum : *Tu qui deos putas humana negligere, non animaduertis ex tot tabulis pictis,quàm multi vim tempeſtatis effugerint , in portumque ſalui aduenerint?*De ſpoliis in deorum templis eo nomine ſuſpenſis , vt illi auctores , & auſpices exiſtimentur eſſe victoriæ, & illa ſint quaſi ſacra quædam monumenta , innumera habemus teſtimonia. Eſt apud Demoſthenem oratione in Neæram hoc carmen , quo Pauſanias victoria de Medis reportata,eorum ſpolia conſecrauit Apollini:

Græcorum ductor Medos qui perdidit hoſtes
Pauſanias Phœbo conſecrat exuuias.

Liuius lib.10.*Tanta ſpoliorum multitudo fuit, vt nõ templum tantùm Quirini, forúmque his ornaretur , ſed ſociis etiam , colonisque finitimis ad templorum ornatum diuiderentur.* Appianus in Annibalicis : *Cum armis egerent Romani,quæſita aliis bellis , & ad decus affixa templis ſpolia detraxerunt.* Hanc conſuetudinem Gentibus familiarem indicauit Maro lib.7. Æneidos:

Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus,curuæque ſecures,
Et criſtæ capitum,& portarum ingentia clauſtra,
Spiculáque,clypeique,ereptáque roſtra carinis.

Ex ſacris habemus exẽpla non pauca. Notum eſt, quomodò Dauid gladium Goliath,& Iudith Holophernis conophæum Domino dedicauerint,ille in Tabernaculo,hæc in Templo.Et quod nunc fecerunt Philiſthini , vt in templo idolorum Saulis ſtatuerent , & conſecrarent arma ; aliquid etiam fecerant non diſſimile ſuprà cap. 6. vbi Arcæ victrici anos , & mures aureos conſecrarunt. Hoc, aut aliquid ſimile præceperat Dominus , Numer. cap.39.v. 28. Quod præſtiterunt deinde victores Hebræi ibidem v. 49. *Noſ ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum , quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini,quod in præda auri potuimus inuenire; periſcelides,& armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas.* 18. *Deo à victoribus oblata dona.*

Corpus verò ſuſpenderunt in muro Bethſan.] Hoc regij cadaueris fuit inſigne ludibrium : propoſitum enim fuit in loco ſublimi,ac publico, vbi nõ 19.

à ciui

à ciuibus solùm, sed etiã à prætereũtibus spectari posset; quod cùm esset exanime, fœdum, horridũ, & tabe iam solutum, ac defluens, non poterat esse Regio nomini ad contumeliam & toti populo Hebræorum ad dolorẽ non grauissimum. Hæc summa est suppliciorum ignominia, & quasi dedecoris à lege constitutus cumulus; cùm sicarius, aut latro, postquàm actus est in patibulum, in triuiis proponatur, vt illius ab omnibus spectetur turpitudo, & vilitas, & sceleratæ vitæ memoria renouetur. Cùm Saulis cadauere suspensa quoque fuisse filiorum corpora ex eo liquet, quod statim viri Iabes de muro Besan deposuisse dicuntur nõ Saulis solùm, sed filiorum corpora.

20. Vers. 11. *Quòd cum audiissent viri Iabes Galaad.*] Hi sunt, quos in principio regni sui, duobus ante hunc articulum annis liberauit Saul à Naas Ammonitarum Rege; cuius beneficij cùm grata esset recẽnsque memoria, vt vicem aliquam rependerent illi, à quo libertatem, & vitam accepissent; surrexerunt ex ea ciuitate viri fortissimi, & nulla totius noctis assumpta quiete, antequàm per lucem aliquod ab hostibus impedimẽtum oriretur, sublata corpora tulerunt in Iabes; & cùm detractas ex ossibus carnes, quarum fœtorem tolerare non poterant, ibi combussissem, ossa nuda, quibus odor adeò teter non erat, sepelierunt in nemore Iabes. Additur lib. 1. Paralip. cap. 10. sepultum subter quercum, quæ erat in Iabes; quæ videtur esse aut magnitudine, aut specie nobilis; quasi specioßissimus locus in eo nemore electus esset pro Regia sepultura. Vbi absque dubio erecta fuit aliqua aut superba, aut speciosa moles, qualis & Regium nomen, & gratos Iabensium, ac liberales animos decebat; licet de his nihil Scriptura sacra tradat. Illis porro temporibus, antequàm pro Regiis corporibus instituta essent pro Regia dignitate magna mole, ac opere magnifica sepulchra, honestissimus locus pro Regum, ac Principum sepultura videtur esse in nemoribus, ac lucis, imò & sub quercubus; quemadmodum Saulis cadauer aut ossa potiùs nuda à Iabesitis condita sunt. Sanè Debora Rebeccæ nutrix, Gen. 35. v. 8. *Sepulta est ad radices Bethel subter quercum, vocatúmque est nomen loci illius quercus fletus.* Et in lucis, ac montibus condi solita, ibique excitari monumenta, & titulos, qualia à Iabesitis videntur ad Saulis memoriam excitata, docet illud lib. 4. Reg. cap. 23. v. 16. *Et conuersus Iosias vidit ibi sepulcra, quæ erant in monte, misitque, & tulit ossa de sepulcris, &c. & ait; quis est tumulus ille, quem video? Responderuntque ei ciues vrbis illius; sepulcrum est hominis Dei.*

Honesta sepulcra olim in montibus.

21. Vers. 12. *Et combussérunt ea ibi.*] Contendit hoc loco Abulensis ex sententia Rab. Dauid, carnes Principum virorum (nam de vulgaribus cadaueribus alia ratio est) comburi solitas, ne putrescerent, & grauem ex se fœtorem emitterent; ossa verò, quæ à tabe, & vermibus libera sunt, mandari sepulturæ. Quod probari posse putat ex Saulis, filiorúmque cadaueribus, quæ igne ita dicuntur fuisse combusta; vt tamen ossa fuerint sepulta, quę deinde ex Iabes Galaad in paternum sepulcrum in terram Beniamin translata fuerunt à Dauid, 2. Reg. cap. 21. v. 12,

22. Hæc Abulensis cogitatio non omninò soluta est, quę maximè nititur Saulis exemplo, quem sepultum esse constat, atque combustum. Quod ego neque negare possum, neque videor, quomodò inficari quisquam possit, contrà nitente, atque clamante litera. Sed est in Saulis, filiorúmque cadaueribus noua ratio, ex qua nullo modo coniecta-

Quomodò Hebræorum corpora cremari dicantur.

re licet solenne fuisse, atque legitimum, comburi carnes, & ossa sepeliri. Nam cùm aliquot dies, vt necessarium videtur ex historia, cadauera illa pependissent in muro, aspirabant iam grauem aliquem, & intolerabilem halitum, quem nec ipsi, qui ex muro sustulerant, ferre possent, neque alij ad carnes illas Regij cadaueris fœtentes, & putridas, exequiales honores obire sustinerent. Quare commodum visum est, imò & necessarium, nudare carnibus ossa, quibus in patria Regio more parentarent; & carnes incendio consumere, ne quid secum tetrum, & fœtidum adducerent, quod Regi futurum esset ignominiæ. Exemplum habes simile Amos cap. 6. v. 10. vbi cremata dicuntur corpora, vt ossa offerrentur. Vide quæ nos ibi. Nam hæc eadem ostendit verbis ita clarè significantibus Amos, vt nemo, meo iudicio, de hac nostra cogitatione dubitare possit. Cùm enim ageret de hominibus, qui in domibus aut fame, aut tabe perierunt, quos amici, aut cognati mandare volent sepulturæ; quod pietatis, ac funeris officium grauiter olenti cadaueri præstare non poterunt, nudabunt priùs carnibus ossa, quas igne comburent, vt deinde ossibus nudatis honores impendant parentales. Sic autem ibi Amos: *Quod si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur. Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum; vt efferat ossa.* Vbi plura adduximus in hanc sententiam, & hunc locum, quem modò versamus, pluribus exposuimus. 23.

Alia exempla, quæ in suam sententiam adducit Abulensis, minus habent negotij: nam, vt ipse de illorum nonnullis arbitratur, alios habent explicatus non difficiles. Quæ antequàm explicare, atque infirmare aggredior, obseruo, vsitatum esse, ac penè legitimum, in funere maximè nobilium ad opprimendum molestum halitum, quem ex se caro exanimata reddit, vngi solere liquore nobili ac pretioso cadauer, & cum illo pretiosa quoque aromata cremari. De vtroque exempla occurrunt penè innumera tam in sacra, quàm in profana literatura. De profana est illud Virgilij de Miseno lib. 6. 24.

In funere odores cremati.

Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olino.

Apuleius l. 4. Florid. *Iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa: iam os ipsius vnguine odore delibutum.* Statius 3. Sylu.

——Quis carmine longo
Exequias, & dona male feralia pompa
Perlegat? Omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptáque templis
Thura.——

Iuxta hunc morem Persius satyra 6. de hærede offenso ait:

——Sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaueris: vrna
Ossa inodora dabit.——

De sacris est in primis illud Ioan. cap. 19. v. 39. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centum.* Quod esse quasi legitimum Iudæis, docet statim, dum addit: *Sicut mos est Iudæis sepelire.* Et de Asa, 2. Paral. 16. v. 4. *Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid; posuerúntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combussérunt super eum ambitione nimia.* Ex his explicari posse videtur illud Paralip. 2. c. 21. v. 19. de Ioram: *Mortuus est in infirmitate pessima, & non fecit* 25.

Iudæi funeri aromata adhibent. Ioan. 19. 2. Paral. 21.

fecit ei populus secũdum morem combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius. Vsitatam esse dicit combustionem,& quasi nouum aliquid,ac nouum indicatur,quòd non in regiis exequiis combustionis modus seruatus sit; cùm tamen Reges fermè omnes constet non fuisse combustos, sed terræ mandatos.Hinc credo,non difficilè constat, quid sibi Ieremias velit,cùm denunciat hoc loco Sedeciæ: *Secundùm combustiones patrum suorum*, &c. *sic comburent te:* id est,comburentur in tuo funere,regio more,ac magnificentia,aromata varia, & cadauer tuum delibutum vnguentis inferetur se-
26. pulchro. Neque illud *comburent te*, admodùm vrget: quia Hebraicè, vbi Vulgatus reddidit, *te*, est לך *lach*, in datiuo:quasi dicat,comburent tibi captiui Iudæi, aut iam magis pacati, atque benigni Babylonij aromata varia,sicut aliis Regibus,integra Republica, Iudæi cremare consueuerunt. Quare non cremantur Iudæorum cadauera, sed in eorum exequiis,& funere thura cremantur, & suffimenta alia.Deinde, quia non rarò alicui tribuuntur illa,quæ magis in illud,quod eius causa, aut in eius honorem, & gratiam fiunt, conueniunt. Quomodò dicimus bibere aliquem, in cuius honorem tot hauriuntur cyathi, quot syllabis eius constat nomen. Accipe ex multis vnum,aut alterum exemplum. Martialis lib.1. Epigrammatum epigram.39.

REGVLA. *Alicui tribuuntur, quæ in id magis conueniunt, quod in eius gratiam fit.*

Nauia sex cyathis, septem Faustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.

Idem esse credo de ferali cœna, quæ in mortuorum exequiis porrigebatur iis, qui officij, atque honoris gratia funus obibant. Sanè ita olim loquebantur Hispani;qui *comedi mortuum* tunc dicebãt, cùm feralibus,de more,epulis accumbebant: sic ergo nunc comburi dici possunt mortuorum cadauera, cùm in illorum inferiis aromata cremantur.

27. *Et ieiunauerunt septem diebus.*]In funere suorum, aut eorum,in quos benefici esse vellent, & grati, solebant Iudæi ad alias plures ceremonias penè legitimum adhibere ieiunium, tum vt aliquod doloris argumentum ederent, tum vt ea corporis afflictio mortuorum animabus aliquod esset leuamentum.Sic sanè fecit Dauid pro Saule, & Ionatha, cùm illorum mortem primùm accepit, 2. Reg.cap.1. & iterùm pro Abner 2.Reg.cap.3.Cur verò septem diebus Iabesitæ præter aliorum consuetudinem ieiunauerint, ea videtur esse ratio; quia multa videbant Regium illud cadauer passum esse ludibria, quæ illorum animos ægrè admodum affecerant; atque ideò honore illo funebri, & septemdiali addito ieiunio reficere voluerunt, quæ illa tanta, támque publica ignominia detraxerat.Tum etiam,quia illius studio singulari acceptum referebant, quod liberi, & quod salui viuerent; neque oculi dextri ab Ammonitarum Rege forent effossi.

Quomodò Hebræi suis parentarẽt.

Hic finis est libri 1.Regum, quem terminauit, 28.
qui animalis vitæ terminus est; nempe mors Regis,qui quandiu diuino imperio obsecutus est,nihil tentauit, quod non illi succederet ex voto: quando verò suo se cœpit arbitratu regere,& suæ prudentiæ, diffinitionique confidere, infirmatæ sunt vires,erepta mens, & qui diuino ducebatur, diabolico cæpit exagitari spiritu, & ex alio in aliud infortuniũ,& dedecus præceps abripi, donec tandem, quo nihil est in hoc mortali statu miserius, in seipsum crudelior fuit, quàm vllus vnquam anteà iuratus hostis. In lib.1. Paralip. cap. 10. in fine, huius extremæ calamitatis causæ assignantur: illæ videlicet, propter quas à regno deturbatus est, quia videlicet quod illi à Domino per Samuelem iniunctum fuerat negotium, non impleuit. Et addit extremum illud peccatum, quod proximè, pridie videlicet ante mortem, admiserat Pythonissa consulta. Quod genus quoddam idololatriæ fuit, propter quod dicitur non sperasse in Domino; quia id,quod à diabolo, spiritúque pythonico accepisset,quasi diuinum foret oraculum,sibi reíque publicæ futurum arbitrabatur ex vsu.

Saul cur à vita, & regno deiectus.

Postremum hoc peccatum mortem videtur ac- 29.
celerasse, quam in aliud fortasse tempus Deus distulisset, nisi peccatorum accessisset hic cumulus, qui segniùs obrepentem mortem adactis instimulasset aculeis,& ad crastinum à Pythonica cõsultatione diem inuitasset. Quod indicat litera; indicat,inquam, non suadet, dum ait, enumerato hoc extremo scelere: *Propter hoc interfecit eum.* Certè cùm aliud admisisset simile peccatum Ochosias, illud Dominus morte mulctauit, 4.Reg. 1. *Ægrotauit,*(Ochosias) *misitque nuncios, dicens ad eos: Ite,consulite Beelzebub deum Accaron,vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac.* Cui respondit Dominus per Eliam: *Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quem ascendisti,non descendes: sed morte morieris.* Descensurus erat Ochosias sanus è lectulo,vt verba hæc nõ obscurè docent; & multò clariùs statim, vers.16. Sed quia de valetudinis euentu ab Dæmone sciscitatus est oraculum, huius impietatis, erepto regno, ac vita, pœnas dedit. Sic arbitror victurum Saulem fuisse, regnumque habiturum esse diutiùs;sed quia ad omnia peccata hoc extremum adiecit, *interfecit eum Deus, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.*

Consultus diabolus vitam eripit.

Quæ profana tempora cum hoc tempore sacro concurrerunt.

30. HOc primo libro ea continentur,quæ ab Heli Sacerdote,& Samuele, qui illi proximè in populi præfectura successit; ac denique quæ à Saule, qui primus omnium Regium nomen, & dignitatem obtinuit,gesta sunt. Cùm autem Heli Sacerdotis, & Iudicis alibi non inueniatur memoria,licèt ad Iudices pertineat, in Regum tamẽ librum coactus est, quia illius hoc tantùm loco nomen,mores,& institutũ audimus: sic etiã illius præfecturæ annos,licèt de plerisq; eorũ nihil hîc, aut alibi Scriptura tradiderit,in hũc librũ,& ordinẽ conferemus.Iudicauit autẽ Heli Israel,Iudex & Sacerdos,annos quadraginta, 1.Reg.4.v.18. licèt Septuaginta illius præfecturã annis tãtùm viginti definiant.Annis totidem Samuelis, & Saulis imperium circumscriptum est,vt docet Paulus, Act. cap.13.v.21. Cùmque Saulis morte primus iste liber conclusus sit, constat octuaginta annorum spatio definiri. Nunc ergo videndum, in quod tempus aut sacrum,aut profanum, quæ hîc à tribus hisce Principibus facta commemorantur, inciderint. Id quod fecit Magister histor. Scholast. & Abulensis, cùm huius primi libri expositionem absoluerunt. Video hac in re multa esse incerta

In qua profana tempora libri huius historia incurrit.

incerta, obscura vestigia, dubias coniecturas, atque ideò in hac temporum serie, regnorúmque concursu nihil certum asserimus, nihil quasi indubitatum definimus; sequemur tamen eos, quibus in hac re Chronologica maior habetur fides, in quorum numero primus erit Eusebius.

31. Cepit Heli iudicandi populi præfecturam anno ab orbe condito, vt numerat Abulensis in fine huius libri primi 2866. Ioannes Lucidus 2810. Genebrardus 3026. Iacobus Gordonius 2838. Tornielus 2900. Eusebius 4045. Quis quæso spatia tam disiuncta componat? Quis iudicia toto, vt aiunt, cœlo dissidentia conciliet? Illorum iudicia attigisse sat fuerit, conciliare longi esset, difficilisque negotij; neque illud mihi in præsentia assumo; alio fortasse tempore tentabo. Tantùm dico, quæ profana tempora in hoc sacrum, vt ita dicam, tempus incurrerint.

32. Quo tempore iudicauit Heli, Ascanius, & eius frater Æneas Syluius regnasse creduntur in Italia. Nam paulò antè eò appulerunt Troiani euersa à Græcis Troia, quæ sub Sãsone Iudice tota periit. Hoc tempore contigerunt fabulosa illa, quæ antiquorum impleuerunt historias, vel potiùs Poëtarum fabulis materiam præbuerunt; qualia sunt, quæ de Æneæ in Itam appulsu, de erroribus Vlyssis, de Oreste, ac Pylade, de mille aliis Græcorum, Troianorúmque Principibus, qui Troiana tempora consecuti sunt.

33. Sub Samuele, & Saule contigere fabulosa plurima, quæ proxima fuere Troianorum exitio, quibus plena Poëtarum scrinia. Desinit Sicionium & Micenæum regnum, incipit Corinthium. Varia inter Peloponnenses, Athenienséque certamina. Codrus pro patria, quam victricem fore didicerat, si ipse caderet, mortem vltrò oppetiit, & moriens aliis saluti fuit. Quidam sub hæc tempora vixisse Homerum putant; sed longè videtur fuisse posterior.

IN LIB

IN LIBRVM II. REGVM COMMENTARII.

LIBER hic ſecundus meliora Iſraëlitici populi; id eſt, Dauidici imperij tempora complectitur, quæ ad extremam Dauidis diem, ad extremam ſaltem ſenectutem, & morti proxima limina deducit. Vt enim primùm extinctus eſt Saul, delatum eſt regnum ad Dauidem, qui iampridem ad illud per Samuelem à Domino deſignatus fuerat, & oleo ſacro ad ſacrum illud nomen delibutus. Quare in hoc libro, qui quadraginta annorum ſpatia complectitur, nihil audimus præter Dauidem, aut quæ ad Dauidis pertinent cogitationes & opera. In quo multa occurrunt & auditu, lectúque iucunda, & vtilitate præclara, digna denique, quæ ad ſe trahant piarum mentium, & ſubtilium ingeniorum auidum, atque ardens ſtudium. Illa nos, Deo vtinam probante, explicare aggredimur; ad quorum cognitionem, & lucem, diuini Spiritus cœleſte lumen imploramus, aduocamúſque B. Virginem, quam nobis ad tam arduum, longúmque negotium tutelarem, & patronam optamus; necnon Dauidem ipſum, in cuius explicandis conſiliis, ac geſtis noſtra verſatur Commentatio: Beatúmque Patrem meum Ignatium, & ſocium eius, itémque Patrem meum B. Franciſcum Xauerium, quorum in laboribus aliis expertus ſum & beneuolum animum, & paratum auxilium.

IN CAP. I. LIB. II. REGVM, *ARGVMENTVM.*

CVm poſt Amalecitarum cladem, & ab illorum manibus ereptam prædam, moraretur Dauid in Siceleg, tertia die à Saulis, filiorúmque morte venit ad Dauidem de Gelboë nuncius, qui retulit occiſum eſſe Regem, & Hebræorum cecidiſſe plurimos, & alios ignobili ſe fugæ tradidiſſe. Dixit hoc nuncius verè; ſed vt à Dauide aliquam iniret gratiam, & ex iucundo (vt ipſe exiſtimabat) nuncio, aliquod captaret lucrum, hiſtoriæ veræ aliquod intexuit veriſimile mendacium: dixit enim ſe Saulis ipſius rogatu, illi attuliſſe mortem, quod planè falſum fuit: illud verò verum à Saule detractam eſſe coronam, & armillam, quibus Dauidi fidem faceret de interfecto Saule. Longè tamen aliter accidit, quàm putabat nuncius Amalecitá: fleuit enim Dauid, ſciditque veſtes audito Regis infœlici caſu: & nuncium ipſum, quem necis exiſtimabat eſſe reum, occidit. Deinde, quomodò potuit, abſenti exequias impendit, in quibus longum edidit, & omni artificio elegans Epicedium.

CAPVT PRIMVM.

1. FActum eſt autẽ, poſtquam mortuus eſt Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec; & maneret in Siceleg duos dies.

2. In die autem tertia apparuit homo veniens de caſtris Saul, veſte conſciſſa, & puluere conſperſus caput: & vt venit ad Dauid, cecidit ſuper faciem ſuam, & adorauit.

3. Dixítque ad eum Dauid: vnde venis? Qui ait ad eum: De caſtris Iſrael fugi.

4. Et dixit ad eum Dauid: Quod eſt verbum quod factum eſt? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui ſunt: ſed & Saul, & Ionathas filius eius interierunt.

5. Dixítque Dauid ad adoleſcentem, qui nunciabat ei: Vnde ſcis quia mortuus eſt Saul, & Ionathas filius eius?

6. Et ait adoleſcens, qui nunciabat ei: Caſu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam: porrò currus

rus & equites appropinquabant ei.

7. Et conuersus post tergum suum, vidénsque me, vocauit. Cui cùm respondissem: Adsum.

8. Dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum.

9. Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est.

10. Stánsque super eum, occidi illum: sciebam enim quòd viuere non poterat post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite eius: & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.

11. Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnésque viri qui erant cum eo.

12. Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quòd corruissent gladio.

13. Dixítque Dauid ad iuuenem qui nunciauerat ei: Vnde es tu? Qui respondit: Filius hominis aduenæ Amalecitæ ego sum.

14. Et ait ad eum Dauid: Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum Domini?

15. Vocánsque Dauid vnum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est.

16. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.

17. Planxit autem Dauid planctum huiuscemodi super Saul, & super Ionatham, filium eius.

18. Et præcepit vt docerent filios Iuda arcum: sicut scriptum est in libro Iustorum. Et ait: Considera Israël pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.

19. Inclyti, Israël, super montes tuos interfecti sunt: quo modo ceciderũt fortes?

20. Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum.

21. Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.

22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathæ numquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis.

23. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.

24. Filiæ Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est?

26. Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum; ita ego te diligebam.

27. Quo modo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

IN CAP. I. LIB. II. REGVM
COMMENTARII.

Vers. 1. *Factum est autem, postquàm mortuus est Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies.*]

1. IN eodem tempore, quo Saul postquàm à Pythonico spiritu oraculum rogarat, cum tota familia, & sua, & Palæstinorum manibus occubuit, subiitque cum ignominiosa morte alia plurimà à triumphante, atque illudente populo ludibria; consulto Domino Dauid, & illo responsa reddente per Ephod, victoriam reportabat de hoste Amalecita, redibátque cum populo iam libero, atque hilari, & triumphali voce personante, *Io victor Dauid, Io triumphe. Hæc est præda Dauid.* Vide quàm consilium dissimile, quàm dispar exitus. Tertia igitur die postquàm lætus, & oneratus præda rediit in Siceleg, nuncium accepit, triste quidem, quia attritæ cum ignominia fuerant vires Israël: at si priuatam commoditatem spectes, non iniucundum, cùm sublatus esset hostis, cuius metu, extorris ipse à patria vitã agebat aut syluestrẽ, & horridã, aut inter Gentiles, & Israelitici nominis inimicos; & oblatum regnum, quod infensissimi hostis impurissima vita in alios atq; alios dies differebat.

Vers. 2. *Apparuit homo veniens de castris Saul veste concissa, & puluere conspersus caput.*] De hoc nuncio varie sentiunt auctores, aut potiùs varia Thalmudistæ somniant, & Hebræorum magistri. Auctor Antiquitatum Biblicarum, qui falsò Philo fuisse dicitur, filium dicit Agag Regis Amalec, qui à Saule priùs reseruatus, deinde à Samuele interfectus est, suprà cap. 15. Ad quem Saul iam excepturus ferrũ sic locutus traditur: *Antequàm mortifices me, nuncia mihi quis es. Et dixit ei ille: Ego sum filius Agag Regis Amalecitarum. Et dixit Saul: Ecce venerunt super me verba Samuelis, quomodo dixit, qui natus fuerit de Agag, erit tibi in scandalũ. Vade autem, & dic Dauid: Ego occidi inimicũ tuũ, & dices ei: Hæc dicit Saul, non memor sis odij mei, neque iniustitiæ meæ.* Hæc ille Pseudo-Philo, ex Thalmudistarũ, vt opinor, cõmentis. Alia plura dicit tũ de Agag, tum

2. *Nuncium mortis Saulis filium Agag Hebræi esse putant.*

tum de illius filio, quæ nos suprà ad cap. 15. produximus; quæ tu vide. Ex Hebræis quidam Doeg Idumæum esse putant; neque aliâ, opinor, adducuntur ratione, nisi quia huius ex domesticis Saulis nomen agnoscunt. Alij Doeg filium, cui pater, quem armigerum fingunt esse Saulis, antequàm cruentas sibi manus afferret, armillam tradidit, & coronam Regis, quæ, vtpotè Dauidi bene nota, persuaderent ipsi ab illo interfectum esse Saulem, qui illa referebat è castris. Qui Amalecitam se esse dixit, non Idumæum, aut Idumæi filium, ne agnosceretur filius esse Doeg, & maiorem à Dauide propter lætum nuncium gratiam iniret. Hæc illi. Vide Hieronymum in traditionibus Hebraicis.

Alij Doeg, aut eius filium.

3. Ego hunc virum, siue Amalecita sit, siue Idumæus, aut etiam Palæstinus (quis enim homini de patria credat, quem in aliis deprehendit esse mendacem?) in tota hac narratione nihil dixisse puto, nisi ad suam vtilitatem artificiosè cõfictum. Qui fortasse in Palæstinorum castris militabat, & se Hebræorum simulabat adhæsisse partibus, vt euangelia à Dauide extorqueret splendida, de cuius gloria sese credebat esse egregiè meritum. Cúmque neque huic de se ipso, neque Hebræis qui cæcis errant vestigiis, de huius genere, ac patria credendum sit, neque id valde didicisse interesit; nihil hîc affirmo, affirmaríque posse credo, in quo possit studiosus Lector acquiescere.

4. Illud hîc obseruandum, antiquissimum esse morem, quem nostra etiam ætas vbique penè gẽtium seruat, afferri à nunciis signum aliquod, siue in literis, siue in corporis habitu, ex quo ante datas literas, aut rem à tabellario, seu nuncio narratam, qualis fuerit rerum euentus, quiuis intelligeret, venire, qui nunciaret læta, cum lauro; seu, quod idem est, cum laureatis literis, res est notissima. Exempla habes plurima apud Alexandrum Neapolitanum lib. 1. Genial. cap. 27. Plinius lib. 15. *Laurus Romanis præcipuæ lætitiæ, victoriarúmque nuncia additur literis.* Iulius Capitolinus in Maximino: *Statim Romam laureatas literas misit, quæ in vrbe ingentem lætitiam fecerunt.* Lucullus laureatam nauem, post deuictum Mitridatem: Sic etiam qui triste aliquid nunciaturi aut vltrò veniebant, aut ab aliis mittebantur, aliquod secum afferebant tristitiæ documentum. Quale Thesæi pater Ægeus proponi iussit in naui ex Creta reditura, si filio aliquid accidisset aduersi, velum nempe nigrum, vt docet Plutarchus in Thesæo. Sic Tyriotes quidam cùm ad Darium de vxoris morte triste nuncium afferret, ingressus est ad illum, vt auctor est Curtius lib. 4. cũ veste discissa. Hoc idem fecit apud Hebræos ille, qui suprà cap. 4. nunciauit Heli occisos esse filios, & captam Arcam: venisse autem dicitur, v. 12. *scissa veste, & conspersus puluere caput.* Norat hanc Hebræorum consuetudinem veterator iste, & verus, aut simulatus Amalecita, qui dolere se simulat de Israëlis clade, cùm fortasse illi nihil posset accidere iucundius.

Nũcij signũ secum ferũt, rebus quæ narrantur consentanea.

Literæ laureatæ.

5. Vers. 6. *Casu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat super hastam suam.*] Iam sese produnt huius seu veri, seu pseudo-Amalecitæ mendacia. Ait enim inuentum fuisse Saulem incumbentem hastæ; id est, vt explicant Caietanus, Dionysius, Interlinearis, & alij, innixus erat hastæ, quia neque se mouere poterat, neque pedibus consistere. Quod propriè valet verbum Hebraicum סמך *saan*, quod *sustentare* significat, eo modo quo quis sustentatur baculo; Vnde משען *misaan*, *baculus*. Et idem omninò valet vox Græca ἐπεστήριξτο, qua vsi sunt Septuaginta. At constat Saulem corruisse super gladium suum, neq; potuisse eo tempore firmare languidum, & vulneratum corpus super hastam, quando venit hic adolescens; alioqui non sua se, sed aliena manu peremisset, quando aderat ille, qui quod armiger noluit, non grauatè præstaret. Neque præterea minùs esset Sauli turpe ab Amalecita, quàm à Palæstino perimi, cùm vtraque natio inimica esset Hebræorum Genti, & vtráque incircuncisa; ab incircuncisis autem occidi horrebat Saul, vt suprà vidimus cap. 31. vers. 4.

Nuncius mortis Saulis in sua narratione multa mentitur.

Vers. 8. *Et dixit mihi, quisnam es tu? Et aio ad eum, Amalecites ego sum.*] Hîc duo video, quæ non valde hunc adolescentem liberant à mendacio. Primò, quia si vrgebant propè hostes, & currus, & equites ex hostilibus castris appropinquabant, non substitisset Amalecites, qui fuga sibi salutem quærebat, cùm vocaretur ab homine, eo fortasse tempore ignoto; neque fugam intermitteret, in qua de vita non minùs agebatur, vt armillam, & coronam acciperet. Deinde, quia si Saul appropinquare videbat currus, & equites, nollétque ab hoste incircuncisо opprimi, non sollicitus esset de illius genere, ac patria, cui esset iugulum porrecturus; neque facilè Amalecitæ ferro se summitteret, qui neque minùs erat odiosus, aut vilis, quàm Philisthæus. Hæc minùs bellè conueniunt in huius adolescentis narrationem, licèt non desit quid huic obiectioni non incommodè responderi posset. 6.

Vers. 9. *Sta super me, interfice me, quoniam tenent me angustiæ: & adhuc tota anima mea in me est.*] *Sta super me*, idem est atque *irrue in me.* Facit Amalecites iste mendacium suum verisimile, dum in eo statu Regẽ cõstituit, in quo mors alioqui horribilis illi esset optabilis, quia dolorib. cruciabatur ingentibus, & angores illius animum maximè torquebant. Illud *tota anima in me est*, secundùm vulgi cogitationẽ, & errorem, in quo fortasse erat Saul, dictum est; quia ille putabat animam, quasi magnitudinem haberet, & partes, non totã simul, & in momẽto temporis excedere de corpore, sed corporis partes ab animę partibus alio atque alio temporum momento deftitui: in hoc saltem errore fuisse videtur Amalecita, qui Sauli hæc verba mendaciter attribuit, & iuxta suam cogitationem, & sensum locutum dixit esse Saulem. Et hoc mihi probabilius. Aut fortasse dictum est à Saule, totam in ipso animam esse, quia nihil animæ; id est, eorum, quæ ab anima corpus habet, stupor, aut metus abstulerat. Sed acer erat sensus doloris, quem augebat dedecoris ab illudente turba acerba cogitatio. Quocircà à vulnerato corpore, & ab ægro animo abesse non poterant angustiæ. 7.

Vers. 10. *Sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam.*] Iuxta ea, quæ falsò dixerat hic Amalecites, nondum in terram ceciderat Saul, sed innixus erat hastæ, quasi qui labentem corporis molem baculo sustentat: ruisse tamen dicitur, aut subiisse ruinam, quia tam ipse, quàm res Israelitica, in illo diro, atque fatali certamine irreparabili vulnere percussi collabebantur. 8.

Varia Regũ insignia.

Et tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillæ de brachio illius.] Ad tempus vsque Saulis, qui primus omnium Regia potestate, ac nomine Israelitidem gentem moderatus est, nullus, quod ego viderim, coronam, aut armillam, aut vllum publicæ illius præfecturæ symbolum, aut insigne gestauerat. Cùm vero 9.

mutata est Reipublicæ forma, & sublatis Iudicibus Reges introducti, iuxta id, quod importunis precibus populus expressérat, Rex instar aliarum nationum Regum rem Israëliticam publicam administrare cœpit: & vt vicini Reges suæ potestatis, ac nominis habuerunt insignia; sic ipse quoque ad illorum exemplum, vt optabat populus, certis à reliqua multitudine distinguebatur insignibus. Madianitarum Reges (quod etiam vicinis populis reor fuisse commune) habuisse dicuntur aurea monilia, Iudic. cap. 8. v. 26. In monilibus autem armillæ numerantur. Quòd autem Reges vicini coronam in capite gestauerint, sæpiùs audimus. Habuit itaque Saul coronam in capite, & armillam in brachio, sicut etiam suprà habuisse diximus hastam in manu tanquam sceptrum Regiæ potestatis insigne. Quæ duo dum Amalecites attulit ad Dauidem, satis ostendit manifestè mortuum esse Regem.

10. De *armillis*, & *coronis* dubitare aliquis posset, an satis præbere potuerint Saulis mortis efficax aliquod argumentum. Nam etiam milites in nationibus aliis habuisse dicuntur coronas, & armillas, quibus non videntur caruisse Israëlitæ milites; cùm ad Gentium morem in illum populum Gentilium esset introducta sicut viuendi, sic etiam noua militandi ratio. Quòd verò *armillæ*, atque *coronæ* aureæ militum, saltem apud Romanos, ornamenta fuerint, res est notissima, & à nobilibus scriptoribus prodita; eorum maximè, qui egregium aliquod facinus edidissent. Vide Plinium lib. 33. cap. 2. Liuius 1. decad. cap. 10. Spurium Papyrium, & quatuor centuriones, manipulúmque hastatorum *armillis, aureisque coronis* donatos esse tradit à Consule. Et vt auctor est Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Lucius Sicinius Dentatus *coronas aureas* consecutus dicitur octo, & *armillas* multò plures. Sed huic obiectioni non est difficilis responsio. Nam hæc consuetudo, quod ego viderim, non nisi apud Romanos inuenitur; neque eo tempore fuerat in illam Rempublicam introducta, quod huic Israelitico sæculo respondet; cùm hoc tempore nondum essent Romanę vrbis, necdum Romanæ militiæ, & bellicæ disciplinæ iacta fundamenta. Quòd si demus, omnes milites iisdem esse ornamentis insignitos; at quis dubitat Regias armillas, atque coronas vulgaribus esse longè dissimiles, aut Dauidi ignotum esse Regis ornamentum?

Milites aureis coronis, & armillis donantur.

11. Vers. 11. *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnésque viri, qui erant cum eo.*] Notum est, in dolore disrumpi solere vestimenta, siue ab his, qui tristia nunciant, vt modò de hoc Amalecita dicebamus; siue ab illis, qui triste accipiunt nuncium de domesticis malis. Quod hoc loco fecit non solùm Dauid, cuius magis erat animus pius, sed etiam socij: quia vt illis non ingratus fuerat Saulis interitus, cuius gratia extorres illi errarent à patria; tamen non poterat illis non esse luctuosum, videre ruinam patriæ, amicorum cædem, & Israeliticam gloriam ab hoste Palæstino fuisse subactam. Quare quod fieri solet in amicorum funere, plorarunt omnes, & ieiunarunt, & quoad fieri potuit ab his, qui in regionibus habitant alienis, Sauli, ac filiis, ac toti populo, imò & Reipublicæ toti, quæ eo vulnere corruisse videbatur, religiosè, ac piè parentarunt.

12. Vers. 13. *Dixitque Dauid ad iuuenem, qui nunciauerat.*] Cùm paululùm Dauid intermisisset fletum, rogauit à nuncio de genere, ac patria; cúmque illum reprehendisset acriter, quòd sacro delibutum oleo, & ideò Christum Domini temerare ferro, & occidere voluisset, quia suo se testimonio iugulárat, in illum iubet agi lege: quare eodem momento, cùm neque admissa esset, neque fortasse vlla excusatio proposita, interfectus est.

13. Hic tu obserua, quomodò adolescens iste Amalecita non tã homicidij, ac læsæ maiestatis, quàm mẽdacij dederit non immeritas pœnas. Nõ enim, vt vidimus, ille Regem occiderat, sed vt Dauidis sibi conciliaret gratiam, quem Sauli successurum in regno existimabat, illam sibi siue laudem, siue officium arrogauerat. Sed illi neque spatium est datum ab eo, quem futurum sibi putabat patronum, & amicum, vt homicidij à se culpam remoueret; neque si datum esset, vt reor, habuisset à pudore, & metu loquendi facultatẽ, cùm in re vsque adeò graui non leuior videretur homicidij, quàm mendacij culpa; cùm mentiendo aut probaret cædem à quocumque factam, aut significaret capere se, à se potiùs, quàm ab alio factam videri. Omnis porrò iniquitas oppilat os suum. Vnde neque mutire ausus est, cùm videret ferrum ab infensa manu in sua viscera distringi.

Mendacij pœna.

14. Vers. 16. *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuũ locutum est aduersùm te.*] Modus hic loquendi familiaris est, quo sanguinem sumunt pro sanguinis pœna, qui vel ab aliquo iniustè effusus: vel qui ab aliquo effunditur in pœnam vel admissi sceleris, vel effusi sanguinis; & hoc frequentius. Quare quod dicitur Matt. cap. 23. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est.* Et cap. 27. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*; hunc habet sensum, luendum esse scelus effusi Prophetarum sanguinis Iudæis, qui Prophetas occiderunt; & Christi sanguinis, quem à Pilato præside effundi postulabãt. Huius verò loci hic est sensus: Sanguine tuo effuso super te, pœnas dabis effusi sanguinis è Regio corpore, quod impio, atque sacrilego ferro violasti. Notum præterea est, per caput, & id, cuius est caput, animal circumscribi. Quare idem est *caput canis, caput colubri, caput meum*, aut *tuũ*, quod *canis, coluber, ego, tu*, vt pluribus docuimus ad illud Isaiæ cap. 35. *Lætitia sempiterna super caput eorum.* Quare idem est *super caput tuũ*, atque *super te.* Ait autẽ Dauid, non egere se testibus, vt Amalecitã supplicio dãnet capitali, cùm ipse suo se testimonio cõfigat.

Sanguis super aliquem, aut super alicuius caput quid.

Caput alicuius idem, quod aliquis.

15. Vers. 17. *Planxit Dauid planctum hunc super Saulem et super Ionathan filium eius.*] Elegantissimus est Threnus iste, quem composuit Dauid doloris, ac pietatis, & singularis cuiusdam beneuolentiæ plenum. Qui vsque adeò probatus est, & acceptus, & propter materiæ grauitatem, & propter singulare dicendi genus, vt omnium ori, ac sæculo fuerit familiaris, & frequens in cantu. Sanè Iosephus ad suam vsque ætatem dicit cãtari solitum. Et reuerà aliquid habet humanis numeris, & artificio maius, neque mirum, quod tam alij arripuerint auidè, & conseruarint diligenter.

16. Vers. 18. *Et præcepit, vt docerent filios Iuda arcum.*] Duo simul curasse videtur Dauid, vbi extinctum audiuit Saulem Regem, & cæsa, aut fugata Israelis castra: Alterum, vt se compararent, qui ex reliquis ea erant ætate, vt belli pondus sustinere, & vtiliter possent arma tractare; quasi magna deinde futura essent cum hoste certamina. Quare monet, vt omnes artem discant sagittariam, quia eius artis scientissimi erant Palæstini, à quibus percussum esse Saulem lib. 1. cap. 31. didicimus. Hoc fortasse verum: sed ego potiùs credíderim, *arcum* hoc loco per synecdochẽ pro omni sumi armorum genere, quod in Scriptura sacra infrequens non est, quia etiam sagittarum vsus

Arcus pro omni armorum genere.

maximè

maximè frequēns : in Scriptura etenim ſacra *arcus*, & *ſagittarum* nomen millies auditur, vt conſtat mediocriter attento. Quomodò autem docendi ſint tyrones, & quid ſit in hac ſagittaria diſciplina præcipuum, docet Vegetius lib. 1. de re militari cap. 15. Hoc itáque dicendi genere indicat Dauid imminere bella, atque ideò comparari oportere vndecúmque bellorum inſtrumenta, & curandam ad ſucceſſus bellorum vtiles militarem induſtriam. Sicut Lucæ cap. 22. v. 36. dixit Chriſtus : *vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Luc. 22. Quaſi diceret, perſecutiones manent vos, ò diſcipuli, & dura certamina, neceſſarij ſunt gladij, etiamſi deſit tunica ; & vobis ſic eſt inſtituenda vita, & comparandi animi, quaſi vobis perpetuus futurus ſit cum hoſte conflictus.

17. Si lectionem ſequaris Septuaginta, alius videtur eſſe ſenſus. Sic enim habent : *Et lamentatus eſt Dauid lamentationem hanc*, &c. *Et dixit ad docendos filios Iuda :* vbi arcus nomen non auditur. Quorum verborum hic videtur ſenſus. Scripſit Dauid hoc ferale canticum, vt doceret, quid filij Iuda in parentalibus ſacris cantare debeant. Sed de hoc plura ſtatim, cùm agemus de libro Iuſtorum.

18. Alterum, quod curauit Dauid, fuit, vt pium, ac funebre officium exhiberetur his, qui in acie ceciderunt ; ſed præcipuè Sauli, ac Ionathæ, de quorum præcipuè laudibus præclarum hoc inſtituit epicedium. Hæc videntur facilia, quæque primùm vbi lecta hæc fuerint, occurrunt cogitationi Lectoris. Sed ſunt aliqua non parùm impedita, quæ expediamus oportet.

19. Et primùm videndum, cur Septuaginta neque *arcus* meminere, neque arcus loco in ſua tranſlatione quicquam addiderunt. Apud quos hoc tantùm habemus : *Et dixit ad docendos filios Iuda.* Huius omiſſionis duæ poſſunt aſſignari cauſæ. Fieri etenim potuit, vt *arcus* nomine totum intelligatur, quod ſtatim ſubijcitur, epicedium, aut ferale canticum. Potuit autem huius epicedij titulus eſſe *Arcus*, quia *arcus* hîc Saulis, & Ionathæ commendatur. Tituli autem, ſicut & operum initiales voces apud Hebræos pro toto libro, atque opere interdùm adhibentur. Sicut Geneſis à prima voce dicitur בראשית *Bereſith*; & alij omnes libri, qui ſunt in Pentateucho, à prima ſibi voce nomen aſſumpſerunt. A titulo ſanè multis libris, ac Canticis datum eſt nomen, qui ſumptus eſt à materia. Id probant poëmata plurima, & omnes penè tragœdiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ. De Canticis in vulgari poëſi exempla ſunt plurima. Apud Græcos Ode quædam *Harmodium* dicebatur, quia laudes, & geſta continebat Harmodij, Cœlius Rhodiginus lib. 27. cap. 26. & Odæ aliæ, quæ ad numeroſos ſaltus canebantur, *Niobe* vocatæ ſunt, & *Daphnis* : nam vt eſt in Epigrammate quodam Græco, ſi ſatis memini, ſaltaſſe quidam dicitur Niobem, & Daphnim. Sic puto improbabile non eſſe, ſiue ex titulo, ſiue materia hoc epicedium vocatum eſſe *Arcum*. Sicut etiam veriſimile iudico aliquos Dauidis Pſalmos à præfixo titulo accepiſſe nomen ; veluti Pſalmum 44. à *liliis*, & Pſalmum 21. à *cerua matutina*. Quare dum Septuaginta ſua tranſlatione indicant hoc epicedium datum eſſe Iſraëlitis à Dauide, cùm *epicedium arcus* etiam vocetur, idem omnino dicunt quod Hebraicus textus, & vulgata tranſlatio ; doceri etenim arcum, & canticum hoc funebre, idem eſt. Et fauet huic explicationi, quod etiam Ieremias cap. 9. v. 20. cùm inſtarent Iudæis infortunata tempora, monet parentes, vt filias ſuas lamentari doceant, quia non illis deerit plangendi materia. *Docete*, inquit, *filias veſtras lamentum, & vnaquæque proximam ſuam planctum.* Lamentum autem hoc loco funebre aliquod videtur eſſe Canticum, hoc nempe Dauidicum ; aut aliud ſimile, ſumptum ex hoc Iuſtorum libro, quem directorium videri diximus, aut rituale.

Apud Hebraos prima vox titulus eſt libri.

Titulus poematum à materia.

Sicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum.] Hic locus difficilis eſt, quippe variè verſatur à variis, tam hoc loco, quàm Ioſue cap. 10. vbi etiam libri Iuſtorum nomen auditur. Et primùm quærendum eſt, quiſnam ſit liber iſte Iuſtorum. De quo multa hîc Abulenſis, & in cap. 10. Ioſue omnes ferè Interpretes, Serarius, Arias, Maſius, Magallianus, apud quos inuenies tot ſententias, quot penè ſunt capita. Quidam hunc librum Geneſim eſſe putant, quia ibi Sanctorum Patriarcharum continetur vita. Alij Pentateuchũ, in quibus eſt Chaldæus, dum reddit *librum Legis*. Alij diſtinctum eſſe librum arbitrantur ab illis, quos nunc habemus, qui de *recto*, *ac iuſto* diſputaret, aut in plurali *de rectis*, *& iuſtis* ; id eſt, de ſummis in nos Dei beneficiis, & de officiis, ac ceremoniis, quibus nos illum colere, & illius benignitati reſpondere debemus. Cui cogitationi fauet, quod Hebraicè non eſt in plurali ישרים *iaſarim* : id eſt, *Iuſtorum*, & *Rectorum* ; ſed ישר *iaſar* ; id eſt, *recti*, ac *iuſti*. Hebræi, vt tradit Hieronymus in traditionibus Hebr. hunc librum eſſe cenſent primum & ſecundum Regum, qui Samuelis nomine notantur. 26. *Liber Iuſtorum quis.*

Ego ſic opinor, primùm hunc librum non extare, ſed cum aliis multis, quorum nõ ſemel Scriptura ſacra meminit, excidiſſe. Hæc eſt auctorum maximè communis opinatio. Deinde mihi certum eſt, illud *Iuſtorum* in neutrali eſſe, non in maſculino genere ; quod ex recentioribus nonnulli ſequuntur. Et patet, quia in Hebræis codicibus non eſt *Iuſtorum*, ſed *Iuſti*, vt dicebamus nuper : atque ideò non de multis iuſtis, ſed de vno iuſto actum oportuiſſet ; quod neque eſt veriſimile, neque vllus excogitauit. Quare de iuſto, ac recto, aut de iure, ac lege, aut de officio ; id eſt, de eo, quod à quolibet in ſuo munere præſtari debuit, hunc librũ egiſſe fateamur neceſſe eſt. Quod apertè dixit Chaldæus, & Septuaginta, quorum ille reddidit *librum Legis* ; hi *librum Recti*, ſicut etiam recentiores aliæ tranſlationes. Hiſpanica, *en el libro Iuſto*. Neque illud, *Iuſtorum*, quicquam incommodat ; nam etiam *iuſta* idem interdum valet, quod *iura*, *debita*, ſeu *officia*. Sic Cicero lib. 1. Offic. *Iuſta* appellat, quæ ſeruis, ac mercenariis debentur. Et quia defunctorum manibus plurimùm debet viuorum pietas, fit vt illa ſacra, aut ceremoniæ, quæ ad mortuorum funus exhibentur, nominentur *Iuſta*. In hanc ſententiam inclinat Arias in cap. 10. Ioſue. 21. *Liber iuſtorũ nõ extat.*

Erit igitur *liber Iuſtorũ*, in quo leges, aut ordo, directorium, & ritus continentur, ac ceremoniæ, quæ in quolibet officio docẽt quid fieri legitimè, & quo ordine, & modo debeat, ſiue in nuptiis, ſiue in conuentibus, ſiue in bello adminiſtrando, ſiue in mortuorum exequiis, ſiue in aliqua alia publica functione, quæ in benè conſtituta republica exerceri ſolet. In illo itáque rituali libro, ſiue directorio (id enim ſignificat, aut indicat vox Hebraica ישר *iaſar*) continebantur, quæ beneficia populus accepiſſet, & quo modo agẽdę eſſent gratiæ Deo pro illis. Ideò puto Ioſue cap. 10. in *libro Iuſtorũ* ſcriptum eſſe, quomodò ad vocẽ Ioſue ſtetiſſet ſol, & quibus verbis cognoſcendum eſſet illud beneficiũ, & quod carmen gratulatorij cãtici 22.

futurum esset fundamentum : cùm enim verba quædam numerosè composita præcessissent, statim additur: *Nónne scriptum est hoc in libro Iustorum?* Vbi alij legunt, *in libro Recti, aut Iusti.*

23. *In libro Iustorum quid scriptum.* Sed est adhuc dubium, quidnam in hoc *Iustorum libro* scribendum sit : an docendos esse milites arcum, vel epicedium, quod in Saulis funere compositum est? Ego vtrunque in librum illum relatum esse arbitror; & docendos esse milites artem sagittariam, & quid dixerit Dauid in Saulis & aliorum, qui cum illo in acie cecidere, parentali planctu. De vtróque nihil habeo certum, sed conjecturis tantùm ducor, quod in rebus huiusmodi necessarium est. Est enim satis verisimile, in *libro Recti*, seu officiorum tradêdum esse Principi modum, & præcepta, vt honestè, vtiliter, ac pacatè rẽ administret publicam. Videtur autem maximè necessarium, vt ciues instruat militari disciplina, vt habeat, quid vtiliter hostibus opponat; si quando vis aliqua extrinsecùs allata rem communem, & publicam turbare tentauerit. Tota autem hæc disciplina *arcus* nomine significatur.

24. Quòd verò hoc etiam Dauidis epicedium in *Iustorum librum* relatum sit, probant ea, quæ superiùs à nobis adducta sunt, vbi, iuxta Septuaginta editionem, *arcus* idem est, quod Dauidis ferale Canticum; aut quia illius titulus erat *arcus*; aut quia illius carminis bona materiæ pars fuit Saulis *arcus*, & Ionathæ, in extremo illo certamine confractus. Sed fuit præterea grauis illa ratio, quòd in hoc carmine optimè proponitur epicedij componendi forma. Et sanè hoc carmen legi solitum ad suam vsque ætatem, docet Iosephus lib.7. Ant.cap.1. Et ad illius exemplar alia fuisse composita indicat illud Micheæ cap.1. v.10. *In Geth nolite annunciare.* Neque enim vlla apparet ratio, cur Michæas Israëlis clades Gethæis potiùs, quàm aliis Israëlitici nominis inimicis celari voluerit, nisi ad hoc Dauidis parentale Canticum esset allusum.

25. Hæc mihi magis videntur expedita. Sed fortasse liber fuit apud Hebræos, in quo pia describebantur carmina, quæ variè pro temporum occasionibus variis canerentur; in quem collati fuerunt Psalmi à variis compositi, & ad diuinas laudes accommodati; ex quibus concinnatum est Psalterium, quod & habuerunt olim Hebræi, & nunc etiam habet Ecclesia in magna religione; quod non vnum auctorem habuisse Dauidem, licèt hîc fuerit omnium Princeps, sed plures alios, censent Hebræorum magistri, & ex nostris non pauci secuti Hieronymum, qui illos esse dicit Psalmorum auctores, quorum nomina Psalmorum initiis præfiguntur. In hunc igitur ordinem sicut alij Dauidis Psalmi, sic etiam hoc ferale Canticum, quod etiam Psalmus quidam est, collatum esse arbitror; sicut illa etiam verba Iosue cap. 10. quæ etiam in *libro Iustorum* scripta esse narrantur. Nam & illa numeris constare poëticis, auctor est Arias, & Masius, vtérque in illum locum Iosue. Et quidem sonus ipse, & numerus syllabarum satis indicant aliquid ibi esse numerosum. Auctor itáque libri Iosue, & qui hunc secundum librũ scripsit, hæc Cantica duo ex *libro Iustorum* trãscripsere; atque ideò librum illum allegant. Hæc porrò carmina, quia neque cum Deo loquuntur, neque Deum laudant, neque à Deo aliquid precantur, sicut fortasse alia non pauca, quæ in volumen illud coacta fuerant, ideò à Psalterio, in quo laudes continentur, & preces, reiecta sunt. Et quia illa tot Cantica periere, neque ista duo in illo libro modò reperiuntur, sed in suis quódque historiis, ideò *liber Iustorum* interiisse dicitur. Hæc ego postrema neque affirmo, neque aliis persuadere studeo : sed quia res est obscura, & variè ab auctoribus accepta, licere mihi existimaui hanc etiam aliis expositionibus adiungere; fortasse alicui non displicebit.

Et ait, considera Israel pro his, qui mortui sunt.] Aggreditur iam egregius Psaltes, & eximius poëta, singulare hoc, & omnibus partibus in sua breuitate perfectum epicedium. Et docet ipso exordiẽdi modo non esse eos, qui cecidere, è media turba, aut acceptam plagam esse vulgarem, aut eiusmodi, vt facili possit sanari medicina. Iubet ergo, vt Israël singula accuratè consideret, quasi certò sciat in illo vulnere reperiri causam, quæ æternam possit alere in animo benè in rempublicam affecto lugendi materiam; cùm Rex, & Regia soboles, & præstantissimi quique cum magno Reipublicæ detrimento, & Israëlitici nominis ignominia occubuerint. 26.

Vers.19. *Inclyti Israël super montes tuos interfecti sunt. Quomodò ceciderunt fortes?*] Hoc est, quod Israëlem considerare iubet, nempe montes Israël Israëlitarum sanguine commaduisse : eorum, inquam, sanguine, qui & nobilitate principes, & fortitudine præclari inter reliquos habebantur. Atque ideò plorare ipse incipit, dum adhibet vsitatam illam in Threnis lugendi formam. *Quomodò ceciderunt fortes?* Quasi miretur tantam virtutem tam breui tempore, & tam horribili strage potuisse confici. Porrò in planctu hæc est inter Hebræos familiaris exordiendi forma. Sic in Ieremiæ Threnis cap.1. *Quomodò sedet sola ciuitas?* Et cap.2. *Quomodò obtexit caligine?* Et cap.4. *Quomodò obscuratum est aurum?* Sic Isaiæ cap.14. *Quomodò cecidisti Lucifer?* de Rege Babylonis. 27.

Vers.20. *Nolite annunciare in Geth.*] Graue est honore, aut commodis priuari ab hostili manu; sed est interdum ingenuis animis multò durius, spectare hostes triumphare in ipsorum infortuniis; & tunc exultare magis, cùm maximè dolent; lauare denique in miserorũ sanguine manus suas. Quare hoc viri etiam sancti, & patientissimi, aut postulant à Deo, ne aliquando contingat, aut si quando contigit, amarè lugent. Psal.24. *Neque irrideant me inimici mei.* Quod item Psal.88. quasi acerbum aliquid queritur Dauid: *Lætificasti omnes inimicos eius.* Et Threnorum 2.v.17. *Lætificauit super te inimicum.* Hoc autẽ ipsum, quod modò Dauid, ad eius fortasse imitationem fecit Michæas, suprà cap.1.v.9. *Desperata est plaga eius*, &c. *In Geth nolite annunciare*; ne videlicet nostri exultent inimici. 28. *Graue est, præbere hostibus exultandi materiam.*

Ne fortè lætentur filiæ Philisthiim.] Filiarum meminit potiùs, quia harum opus est & cantu, & choro victorias celebrare; sicut fecere illæ, quæ Dauidis de Gigante victoriam celebrarunt suprà cap.18. Vide quæ nos ibi.

Vers.21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos.*] Grauis est furor, aut dolor, quicunque cogit in res inanimatas sæuire, & illis, cùm mereantur aduersi nihil, aduersa imprecari omnia. Sic mercator, cùm rerum iacturam naufragus fecit, ventos execratur, & pelagus, & illis indignatur, optátque, quidquid hostibus alij. Sanè Xerxes non solùm mari verba dixit contumeliosa, & imprecatus est illi, ac ventis post tempestatem, & naufragium, qualia mari, ac ventis possunt esse cõtraria; sed præ nimio furore, atque dolore tales pœnas exegit ab vtrisque, quales nemo 29. *In dolore, & ira, in res etiam inanimatas sæuitur.*

mo nisi ab amente spectare posset. Audi Herodotum lib. 7. *Cùm audisset Xerxes* (classem adorta tempestate fuisse disruptam) *indignè ferens iussit tercenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Iam audiui mississe quoque cum his etiam, qui stigmata Hellesponto inurerent; certè mandauit, vt colaphos Hellesponto incuterent dicentes barbara verba, ac væsana.* Addit Valerius lib. 3. c. 2. minatum fuisse quoque cœlo tenebras. Iuuenalis Satyra 10. addit, in ventos quoque flagellis sæuisse, quòd acriori spiritu turbassent mare.

Xerxes in mare, & ventos fæuit.

In Corum, atque Eurum solitus sæuire flagellis
Barbarus Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Eunosigæum.

30. Sic agricola, dum fruges videt exustas ab vredine, & à noxio vento spem, quæ se ostentabat à segetum viriditate, vanescere, mille in ventos iactat conuitia, mille precatur infortunia. Qua de re vide Senecam lib. 2. de ira, cap. 16. Dixit hoc optimè Augustinus, si satis memini, licet locus non succurrat: *Plerumque*, inquit, *non hominibus tantùm, sed calamo irascimur in scribendo, eúmque collidimus, atque frangimus; & aleatores tesseris, & pictores penicillo*, &c. Quod facit in animo cæcus, & præceps furor, hoc idem etiam facit, & patitur, cùm occupauit animum vehemens dolor. Sic sanè Theodoretus quæst. 6. *Hoc*, inquit, *indicat summum dolorem. Quomodò enim qui aliqua parte corporis sunt malè affecti, aut parieti, aut lecto manus allidunt propter stimulos doloris: ita etiam vir diuinus nimia ardens animi agritudine malè precatur inanimis montibus.* Sic Iob cap. 3. eadem penè imprecatur diei, in qua natus est, quæ Dauid montibus Gelboe: *Pereat dies, in qua natus sum*, &c. *Dies ille vertatur in tenebras: noctem illam tenebrosus turbo possideat*, &c. Idem penè Ieremias cap. 20. vbi nos plura de hoc dicendi modo. Petit ergo Dauid quasi præ nimio dolore sui ipsius impos; non quia id velit factum, sed vt doloris magnitudinem ostendat, vsitato, opinor, Hebræorum more, vt montes illi steriles perpetuò sint, neque ex cœlo aliquid accipiant, nisi aut sitim perpetuam, aut sempiternam hyemem; ita vt nullus ex illis ad hominum vsus proueniat fructus; neque inde vllæ primitiæ ad Templi quotidianos sumptus offerantur, siue ex frugibus, quas non pariet sterile, ac maledictum solum, siue ex pecoribus, atque armentis, quæ non alet infelix illa regio opportunis destituta pabulis.

31. Hìc dubitat Abulensis, quæst. 16. an peccauerit Dauid, dum in montes patrios diram istam maledictionem intorquet, quæ si quod optare videtur, obtineret, graui illorum montium possessores, qui nihil commeruerant, afficeret incommodo. Ac tandem docet optimè, quod alij etiam tenent Interpretes, hoc ex animo non precatum esse Dauidem; sed vt eo dicendi modo, qui his, quos grauis excruciat dolor, familiaris est, ostenderet, quàm ipse grauiter de tanta Saulis, ac illustrium virorum strage condoluerit. Quare non est frustratus suo desiderio, quia non sterilitatem optabat montibus, sed tantùm cupiebat aliis esse notum, quid ipse ex communi Israëlitarum incommodo sentiret.

Dauid an montibus maledicit.

Dubitari hìc secundò posset, an diram hanc Dauidis imprecationem montes isti subierint; id est, an nunquam cœlesti rore fuerint perfusi, & neque ferendis frugibus, aut pascendis gregibus idonei. Tractauit quæstionem istam Abulensis suprà, quæst. 16. & ait, quosdam existimare in montes illos Gelboe æreos fuisse cœlos. Cuius

An montes Gelboe Dauidis maledictio percusserit.

A sententiæ dicit fuisse Rabanum, & Glossam ordinariam: quos etiam citat Hugo, à quorum sententia non abhorret. Sed illi hæc tantùm videntur asserere in morali sensu. Ita sanè indicat Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 9. *Aruerunt*, inquit, *montes prophetico maledicto, & diuina vis sententiam maledicentis impleuit. Itaque pro Regiæ necis spectaculo pœnam elementa soluerunt.*

Alij tunc impletam dicunt esse maledictionem, cùm Eliæ temporibus, 3. Reg. 17. *Non pluit super terram annos tres, & menses sex.* Ita refert Historia Scholastica, & Abulensis, & illius auctorem citat quendam Andræam. Sed hæc opinio seipsam facilè confutat, quia nimis serum esset supplicium post tot sæcula. Deinde, quia eo B tempore non solùm longam illam sitim passi sunt montes illi, sed terra tota Israël. Alij alias adducunt solutiones, quas hìc enumerare necesse non est. Sed illud est sine dubio statuendum cum Abulensi, qui ait, quosdam se nosse, super quos in eo monte cœlestis decidit pluuia. Neque erat cur Dauidis voto eo modo responderet Deus, cùm ipse non tam optaret id aduenire montibus, quàm vellet suum in defunctos animum, & studium ostendere. 32.

Hic ad mores aliquid adducunt Patres, quod hìc paucis perstringere non erit abs re. Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 9. optimè expendit Dauidis ingenium, & clementem animum, qui cùm C tot ab ingrato, & maleuolo Rege affectus esset iniuriis, cuius tunc causa tutiùs inter hostes, quàm inter suos, ac domesticos ageret; plangit tamen illius mortem, & vestimenta discindit, & montes execratur, & odit, in quibus illum cecidisse cognouit. Bernardus serm. 54. in Cantica ad illa verba cap. 2. *Transiliens colles*: in montibus Gelboe, à quibus transit Deus, cùm alios visitet affluenter, dæmones intelligit, quos non visitat Dominus; cùm tamen alios cœlesti rore exhilaret, & fœcundet. Deinde, quia superbus diabo- *In montibus Gelboe significati superbi.* li in se characterem, & imaginem portat, ab illo quoque Deum transire dicit, quo tempore in alios liberalem se, & munificum præbet: *Superbia*, inquit, *inuenta est in me, & Dominus declinauit in ira à seruo suo. Quomodò ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lacrymas, quo tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non* *Superbia damna.* *orare delectat, meditationes solitas non inuenio. Vbi illa inebriatio spiritus? vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu sancto? Ideò ad opus manuum piger: ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ, & gulæ indulgentior, segnior, obtusiorque ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem nõ appropinquat. Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium verò patientiæ admirandæ*, &c. *Ego autem, qui horum in me inuenio nihil, quem me alium putem, quàm vnum de montibus Gelboe, quem præterit in ira, & indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitator?* Gregorius lib. 3. moral. cap. 3. in montibus Gelboe superba intelligit Iudæorum corda, quæ à cœlesti gratiæ rore siccantur. 33.

Quia ibi abiectus est clypeus fortium.] Hæc grauis est dolendi materies, quòd defuerit patriæ clypeus, & murus, viri nempe fortes, qui impauidi pectoris oppositu arcebant hostilem vim. Ille verò clypeus abiectus est, quia strati iacent strenui patriæ propugnatores, quibuscum abiectum quoque videri potest Hebræorum nomen, & 34.

gens parentum gloria, ac virtute nobilis, ad ignobilium hominum redacta seruiturem. Simile in Hectoris planctu, & quasi parentalibus cecinere apud Senecam in Troade Troianæ fœminæ: A

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos;
Tecum cecidit: summusque dies
Hectoris idem, patriæque fuit.

Hæc eadem videtur de fortibus occisis ceciniſſe Dauid, dum abiectos esse dicit illorum, imò veriùs patriæ clypeos, quibus sublatis exposita videbatur ludibrio, ac prædæ Palæstinorum, & vicinorum hostiũ, quicumque vellent in Hebræorum terminos irrumpere; quod facere tutò posse credebantur, illo patriæ propugnaculo direpto. B

35. Sed est ab abiecto clypeo aliud etiam vulnus ad ignominiam graue, quod fortasse etiam spectabat Dauid in hoc ferali planctu. Notum est, quàm militi ignominiosum fuerit, aut in fuga, & metu proiecisse clypeum, aut illum quoquo modo in pugna perdidisse. Vnde vox ῥιψάσπις, quæ *hominem* sonat, qui *clypeum abiecit*, plena est ignominiæ. Maluit Lacæna quædam filium exanimem, quàm sine clypeo, quem domo extulerat, ex acie redire. Quare cùm filio clypeum traderet ad bellum profecturo, his illum verbis ad virtutem, & patriam gloriam adhortata est; ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς: id est, *vel hunc redde clypeum, quem tibi trado, vel in eo reuertere:* quasi dicat, excipiam C te libentiùs anima, quàm clypeo priuatum. Mos enim erat, vt milites occisi pro ferali pheretro, in suis portarentur scutis; sicut de Pallante, ex vetteri consuetudine, dixit Virgilius lib. 10. Æneidos:

Ignominia grauis, abiecisse clypeum.

Militibus mortuis clypeus pro pheretro.

At socij multo gemitu, lachrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Celebrat fama illud Epaminondæ, qui elatus ex acie semianimis, non tam dolebat, quòd mors iam immineret, quàm quòd in acie moribundus clypeum amisisset. Quare recepto clypeo lætum se dicebat exire de vita. Hanc ergo infamiam dolet Dauid, quòd multa scuta in Palæstinorum potestatem venerunt, maximè illorum, qui vt euadere possent fugiendo hostes, quos elatos vi- D ctoria instare videbant, vt magis essent ad fugam expediti, vt verisimile facit ille rerum articulus, clypeos abiecere. Sed prior mihi ratio magis probatur, quòd nempe extinctis fortibus magna Reipublicæ munimenta perierint.

36. *Clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.*] Quidam illud *vnctus* ad clypeum referunt, non ad Saulem. In his sunt Rab. Salomon, & Vatablus, qui putant vngi solitos clypeos, quia eo modo aptiores fiunt ad excutienda tela, propter lubricam olei naturam. Quorum sententiam optimè Abulensis refellit, quia aliquid præcipuum dicitur esse in Saule, dum vnctus dicitur oleo. Sed si ad rei bellicæ commoditatem conferret aliquid oleum clypeis aspersum, aliorum etiam clypeis E non esset illa commoditas ablata. Quare Abulensis cùm in ea etiam sit opinione, vt de vnctione potiùs clypei, quàm Saulis sermonem esse statuat, alias tamen ob causas putat de Saulis clypeo oleo delibuto inductum esse sermonem. Significatur enim aut Saulis in acie fortitudo, aut illius præcipua quædam dignitas, quam illa clypei vnctio secum importabat. Virtus quidem, quia cùm priùs ex more vnctus esset oleo, sanguine tamen multorum, quos Saul interfecerat, sic erat respersus, atque oblitus, vt nullum vnctionis antiquæ vestigium appareret. Sed hanc explicationem neque ipse videtur omninò probare, cùm alteram inducat. Et sanè meritò; si enim, vt ipse statim addit, Regius clypeus linitur, & quasi consecratur oleo, sicut Rex ipse, vt maior aliqua dignitas clypeo addatur, sicut Regiæ personæ conciliatur ab oleo; non necesse est, vt clypeus totus ab oleo commadeat, sed satis est, vt in aliqua parte leuiter intingatur: sicut etiam Rex, & Sacerdos, cùm à sacra vnctione legitimè sacrantur, non toti illinuntur, sed illorum exigua quædam pars. Neque præterea clypei, maximè Regij, eius sunt materiæ, vt oleum bibant, aut non ex eis, si quid insparsum est olei, non detergatur facilè. Quare etiamsi inimicorum sanguine non esset insparsus Regius ille clypeus, nullum esset relictum in illo olei vestigium. Quare magis illi placet, si locus accipiatur non de fortitudine Saulis, qua clypeum imbuit hostili sanguine, quàm de Regia dignitate, quæ non solùm vncto capite, sed etiam clypeo significabatur. Quare lugebat, quòd Saul sic esset in acie peremptus, quasi vnus è turba, & cuius clypeus sacro non esset oleo delibutus. De clypeis oblitis oleo diximus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 21. *Surgite Principes, arripite clypeos*; vbi Hebræus textus habet: *vngite clypeos.* Vbi de hac clypeorum vnctione pluribus.

Clypeus an vngatur oleo.

Sed est communis, & vera sententia, illud *vnctus* non ad clypeum, sed ad Saulem esse referendum. Illud enim Dauid hoc loco maximè dolet in Saule, quòd cum *Christus* esset Domini; id est, *vnctus*, non aliter fuisset ab hoste tractatus, quàm si vulgare foret, atque profanum corpus. Hæc enim vna res ipsius dexteram à Regio corpore continuit, quòd *Christus esset Domini.* Sic lib. 1. cap. 24. vers. 7. *Non mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Et cap. 26. vers. 8. *Quis extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Et proximè ideò male accepit Amalecitem, & interfici iussit, quia Christo Domini manus attulisset. Hoc igitur nunc dolet, quod Christi Domini abiectus esset clypeus; id est, quia Christus Domini cecidisset; aliter enim non abiecisset clypeum, & quod idem propè est, non illius clypeo; id est, protectione caruisset respublica Regiæ curæ, atque tutelæ commissa. 37. *Clypeus non vnctus, sed Rex.*

Vers. 22. *A sanguine interfectorum, ab adipe fortium sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis.*] *Redeo, reuertor,* & similia, etiamsi nihil addas, conatum significant, & petitionem irritam; multò magis si addas aliquid, quod inutilem indicet fuisse petitionem illam. Isaiæ cap. 45. vers. 23. *Egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur:* Quod explicuit posteà c. 55. vers. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui.* Ezech. 21. vers. 5. *Ego Dominus eduxi gladium meum de vagina irreuocabilem.* Hebraicè לא תשוב *lo tasub*: id est, *non reuertetur*, scilicet inanis. Ieremiæ 50. vers. 9 *Sagitta eius quasi viri fortis interfectoris non reuertetur vacua.* Sic ergo neque Saulis gladius, neque Ionathæ sagitta vllam habuere petitionem vacuam ab hostium siue cæde, siue sanguine, etiamsi aduersarij sese contra obiicerent bellatores strenui, & robore præstantes. Id enim sibi velle videtur illud *ab adipe fortium.* Nisi mauis ita hæc accipere, vt non solùm sanguinem effuderint horum 38. *Redire aliquid vacuũ, vel retrorsum, est nihil ab illo esse factum.*

Principum

Principum arma, quod contingere solet etiam, dum leuiter cutis summa perstringitur; sed etiam adipem, quod tunc accidit, cùm ad ipsa etiam præcordia telum adigitur. Hoc porrò strenui, atque robusti militis est, nullum torquere telum, nullam coniicere petitionem, quæ non aduersarij aut effundat sanguinem, aut animam hauriat letali vulnere. Hoc de suo Ænea cecinit Maro lib. 10. Æneid.

——— *Fidum Æneas affatur Achatem:*
Suggere tela mihi, non vllum dextera frustrà
Torserit in Rutulos.

39. *verba solemnia in funebri luctu.*

Vers. 23. *Saul, & Ionathas amabiles, & decori in vita sua.*] Hæc verba solemnia fuisse suspicor, & quasi legitima funebri siue lamento, siue cantico, quibus aut amicorum veri, aut præficarum simulati planctus vtebantur. In his autem duobus verbis multa continentur, quæ non nisi oratione longa explicari possunt. Quibus respondent solemnia illa: *Væ frater, & væ soror, væ inclyte, & væ Domine.* Ierem. cap. 22. & iterùm c. 36. Amabiles, & decoros fuisse duos hosce Principes in vita sua non dubito. De Ionatha certum est, cùm id probauerit totius populi publica vox, lib. 1. cap. 14. qui vt illum liberaret à morte, Saulis se minis iuramento confirmatis opposuit. De Saule idem credo, eo saltem tempore, in quo alienam à dolo vitam egit, & iuxta diuinum imperium commissum sibi regnum moderatus est. Nam postquàm suo se potiùs, quàm diuino arbitratu rexit, vt displicuit Samueli, & Deo, sic etiam puto hominibus displicuisse, qui non tam illum beneuolis, ac studiosis, quàm inuitis, atque coactis metu animis sequebantur. Sed vsitatum, & quasi legitimum apud Hebræos in funere lamentum satis grauis fuit causa, vt hoc Dauid de Saule, ingenuo adductus, & pio studio, Canticum ediderit, in quo nihil est à veritate alienum, si meliora Saulis tempora consideres. Dum autem duos hosce Principes in morte quoque dicit non fuisse diuisos, ostendit in vita, quicúmque incideret casus, aut negotium, separatos non esse.

40. *Aquilis velociores, leonibus fortiores.*] Hæc hyperbolicè de Saule, & Ionatha dicuntur: neque enim aquilarum volatum pernicitate, neque fortitudine leones assequuntur, nedum superant. De aquilarum velocitate, & leonis robore multa ab Scriptoribus profanis; neque in Scriptura sacra pauca. Ierem. 4. vers. 13. *Velociores aquilis equi eius.* Et Thren. 4. vers. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* De Leone Prou. 30. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum.* Iudic. 14. vers. 18. *Quid fortius leone?*

Aquila velocitas prouerbialis.

41. Vers. 24. *Filiæ Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis.*] Planctum indicit præcipuè filiabus Israël, quia illarum negotium est, vt triumphale carmen cantent, & nuptiale canticum, & quidquid denique festiuum est: sic etiam epicedia, & quicquid populis accidit aduersum, & lugubre. Causam autem proponit accommodatam fœminarum sexui, qui φιλόκαλος est, & elegantiæ studiosus, qui ægrè fert admodùm his priuari ornamentis, quæ nunc dicuntur à Saule ex hostium, vt opinor, spoliis ad muliebrem cultum, atque delicias fuisse comparata. Cùm autem sæpè de vicinis hostibus triumphasset Saul, vt habes lib. 1. cap. 14. vers. 47. non dubium est, quin inde ad mundum muliebrem reportata fuerint ex auro, & coccino, & alia pretiosa materia, ornamenta plurima. Et hoc credo verius.

A Neque displicet, quod mihi visum est probabile ad illud Cant. 3. *Propter filias Ierusalem*, sicut Salomon ferculum constructit ad nuptialem pompam, hieroglyphicis quibusdam signis illustre, quæ docerent quale deberet esse castum, & venerabile coniugium, & quo noui coniuges cum geniali plausu traducerentur: sic etiam à Regibus, & ducibus Israël paratas esse vestes egregiis quibusdam, & hieroglyphicis symbolis illustres, quibus in nuptialibus sacris vterentur; nec enim tantum onus imponi debuit nouis maritis, vt magnos, & supra facultatem fortasse sumptus facerent in concinnanda hieroglyphica veste, auro, gemmisque distincta, qualis in Canticis Canticorum à Salomone, & in Psalmis à Dauide describitur.

Vestes pretiosæ à Regibus pro nuptiis comparatæ.

B

Vers. 26. *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum.*] Quæ præcesserunt proximè, Saulem spectabant, qui vtpotè Rex, & Ionathæ pater, priorem locum obtinere debuit in hoc ferali carmine: nunc Canticum ad Ionatham traducit, & ex solenni lugendi formula nomen *fratris* assumit. Diximus enim in planctu funebri vsurpari sæpiùs: *væ frater, & væ soror.* Illud, *super amorem mulierum*, dupliciter explicari potest. Aut enim amor ille mulierum actiuè sumitur, ita vt tantùm ametur Ionathas, quantùm mulieres amant filios suos, aut viros, quarum amor vehementissimus est. Aut passiuè, vt tam ametur ardenter, quàm amari à viris fœminæ solent. Comparatio, quocúmque modo sumas, grauis est, quia & virorum in fœminas ardentissimus est amor à natura ipsa; & fœminarum multò in viros ardentior, & interdum impotens. Sed quod statim sequitur, non obscurè indicat, ab actiuo fœminarum amore similitudinem duci, nempe dignum fuisse Ionatham, vt tali ab omnibus amaretur affectu, quali mater amat vnicum filium. Et ideò subditur accommodatè ad superiora: *Sicut mater vnicum amat filium suum.*

42.

C

Hæc porrò comparatio de amore vnici filij familiaris est tam sacris, quàm profanis. Vnde ortum est illud tritum, *vnicè amare*; id est, amore ingenti, qualis est vnigeniti. Vnde etiam fit, vt de illius morte grauissimum mater capiat dolorem, qui aut abiit in prouerbium, aut certè prouerbialem obtinet speciem. Ierem. cap. 7. vers. 26. *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Amos cap. 8. v. 10. *Ponam eam quasi luctum vnigeniti.* Zachar. 12. v. 10. *Plangent eum planctu quasi super vnigenitum.* Cicero pro Roscio Amerino, & Philip. 9. eo se modo dixit luxisse Rempublicam, quo mater amat vnigenitum filium.

43. *Vnigeniti filij amor prouerbialis.*

D

Vers. 27. *Quomodò ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica.*] Poëticum est hoc artificium, & carmen hoc sæpiùs iteratum magnum habet momentum ad excitandum affectum. Quo vsus est Dauid ipse sæpiùs in Psalmis, vbi ex interuallis redit versus intercalaris. Psalmus 106. sæpè interponit: *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum.* Psalmus 117. his verbis inchoatur: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius:* & eisdem finitur. In Canticis Canticorum sæpè iterat sponsus: *Adiuro vos filiæ Sion.* Et sponsa illud: *Læua eius sub capite meo.* Apud profanos hoc est multò frequentius. Catullus in epithalamio Iuliæ & Manlij illud solenne repetit.

44. *Carmen intercalare ad ornatum, & affectum magnam habet vim.*

E

Hymenæe Hymen, Hymen Hymenæe.

Et eadem paululùm immutata in sequenti epithalamio.

thalamio. Et in epithalamio Thetidis,& Pelei:

Currite ducentes sub tegmina, currite fusi.

Alios quoque versus Theocritus intercalat, Idil. 1. & 19. & eum imitatus Virgilius in Pharmaceutria. In re non dissimili; id est, in re luctuosa, & funebri idem adhibuerunt artificium Catullus, in Elegia ad Manlium, vbi aliquoties interponit: *O misero frater adempte mihi.* Et Ouidius Epist. Deianiræ ad Herculem, quæ cùm suspicaretur illum interiisse, sæpiùs iterat:

Impia quid dubitas Deianira mori?

Eodem artificio eximius Poëta Dauid hoc iterat intercalare carmen. Primùm v. 19. deinde v. 25. ad extremum, in fine capitis. In quo dictorum fermè omnium breuis complexio est. Est enim quod antè pluribus explicuerat, periisse fortes, & illorum clypeos esse proiectos, & populum à suo præsidio, & tegumento nudatum.

IN CAP. II. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

POST Saulis mortem Dauid, consulto prius Domino, secessit in Hebron, quò antiquos sibi socios, & vxores traduxit: vbi à viris Iuda vnctus est, & appellatus Rex. Et quemadmodum, vt conciliaret sibi populi gratiam, solemnem in Saulis interitum planctum instituit; sic etiam vbi primùm de se audit Regium nomen, nihil habuit prius, quàm vt animum suum ostendat, nunquam Saulis commodis fuisse contrarium. Quare gratias egit viris Iabes Galaad, quòd Regis consuluissent honori, & cum vitæ periculo, è muris, vnde essent suspensa Regis, filiorúmque cadauera, sustuliissent. Reliquus fuerat vnus è Saulis filiis Isboseth, annos natus quadraginta, quem parentis loco attollere nitebatur in Regium solium Princeps exercitus Abner. Cumque illum traduxisset per varias ciuitates, & Regem ab vniuerso penè Israële salutari fecisset; intestinis bellis res Israëlitica turbari cœpit. Ioab igitur copias, quæ Dauidis partibus fauebant, illis, quas pro Isboseth conscripserat Abner, ad piscinam Gabaonis opposuit. Vbi primùm quasi ludibundi duodeni ex quolibet agmine prodierunt, qui sese ita mutuò acceperunt hostiliter, vt omnes ad vnum in eo certamine ceciderint. Inde durum exarsit bellum, in quo qui partes sequebantur Isboseth, cæsi, atque fugati sunt. Insequebatur fugientem Abnerem Asaal, cuius ea erat in currendo velocitas, vt syluestribus capris non esset inferior, qui cùm vrgeret fugientem, neque ipso hortante, quem pertinaci studio insequebatur, à cursu cessaret, ab eodem traiectus hasta examinis cecidit. Cùm autem noctis beneficio, qui prius fuerant variè dispersi, in vnum locum conuenissent, atque ibi rursùs renouandum bellum videretur, exclamauit Abner, & hortatus est Ioab, vt militem cohiberet à prælio, neque pateretur Israëliticum ferrum cognato sanguine cruentari; neque præterea prudentis esse consilij, nimis illos vrgere, qui in extremam desperationem essent adducti. Probauit illius consilium Ioab, & intentum ad cædem militem buccina clangenti continuit. Sic, bello eo die soluto, in suas quique sedes reuersi sunt.

CAPVT SECVNDVM.

1. IGitur post hæc consuluit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque Dauid: Quò ascendam? Et respondit ei: In Hebron.

2. Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraëlites, & Abigail vxor Nabal Carmeli:

3. Sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron.

4. Venerúntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid vt regnaret super domum Iuda. Et nunciatum est Dauid, quòd viri Iabes Galaad sepeliissent Saul.

5. Misit ergo Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.

6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quòd fecistis verbum istud.

7. Confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem sibi.

8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra,

9. Regém

9. Regémque constituit super Galaad & super Gessuri, & super Iezraël, & super Ephraim, & super Benjamin, & super Israël vniuersum.

10. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cùm regnare cœpisset super Israël, & duobus annis regnauit: sola autem domus Iuda sequebatur Dauid.

11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est Dauid, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum, & sex mensium.

12. Egressúsque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saul, de castris in Gabaon.

13. Porrò Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egressi sunt, & occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cùm in vnum conuenissent, è regione sederunt: hi ex vna parte piscinæ, & illi ex altera.

14. Dixítque Abner ad Ioab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant.

15. Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid.

16. Apprehensóque vnusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatúmque est nomen loci illius: Ager robustorum in Gabaon.

17. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatúsque est Abner, & viri Israël à pueris Dauid.

18. Erant autem ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abisai, & Asael: porrò Asael cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis quæ morantur in syluis.

19. Persequebatur autem Asael Abner, & non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram omittens persequi Abner:

20. Respexit itaque Abner post tergum suum, & ait: Túne es Asael? Qui respondit: Ego sum.

21. Dixítque ei Abner: Vade ad dexteram, siue ad sinistram, & apprehende vnum de adolescentibus, & tolle tibi spolia eius. Noluit autem Asael omittere quin vrgeret eum.

22. Rursúmque locutus est Abner ad Asael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.

23. Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco: omnésque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, subsistebant.

24. Persequentibus autem Ioab, & Abisai fugientem Abner, sol occubuit: & venerunt vsque ad Collem aquæductus, qui est ex aduerso vallis itineris deserti in Gabaon.

25. Congregatíque sunt filij Benjamin ad Abner: & conglobati in vnum cuneum, steterunt in summitate tumuli vnius.

26 Et exclamauit Abner ad Ioab, & ait: Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? an ignoras quòd periculosa sit desperatio? vsquequò non dicis populo vt omittat persequi fratres suos?

27. Et ait Ioab: Viuit Dominus, si locutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrem suum.

28. Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt vltrà Israël, neque iniêre certamen.

29. Abner autem & viri eius abierunt per campestria tota nocte illa: & transierunt Iordanem, & lustrata omni Beth-horon venerunt ad castra.

30. Porrò Ioab reuersus omisso Abner, congregauit omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Asaele:

31. Serui autem Dauid percusserunt de Benjamin, & de viris qui erant cum Abner trecentos sexaginta, qui & mortui sunt.

32. Tulerúntque Asael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem: & ambulauerunt tota nocte Ioab & viri qui erant cum eo, & in ipso crepusculo peruenerunt in Hebron.

IN

IN CAP. II. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Post hæc consuluit Dauid Dominum.*]

1. POSTQVAM vltus fuit Dauid Saulis cædem occiso Amalecita, & qua ratione in terra aliena potuit, illius manibus parentauit, cogitare cœpit apud se, quidnam in eo rerum statu facto opus esset. Neque enim putabat suo se muneri, aut optimi ciuis officio satisfacere, nisi his incommodis, quæ malè iactatæ Reipublicæ imminere videbantur, occurreret. Quare cùm secum haberet Sacerdotem, & ephod, consultum Deum esse voluit, an relicta Siceleg, quæ erat in regione Philisthinorum, ex vsu foret priuato, ac publico ad aliquam ciuitatem proficisci de sua Tribu, nempe Iuda. Cúmque Deus ita fieri oportere respondisset, & Hebronis sedem assignasset, eò se quamprimùm recepit, assumptis secum vxoribus, quas priùs in regionem Philisthinorum adduxerat. Edixit quoque viris, quos habuit in suo exilio, ac peregrinatione socios, vt suas eódem vxores, & familias transcriberent.

2. Vers. 4. *Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda.*] Norat totus penè Israël, vnctum esse in Regem à Samuele Dauidem; neque ipse rebus administrandis eo se nomine, ac titulo indignum ostenderat. Quod cùm præsertim optaret Tribus Iuda, vt Regem haberet sibi contribulem, venerunt eò viri ex ea familia proceres, & noua quadam vnctione, per Sacerdotem haud dubiè, illum super Iudam Regem constituerunt. Tunc secundò vnctus est Dauid; & deinde tertiò, vt dicemus suo loco, super Israël.

3. *Et nunciatum est Dauid, quòd viri Iabes Galaad sepeliissent Saul.*] Hactenùs tantùm audierat Dauid ab Amalecita Saulem occisum, ignorabat reliqua. Posteà cognouit, quàm viri Iabes audacter, ac piè Saulis, filiorúmque cadauera sustulissent è mœnibus, vbi suspensa fuerant à Palæstinis, & honestæ, ac Regiæ sepulturæ mandassent. Illorum igitur pietatem collaudat, suumque illis studium promittit, & pro singulari in Regem obseruantia omnia à sua liberalitate sperare iubet. Neque despondeant ànimum, quem ostenderunt in egregio illo facinore strenuum, & acrem, licet Rex Saul in acie ceciderit; se enim illius loco vnctum esse Regem, & à Tribu Iuda in illius partes esse vocatum. Quibus verbis ita Iabensium animos, & studium commendat, atque confirmat, vt etiam ad suas partes videatur allicere. Fuit autem hoc Dauidis consilium præsenti rerum statui opportunum valde. Cùm enim tantùm à contribulibus suis esset ad regnum accersitus, & vnctus, aliæque vndecim Tribus superessent Israël, quæ aut nollent, aut non possent Regiam in illo maiestatem agnoscere; commodum visum est ostendere, nunquam ipsum inimico fuisse in Saulem animo, vt illos, qui Saulis partibus studebant, conciliaret sibi, quos sine dubio auerteret quæcúmque de contraria voluntate suspicio. Quare cùm constaret, quid Iabesitæ pro Regio cadauere laboris assumpserint, illis gratias agit, perinde atque si ipsi tantum illud officium foret impensum. Quæ res satis argumento fuit, non malè Dauidem in Saulem animatum, quando tanti fecit sublatum illum de ignominioso loco, & honesta conditum esse sepultura. Hæc autem longè absunt ab eo, qui hostiliter in alterum animatus est.

Vers. 8. *Abner autem filius Ner, Princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra, Regemque constituit.*] Abner frater erat patruelis Saulis, vt vidimus lib. 1. cap. 14. ambo enim filij erant duorum fratrum; & vt genere, sic etiam opinor ætate pares. Hunc, vtpote virum prudentem, & fortem, Principem Saul constituit exercitus, qui vt gratum se ostenderet Saulis beneficiis; tum etiam ne à suo genere Regium nomen exciderent; assumpsit Isboseth, qui ex Saulis filiis vnus supererat, fecitque, vt parentis loco Rex appellaretur à reliquis. Quò verò id faciliùs, & legitimè fieret, circumduxit per castra, egítque, vt militari more Rex salutaretur ab omnibus. Quod minùs ea de causa illi difficile fuit; quia illum, vtpotè exercitus principem, obseruarant anteà, & ab illo fortassè fuerant ornati liberaliùs. 4.

De castris, per quæ circumductus fuisse traditur Isboseth, dubitant Interpretes. Quidam dicunt, nomen esse ciuitatis, quæ vocatur *Machanaim*, quæ Latinè idem valet, quod *castra*. Quod illi nomen impositum est à Iacob, Genes. 32. *Fuerunt ei* (Iacob) *obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc. Et appellauit nomen loci illius Machanaim; id est, Castra.* Hæc autem ciuitas, siue campus (neque enim constat, an nomen sit ciuitatis, seu deserti loci) data est Tribui Gad. Iosue cap. 13. vers. 26. Ita communiter Hebræi, vt in eorum traditionibus Hieronymus, Theodoretus quæst. 8. Iosephus lib. 7. Ant. cap. 1. Magister historiæ Scholasticæ, Caietanus, Angelomus. Sed est communior sententia, *Machanaim* non esse ciuitatem, sed castra Israël. Vt quid enim Abner, vt Regis filium Regem constitueret, in illam potiùs ciuitatem adduceret, quàm in alias; maximè cùm non constet illam esse ciuitatem, sed videatur potiùs desertus ager, vbi tunc Angeli apparuerunt Iacob, quando cum gregibus, totáque familia reuertebatur ex Mesopotamia? Tunc autem, vt textus ipse, filúmque narrationis indicat, in agro potiùs erat, quàm in vrbe. Ita Abulensis, quæst. 10. & huc magis inclinant Magister hist. Hugo, Dionysius. 5.

Collegerat, opinor, Abner dissipatas acies, quod vt Imperator & potuit, & debuit. In castris porrò, vbi totius regni constituebatur robur, & ex omnibus Tribubus erant congregati quamplurimi, & eligi potuit, & conclamari Rex filius Saulis, cui apud omnes recèns mortui patris memoria, atque commiseratio conciliare potuit beneuolentiam. Quare dum in castris Rex appellatur, à toto Israële appellatus esse existimatur. Sanè in profanis non semel audimus, ab exercitu Imperatores fuisse creatos, neque vllam in Republica fuisse potentiam, quæ quod visum esset, probatúmque militibus, abrogaret. 6.

Vers. 9.

Vers. 9. *Regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Iezrael, & super Ephraim,* &c.] Priùs nominãtur ciuitates, ac Tribus quæ propiores erant castris, vbi Rex acclamatus fuerat Isboseth. Deinde itum est ad Tribus alias, & per eas circumductus Saulis filius, donec tandem, vna excepta Tribu Iuda, ab omnibus salutatus fuerit Rex.

8. Vers. 10. *Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cùm regnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnauit.*] Hæc ætas Isboseth aliquantulùm premit nostram cogitationem, de tempore, quo regnauit Saul. Nam si quadraginta annorum erat Isboseth, cùm pater illius interiit, necesse est, Saulem aut plus duobus annis obtinuisse regnum, aut propè sexagenarium regnare cœpisse. Hanc nos difficultatem satis, vt credo, sufficienter exoluimus l. 1. cap. 13. vbi de Saulis regno longam instituimus disputationem: neque hìc aliquid addendum occurrit.

9. Hìc verò discutiendum occurrit, an duobus tãtùm annis regnauerit Isboseth. Neque leuis est dubitandi ratio; nam quandiu super Israelem dominatus est Isboseth, Dauid super vnam tantùm tribum Iudæ imperium exercuit: at regnasse dicitur statim in Hebron super Iudam septem annos, & sex menses: totidem igitur anni Isboseth regno sunt assignandi. Sed stat contrà locus iste, qui Isboseth regnum duorum tantùm annorum spatio definit. Abulensis q. 12. plures annos tribuit regno Isboseth, ne vndecim Tribus quinque annis cum dimidio dicantur caruisse Rege. Quare aut quinque annis antequàm regnum iniisset Isboseth, durauit interregnum, aut totidem postquàm occisus. Vtrumque autem videtur nullo modo posse concedi. Non prius; quia simul atque Abner cognouit cecidisse Saulem, circumduxit Isboseth per castra; per illa, inquam, castra, quæ Saul contra Palæstinos conscripserat, & quibus Abner ipse fuerat à Saule præfectus: quæ post cladem acceptam, etiamsi fuga forent variè dilapsa, à sollicito tamen imperatore colligere difficilè non fuit. Neque posterius; nam cùm primùm duorum latronum manibus cecidit Isboseth; congregatæ sunt vndecim Tribus, quæ Isboseth adhæserant, vt Regẽ salutarent Dauidem totius Israel. Quare non apparet, quomodò pars illa maxima Israelitici regni capite, ac moderatore tandiu caruerit, eo maximè tempore, quo victorem habebat, & exultantem vicinum hostem, à quo omnia timere poterat infortunia.

10. Abulensis eò inclinat, vt duobus tantùm annis regnarit Isboseth, nempè pacificè vsque ad bellum, de quo statim. Ex eo autem nullum fuit tẽpus ad mortem vsque Isboseth à bellorum strepitu, seu timore vacuum, quod longum fuisse docet illud cap. 3. v. 1. *Facta est ergo longa concertatio inter domum Dauid, & inter domum Saulis. Dauid proficiens, & semper seipso robustior; domus autem Saul decrescens quotidie.* Illa porrò concertatio non fuit bellorum tantùm; nam bella pauca memorantur; sed animorum, & studiorum; cùm alij deberi regnum dicerent Isboseth, vtpotè Regis filio; alij fortassè Miphiboset filio Ionathæ, cui pro patre Ionatha primogenito regnum hæreditario iure tradendum videbatur; plures Dauidi, cùm constaret electum esse à Domino. Quod sensisse illorum plurimos, qui agente Abnere deinde secuti sunt partes Isboseth, ipse docet Abner, cap. 3. v. 16. qui cùm iam faueret Dauidi, *sermonem intulit ad senio-*

A *res Israel, dicens: Tam heri, quàm nudiustertius quærebatis Dauid, vt regnaret super vos.*

Caietanus in caput 3. proximum aliter constituit biennium istud regni Isboseth. Ait enim, non cæpisse simul atque cecidit Saul, & regnare incepit Dauid, regnum Isboseth; neque eo occiso super totum Israelem cæpisse Dauidis dominatum, sed plurimum intercessisse moræ à Saulis interitu ad regnum vsque Isboseth, & ab huius morte multum item ad Dauidis vniuersale regnum; ad medium autem septennij, quo Dauid regnauit super Iudam in Hebron, interiectum dicit fuisse biennium illud, in quo super reliquas Tribus regnauit Isboseth. Quòd verò plurimum temporis intercesserit à Saulis morte, vsque ad filij regnũ, B videtur certum; quia non parùm temporis consumendum fuit in congregandis illis, qui fuga fuerant post Saulis cædem variè dilapsi, ita vt ad castra redierint, per quæ Isboseth ab Abner fuerat circumductus. Deinde in comitiis de Rege deligendo non potuit longa mora non esse consumpta, cùm neque omnibus placeret Isboseth; qui ideò, vt quibusdam placet, non fuit cum Saule patre, & fratribus reliquis in acie peremptus; quia vt imbellis; & ignauus relictus est domi. Neque prætereà certum erat, an deberet filius in regno parenti succedere, cùm neque legibus constitutum esset, neque vllum esset exemplum in ea Republica, cùm vnus tantùm Rex in ea præcessisset. Maximè cùm iam esset à Deo per Samuelem Rex C designatus, cuius omnes & virtutem norant, & eximiam in re militari prudentiam. Multos autem eosque seniores, in illis comitiis ad Dauidis causam fuisse propensos, docuit Abner cap. 3. v. 16. dum ait, visum esse senioribus, non ad Isboseth, sed ad Dauidem regnum esse deferendum. Et reuera ex aliis Tribubus ad Dauidem, cùm esset in Hebron, non pauci transfugerunt, de quibus suo loco. Neque leuior fuit concertatio, postquàm latronum insidiis periit Isboseth, in Rege deligendo, quem Tribus aliæ à Iuda diuulsæ sequerentur. Quare si hæc duo tempora ex septennio reseces, quod posuit Dauid in Hebron, satis videtur assignari temporis regno Isboseth, si biennium tantùm regnasse fateamur. Hæc pro Caietani sen- 12. tentia, quæ hoc explicata modo non videtur esse D difficilis. Neque mirum, si duobus annis cum dimidio vndecim Tribus Rege caruerint, cùm haberent Abner, cui in re bellica obsequebantur omnes; neque prætereà vllum vrgeret ab inimico bellum; & totidem annis ab occiso Isboseth, cùm pacata essent omnia, neque quid turbaret Dauid, cùm esset in Hebron, nisi lacessitus. Vtraque mihi tam Abulensis, quàm Caietani sententia probabilis est; magis tamen in posteriorem inclino, quia simpliciter docet id, quod simpliciter proponit textus ipse sacer; dum ait, Isboseth duobus regnasse annis super Israel. Puto tamen plus longè interiectum esse temporis inter Saulis mortem, & regnum Isboseth, quàm inter cædem Isboseth, & Dauidis vniuersale re- E gnum. Quia posterius hoc tempus minùs habuit impeditam deliberationem, cùm nullus esset reliquus, cui esse posset cum Dauide de regni titulo atque administratione contentio.

Vers. 11. *Et fuit numerus annorum,* &c. *septẽ annorum, & sex mensium.*] Notum est apud Hebræos, numeros, qui perfectum excedunt, aut à perfecto deficiunt, aut omitti, aut addi; quod etiam, vt opinor, linguis omnibus est commune. Sic dicimus

habitare mille ciues in vrbe,cùm sint in illa habitatores mille, & quinquaginta: quia isti millenarium numerum parum excedunt, qui perfectus est; qui tamen interdum, neque id infrequenter exprimuntur,Id nunc,si vsquam, clarissimum apparet. Nam cùm hîc commoratus dicatur Dauid in Hebron septem annos,& menses sex; libro tamen 3.cap.2.v.11.regnasse dicitur in Hebron septem annos.

14. Vers.12. *Egressusque est Abner filius Ner,& pueri Isboseth filij Saul, de castris in Gabaon.*] Quo animo egressus fuerit Abner de castris,vbi compellatus fuerat Rex Isboseth,non est coniectare difficile: nempè vt quemadmodum vndecim Tribus eò adduxerat,vt Isboseth Regem sibi ex omnibus asciscerent,sic etiam Tribum Iuda, quæ ad Dauidem, Saulis derelicto genere, defecerat, ad aliarum Tribuum conspirationem adiungeret.Quare ex Machanaim,siue sint castra, vt verius putabamus,siue ciuitas,vt alij volunt, exercitum eduxit copiosum,sperans fore, vt Tribus Iuda, quæ vndecim Tribubus videbatur inferior futura,neque habitura quid aliis opponeret vtiliter, ad castra rediret, quæ paulò anteà deseruerat. Neque Dauid,cùm priùs vnctione designatus est Rex à Samuele,scirétque sibi deberi regnum,vel ipso Saule teste; quicquam tamen molitus est,donec ad pugnã ab ipso hoste vltrò lacessente euocatus fuit. Quod obseruauit,& commendauit Ambrosius in Apologi apro Dauid, cap.6. *Inimici,* inquit,*vltus est mortem, flebiliter satis deplorauit interitum: & debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines ad non præripiendum regnum,etiamsi debeatur, sed expectandum, vt suo tempore deferatur. Vtinam hunc virum imitati essent posteri,non tantas bellorum pertulissemus acerbitates.*

15. Vers. 13. *Porrò Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egressi sunt, & occurrerunt eis.*] Erat Ioab, vt ex toto hoc libro constabit; & fortis, atque acer ad res aggrediendas; & acuto, atque solerti ad deliberandum iudicio: quare hunc præposuit exercitui, quem Dauid collectis ab Abner ex toto Israele viribus opposuit. Sed hîc quæret aliquis, quomodò ausus fuerit Dauid, neque formidauerint alij, qui sub illius signis militabant, cùm ex vna tantùm essent Tribu conscripti,tot hominum millibus occurrere, quos secum Abner ex omnibus Israelis Tribubus adduxerat. Sed est solutio facilis. Nam Tribus Iuda & robore, & numero, erat aliarum qualibet longè præstantior: adeò vt cùm militum numerus ex aliis Tribubus simul censeatur,seorsum tamen sæpè ponitur,qui collectus fuerat ex Tribu Iuda,tãquam aliquid,in quo ad res bellicas multum putaretur esse momenti. Hoc occurrit sæpè. Sed habemus aliquot exempla lib.1. in castris Saul; de quibus cap. 11. v.8. *Fuerunt filiorum Israel trecenta millia,virorum autem Iuda triginta millia.*Eodem modo à toto Israele viri Iuda numerantur seorsum cap.15.v.4.Accedit, quòd socij Dauid iampridem erant assueti victoriis,atque ideò illorum animus erat ad quodcunque belli pondus alacrior.Denique quia, vt constat ex l.1.Paralip.cap. 12. ex singulis Tribubus multa bellatorum millia, deserto Isboseth, transierunt ad Dauid.*De filiis Simeon septem millia centum,*v.26.*De filiis Leui quatuor millia sexcenti,* v.27. & deinde *tria millia septingenti. De filiis Beniamin tria millia,*v.29.*De filiis Ephraim viginti millia octingenti,*v.30.*Ex dimidia Tribu Manasse decem & octo millia,*v.31.*De filiis Zabulon quinquaginta millia,* v. 33.*De Nephtali triginta & septem millia,*v.34.*De Dã viginti octo millia sexcenti,*v.35.*De Asser quadraginta millia,*v.36.*Trans Iordanem de filiis Ruben,& de Gad & dimidia parte Tribus Manasse centum viginti millia,*v.37.Quare non sic erat Dauid à præsidio nudus,vt non potuerit cum instructissimis inimicorum copiis signa conferre.

Tribus Iuda aliis longè præstantior.

16.

Multi de decem tribubus adhæsere Dauidi.

Vers. 14.*Dixitque Abner ad Ioab,surgant pueri,& ludant coram nobis.*]Existimat Abulensis,q.13. hos duces non eo animo ad illum certaminis locum conuenisse, vt pugnarent; sed ex illorum puerorũ ludo,qui mutuis sese confecere vulneribus,ortam esse occasionem pugnandi.Quod nemo mihi persuaserit: quia neque illa occasio grauis fuit, cùm nulla pars castrorum accepisset iniuriam;maximè si ex vtraque parte nullus euasit superstes; neque tantus bellorum apparatus conscribi debuit ad ludicrum illud spectaculum, aut ob alias causas, veluti ad conditiones pacis, aut decidenda regni iura,aut constituenda communi studio,quæ contra Philisthinos,qui proximè Israelitici regni partem occuparant,fieri oportet.De his enim meliùs à pacatis, & inermibus in seniorum consessu, quã ab armatis in acie deliberatur. Conuenerunt igitur duo castra Dauidis, & Isboseth; hæc, vt vim afferrent, & eos, qui Dauidis partes amplexi fuerant,ad Isboseth adducerent; illa, vt vim propulsarent,& oblatum Dauidi regnum quietè retinerent. 17.

Sed quid spectarit Abner, dum pugnam illam paucorum, seu ludicrum certamen indicit, satis est obscurum.Neque enim verisimile est,cùm iam castra essent exiguo tantùm spatio discluſa,& tãtùm non expectarent tubæ sonum, tantum fuisse otij,aut inertiæ ducibus,vt oblectare se voluerint puerorum ludo:sic enim appellauit Abner,& non potiùs omnia ad congressum disponere; quando nullus inertiæ,atque otio locus est. Ego in bellis maximè longis multa video fuisse quasi præludia, quæ velitationes dicuntur; quando aliqui experiẽdi suas,aut hostium vires desiderio,aut gloriolæ militaris studio, antequàm signa conferantur, alios ad certamen singulare, aut definito numero lacessunt.Id verò non solùm permittunt duces,sed etiam optant, tum vt suorum explorent animos, & hostium vires;tum præterea, vt si minùs se paratos viderint,publicum certamen euitent. Illud faciebat sæpe Cæsar, vt ipse de se prodit lib.2. de bello Gallico: *Quotidie equestribus prælijs quid hostis virtute posset, & quid nostri auderent, periclitabatur.* Idem quoque, & eodem consilio feciſſe Maximũ, auctor est Appianus de bello Hispanico.Hoc monet Vegetius l.3.de re militari c.9. vbi hoc ducibus documentum dat: *Si aduersarium intelligit potiorem,certamen publicum vitet.Publicæ pugnæ,* ait Godescalchus,*opponitur ferè velitatio.*Hæc,credo,ratio adduxit Abner, vt pugnam hanc paucorum militum indiceret,vt illa diem illum, aut bonam eius partem extraheret, ne bellum posset totis viribus ab hoste cõmitti, & ipse nocturnis vsus tenebris, suorum cædem,quam ab hoste potentiore metuebat,effugeret.Neque enim,vt opinor, putabat tot ad Dauidem ex omnibus Tribubus auxiliares cõuenisse copias,quas paulò antè ex cap. 12. lib.1. Paralip.retulimus. Eo igitur consilio distinere potiùs voluit alacres, & ardentes inimicorum animos,quàm paucorum ludo spectantium vtrinque animos oblectare. 18.

Neque fortasse aliquis malè coniectaret, hoc ab Abner sumptum esse quasi prognosticum aliquod,seu præiudicium victoriæ;ita vt inde colligeret, 19. 20.

geret,qualis futurus esset illius certaminis euentus,quod iam imminebat.Satis enim compertum est,esse hoc Hebræis vsitatum valde, vt certa sibi signa constituerent,quibus de futuro rerum successu coniectarent. Qua de re nos pluribus lib.1. cap.14. ad illud Ionathæ,qui hoc sibi signum exitus fortunati præscripsit:*Si taliter locuti fuerint ad nos: Venite,donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro*,&c. Quòd si verum esset, Abner filiũ esse Pythonissæ,de qua lib.1.cap.29.vt putabant Hebræi, minùs esset hæc cogitatio difficilis; ab illa enim doceri potuit huiusmodi signa, quæ, quid euenturum esset, ex eo certamine portenderent. Hoc sanè habuisse Germanos diuinandi genus, tradit Cornelius Tacitus, de moribus Germanorum non longè à principio: *Est*,inquit, *& alia obseruatio auspiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius Gentis,cum qua bellum est, captiuum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committunt; victoria huius, vel illius pro præiudicio accipitur.* Ab hac cogitatione alienus non est Martinus del Rio l.4. Mag. cap.4. q.4.sect.2. & Nicolaus Serarius hîc. Mihi superior explicatio potior est.

Signa futuri euentus prognostica ab Hebræis peti, aut captari solita.

21. Vers.16. *Apprehensóque vnusquisque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarij.*]Hîc nobis aliqua sunt exploranda. Primùm, an duces paucorum horum militum victoria, aut cæde voluerint totius exercitus redimi periculum; & causam, de qua tunc videbatur orta controuersia, illorum sanguine decidi.Affirmat vnus, quod ego viderim,Magister histor.Schol. in lib.2. Reg.cap. 3.*Conuenit inter eos* (nẽpe Ioab,& Abner) *quod duodecim tantùm ex vtraque parte pugnarent.* Hoc porrò fieri solere, cùm res aliqua magna,aut publica in discrimen adducitur, non antiqua solùm, sed etiam recentia tempora testantur. Sic Homerus ex illius sæculi consuetudine fingit voluisse tam Græcos,quàm Troianos Principes causam Helenæ,Menelai, ac Paridis congressu definiri. Sic ad huius imitationem Virgilius eandem ob causam singulare Æneæ, Turnique certamen inducit.Sic Romani in Horatiorum, Curiatiorumque victoria communem causam statuerunt. Sic Argiui, & Lacedæmonij tercentos vtrinque viros commiserunt, qui communem causam pro sua quique Republica tuerentur. De quibus Valerius lib.3. cap.2. & in Paralellis Plutarchus. Et paulò ante hæc tempora hanc Goliath gentis suæ nomine Israelitico populo conditionem obtulit, lib.1. c. 17.v.8.*Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen:si quiuerit pugnare mecum,& percusserit me,erimus vobis serui; si autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis.* Neque posterioribus sæculis exempla desunt eorum, qui paucorum congressu communes deciderunt controuersias, & multorum capita ab impendente periculo redemerunt. Quorum aliqua refert Martinus del Rio l.4.disquis.Magic. cap.4.q.4. sect.2. quem tu adi. Veruntamen singularis est ista sententia,si ita censet,(neque enim satis loquitur apertè) & successus illam aut erroris, aut infirmæ saltem coniecturæ conuincit. Neque enim post illam pugnam,euestigiò totis foret viribus pugnatum;sed disceptatum esset priùs, quis omnium postremus cecidisset: stetisset enim penes illum victoria, & aliquid ante vniuersale prælium intercessisset moræ.

22. Secundò videndum,an omnes ex vtraque parte milites ceciderint. Nam textus tã Hebraicus, quàm Latinus in vtramque partem ambiguus est. Communis est sententia, nullum ex eo numero fuisse superstitem, quam ego, quia pluribus placet, veriorem puto. Nihilominùs non omninò displicet mihi,quod cum Iosepho sentit Angelomus, & Rabanus; tantùm videlicet in eo certamine periisse illos, quos ex Beniaminitica Tribu produxit Abner;& omnes alios, qui ex parte Dauidis prodierunt, extitisse victores, & incolumes. Quod ideò mihi fit verisimile, quia videtur non omninò credibile tam æquales fuisse singulorum vires,tam æqualem in pugnando peritiam,vt singula antagonistarum paria eodem prorsus modo, ac tempore perierint. Deinde,quia ratio illa, quã adducunt Interpretum plerique, initæ eodem die ab vniuerso exercitu pugnæ, infirma est. Dicunt enim voluisse vtriusque partis exercitus,qui spectatores aderant, suorum commilitonum interitum vlciscí;atque ideò conferere voluisse non solùm manus, sed etiam signa. Hæc, inquam,ratio valde est infirma. Nam satis qui in ea congressione ceciderunt, suúmque casum sunt vlti,cùm vitam ademerint illis, quorum ipsi gladio confecti sunt. Neque erat, cur alij in eos sæuire,ac dimicare debuerint, qui in illud stadium non sunt egressi, neque aliquid ad aliorum cædem contulere subsidij. Multò verò magis excitarentur ad bellum, qui suos esse victos, contrarios autem victores aspexissent, cùm clamaret effusus, & inultus commilitonum sanguis; & hostium proclamata victoria, & triumphalis gratulatio mœrentes animos in furorem accenderent. Hæc mihi non leuia videntur pro Iosephi sententia, neque translatio Vulgata magis in hanc, quàm in illam expositionem propendet. Hunc enim sensum neque obscurum, neque contortum admittit: videlicet, apprehendisse quemlibet ex acie Ioab, comparis sui caput, & in eius latera adegisse ferrum, & qui erant ex exercitu Abner, simul; id est,ad vnum omnes periisse. Adde,quòd non apparet,quo modo concertatores illi potuerint omnes sic esse constricti, vt mutuò se à capite tenuerint,& manus habuerint sic expeditas, vt eodem tempore mutuo se vulnere confoderint. De vno, aut altero id existimare mihi difficile non esset; de omnibus simul ita statuere, non est admodùm facile.

Duodecim tantum ex parte Abner videntur cecidisse.

23. De hoc congressu vivorum duodecim non est adhuc à quoquam definitum, an pugna tantùm fuerit, quæ id vnum expectat, vt aduersariũ quoquo modo conficiat;an verò gladiatorius aliquis ludus, in quo pugnandi certa proponitur lex, & in quo non solùm spectatur robur ad vulnus inferendum, sed etiam palæstra, vt non solùm vtilis sit, sed etiam elegans vel petitio, vel declinatio plagæ. Cúmque hac in re nihil appareat certum, neque aliqua se ostendat coniectura grauis: tamen eò magis inclinat assensio,vt reuerà ludus fuerit,sed barbarus,& gladiatorius, cuius est alea collusoris vita. Quorum apud Romanos fuerunt multa genera,de quibus in suo Agonostico Petrus Faber,& in Saturnalibus Lipsius. Vbi certæ constituuntur leges,& armorum,atque habituum genera;& certa quędam pugnandi forma,quam qui in pugnando non seruauerit, non censetur pugnasse legitimè. Istæ quidẽ pugnæ dicuntur ludi, cùm tamẽ ferè sẽper collusores de vita,& sanguine certẽt.Quia exhiberi solẽt,nõ in castris,& acię pro tuẽdis,aut amplificãdis imperij finibus;sed in theatris,ad celebrãdos Principũ triumphos,aut si quid cõtigit publicis,aut priuatis cõmodis opportunum.Sic videtur existimasse Abulensis,q.14.dũ

Certamen duodenorũ militũ quasi ludus quidã videtur fuisse gladiatorius.

ait, viros illos in ſtadium quaſi inermes prodiiſſe; quod certè non facerent, ſi tantùm quærerent colluſorum interitum: attuliſſent enim tegumenta, qualia afferri ſolent in acie, & clypeos ad excipiendos ictus; quos ſanè non habuerunt, quando altera manu dicuntur apprehendiſſe antagoniſtarum capita, & altera in eorum latera adegiſſe ferrum. Sanè non videntur habuiſſe aliquod capitis tegumentum, quando, vt Abulenſis putat, à crinibus apprehenſi ſunt. Hoc verò videbantur præſcripſiſſe illius certaminis gladiatorij leges; ſicut illud, vt caput quiſque apprehenderet aduerſarij. Neque enim veriſimile eſt, omnes inuolaturos fuiſſe in aliorum capita, niſi ita præciperent theatrales leges. Quod vbi primùm eſſent aſſecuti, ſtatim, vt opinor, permittebantur rem agere ferro, vt docent hi omnes colluſores, qui nō priùs dicuntur apprehendiſſe gladium, quàm concertatorum apprehendiſſent capita. Quod ſanè non videntur facere potuiſſe, ſi alteram manum haberēt impeditam gladio. Accedit, quòd hi luſuri dicuntur potiùs, quàm pugnaturi: ſic enim de illis Abner. *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* Verbum Hebraicum eſt, פנו *ſachac*, quod nunquam pugnandi conatum importat, ſed riſum, & ludum.

14. Quomodò quiſque comparis apprehenderit caput, etiam incertum. Abulenſis apprehenſos dicit eſſe hoſce concertatores à capillis; vnde etiam colligo, hunc ludum fuiſſe gladiatorium. Quis enim ſi ad vulgare prodiiſſet, & hoſtile certamen, non texiſſet caput galea; aut non etiam muniiſſet pectus, & latera? At his caruiſſe videntur gladiatores iſti, quando à crinibus apprehenſi ſunt, & prima gladiorum petitione confoſſi. Potuiſſe autem à crinibus teneri ſuadet illius gentis conſuetudo, quæ longam aluit comam, qualem eodem penè tempore habuit Abſalom, à qua ſuſpenſus è quercu ab hoſtili lancea tranſuerberatus fuit. Addit Abulenſis, omnes vno tantùm vulnere fuiſſe confectos, neque opus fuiſſe ſecundum addere; quod quidem difficile eſt, neque vt id verum eſſe exiſtimemus, vim vllam affert textus.

15. *Vocatumque eſt nomen loci illius, Ager robuſtorum in Gabaon.*] Frequens eſt, non in Scriptura ſolùm ſacra, ſed etiam profana, vt ab aliquo ſucceſſu loca nomen accipiant; vt obſeruauimus lib. 1. cap. 7. ad illud: *Vocauit nomen loci illius lapis adiutorij.*

Verſ. 17. *Et ortum eſt bellum durum.*] Concer-
16. tatio illa, & gladiatorius ille paucorum ludus magni præludium fuit; atque cruenti belli. In quo tam Abner, quàm qui illius ſequebantur ſigna, re deſperata conuerſi ſunt in fugam. Cúmque Aſaelis ea eſſet in curſu velocitas, vt ſylueſtres capreas pedum pernicitate præuerteret, ex omnibus vnum elegit exercitus Principem Abner, quem perſequeretur fugientem, vt imperatoriis oneratus exuuiis gloriam obtineret inter alios eximiā, ad quam iuuenilis ardor aſpirabat. Cúmque ſemel, atque iterùm admonitus eſſet ab Abner, vt aliunde ſibi militarem aucuparetur gloriam, ni vellet luere haſta confoſſus iuuenilem audaciam, perſtitit ille nihilominus in eodem ſtudio, vel quia cæco ferebatur impetu ad nobilem de Imperatore palmam; vel quia ſumendum non putabat ab hoſte conſilium. Dum autem Aſael fugiēti hæreret obſtinatò, Abner aut pertinaciæ illius iuuenilis impatiēs, aut quia ad ſuum honorem pertinere exiſtimabat adoleſcentem illum moleſtum abigere, quod ſuadendo non potuit, pugnando conſecutus eſt. Auerſa etenim haſta, non mucrone, ſed conto (quod argumentum fuit, quàm inuitus ad extremum illud, & decretorium conſilium eſſet adductus) tranſuerberauit illum, reliquitque eodem loci veſtigio, momento temporis, exanimem. Vulgatus ait, Aſaelem percuſſum in inguine, ſicut etiam dixere Septuaginta. Hebræus habet חמש *chomes*, quod *quintam* valet; quaſi dicat, percuſſit ad quintam coſtam, quæ eſt ad ilia, ad eam regionem, vbi fellis, & iecoris ſedes eſt. Et quidem quinta coſta non longè abeſt ab inguine, quod aliquam in humano corpore latitudinem habet.

Verſ. 22. *Et leuare non potero faciem meam ad* 17.
Ioab fratrem tuum.] Non dubitabat Abner venturum aliquando totum Iſraelis imperium ad Dauidem, quia illum ſciebat ad Regium nomen iam anteà à Samuele deſignatum. Cúmque futurum præſagiret, vt primum locum apud illum habiturus eſſet Ioab, quem videbat tunc exercitui toti fuiſſe præpoſitum, ſuæ incolumitati cauebat, ne fortè propter Aſaelis mortem aliquid ſibi ab illius fratre obueniret mali. *Leuare faciem ad aliquē*, eſt illius vultum intueri: quod facere neque ſolent, neque audent, niſi frontem perfricuere, qui in alios grauius aliquid admiſerunt; quale eſt, alicuius fratrem occidiſſe. Quare is, quem facti pudet, dicitur *vultum demittere, deiicere oculos, in terrā intueri.* Hiſpanus in ſimili affectione dicit: *No ſe atreue à mirarle al roſtro.*

Verſ. 23. *Omneſque, qui tranſibant per locum illum* 18.
in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.]
Magno animorum ardore, & incitato curſu ſuos inſequebantur hoſtes, qui Dauidis ſequebantur ſigna: at illorum fregit animos, & retardauit greſſus in medio curſu exanimatus Aſael. Ex quo diſcent viri potentes, ſi illos cadere contingat (cùm non poſſunt illorum caſus non eſſe conſpicui, cùm in loco ſint excelſo, & quaſi in media via; atque ideò non poſſint alij in illos non offendere) quanto aliis poſſunt eſſe nocumento, cùm reuerà aliorum incidant ad egregios conatus animi neruos, & in maximo etiam conatu in ipſo ad virtutem curſu ſubſiſtere faciant. Fecit hoc idem poſteà dux Amaſa, c. 20. qui cùm iaceret interfectus in via, remorabatur properantes. Quare fecit quidam prudenter, qui cùm obſeruaret, quanto aliis foret impedimento: *Amouit Amaſam de via in agrum, operuitque eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum. Amoto ergo illo de via tranſibat omnis vir*, &c. Si Principum peccata celari poſſent, & amoueri de via, magnum ſanè inferiori turbæ ſublatum eſſet ad virtutem ſcandalum. Sed quis erit tam prudens, & conſtans, qui aut norit, aut audeat amouere de via, & tegere pallio, ac denique facere, ne omnium oculi in illorum ruinam intenti ſint?

Principum lapſus valde populo noxius.

Verſ. 24. *Perſequentibus autem Ioab, & Abiſai fu-* 19.
gientē Abner, &c.] Cùm ad occidentē vſque ſolē Ioab perſequeretur fugientem Abner, eúmque ad editum quendam locum compuliſſet, qui commodior ad reſiſtendum videbatur; ad illum ex viris Beniamin conuenere nō pauci, qui ex militari diſciplina in cuneum conglobati, excipere poſſe videbantur irruentes hoſtes.

Verſ. 26. *Num ad internecionem tuus mucro deſa-* 20.
ciet?] Ex eo loco Abner, quos armis non poterat, oratione voluit ab impetu vlteriore reprimere. Quare cōuerſus ad Ioab, qui magis acuebat inſequētiū animos, edocet nō expedire duriùs vrgere deſperantes; ſatis eſſe factū illo die, cùm ad illum

locum

locum sint hostes adacti, neque pauci aut in acie, aut in fuga sint extincti; neque decere, vt omnes subeant hostile ferrum, cùm eodem sint prognati parente, & eisdem sacris, ac religione coniúcti; id enim totum fratrum nomine significatur.

An ignoras quod periculosa sit desperatio?] Monet
31. Abner, licèt hostis, amicè, & sapienter, non esse duriùs vrgendos eos, qui pro capite certant, quãdo spes tantùm posita est in armis: tunc enim luctuosa solet relinqui victoria, & paucorum mors multorum sanguine constare. Quod præceptum maximè olim commendatum est, & ab strenuis ducibus, cùm maximè cuperent hostes esse deletos, obseruatum diligenter. Sic sanè docuit Vegetius lib. 3. cap. 21. *Plerique*, inquit, *rei militaris ignari pleniorem victoriam credunt, si aduersarios aut locorum angustiis, aut armatorum multitudine circumdederint, vt aditum non inueniant abscedendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido, libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum. Ideóque Scipionis laudata sententia est, qui dixit viam hostibus, qua fugiant, muniendã.* Hæc Vegetius, qui ad finem capitis addit: *Cæterùm clausi, licèt exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud ibi licere non posse.* Et adducit Virgilianum illud 2. Æneidos:

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Et iterùm ea de re lib. 4. cap. 25. vbi adducit præ-
32. clarum illud apophthegma: *Necessitas quædam virtutis est desperatio.* Idem docuit Seneca l. 2. Natural. q. c. 59. *Nullus*, ait, *perniciosior est hostis, quàm quem audacem angustiæ faciunt; longéque violentiùs semper ex necessitate, quàm ex virtute corrigimur. Maiora, aut certè paria conatur animus magnus, & perditus.* Hoc porrò præceptum magni in omni sæculo Imperatores seruarunt, vt fugere sinerent hostes in magnas aliquas angustias, & in extremam pugnandi necessitatem adactos. Plura inuenies exẽpla apud Frontinum lib. 2. stratag. cap. 6. cuius titulus est: *De emittendo hoste, ne clausus prælium ex desperatione redintegret.* Notum est illud prouerbium,

A *Osculana pugna*: quo significatur, victores aliquando à victis superari solitos.

Vers. 27. *Et ait Ioab: viuit Dominus, si locutus es-* 33.
ses, manè recessisset populus.] Hinc constat, prouocatum Dauidem conscripsisse copias, & coactum cum aduersariis castris fuisse congressum: cùm tã facilè Ioab ab hoste persequẽdo & destiterit ipse, & alios buccinæ clangore cohibuerit; quod credo à Rege suo in mandatis habuisse. Neque leuis hinc coniectura sumitur, ex viris Beniamin tantùm cecidisse duodecim, & ex illo colluforio seu gladiatorio certamine totidem ex Dauidis acie fuisse superstites; quod putabat Iosephus, & nos suprà censebamus non improbabile. Ortum enim videtur prælium ab Abner, qui vlcisci voluit illorum cædem, quos ipse ex toto exercitu ad singulare certamen elegerat. Tam enim aberat Ioab, vt hostes cunctantes ad conflictum lacesseret, vt manè, quando fortasse nondum erant signa collata; si modò id Abner sibi gratum, aut commodũ esse significaret, milites suos neque paucos, neque ignauos contineret in castris, neque contra fratres suos quicquam moliri pateretur. Quod, credo, non faceret Ioab, si ex suis duodecim quoque viri cecidissent Ex quo etiam constat, manè; id est, ante meridiem statim atque gladiatorium illud certamen finitum est, collata fuisse signa & primo congressu, aut non longè posteà, acies Abner in fugam fuisse conuersas: quando apertè dicit Ioab cessaturum à persequendo populum, si manè locutus esset Abner.

B

C Vers. 28. *Insonuit ergo Ioab buccina: & stetit omnis exercitus.*] Hæc ad finem capitis obscura non sunt. Tantùm enim habemus, rediisse Abner, & belli reliquias, quas collegit ex fuga transmisso Iordane, ad castra, vnde profecti fuerant; & Ioab in Hebron, quò peruenit matutino crepusculo; & ex castris Ioab cecidisse triginta, si numeres Asaelem, qui in parentum suorum sepulchrum illatus est in Bethlehem; ex castris autem Abner trecentos & sexaginta.

IN CAP. III. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

HINC orta est inter Saulis, Dauidisque domos, atque factiones longa concertatio; successu tamen longè dissimili: augebatur enim quotidie magis Dauidis; Isboseth autem minuebatur potestas, & gratia. Intereà verò ex variis vxoribus in Hebrone numerosam sobolem suscepit Dauid. Sicut Saulis tempore priùs, sic etiam tunc Abner princeps erat exercitus: hic cum Saulis concubina nocturnam habebat consuetudinem magis familiarem, quàm pudicos deceret; qua de re Isboseth cum Abnere duriùs expostulauit. Tulit hoc Abner molestè, quòd contumeliam, & iniuriam pro tot meritis referri sibi iudicaret ab Isboseth. Quare illi dixit curaturum se, vt regnum ad Dauidem; id est, ad regem designatum à Domino transiret. Neque segnior in minarum executione fuit, quàm fuerat in minando seuerus: scripsit enim statim ad Dauidem, & quid de transferendo Regno cogitet, edicit. Laudauit eius studium Dauid: rogauit tamen, vt non priùs ad se veniret in Hebron, quàm Michol vxorem suam, & Saulis iniuria alteri iniquè desponsatam sibi restituat, quod facilè, licet repugnante, atque lugente viro, præstitit Abner. Cúmque in suam sententiam frequentes ex Israele toto viros adduxisset, profectus est ad Dauidem, quem ille excepit & hilari vultu, & splendido conuiuio. Audiuit Ioab qualem se Dauid in Abnerem præstiterit, tulitque priuatis de

cauſis perquàm moleſtè. Quare adit Regem, factum exprobrat, & in perfidiæ ſuſpicionem conatur trahere Abnerem. Cumque nihil verbo profeciſſet, rem gladio tentat: reuocauit enim Abnerem Regis nomine, & incautum opprimit adacto in viſcera pugione. Indoluit Dauid, vt par erat, vehementer, & dira in Ioab imprecatione: tum etiam edicens, vt omnes in Abneris exequiis veſtimenta conſcinderent, ſuam omnibus in illius cæde innocentiam oſtendit. In cuius parentalibus ſacris elegans quoddam epicedium compoſuit, neque in eodem die ad noctem vſque ieiunium ſoluit. Quod verò ex homicidio eo tempore pœnas non exegerit, vt optabat, fecit, quòd nondum res eſſent regni conſtitutæ, & vires adhuc infirmæ.

CAPVT TERTIVM.

1. FActa eſt ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid: Dauid proficiſcens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.

2. Natique ſunt filij Dauid in Hebron: fuítque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraelitide.

3. Et poſt eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porrò tertius Abſalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Geſſur.

4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphatia, filius Abital.

5. Sextus quoque Iethraam de Egla vxore Dauid, hi nati ſunt Dauid in Hebron.

6. Cùm ergo eſſet prælium inter domum Saul & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domum Saul.

7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Reſpha, filia Aia. Dixítque Isboſeth ad Abner.

8. Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboſeth, ait: Numquid caput canis ego ſum aduerſum Iudam hodie, qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requiſiſti in me quod argueres pro muliere hodie?

9. Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo,

10. Vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iudam, à Dan vſque Berſabee.

11. Et non potuit reſpondere ei quidquam, quia metuebat illum.

12. Miſit ergo Abner nuncios ad Dauid pro ſe, dicentes: Cuius eſt terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuerſum Iſrael.

13. Qui ait: optimè: ego faciam tecum amicitias, ſed vnam rem peto à te dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: & ſic venies, & videbis me.

14. Miſit autem Dauid nuncios ad Iſboſeth filium Saul, dicens: Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſthiim.

15. Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel, filio Lais.

16. Sequebatúrque eam vir ſuus, plorans vſque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & reuertere. Qui reuerſus eſt.

17. Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael, dicens: Tam heri quàm nudiuſtertius quærebatis Dauid vt regnaret ſuper vos.

18. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus eſt ad Dauid, dicens: In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populum meum Iſrael de manu Philiſthiim, & omnium inimicorum eius.

19. Locutus eſt autem Abner etiam ad Beniamin. Et abiit vt loqueretur ad Dauid in Hebron omnia quę placuerant Iſraeli & vniuerſo Beniamin.

20. Venítque ad Dauid in Hebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner, & viris eius qui venerant cum eo, conuiuium.

21. Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, vt congregem ad te dominum meum regem omnem Iſrael, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua. Cùm ergo deduxiſſet Dauid Abner, & ille iſſet in pace,

22. Statim pueri Dauid & Ioab venerunt, cæſis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiſerat eum, & profectus fuerat in pace.

23. Et Ioab, & omnis exercitus qui erat cum eo, poſtea venerunt: nunciatum eſt itaque Ioab à narrantibus, Venit Abner filius Ner ad regem, & dimiſit eum, & abiit in pace.

24. Et ingreſſus eſt Ioab ad regem, & ait: Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te: quare dimiſiſti eum, & abiit & receſſit?

25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam

ad hoc venit ad te, vt deciperet te & sciret exitum tuum & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis?

26. Egressus itaque Ioab à Dauid, misit nuncios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira, ignorante Dauid.

27. Cúmque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius.

28. Quod cùm audisset Dauid rem iam gestam, ait: Mundus ego sum, & regnum meum apud Dominum vsque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner;

29. Et veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.

30. Igitur Ioab & Abisai frater eius interfecerunt Abner, eo quòd occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon in prælio.

31. Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. Porrò rex Dauid sequebatur feretrum.

32. Cúmque sepelissent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner: fleuit autem & omnis populus.

33. Plangénsque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner.

34. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminánsque omnis populus fleuit super eum.

35. Cúmque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem vel aliud quidquam.

36. Omnísque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi.

37. Et cognouit omne vulgus & vniuersus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset à rege vt occideretur Abner filius Ner.

38. Dixit quoque rex ad seruos suos: Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israël?

39. Ego autem adhuc delicatus, & vnctus rex: porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.

IN CAP. III. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid.*]

1. LONGO tempore inter duas hasce familias certatum est, non præliis vtrinque commissis (neque enim constat, castris inter duos Principes esse certatum, nisi semel, eo nimirùm congressu, de quo proximè) sed studiis. Cùm enim horum quilibet sibi persuaderet deberi sibi totius Israëlis, quàm latè pateret, Imperiũ; Isboseth quidem, quia parenti Regi succedere debuerit; Dauid autem, quia ad illud euocatus fuerit, & vnctus à Domino. Quare vtérque studebat retinere illos apud se, qui vltrò aduenerant, & ex aliis Tribubus nouos quotidie socios adiungere. Hæc autem appellatur hoc loco concertatio, in qua Dauid fuit tam in retinendis, quàm in conciliandis animis multò felicior; ad illum enim fiebat in singulos dies ex omnibus Tribubus multorum accessio, ab alio quotidie plurimi ad Dauidis castra deficiebant. Neque id mirum, cùm in Dauide ingenium agnouissent humanius, magísque liberale, fortitudinem eximiam, & in rebus administrandis prudentiam, cui semper aderat euentus felix, & fortuna melior: deinde electum audierant à Deo, sicut etiam reprobatum Saulẽ, & ab huius domo ad illum regnum iri translatũ. Hinc res vtriusque dissimilem semper habuerunt statum, & formam. Dauidis enim domus amplior quotidie fiebat, atque robustior; Saulis autem & opinione vilior, & conditione deterior.

Vers. 2. *Natique sunt filij Dauid in Hebron.*] 2. Septem annis, vt diximus, & sex mensibus commoratus est Dauid in ciuitate Regia, regníque Iudaici metropoli Hebron. Quid ibi egerit tot annis, breui quadam complexione narratur præcedenti capite, & tribus sequentibus. Primùm ostenditur, quas Dauid in illa ciuitate vxores duxerit, & quos ex illis susceperit filios. Cætera aperta sunt. De Egla, & de Maacha aliquid obseruandum. Maacha filia esse dicitur Tholmai Regis Gessur, ex qua natus est Absalom. Hunc Regem Gentilem fuisse constat; quia quo tempore commoratus est Dauid in Siceleg, cùm nunquam ex Israëliticis finibus egressus esset prædas; huius tamen Regis fines populabundus ingressus est. libro 1. capite 27. vers. 8.

Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis. Hoc autem ipso tempore fuisse Regem Gessuri, docet satis hic locus; & longè pòst fuisse proprium in ea regione Regem, liquet ex lib.2.capite 13.v.37. vbi Absalom dicitur fugisse ad Tholmai Regem Gessur,nempè auum suum, & apud illum tribus annis vixisse.

3. Sed est hîc,quod explorare oportet. Nam libro hoc cap. 2. v.9. Isboseth dicitur Rex constitutus *super Galaad, & super Gessuri.* Vnde neque Dauid potuisse videtur ducere vxorem filiam Regis Gessuri;quia tunc non erat Rex: neque posteà Absalom tandiu apud illum Regem commorari. Nam Dauid totius Israëlis Imperium occuparat, cùm ab illius conspectu fugit Absalom. At Gessuri pertinere ad Israëlis terminos constat ex lib. Iosue 13.v.13. *Noluerúntque dispердere filij Israël Gessuri,& Machati, & habitauerunt in medio Israël vsque in præsentem diem.* Hic porrò Rex Gessur,& Gessuræi omnes inter Israëlitas habitabant; & cùm nihilominùs sacris essent addicti Gentilicis,Israëlitarum Regibus seruiebant,aut conferendo quotannis certa tributa,aut alio modo seruitutis, aut subiectionis statum significando. Quare cùm nuper,cap.2. Isboseth constitutus esse traditur Rex super Galaad,& Gessuri,ius nouum quoddam acquisiuit, vt populi illi sicut aliis Regibus antè fuerant; sic etiam ipsi forent vectigales. Ita Abulensis in cap.1. q.11. Accepit autem Æthnici Regis filiam vxorem; quia aut illa capta fuit, & iuxta præcepta Deuter.cap.21. tradita, ad Israëlitarum familiam traducta:quod non probat Abulensis q.4.Aut quia deseruit patriam religionem, & ad Israëlitarum sacra, & instituta transfugit; tunc fas fuit viro Israëlitæ vxorem ducere genere Gentilem,dummodò Israëlitidem professione. Sicut Booz Bethlehemites proauiam Dauidis Ruth Moabitidem vxorem duxit, quia antiquæ religionis oblita Israëlitarum sacra complexa est: & hoc Abulensi probatur magis.

4. De Egla non est minor apud auctores difficultas.Hebræi Michol esse putant Saulis filiam, quã primã omniũ duxit Dauid.Quod ideò sibi persuadent, quia vxor vocatur Dauidis, quod nomen aliis fœminis hoc loco non tribuit.Ita Hieronymus in tradit.Hebr. Quòd si quisquam obiiciat, Michol vsque ad mortem nullum suscepisse filium;quod Scriptura tradit infrà, cap.6. v.23. sic interpretantur illum locum, nunquam Michol vsque ad diem mortis suæ peperisse filium; peperisse autem eo die,quo mortua est;quia in ipso pariendi nixu animam egit, quemadmodùm Rachel in partu Beniamin.Quia verò peperisse dicitur in Hebron, quo tempore non fuerat ablata à complexu,thalamóque Phaltielis;respondent,aliquot annis postquàm Dauid cepit Ierusalem, & eam,Hebron relicta,constituit totius imperij caput,rediisse Michol in Hebron,quo tempore Dauid excesserat Hierosolyma,fugiens Absalomem, & ibi enixam esse Iethraã. Faciliùs illi dicere potuissent,antequàm Dauid reliquisset Hebron,suscepisse filium ex Michol,qui inibi natus est. Satis enim moræ in Hebron post restitutam Michol positum est,vt concipi, edique potuerit filius Iethraam;quia fortasse plus biennio à morte Isboseth commoratus est Dauid in Hebron,antequàm inde regni sedem transferret Hierosolymam. Neque huic expositioni quicquam incommodat, quod cap.6.Michol negatur suscepta proles. Illud enim supplicium quoddam fuit illius conuitij,quo insultauit Dauidi,quando numeroso, atque harmonico saltu redeuntem Arcam fœderis præcedebat. Ante illud autem tempus quis neget potuisse non vnum,sed plures edidisse filios? Sic posset illa Hebræorum cogitatio explicari non difficilè.Sed non est sine dubio hîc quicquam cogitandum de Michol; neque ego hîc tandiu fuissem immoratus, nisi viderem id non Hebræis solùm,sed aliis etiam ex nostris placuisse. Sic sanè putant Angelomus, Lyra, Caietanus; inclinant Magister histor.Schol.Dionysius,qui aliter locum istum accipiunt:nimirum *Eglam* non esse nomen proprium,sed commune omnibus vxoribus; significat enim *vitulam*,quæ aliquid sonat dilectum, & pulchrum. Quomodò Samsonis spõsa Iud.cap. 14.*vitula* vocatur:*Si non arasseti in vitula mea.* Cùm ergo Dauid omnium maximè dilexisset Michol, illa omnium etiam maximè appellari *vitula* potuit.Atque ideò hunc putant esse sensum: ex Michol vxore omnium maximè dilecta natus Iethraam.Ego cum Abulensi, Iosepho,Vatablo,puto Eglam nullo modo fuisse Michol,sed vxorem, cuius proprium nomen fuerit Egla, Cuius mihi grauissima ratio est, quòd ita conuerterunt cum Vulgata, Septuaginta, Chaldæus, & recentiores omnes. Et cùm aliæ vxores eo ordine numerentur,quo à Dauide ductæ(vt facit verisimile, quia priori loco numerantur Achinoam, & Abigail, quæ ante alias, quæ hîc numerantur, in Dauidis thalamum venerunt) non debuit posteriori loco numerari, quæ vxorum omnium prima, ac nobilissima fuit.

6. Neque ratio illa, quæ alios in eam cogitationem induxit,eiusmodi est,vt vim aliquam afferat repugnanti. Nam primùm omnes illæ veræ fuerunt vxores, licèt non omnes æquè nobiles,aut æquè dilectæ. Et de Achinoam,& Abigail dubitare nefas, cùm apertè habeamus lib.1. cap.27,v. 3. Neque primus locus in nuptiarum ordine maiorem nuptæ dignitatem conciliat; licèt de filiis alia ratio sit, inter quos ille in bonis primo censetur loco,qui in nascendi ordine antecessit alios. Neque Bersabee, quæ longè post hæc tempora coniugali cum Dauide nexu copulata est, ideò minùs fuit dilecta, aut aliis posthabita, quando illius filius Salomon plurimis aliis in obtinendo regno prælatus est.Quid ergo nunc Egla appellatur *vxor*,aliæ non item? Quidam ideò Eglam vxorem hoc loco numerari putant,quia nihil aliud habuit eximium,quo cognosci, aut nobilitari potuerit. Sed ab illis, qui pauci non sunt, libens doceri vellem,cur aliarum, quarum neque genus proditur,neque adhibetur aliquid,quod auctoritatis aliquid conciliare possit, hoc idem *vxoris* nomen non attribuitur. Quid aliud habet Haggus, quid Abital, & tamen *vxores* non appellantur? Ego hîc figuram quandam agnosco, quam Græci *zeugma*,Latini *adiunctionem* appellant, quæ ad vnam vocem multas orationes adiungit; seu, quod idem est,vnam vocem ad orationes multas. Quo modo dixit Paulus ad Ephes.4. *Omnis amaritudo,& ira,& indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis.* Et 2.Cor.9.*Neque adulteri,neque rapaces,neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Vbi *possidebunt*, & *tollatur*, in orationibus singulis repetenda sunt.Sic Maro lib.3.Æneid.

Troiugena interpres diuûm,qui numnia Phœbi,
Qui volucrum linguas,qui præpetis omina pennæ,
Qui tripodas,Clarij lauros,qui sydera sentis.

Vt autem hîc vox quædam, quæ ad extremum clausulæ

Michol an aliquando filios conceperit.

Filij in bonis primo loco sunt, qui in nascendi ordine antecedunt.

clausulæ collocatur, in singulis periodi partibus iteratur; sic etiam vox *vxor* singulis fœminis, ex quibus Dauid filios suscepisse traditur, adhibenda est. Hoc modo *de Achinoam vxore, de Abigail vxore, de Maacha vxore*, &c.

7. Vers.8. *Nunquid caput canis ego sum?*] Optimè de Saulis domo semper, ex quo in illam Israëlis regnum inductum est, meritus fuit Abner, quia pleráque anteà, Saule verò mortuo, omnia administrauit bella. Sed præsertim Isboseth, quòd regnaret, & quòd parente mortuo, aliquo esset apud suos in loco, vni Abneri debuit. Quamobrem tulit admodùm impatienter, & ægrè, obiurgari se ab illo, quem tot modis, & tot beneficiis obligatum sibi esse arbitrabatur. Cùm enim cum Respha Saulis concubina, Saule mortuo, plus quàm honestatis, & affinitatis ratio patiebatur, consuevisset, id liberiùs exprobrauit Isboseth, quàm vellet, & sperabat Abner. Quare inflammatus ira, cum amaro fastidio sic suum est alumnum allocutus: *Nunquid caput canis ego sum?* Quæ vox videtur vsum habere prouerbij, quod sic explicant Hebræi, vt Hieronymus refert in tradit. Hebr. *Propter te, & propter domum patris tui dicor caput canis esse contra Iudam, eò quòd non reducam domum Israël ad Dauid, quem scio vnctum esse Regem, & regnaturum super vniuersum Israël. Caput canis se dicit esse; id est, vilem, eò quòd à domo Iuda sic haberetur sicut latratus canis, eò quòd princeps esset canum; id est stultorum hominum.* Hæc Hebræi, quæ ad vnum sumit, & sequitur Angelomus. Abulensis q.7. sic exponit: *Indignè me ego opposui pro te vsque hodie contra domum Iuda, ita vt vocarer caput canis propter misericordiam, quam faciebam tibi. Sed iam non vocabor caput canis, quia ego non resistam domui Iudæ, sicut hactenùs restiti* Vel aliter; quia canes sunt litigiosi, & molesti, caput canum erat Abner, quia cæteri de Israël non latrassent, nec mouissent bellum contra Dauidem, nisi illos quasi canum illorum princeps Abner ad latratum, & rixam incitasset.

8. Ego quid sentiam, paucis expedio. Primùm puto *canis caput* iuxta Hebræorum idioma vsurpari pro cane: sæpè enim Hebræi res per ipsarum caput circumscribunt. Quod nos pluribus ostendimus in nostris Commentariis super Isaiam, ad illud cap. 35. *Lætitia sempiterna super caput eorum.* Et proximè cap.1. ad illud: *Sanguis tuus super caput tuum.* Deinde in *cane* rem significari vilissimam, & maximè odiosam; quod tenet Lyra, & ex Scriptura sacra probatur non difficilè ita significanter, ac frequenter, vt non dubitem, in *cane*, aut *canis capite* figuram esse prouerbialem. Sic Dauid 1.Reg.24. v.15. canem se mortuum vocat: *Quem persequeris Rex Israël, canem mortuum?* Sic Miphiboseth ad Dauid infrà, capite 9. v.8. *Respexisti super canem mortuum similem mei.* Et capite 16.v.9. sic Abisai ad Dauid de Semei: *Quare maledicit canis hic morituris domino meo Regi?* Tam porrò canis odiosus erat Deo propter impudentiam, opinor, quæ etiam apud profanos in prouerbium abiit (vnde impudẽtem dicimus *oculos*, aut *faciem* habere *caninam*) vt æquè à templo & mercedem prostituti corporis, & pretium canis remoueri iusserit. Deuter. 23. v.18. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quicquid illud est, quod voueris: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Vilissimum aliquid significauit proculdubio in canibus Iob, capite 30. v.1. cùm homines quosdam dicebat sic esse abiectos, vt neque cum canibus, animalibus nempè vilissimis, & inhonestè fœtentibus, putauerit esse comparandos; aut non esse dignos, quibus alendorum canum curam committeret. *Quorum*, ait, *non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei.*

Prouerbia, canis. aut caput canis pro re vilissima.

Ex his ego hanc explicationem, neque, vt opinor, violentam deduco. Primùm, vt exprobret Abner Regi Isboseth obliuionem toties collati beneficij, quem sic tractarit, quasi homo foret vilissimus, & canis mortuus; (hoc enim puto subaudiri, quia sæpè, vt diximus nuper, dum rem vilissimam, & inutilem explicare volumus, cum *cane, mortuum* etiam coniungimus) cùm tamen contra Iudam, & Dauidem, quem Iuda sibi Regem constituerat, non se vt mortuum canem, sed vt acerrimum leonem iterùm, & sæpiùs exhibuerit; cùm illi regnum tradiderit, & pro tuendo regno strenuè dimicauerit contra Iudam; quod nõ præstaret canis inani, molestóque latratu, præstitit leo acer, & impauidus, qui ad nullius exhortuit occursum. Videtur præterea his verbis indicare magno se in pretio haberi à Dauide, & his, qui Dauidis castra, & studia sequebantur. Quasi dicat; non me canem mortuum putant esse Dauidis commilitones, & asseclæ; sed leonem viuum, qui plus in me virtutis esse putant ad retinendum regnum, & in Patris anteà, & nunc in tua potestate, quàm in reliquis aliis: quique magni emerent, si quo modo vellem ipsorum fouere partes; & quod nunc mea virtute distineo, Israëliticum regnum cum Iudæo coniungere. Canis tibi videor, sed non me canem experti sunt viri Iuda, aut qui nunc tibi, aut qui anteà parenti tuo infensis armis occurrerunt. Huic explicationi accommodatissimè subditur. 9.

Et tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie.] Quasi diceret; cùm deberes sedulò meditari tecum, quo modo tot compensares merita, & ornares officiis, quem tam in tuis rebus expertus fueras vigilantem; quæsiisti tamen, & commentus es, quod in me reprehenderes huius mulieris causa. Ex his verbis quidam coniectant, nullam in ea concubina illatam iniuriam Saulis thalamo ab Abnere, sed id suspicatum Isboseth. Et quidem de Abneris cum Respha consuetudine nihil docet textus: tantùm audimus ea de re ab Isboseth reprehensum Abner. Sed est verisimilius, finxisse nihil Isboseth, aut in ea suspicione fuisse deceptum. Flagitium enim illud non sic erat eo tempore inusitatum, vt etiam viri auctoritate principes illud perhorrescerent. Neque eo tempore alienasset à sui studio Isboseth tantũ ducem, quando magis videbat suum quotidie defluere, & Dauidis Imperiũ in singulos dies magis adolescere. Neque mirum, si Abner excogitatum dixerit ab Isboseth, non inuentum flagitium; quia non facilè fatentur homines aliquid à se indecorè patratum; & dum in ipso scelere comprehensi non sunt, aut præcisè negant, aut aliquam excusationis speciem obtendunt. 10.

Vers.9. *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodò iurauit Deus Dauid*, &c.] Suum Abner diris execrationibus deuouet caput, nisi irrogatam sibi vlciscatur iniuriam, & re ipsa cum magno sui capitis, & dignitatis incommodo experiatur, quem anteà custodem, & patronum habuerit, & quem posteà aduersarium sit habiturus. Minatur enim curaturum se, vt omnes omninò Tribus Dauidem Regem agnoscant, & sequantur, sicut illi à Domino promissum, & illi deberi ignorat nemo. Qua responsione sic est concussus vehementer, vt nec hiscere quidem ausus fuerit; timebat enim illum, vtpotè in quo maior esset, quàm in ipso, potestas. 11.

Vers.12.

12. Vers.12. *Misit ergo Abner nuncios ad Dauid pro se,dicentes: cuius est terra ?*] Cùm ergo statuisset Abner iniuriam vlcisci,quam illatam suo nomini ab ingrato Rege interpretabatur,præmisit ad Dauid nuncios,quia neque certus erat,quo esset Dauid animo,neque tutum putabat, antequàm suorum tentaret sensus, & studia, quicquam moliri. Legationis verò hæc erat summa:In Abneris manu rem esse Israëliticam, & posse facilè in quamcúmque vellet partem inflectere, vel retinere in Isboseth potestate, vel ad Dauidis studia, potestatémque traducere. Deinde cupere se cum Dauide fœdus inire pacis; quod si consequeretur, perfecturum se, vt Israël vniuersus Regem illum agnosceret.

13. Vers.13. *Qui ait: optimè, ego tecum faciam amicitias,sed vnam rem peto à te,* &c.] Accipit libenter Dauid conditionem oblatam,neque recusat amicitiam, quam ipse, opinor, offerret non grauatè; petit tamen, ne priùs ipse ad se veniat,quàm Michol vxorem suam,quam suæ vitæ periculo compararat, dum centum Philisthinorum præputia Sauli socero numerare vult,ad se reducat. Quid Abner ad hæc Dauidis postulata responderit, in Sacra historia non legimus; ex consequentibus verò non difficilè coniectare possumus. Videtur enim respondisse, id in eo rerum articulo, antequàm alia essent plura composita; non esse in sua potestate, cùm sororem suam Michol secum haberet Isboseth; neque tunc esse tutum illo inuito ad Dauidem; id est, extra illius regni terminos abducere. Quare peteret ipse ab Isboseth, se verò curaturum, vt ille iustissimis Dauidis votis, & precibus annueret. Huic autem prudenti responsioni Abneris optimè conueniunt, quæ mox subiiciuntur.

14. Vers.14. *Misit autem Dauid nuncios ad Isboseth.*] Probauit Dauid consilium Abner, misitque nuncios ad Isboseth pro repetenda vxore, quod ille neque negauit,neque distulit,consilio, vt opinor, obsecutus Abner. Quare abstulit statim ab illo, cui per summam iniuriam Saul ante à Dauidis thalamo distractam Phaltieli tradiderat. Quod cùm vir illius ferret molestè, illámque plorando ad longum vsque spatium prosequeretur; cohibuit tamen pro sua potestate Abner, fecitque, vt gressum reuocaret domum, neque Regis imperium,aut Dauidis votum moraretur.

15. Vers.17. *Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israël,dicens.*] Cùm accepisset Abner Dauidis mandata, & quamprimùm vxorem Michol reducendam curasset;statim adiit seniores Israël, quorum iudicio res administrabatur publica; & illis ostendit, quàm futurum sit ex vsu communi, si imperium totum Israëliticum referatur ad Dauidem,cuius prudentiam iam pridem,& in re bellica virtutem exploratam haberent.Neque se petere aliquid, quod non ipsi probauissent, & optassent antea; cùm vni Dauidi multis nominibus deberi regnum,non obscurè significassent, maximè cùm iam illi Deus Israëlis addixisset Imperium; dixisséque illius manu, tum Philisthinorum,tum aliorum,qui pacem Israëlis assiduis bellis,& insidiis quotidie turbabant, fractum iri potentiam.Quare cùm ad humanum,diuinum quoque iudicium accederet, non esse dubitandum, quod esset sumendum in ea deliberatione consilium. Illud idem retulit ad viros Beniamin; quibus cùm illud,quod optabat, persuasisset, profectus est quamprimùm in Hebron, vt sua,populíque consilia cum Dauide conferret.

A Vers.8. *Dominus locutus est ad Dauid,dicens: in manu serui mei Dauid.*] Illud *ad* sæpe idem valet, quod *de*.Lucæ 19. *Ait Iesus ad eum,quia hodie salus domui huic facta est.* Id est, *de eo*; non enim tunc Christus cũ Zachæo loquebatur, sed de Zachæo ad alios. Ad Hebr.1. *Et ad Angelos quidem dixit:* id est, *de Angelis.* Et iterùm ibid.cap.4. *Ad quem nobis sermo :* id est, *de quo.* Vide plura in nostris Commentariis super Acta ad illud capit. 2.vers. 25. *Dauid enim dicit in eum.* Sic igitur hoc loco Deus dixit de Dauide ad aliquem Prophetarum : *In manu serui mei Dauid saluabo populum meum.* 16. Ad *aliquãdo pro* de.

Hìc nobis aliqua notanda.Primum, non constare, quo in loco sint illa verba, quæ modò produxit Abner,quæ à Deo dicit esse profecta:*In manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israël,* &c. De regno Dauidi à Domino promisso multis locis audimus;de salute tamen populi per manum Dauidis,nusquam,quod ego viderim.Sed est verisimile,ita contigisse;cùm sæpe ea de re videatur Samuel locutus:neque necesse est, vt nihil eorum, quæ dicta sunt, ab historico sacro fuerit omissum. Neque Abner in illo seniorum consilio horum verborum meminisset, nisi illa omnibus esse comperta cognouisset. 17.

Secundò, priùs visum esse aut omnibus, aut pleríque,vt Saule mortuo, statim eius loco Dauid asciscеretur in regnum;stetisse tamen per Abnerem,dum suæ,& Saulis familiæ consulit, quominùs id fieret; & sua apud populares auctoritate,& gratia perfeciſſe,vt Isboseth in regno parenti succederet; vt constat suprà cap. 2. v.8. Quare qui priùs auctor fuerat,vt Isboseth regnaret,idem nunc auctor esse studet, vt ab illo regnum aliò transferatur. 18.

Vers.19. *Et abiit, vt loqueretur ad Dauid in Hebron.*] Re iam cum senioribus ex voto composita, profectus est Abner cum egregio comitatu ad Dauidem in Hebron. Quem Dauid regio excepit conuiuio; & cùm omnia se facturum prolixè promisisset,cum bona à Dauide gratia dimissus est. 19.

Vers.22. *Statim pueri Dauid, & Ioab venerunt cæsis latronibus.*] Quo tempore inter domum Saulis,& Dauidis male conueniebat,vicini populi,occasione captata, in Israëlis finibus prædas agebant,multò quàm anteà liberiùs. Accidit autem hoc tempore,vt latrunculi ex populis, vt apparet,Gentilicis,quales sunt Idumæi, Amalecitæ, Syri,Moabitæ,irrumperent in regionem aliquam Israëlitici regni,& onusti spoliis domum reuerterentur. Quod non tulit Dauid, sed per Ioab illos est insecutus; & excussa præda, quæ non erat exigua,sub illud tempus reuerteretur,in quo Abner à Dauide fuerat cum pace, & honorificè dimissus.Quod cùm ab his,qui viderant, aut consultis interfuerant,accepisset Ioab, tulit perquàm molestè, & quod factum fuerat, infectum vt fieret,callidè curauit. Abiit ergo statim ad Dauid; edocet insidiosam esse amicitiam illam, quæ cum speciem haberet honestam,aliquid tamen celaret veteratorium,& fallax. Neque aliud sibi proposuisse Abner, dum promittit omnia, nisi vt præsens ipse spectaret, qua se ratione Dauid contra apertam vim, aut occultas insidias muniisset. Quid designasset animo, & quomodò illius cogitationes eludi, ac bellici apparatus dissolui, aut infirmari possent. Et cùm nihil obtineret à Dauid, qui synceram putabat illam Abner,& totius populi legationem, neque ignorabat, quàm esset 20.

callido

callido, ac veteratorio ingenio Ioab; ipse consilium iniit,quo & pacta dissolueret,& priuatas vlciscereturiniurias, fratris videlicet Asaelis cædē. Egreditur ergo è Regio conspectu, & nuncios quamprimùm extrudit ad Abnerem, qui Regis nomine illum reuocent, vt Iosephus docet,& est valde probabile, quasi aliquid foret omissum, quod maximè opus esset constituto, ac facto. Cúmque peruentum esset ad portam ciuitatis, quasi aliquid haberet, quod oporteret illum audire secretò,secedere iussit viginti viros, quos stipatores,& socios ad legationem illam assumserat Abner. Cúmque is esset rerum status,vt nullum suspicaretur esse dolum,accessit securus,& statim grauiter vulneratus in inguine mortuus est. Vbi Vulgatus *in inguine*; Hebraicè; *ad quintam costam.* Quo sensu capite præcedenti explicuimus, cùm egimus de Asaëlis cæde.

21. Vers.27. *In vltionem sanguinis Asael fratris eius.*] Iosephus aliud in hac cæde spectasse tradit Ioab. Cùm enim Abner vir esset strenuus, & toto Saulis tempore castris præfuisset, & nunc translato populo ad Dauidis Imperium,magnam ab eo gratiam promeruisset;timebat,ne ipse caderet ab illo gradu,quem summùm obtinebat in Dauidis exercitu. Quare tollere voluit è medio impedimentum hoc, quod suis votis obstare maximè putabat.Quod sanè facit probabile; quia eam ob causam occidit posteà non minùs fraudulenter Amasam, quia timebat illum futurum esse ducem, 2. Reg. capite 20. Ita cum Iosepho sentiunt Magister hist. Schol. Theodoretus,& Procopius, & Dionysius; nec improbat Lyra.Sed ego non puto aliter intelligendum hunc locum, quàm ipsa docet Scriptura verbis non obscuris. Docet enim, occisum Abnerem in vltionem sanguinis Asael; & idem repetitur statim vers. 30. vbi socius dicitur fuisse Abisai;non quòd ille occiderit : totum enim negotium peractum est à Ioab;sed quia fratri astitit,vt si quid accideret,in quo ipsius opera frater indigeret,adesset præstò.

22. Hìc suo more fabulosum aliquid fingunt Hebræi;qui vt se cum populi plausu ex locis impeditis expediant,nihil non audent, etiam cõtra Scripturæ fidem : Tradunt enim modum,aut dolum, quo vsus est Ioab in occidendo Abnere, planè ridiculum : *Petiuit*,inquiunt,*Ioab ab Abner, quomodò discalciabatur sotular* (verba sunt Abulensis, à quo hæc accepi)*in eo,qui nolebat accipere vxorem fratris sui mortui; nam vxor illius discalciabat fratrem viri sui coram toto populo,& spuebat in faciem eius, & vocabatur domus illius, domus discalciati,in opprobrium, vt apparet Deut.25. Dicunt autem, quòd Ioab petiuit ab Abner de modo discalciandi sotularem illum;& cùm se inclinaret Abner,vt discalciaret se,percussit eũ Ioab:* Confutat hæc Abulensis; quæ tamen sine vlla confutatione satis ipsa suam futilitatem,& stultitiam produnt. Neque est minùs illa ratio futilis, quæ illos in hanc cogitationem induxit, quia lib. 3.capite 2.de Ioab dixit Dauid : *Effudit sanguinem belli in pace,& posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius,& in calceamento suo, quod erat sub pedibus eius.* Quasi non esset modus alius aptior expediendi nodi, aut quem ipsi adducunt, non multò magis rem impediret.Sed de illius explicatione suo loco posteà.

Hebræorum fabula de morte Abner.

23. Vers.28. *Mundus ego sum,& regnum meum apud Dominum vsque in sempiternum à sanguine Abner.*] Cùm audiisset Dauid, quàm graue scelus admissum esset à Ioab, & in eo rerum articulo, in quo maximè turbari posse videbatur res Israëlitica, quæ tunc erat in meliorem formam Abner studio,ac sedulitate traducta; quamprimùm ostendit & suis,& illis,qui comitati fuerant Abner, & qui dolosè eum cecidisse viderant, neque se auctore, neque conscio, tantum commissum esse facinus: neque ab vllo,qui ipsi aderat,dum de componendo regno esset deliberatio, illud profectum esse consilium dolosum, & impium;sed ab vno Ioab, qui solus fuit tam indigni sceleris architectus, & auctor. Quare apertè se illius sceleris exortem profitetur, neque sibi, ac regno cum Ioab in eo consilio quidquam fuisse commune.

Hìc ego duo obseruo; alterum est,illud *vsque in sempiternum*, ex Hebræorum vsu nihil habere præter epitasim non vulgarem;sed quæ maiorem in modum aut rem negatam,& affirmatam exaggerat;aut studium indicat ad aliquod opus vehementer accensum. Quomodò dixit Petrus Ioan. cap.13. *Non lauabis mihi pedes in æternum*; id est, nullo modo patiar,vt abs te mihi lauentur pedes. Simile est illud Ionæ cap.4. *Benè iratcor ego vsque ad mortem*; id est, vehementissimè. Sic hoc loco: *Mũdus sum in sempiternum*; nihil est,vt reor,quàm; nullo prorsus modo manus meas, aut mentem, aut leuissimam aliquam cogitationem maculaui hoc sanguine; aut,toto absum cœlo ab hac infideli, atque impia cogitatione. Aut se eo etiam consilio cum regno coniungit,vt significet,neque sibi, neque regno suo propter effusum sanguinem, vllum metuere supplicium *in æternum*; quia neque se, neque regno(id est,consiliariis)volente, ac conscio,facinus illud patratum est : Et tunc illud;*vsque in sempiternum*, non recedit ab vsu vulgari. 24. *Æternum, & similia nihil addũt interdũ præter epitasim.*

Alterum est;Dauidem,cùm hæc diceret,aut lauasse manus,vt non tantùm verbis, sed vsitata illius gentis ceremonia suam omnibus innocentiam ostenderet; aut certè ad illam consuetudinem respexisse,quæ in casu simili seruari iubetur. Notum est, de more fuisse Hebræis,vt cùm quis alicuius cædis suspicionem à se vellet auertere, lauaret manus;quod Dominus præceperat, Deuter.cap.21.v.6.vbi modum præscribit, quem non difficilè eo loco Dauid seruare potuit. Neque enim aliud præcipit, nisi vt supra vitulam, cuius priùs in aspero loco, neque vnquam ad sementem proscisso cæsæ ceruices fuerint, cum certa verborum forma abluerentur manus. Aut ergo Dauid manus abluit super vitulam, professus se illius cædis non fuisse reum;aut certè respectans ad illam consuetudinem dixit: *Mundus ego sum*, &c. Quomodo Pilatus accommodatè ad Iudæorum consuetudinem dixit Matth.27.postquàm lauit manus : *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Huc sanè respexit Dauid,cùm Psal.25.dixit:*Lauabo inter innocentes manus meas.*Quasi dicat,mundas habebo manus meas à sanguine; neque committam,vt ab innocentium numero quasi nocens excludar. 25. *Lauantur manus, cùm significatur innocentia.* Matth.27. Psal.25.

Vers.29. *Et veniat super caput Ioab,& super omnem domum patris eius.*] Aliud argumentum præbet Dauid, quo probet patratam cædem à Ioab accidisse sibi admodùm ingratam; cùm dira quadam execratione caput Ioab,& totam illius familiam,imò & cognationem totam defigat. Quo dicendi,seu execrãdi genere,quod æquè noxios, innoxiósque complectitur, animi dolorem significat cum graui quadã indignatione coniunctũ.Sicut illa execratio,quam in montes Gelboë nuper intorserat, dolorem significauit ingentem, quem ex Saulis cepit, & virorum fortium infelici casu. 26.

Nec

27. *Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens.*] Qui *seminis fluxum*, quem Græci γονορρόιαν appellant, alicui imprecatur, fœdum illi morbum, & abominabilem precatur; præsertim apud Hebræos, quibus ille morbus à lege damnatus est, & eo habitus loco, vt libentiùs quiuis ex eo genere mortem optare velit, quàm γονορρύης: id est, *seminifluus* videri. Lege cap. 15. Leuitici, & sine dubio mirabere, cùm cognoueris, quod fuerit legis de seminifluo iudicium. Vbi plurima dicuntur, quorum ego carptim nonnulla perstringam: *Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & vbicúmque sederit. Si quis hominum tetigerit lectum eius, si sederit, vbi ille sederat; si tetigerit carnem eius, si saliuam huiusce modi homo iecerit super eum, qui mundus est: Hi lauabunt vestimenta sua, & licèt aqua loti, immundi tamen erunt vsque ad vesperum. Sagma, super quo sederit, immundum erit. Vas fictile, quod tetigerit, confringetur; vas autem ligneum lauabitur aqua.* Ecquid excogitari potuit odiosum magis, & quid magis execrabile? Abominabilis dicitur menstruata fœmina; neque tamen de ea aliquid impurum magis audimus, quàm de illo, qui obscænum illud patitur profluuium; quem lex sicut leprosum eiiciebat è castris, Numer. cap. 5. v. 2.

Seminifluus odiosus.

28. *Et leprosus.*] Quanto in odio sit *leprosus* in Hebræorum populo, habes Leuit. cap. 13. vbi præter alia plurima, quæ leproso non poterant non esse pudori, ex hominum cœtu foras excludebantur. Quam legem vsque adeò Hebræi seruauere constanter, vt neque priùs ignouerint Mariæ sorori Moysis, cùm tamen illam & facerent plurimi, cùm ducis maximi, & Sacerdotis summi sororem agnoscerent; & posteà Oziam Regem, cùm eo esset morbo fædatus, in separata domo habitare fecerunt, lib. 4. Reg. cap. 15.

Quæ Dauidis maledictio in Ioab.

29. *Et tenens fusum.*] Hìc variè transferunt, & cogitant Interpretes. Hebraicè est פלך *Pelec*; quod Septuaginta reddiderunt σκυτάλην: id est, *baculum*, sicut & alij fermè omnes: quo mutilo corpore homines vtuntur, vt obseruat Theodoretus, quales sunt cæci, & podagri, quibus baculus pro oculis, & pedibus est. Atque ideò Aquila, eodem Theodoreto teste, *cæcũ* reddidit. Hugo aliter explicat: qua id ratione faciat, ipse viderit: dicit enim, *fusum* esse instrumentum illud, quo leprosus tympanizat, vt audiatur, & eo sonitu abigat occurrantes, aut stipem exigat. Nec defuere, qui dicerent, in hac voce significari testas, seu tabellas, quarum strepitu stipem corrogant, qui capti sunt membris, aut fœdo vlcere laucij; quod alicubi fit apud Hispanos. Magister histor. Schol. ex aliorum sententia, quos tamen non nominat, in *leproso*, & *tenente fusum*, intelligi dicit breue ventilabrum ad depellendas muscas, quod fit de palmarum foliis, & instar fusi inuoluitur inter digitos; quod ventilabrum leprosis magno est vsui, quibus infensæ sunt muscæ.

30. Sed est siue dubio maximè & rei ipsius, & Hebraico textui accommodata Vulgata translatio, quæ *fusum* reddidit; qua voce in viris maxima significatur indigentia, quæ ad ignobilem illam, & muliebrem artem viros impulit; & indicatur præterea Ioab ignominia, & muliebris animus; qui non nisi ex insidiis, quod etiam auderent imbelles fœminæ, virum occidit strenuum, & fortem. Est autem viris ignominia maxima, colus, & fusum; quæ tunc illis tribuimus, quando illis inesse muliebres spiritus, atque mollitiem significare volumus. Qua de re & exempla plurima, & conuitia maxima apud profanos legimus. Nemo ignorat, quid Sardanapalo Assyrium ademerit imperium, cuius effœminatum animum, & muliebres mores non potuere ferre subiecti populi, cùm indignum putarent illi parere, qui inter ancillarum greges fusum tractaret, & colum. Vide Iustinum lib. 1. & Herodotum in Clio. Magno sui detrimẽto expertum est Romanum imperium, quàm sit graue conuitium, & intolerabilis iniuria, ad fusum, & pensa viros amandare; cùm Narses eunuchus, vt hanc iniuriam, quam Imperatoris vxor irrogarat, vlciscereturmagnis calamitatibus affecerit Imperium. Obscurauit Hercules egregia facta, qualia nulli mortalium affinxit antiquitas, cùm fusum tenuit, & stamina tractauit. Quod obiecere quasi rem indecoram, & vilem, ipsæ etiam mulierculæ, quæ sibi munus illud ignobile non putant. Quarum vna Deianira, vt est apud Ouidium in epistola Deianiræ.

Fusus, & colus in viro maxima ignominia.

Non pudet Alcidem, victricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassáque robusto deducis pollice fila,
Æquaque formosæ pensa rependis heræ.

Cadens gladio, & indigens pane.] Hæc etiam grauia censentur incommoda, & execrationibus accommodata vota. Optat hìc Dauid, aut certè prædicit, euenturum esse posteris Ioab id, quod ipse innocenti, & incauto intulit Abner; nempe vt gladio cadant ex aliorum insidiis; aut certè in quocumque siue bello, siue certamine, inimicorum virtuti succumbant: Et id, quod statim additur de *indigentia panis*, in magnis inter Hebræos numerabatur infortuniis; quorum animi maximè ad hæc inferiora afficiebantur. Quare hoc erat in execrationib. illis familiare, vt panis deficeret, & cõficeret fames. Ps. 108. v. 10. *Nutantes transferantur filij eius, & mendicẽt.* Quod perinde est, ac si diceret, fusum teneant (si in fuso baculnm intelligas) & indigeant pane. Et Ps. 18. v. 7. *Famem patienturvt canes.* Quod iterùm repetit v. 15. 31.

Vers. 30. *Igitur Ioab, & Abisai frater eius interfecerunt Abner.*] Quomodò Abner ab Abisai quoque interfectus fuerit, diximus paulò antè; quia videlicet illi non procul aderat, vt si res exigeret, illi subsidio esset. Neque frustrà Dauid infrà v. 39. dixit: *Isti filij Saruiæ duri sunt mihi.* Quod sanè non dixisset, nisi aliquid in cæde Abner ab Abisai profectum agnouisset. 32.

Vers. 31. *Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis.*] Aliud populo, & his, qui cum Abner legati venerant, argumentum præbet sui & animi, & sensus; & quàm tulerit dolenter, & grauiter tanti ducis tam indignam cædem; cùm edicit ipsi etiam homicidæ Ioab, & toti populo, vt ea faciãt in exequiis Abner, quæ non nisi in magnorum, ac chariſſimorum Principum funere præstari possunt. Neque plura fecit, fierive iussit in Saulis exequiis: nam & vestimenta discidit, & saccum assumpsit. Neque defuit id, quod in casu simili fieri solet, epicedium, quale paulò antè cecinerat in funere Saulis. Ad hæc autem addidit & suum, & populi planctum, ad locum vsque sepulturæ. Neque cessauit illo iam sepulto publicus fletus: nam Regis animum, & planctum imitata funebris illa pompa ad illum modum, quo Rex leuauit lugubrem vocem, & ferale cecinit carmen, ipsa quoque & indignum factum, & tanti Principis desiderium lugubri item epicedio testata est. 33.

Vers. 33. *Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner.*] Hoc est ferale Canticum, quod cecinit Dauid, & quod, vt reor, iterauit populus, secutus 34.

cutus præcinentem Regem pium, & optimum psaltem. Summa huius epicedij est,nullam ex eo mortis genere Abneris nomini impactam ignominiam,quia neque in fuga,neque aduerso pectore ab antagonista vulnus illud accepit,quod mors est secuta;ita vt in certamine quemquam superiorem habuerit; sed ex insidiis ab eo,qui legitimo Marte aut non posset, aut non auderet cum tanto concertatore confligere.Hoc enim valet illud, quod statim additur: *Sicut solent cadere coram filiis iniquitatis,sic corruisti.*Illi enim coram filiis iniquitatis corruunt,qui incautè cadunt,cùm sibi ab eo, qui hilarem ostendit,& beneuolùm vultum, nihil timendum putant; cùm tamen alij sub specie fidelis amicitiæ, animos comprimant,& occultent hostiles.

35. *Quæ mors ignobilis & turpis.*

Vers.34. *Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati.*] Hoc est illud mortis genus,quod subire solent homines ignobiles, & ignaui, qui non cadunt strenuè dimicantes in acie; sed inde ligatis manibus, ac pedibus abducuntur,vt postea ludibrio sint aliis,& ignominioso tandem conficiantur supplicio; laqueo videlicet, aut carnificis ferro, quemadmodùm fontes solent. Neque leuis censetur ignominia,si aliquis instar pecudis, aut victimæ ligatis trahatur manibus,aut vinctus compedibus seruire compellatur;quod sanè instar mortis est longiùs productæ, imò viris ingenuis horribilius morte.Ex communi hoc hominum sensu optant viri nobiles, imò etiam honestæ fœminæ, vitam amittere,quàm illam ducere addictam vili ministerio,aut etiam aliorum voluntati. Sic apud Senecam puellarum chorus in Troade choro 1.dum Priamum iam vita functum parentali carmine prosequuntur,dum se captas, & in seruili conditione considerant, felicem appellant Priamum, quia neque ignobilem oppetiit mortem, neque ligatum habuit collum,aut manus.Sic autem Hecuba ad virgines psaltrias:

Non est Priami miseranda mei
Mors,Iliades.Felix Priamus
Dicite cunctæ.Liber Manes
Vadit ad imos,nec feret vnquam
Vincta Graiùm ceruice iugum.
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit.

Eodem sensu Andromache apud Virgilium lib.3. Æneid.dum se captiuam cerneret, & à priore sorte,& coniuge deiectam:

Deiecit vultum,& demissa voce locuta est:
O felix vna ante alias (Polixena) Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori.Quæ sortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.

36. Vers. 35. *Cúmque veniſſet vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid clara adhuc die,iurauit Dauid, dicens:Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.si ante occasum solis gustauero panem.*] Ex his ego duo colligo. Primum,probabile videri hoc funus Abneris peractum esse noctu, & ad matutinam vsque lucem productum.Illud enim,*clara adhuc die*,non videtur significare instare iam noctem; sed potiùs illam abiisse proximè. Quid enim magnum iuraret,aut Abneris funeri impenderet Dauid, si cùm parum superesset lucis,affirmaret ante solis occasum neque panem, neque quidpiam aliud ciborũ sibi esse sumendũ?An Hebræis solẽne fuerit mortuos suos sepelire noctu, mihi incertum, neque coniecturas vllas habeo, nisi admodùm incertas.

Fortasse illud,*clara adhuc die*, indicat non multum temporis à meridie fluxisse;nam cùm magna est diei,sic etiam lucis magna est inclinatio; neque omninò tunc dicitur *clara dies*, quando spatio notabili excessit à meridie. Quod si ita est, vt omninò videtur esse verisimile, cùm pium illud opus ieiunus obiisset Dauid, non videbatur promisisse parum,si cùm ad solis occasum, verbi gratia, tres superessent horæ, ad illud vsque tempus noluerit soluere ieiunium. Et huc magis inclino; quod tenet Abulensis q.32. licèt quod superiùs dixi,videri non debeat improbabile. Quod indicant Hebraicæ voces, quæ sic habent ועוד היום *veod haion:*id est, *& adhuc dies.* Quasi diceret, neque iustis cadaueri persolutis,parùm supererat lucis;qui loquendi modus magnum aliquid superesse indicat. Sic Horatius in arte:*Adhuc sub iudice lis est:*id est, multum supersest temporis, & operæ, ad hoc examinandum.Sic Isaias cap.5. *Adhuc manus eius extenta:*id est, adhuc multa nobis ab irato Deo sustinenda sunt. Et est locus apertus Ierem. 15.v.9. vbi hoc dicendi genere significatur meridies:nam cùm præcessisset.*Induxi vastatorem meridie.*hoc ipsum statim explicuit,dum ait. *Occidit ei sol,cum adhuc esset dies.* Quod dixerat priùs Amos cap.8.v.9.*Occidet sol in meridie.*

38. *Conuiuium parentale.*

Deinde colligo; in parentali alicuius honore publicum populis exhiberi conuiuium, quod vsque adeò solemne fuit Hebræis, vt Iosepho teste, qui id sæpe in sua Gente viderat,id omittere probro fuerit,& impium haberetur. Sic autem lib.2. de bello cap.1.vbi sic de Archelao: *Diebus septem in lugendo patre consumptis,epulisque feralibus prolixè populo exhibitis (hic autem mos apud Iudæos necessariò multos ad inopiam redegit:nam qui eum neglexerat,impius æstimabatur) candida veste indutus procedit ad templum.* Sunt in Scriptura sacra huius parentalis epuli multa vestigia.Ierem. cap.16.v.5. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* Ezech.cap.24.v.17. *Mortuorum luctum non facies,* &c. *nec cibos lugentium comedes.* Quæ consuetudo frequens apud Athenienses fuit,qui, teste Hieronymo in eo loco Ieremiæ, de quo proximè, conuiuia illa parentalia περίδειπνα,vocabant. Quàm porrò id esset familiare Romanis, docent multorum exempla adhuc sepulcralibus incisa saxis,qui testamento iusserunt,in suo funere publicum populis epulum præberi.De quo,quasi de re familiari,ac nota Persius satyra 6.hoc munus ab hæredibus præstari tradit.

----Sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus,quod rem curtaueris,vrnæ
Ossa inodora dabit.----

39. Vt ergo Dauid ostenderet, Abneris cædem sibi fuisse maximo dolori, & omnium hominum occurreret suspicioni, talia exhibuit illius funeri pietatis officia,qualia exhibuisset fratris, aut parentis inferiis. Nam præter alia,de quibus proximè, epulum proposuit funebre, quasi fratri,aut amico,cui summa optaret omnia. Et cùm alij aut meridie, aut modicè ad vesperum inclinata luce, epulis feralibus accumberent, ipse gustare nihil voluit,vt amici funus ieiunio prosequeretur;quod etiam Hebræis in suorum inferiis penè solemne fuit,vt diximus capite primo, cùm sermo esset de funere Saulis.

40. Vers.36. *Omnisque populus audiuit,& placuerunt eis cuncta,*&c.] Probauit populus Regis pietatem, tam qui honestando funeri interfuit, quàm qui lõgè aberat,in omnes Israëlis familias distributus; cognouitque,neque probasse Regem,neque fuisse

consciũm tam iniquæ cædis. Et præter illa superiora, noua quædam addidit Abneris præconia, dum illum Principem appellat maximum in Israël; cuius videlicet singularia essent in totum populum promerita.

41. Vers.39. *Ego autem adhuc delicatus, & vnctus Rex; porrò viri filij Saruiæ duri sunt mihi.*] Tacitæ aliorum vel reprehensioni, vel cogitationi respondet Dauid, qui meritò in illo aut æquitatem, aut constantiam requirerent, cùm paterentur viuere illos, quos tanti sceleris auctores cognouissent; Vnde suspicari non nemo posset, non omninò illum dolosa Ioab, fratríque latuisse consilia. His ille respondet, non quidem defuisse animum, atque studium vindicandæ cædis, & abolendæ ex suo regno suspicionis illius; defuisse tamen vires in eo rerum vestigio, vt cogitata, atque optata compleret. Se quidem esse Regem, ad quem pertineret & punire peccata, & exempla pessima abolere de populo: Verùm esse tenerum, & delicatum, & quasi infantem, qui nondum vires haberet ad opus aliquod grande confirmatas; cùm adhuc esset in ipsis quasi regni primis incunabulis. Neque expedire, rem modò publicam turbare, antequàm paulatim oblatum recèns imperium adolesceret.

42. *Porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi.*] Saruia soror fuit Dauidis, 1. Paralip. cap. 2. v. 16. cuius filius erat Ioab, & Abisai. Illi autem & erant ingenio pugnaci, ac duro; & quia exercitui præerant, moliri aliquid poterant eo tempore, quo nondum erant res omninò constitutæ, quo ea, quæ videbantur coaluisse, diffluerent. Plurimùm autem interest in exercitu Imperatoris auctoritas, à quo tota ferè militia pendet; neque minùs fortasse poterat Ioab in Dauidis castris, quàm Abner & priùs in Saulis, & proximè in regno Isboseth apud milites authoritatis habuit. Vt autem in Abneris manu regni summa fuit, ita vt suo arbitratu Isboseth & sustulerit ad Regium nomen, & ab eo deiecerit: sic etiam idem perficere posse videbatur Ioab, si pro meritis vellet Dauid in illius caput animaduertere. Vbi Vulgatus, *duri sunt mihi.* Hebraicè est קשים ממני *casim mimeni*: id est, *duriores me sunt, & fortiores.* Quasi diceret, ego delicatus sum, & tener; illi autem duri: quòd si cum illis congredi, & quasi collidi voluerim, quid ex hac collisione sperem, nisi contritionem, & ruinam?

43. *Supplicij sumendi expectanda maturitas.*

Retribuat dominus facienti malum.] Sed erit vltor Deus, cui nulla se impunè opponet humana potentia; & quas ego non possum in hac virium mearum imbecillitate, ille quandocumque placuerit, pœnas exiget. Hìc discat Princeps, nihil supra vires esse tentandum, & differendum interdum esse supplicium, quantumcúmque clamet sanguis contra fidem, & iustitiam effusus, si nondum venit opportuna illius vlciscendi maturitas.

IN CAP. IV. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

CONCIDIT Isboseth animus, Abnere sublato, cuius virtute, atque prudentia Regium nomen ad illud vsque tempus sustentarat. Sed accidit illi sub id tempus aliud à domesticis grauius infortunium. Duo namque viri per insidiosam simulationem in illius ingressi penetrale meridianos captantem somnos in lectulo conficiunt, sublatúmque caput, quasi donum futurum esset iucundissimum, ad Dauidem referunt. Accidit autem contrà quàm putabant: Rex etenim, postquàm impium illud facinus exprobrauit, neci dedit, præcisósque pedes, ac manus in Hebrone suspendit: allatum verò caput Isboseth in paterno sepulchro honestè tumulauit.

CAPVT QVARTVM.

1. AVdiuit autem Isboseth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron: & dissolutæ sunt manus eius, omnísque Israël perturbatus est.

2. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomẽ alteri Rechab, filij Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem & Beroth reputata est in Benjamin.

3. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fuerúntq; ibi aduenæ vsque ad tẽpus illud.

4. Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquẽnis enim fuit, quãdo venit nuncius de Saul & Ionatha ex Iezraël: tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cúmque festinaret vt fugeret, cecidit, & claudus effectus est, habuítque vocabulum Miphiboseth.

5. Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt feruẽte die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormiuit.

6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater eius, & fugerunt.

7. Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclaui, & percutientes interfecerunt eum: sublatóque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte,

8. Et attulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron: dixerúntque ad regẽ: Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius.

9. Respon

9. Respondens autem Dauid Rechab, & Baana fratri eius, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia,

10. Quoniam eum, qui annunciauerat mihi & dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nunciare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuncio.

11. Quanto magis hunc, cùm homines A impij interfecerũt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra?

12. Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos: præcidentésque manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, & sepelierũt in sepulchro Abner in Hebron.

IN CAP. IV. LIB. II. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Audiuit autem Isboseth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron, & dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est.*

1. TANTVM virium, & authoritatis habuit Isboseth, quantum illi tribuerat patronus, & imperator Abner: quare cùm sublatum audiuit (fortasse enim quo fuisset ad Dauidem consilio profectus, ignorabat) statim deiectus est animus, & totius corporis dissoluti nerui; neque vllum habuit inopinato illo percussus vulnere aut robur ad tentandum aliquid ex vsu aut domestico, aut publico, aut sanum in deliberando consilium. Quæ res grauiter etiam concussit totum Israelem: nam qui Abneris in ea profectione consilium ignorabant, extinctum esse Israelitici imperij, & Saulis familiæ præsidium, & columen dolebant: qui autem conscij fuerant illius animi, & studij, cùm subitam cædem in Dauidis metropoli audiissent, aut dolos, & insidias interceptisse, aut minùs ex Abneris studio, & seniorum votis rem esse transactam arbitrabantur. Vtrumque verò ad exitium commune spectare metuebant. Quare non soli Isboseth Abneris casus, sed toti etiam populo dolori, atque perturbationi fuit.

2. Milites vocati latrones.

2. Vers. 2. *Duo autem viri principes latronum erant filio Saul.*] Accidit autem, vt duo viri, qui dum suum in Isboseth regno imperium obtineret Abner, *principes* erant *latronum*; id est, militum, qui è vicinis finibus prædandi gratia excursus faciebant militares. Milites autem etiam appellari *latrones*, alio nobis loco confirmatum est. De his duobus latronum Principibus mira tradunt Hebræi. Primum, vt refert Hieronymus in traditt. Hebr. aiunt, duos hosce latronum duces cogitasse de occidendo Isboseth, eiúsque regno ad Miphiboseth Ionathæ filium transferendo. Cûmque id cum Miphiboseth clandestino colloquio cõtulissent, Miphiboseth, qui audacissimum illud facinus neque expeditũ videbat, neque tutũ putabat, Isboseth patruo suo prodidit. Quam audaciam cùm vlcisci vellet Isboseth, duo illi ad Gethaim Palæstinorum vrbem secesserunt. Qui tamẽ posteà cùm audiissent Abnerem occubuisse, neque ab ignauo Rege admodùm esse timendũ; rediere è peregrino solo, & captata occasione, rẽ tentarunt, quã audacter, & callidè tandem peregerũt. Hæc Hebræorum traditio multa peccat. Primùm, quia sine vllo ex historia sacra fundamento loquitur, & multis aljis de causis deseruis-

Fabula Hebræorum de morte Isboseth.

B se potuerunt latrones illi Beniaminicam domum, & ad hostium Israelitici nominis fidem, atque præsidium confugisse. Aut admisisse alia plura, quæ Regio edicto mulctanda viderentur, quæ cuilibet excogitare promptum; probare, non item. Deinde, quia non erat ea ætate Miphiboseth, vt de illius regno, aliis Saulis filiis superstitibus, cuiquam in mentem sano venire debuerit. Vt enim habemus hoc ipso cap. quando mortuus est Saul, quinquennis erat Miphiboseth: adde his duos annos, quibus regnauit Isboseth, & alios si placet duos, antequàm Rex appellaretur, efficies ad summum octo, aut nouem annos. Quæ igitur ætas ad tantam molem? Adde, quòd claudus erat, quæ corporis debilitas, atque C deformitas regno illum reddebat indignum. Hæc igitur Hebræorũ cogitatio vt meritò à quibusdã reiicitur, sic nullo suo merito quibusdam placet.

Rab. Salomon minùs abs re diuinat; diuinat tamen more suo. Ait enim, sicut Saule mortuo, & accepta totius Israelis ingenti plaga, filij Israël desertis suis vrbibus, quæ proximæ erant Palæstinæ finibus, quæ nullo modo ab hoste victore securæ videbantur: sic etiam isti relicta Beroth, quæ ad Tribum Beniaminicam pertinebat, ad tutiora loca se receperunt; & ibi, cùm ipsi audaces essent, & strenui, asciuerunt sibi alios eiusdem consilij, atque instituti socios, qui rapto viuerent, & vnde commodè possent, prædas age- D rent. Qui cùm ex cæde Isboseth ingens se à Dauide præmium expectarent, optimam se prædam capturos arbitrati sunt, si æmuli caput ad Dauidem afferrent. Hæc Rab. Salomon, cui nihil habeo, quod opponam, nisi quod liberè, & sine vllo fundamento loquitur. 3.

Cùm nihil habemus ex Scriptura certum, illud videtur dici posse nõ improbabiliter. Primũ, fuisse aliquando alicui militum cohorti præfectos, quomodo explicat cum Septuaginta Chaldæus. Milites enim *latronum* significari nomine, satis est notum. Hi autem ob aliquam causam, quã Scriptura silet, ex his, quæ passim in castris occurrunt inter milites, quorum effrænis est audacia, & mores non omninò sancti, cùm aliquid à Rege, seu potiùs ab Abnere castrorũ Imperatore timerent, verterunt patriũ solum, & eò se receperũt, quò neque Abneris, neq; Regis potestas attingeret. Vbi verò 4.

cognouerunt; Imperium adDauidem ex cõmuni populi conſpiratione transferri, & Abnerem, cuius timere poterant potentiam, ſublatum è medio, ſtatuerunt à nouo Principe ineundam eſſe gratiam. Quod nulla ratione cõmodiùs fieri poſſe crediderant, quàm ſi Iſboſeth, qui Dauidis conſiliis aduerſari poſſe videbatur, interficerent, regnúmque Dauidi redderẽt omninò pacatũ. Quod vt cogitarunt aſtutè, ſic etiam perfecerunt audacter, alio tamen euentu, quàm ſibi priùs ipſi promiſerant. Ego ita coniecto. Meliùs alij; ſine vllo vtique, aut certè pertenui ſcripturæ fundamẽto.

5. Ex eo, quòd iſti duo *Principes latronum* fuiſſe dicuntur *filio Saulis*, colligitur, *latrones* eſſe milites; neque enim Regis filius, quicunque is eſſet, ſecũ haberet adminiſtros, qui turpe illud inſtituerent viuendi genus, & rapinis vndecúmque conuectis, & ſibi, & Regio filio turpe quærerẽt, & odioſum lucrum. Quis autem fuerit Regis filius, cui operam illam nauarent duo illi principes, incertum eſt. Fortaſsè fuit non Iſboſeth, ſed Ionathas; quia ille plerumque verſabatur in caſtris, & ſub ſe decuriones habuit, & Centuriones, quorum è numero fuerunt hi *latronũ Principes*; cuius ſtatim aliqua adducitur cõiectura. Et ita putat Caietanus.

6. Verſ. 4. *Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus.*] Hiſtoria ſatis eſt facilis è textu; tantùm enim habet, fuiſſe apud nutricem Ionathæ filium Miphiboſeth nomine, quæ quo tẽpore in monte Gelboë, & Iezrael cecidit Saul, & ingens accepta plaga in caſtris Iſrael, ſicut alij fugerunt plurimi ad tutiora loca, ſic ipſa quoque fugit cũ quinquennì puero, quæ cùm in fuga plus ſatis feſtinata cecidiſſet, grauiter colliſit, ac fregit infantis crura; ex quo tẽpore claudus effectus eſt. Hæc aperta ſunt. Illud obſcurũ; quorſum hoc loco de Miphiboſeth, vt alicui videri poſſet, paulò alienior introducta narratio? Id nobis nunc explorãdum eſt. Ex Hebræorum ſententia, quam ex noſtris ſunt amplexi non pauci, ideò huc incidit de Miphiboſeth ſermo, quia illius occaſione duo illi viri odioſi facti fuerunt Iſboſeth; neque enim patrium vertiſſent ſolum, niſi priùs de Miphiboſeth conſtituendo Rege cogitaſſent.

7. Alij, quia vnus reliquus erat è genere Saulis, qui poſſet iure regno ſuccedere: & addit Caietanus horum cogitationi, hinc ſibi perſuaſiſſe duos illos viros, occiſo Iſboſeth, venturum eſſe regnum ad Dauidem, quia vnus ille, qui acceptu-rus regnum videbatur, puerulus adhuc erat, & claudus, atque ideò prorsùs ineptus regno. Sed huic cogitationi incommodat, quòd alij etiam erant filij, & plures alij nepotes, vt conſtat ex cap. 21. verſ. 8. Quare non deerant, qui ſuccedere in regno poſſent Iſboſeth; atque ideò illorum etiam meminiſſe oportuit. Niſi dicas, duos illos filios Saulis ſuſceptos fuiſſe ex concubina Reſpha; atque ideò, quia ex ignobili nati conceptu, indignos videri, qui Regium nomen obtinerent. Et hoc fortaſsè verum.

8. Duæ aliæ mihi cauſæ ſuccurrunt, quas huc libet adducere; quia in re vſque adeò incerta, & omnium cogitationibus expoſita, etiam licet. Altera eſt, ideò duos illos Principes tentaſſe audaciſſimum illud facinus; quia multum ſibi futurũ eſſe arbitrabantur. Duo enim tantùm ſupererant, qui ex læſa maieſtate, atque perſona Regia exigere pœnas poſſe videbantur; alter erat Abner Princeps exercitus, & Regi cognatus; ſed iſtum iam occidiſſe nouerant in Hebron. Alter erat Miphiboſeth, qui non videbatur relicturus impunitam tam atrocem, & infidelẽ audaciam; ſed iſte puellus tunc erat ſeptennis, & debili, ac claudicante crure; qui per ætatẽ non videbatur curaturus de patrui cæde, neque in vlciſcenda per impotentiã quicquam promoturus. Altera eſt, quia illi latronum; id eſt, militaris alicuius cohortis principes cùm fuiſſent aliquando, quando res Iſraelitica minùs eſſet attrita, ſub Ionatha, & illo incolumi, ipſorum ſcelera; aut, ſi quid minùs feciſſent ex vſu exercitus, ac diſciplinæ militaris, eſſent impunita, mortuo Ionatha, quo patrono metuebant nihil, deſperabant de libero in patriam reditu, niſi occiſo Iſboſeth, & Abnere de medio ſublato. Nam Miphiboſeth, qui parentis partes tueri debuit, & eos, qui parentis ſigna ſecuti fuerant, ab omni incommodo, atque iniuria defendere, & ætate erat puſillus, & debili, ac claudicante veſtigio; quare ab illo ſperari nihil poterat. Rem igitur tentarunt ſuo iudicio nouiſſimam, niſi mallent vitam agere extorrem, & miſeram, & Regem occidere ſtatuerunt, quẽ vnũ ſuis conſiliis obſtare exiſtimabant. Iſtæ cauſæ videtur veriſimiles, cur hîc de Miphiboſeth inductus ſermo. Duæ mediæ minùs mihi diſplicẽt; duæ extremæ minùs habẽt, cur placeãt.

Verſ. 5. *Ingreſſi ſunt feruente die domum Iſboſeth, qui dormiebat.*] Obſeruarunt hi duo tempus maximè ſuis conſiliis opportunum, nempè meridianum, cùm maior eſt æſtus ab vrente ſole, & multò interdũ vehementior à vino; quando qui ſobrius eſt, temulentis hominibus, & ſomno, ac cibo plenis multò eſt potentior. Eo tempore Rex pomeridianum captabat ſomnum, & Regij corporis, ſi qui fuere, cuſtodes aut dormiebant, aut quod videtur è textu probabilius, alij aliò diuerterant. Sola relicta fuerat oſtiaria quædam fœmĩna, infidelis omninò, & infirma cuſtodia. Quare nullum habuerunt impedimentum, quominùs ad Regium irrumperent conclaue, & quod deſtinarant animo, reipſa perficerent. 9.

Et oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit.] Hæc verba nõ inueniuntur in textu Hebraico; eſt tamen veriſimile fuiſſe olim in magis emendatis codicibus, & ſcriptorũ incuria excidiſſe de textu, aliter neque Vulgatus expreſſiſſet, neque multò anteà addidiſſent Septuaginta. Abulenſis ex gloſſemate aliquo in textũ irrepſiſſe putat. Sed quid in domo Regia cum purgatione tritici? Et hoc in oſtio domus, vbi maior populi frequentia? Sanè illud opus magis videbatur areæ, vbi teruntur, aut horrei, vbi conduntur fruges; quàm aulæ Regiæ, vbi nihil vident curioſi, atque elegantes oculi, quod rus oleat, & quod abhorrere videatur ab aulica munditia. 10.

Ego duo hîc video genera purgandi frumenti. Alterum eſt, cùm è folliculis excutiuntur grana; quod dupliciter fieri ab agricola; aut in area, cùm primùm demeſſæ ſunt, & comparatæ fruges, vt in Hiſpania communiter, quando in aceruos immittuntur equorum vngulæ, aut tribulæ, aut alibi roſtra ſerrantia, aut ferrata carpenta; quod genus longè abeſt non modò à Regia domo, aut ab elegantium, & lautorum aulis, ſed etiam à ruſticorũ tectis, quare hoc opus in agris peragitur. Alterum eſt, cùm in horrea conduntur non exfollicata grana, ſed ſpicæ, & manipuli, quia in ſpicis, atque folliculis magis munda ſunt grana, & in longius tempus commodiùs aſſeruantur; quod his maximè locis fieri ſolet, in quibus propter humidum ſolum, & pingue cœlum, faciliùs frumenta corrumpuntur. Quod obſeruauit Ioſeph, qui vt in regione paluſtri, atque humida, in multos 11. *Frumenta varij purgandi, atque ſeruandi modi.* *Ioſeph quo modò ſeruauit frumentum.*

multos annos frumenta ſeruaret, non grana ex ſuis excuſſa folliculis,ſed manipulos granis fœtos comportauit in horrea.Sic ſanè Geneſ. 41. v. 47. *Venitque fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægypti.* Hi portrò manipuli ſæpiùs per annum, cùm familiæ id vſus exegerit,extrahuntur ex horreis, & bacillis, fuſtibuſque percuſſi grana reddunt pura,quæ ad illum vſque articulum incluſa condiderant.Ita Columella lib. 2. cap.20. Quod opus non ſolùm eſt virilis,ſed etiam fœminei laboris,& induſtriæ. Sanè ſi hoc modo oſtiaria fœmina frumenta purgaret,non eſſet difficile coniectare, cur ſpicas ſecum attulerint duo illi Principes latronum;nempè vt celarent inſidias, & impunè ad Regium vſque ſeceſſum penetrarent; videri enim poſſent, ſpicas attuliſſe,vt illa oſtiaria puella,quæ huic rei tunc daret ancillarem operam,purgaret; quaſi forent ruſticani ſerui,qui ex agro,aut ex horreo iuſſi fuiſſent aſportare manipulos. Sed huic cogitationi obſtat, quod hoc opus Regiæ domus elegantiã non decet,vt dixi.Neque Hebræi,quod ego viderim,manipulos condunt, ſed grana pura;apud illos enim ſæpè aream audimus, & ſerrantia plauſtra,& boues triturantes.

12. Alio modo purgantur grana, à paleis nimirùm,& lapillis, & ab eo,quod efficere poteſt, ne panis ſit delicatus, & purus, dignúſque Regia menſa,quique appellari ſolet *deſiderabilis*.Seu certè quomodò purgantur grana à curioſis, & lautis etiam fœminis,quæ ad opus dulciarium, & amylum grana ita purgant, & ſeligunt, vt diſpiciant, & penè numerent ſingulatim omnia. Hæc autem non dedecent Regiam domum,neque Principum fœminarũ manus, cùm in eo opere nihil ſit oneroſum,nihil ancillare.Sed ſi ita eſſet,quid conferret ad occultandas inſidias, attuliſſe manipulos, quando tunc non excutiuntur ex ſpicis grana,ſed excuſſa purgantur?

13. Mihi ſic videbatur aliquem vſum habuiſſe ſpicas,neque indecorum oſtiariæ fœminæ, aliiſque puellis aulicis,neque parùm aptum ad occultandas inſidias. Vſitatum erat ex granis adhuc viridibus,& deinde toſtis,confici polentam, cuius vſus apud Hebræos non infrequens, & apud lautos etiam habitus in deliciis. Hæc ex virentibus adhuc ſpicis excuti non poterant, quare neceſſe erat, vt exfollicarentur alio quodam modo, aut manibus,aut inſtrumento alio dentato; vt deinde ad varios vſus artis piſtoriæ, ac dulciariæ torrerentur. Cùm autem hoc opus neque conatum exigeret,neque vires,aut ſtrepitum, exerceri potuit ab honeſtis,& delicatis fœminis.Sanè polentam;id eſt,farinam ex virentibus, ac toſtis granis contuſam, gratum aliquid eſſe,ac delicatum, docuit Abigail lib.1.capite 25.verſ.18.vbi inter alia plurima, quæ attulit ad Dauidem, vt infenſum illius animum viro ſuo placaret, cùm aliarum rerum,quæ ad victum pertinent, vim attuliſſet maximam, polentæ tamen aliquid attulit modicum, quia pretioſum, & rarum. Vide quæ nos de polenta ſuprà ad hunc locum de Abigail, & capite 17.vbi Dauid ephi polentæ fratribus ſuis attuliſſe dicitur. Hoc poſtremum mihi videtur minus habere difficultatis, quod ego diuinando potiùs, quàm definiendo propono. Quòd quidam Hebræorum, & imò & noſtrorum nonnulli dicunt, duos illos viros adduxiſſe ſpicas, vt ſe emptores profiterentur tritici, multa præſtituunt, ſupponúntque quaſi certa,quæ tamen probare debuiſſent;nempe eos,qui aliquid emunt, præ ſe in manibus ferre id,quod pretio ſibi comparare ſtudent.: cuius ego neque in profana, neque in Sacra literatura veſtigium inuenio. Præferre opifices,aut venditores mercium, ſuæ artis,aut mercimoniæ indiciũ,& exemplum; id in omni,vt reor, natione,ac ſæculo vſitatum eſt; emptoribus verò alicubi gentium id in vſu fuiſſe nunquam inuenio,tametſi id à re mercatoria non videatur alienum.Alij ſpicis id voluiſſe coniectant, vt cauſam aliquam prætenderent honeſtam ſui in Regium penetrale ingreſſus;illáſque ſpicas primitias fuiſſe interpretantur frugum;quas obtulerunt Regi, vt reliquarum frugum dominum agnoſcerent. Sed hîc etiam vſum deſidero Hebræis familiarem, quem dum non probant, neque nobis credendi neceſſitatem imponunt. Sanè res eſt obſcura, & dubia;quiſque,quod volet,eligat;mihi, quod dixi de polenta,minùs videtur impeditum.

Et percuſſerunt eum in inguine.]Hebraicè,*ad quintam coſtam.*Tam inguen,quàm regio,quæ ad quintam coſtam pertinet,latè patet: eſt enim,opinor, quicquid eſt ab extrema coſta ad imum vſque ventrem:illa verò pars maximè opportuna eſt letali vulneri,quia nihil eſt durum,& oſſeum, quod retardet,aut auertat plagam; & inde facilis eſt ad vitalia,& proximus ingreſſus.Quare multi dicuntur in inguine, ſeu ad quintam coſtam vulnerati, qui momento temporis vitam amiſere.Sic proximè cap.2.Aſael,cap.3. Abner, & modò Iſboſeth dicuntur in inguine, ſeu ad quintam coſtam eſſe percuſſi; & quidem pars illa maximè eſt & letali plagæ,& inſidiis opportuna. 14.

Verſ. 8. *Attulerunt caput Iſboſeth ad Dauid.*] Hæc ad finem capitis obſcura non ſunt: tantùm enim habemus abſciſſum eſſe caput Iſboſeth,cùm primùm ille ex vulnere ad quintam coſtam acepto ſpiritum amiſit, quod curſu quàm potuerunt incitato maximè,tulerunt ad Dauid, quaſi ab illo magnum aliquod laboris ſui, ac ſtudij pretium accepturi. Spes tamen illos longè fefellit; exprobrauit enim illis Dauid oratione ſeuera, & graui, quod domino ſuo ſine vllo ſuo merito neceem attuliſſent in ſuo lecto ſecurè dormienti. Et cùm illius Amalecitæ propoſuiſſet exemplum,qui occiſo Saule magnam ab ipſo Regiæ cædis mercedem expectabat; tamen neque vnius horæ vſuram vitæ largitus eſt;iuſſit his,qui ſibi aderant,vt ab illis illatæ cædis per ſummam impietatem, & fraudes,pœnas exigerent;qui,vt erat imperatum, inuadunt homines, & momento temporis ferro conficiunt.Et quò extaret aliquod monumentum & illorum hominum inauditi ſceleris, qui impias manus ſuo intulerunt Regi;& pietatis Dauid, qui illius mortem tam ſeriò, ac ſtudioſè vindicauit,illorum præciſas manus,ac pedes ad piſcinam Hebron, in loco nimirùm frequenti, ac publico ſuſpendi iuſſit. Caput autem Regis ſepeliri iuſſit in Hebrõ,eo loco, vbi paulò antè ſepultus fuerat Abner.In hoc autem (ſi qua eſt in ſepulcrorũ loco, & ſanctitate felicitas, vt profectò eſt)felices fuerunt duo iſti Principes, quòd ille locus eis in ſepulturam datus, qui ad illud vſque tempus exiſtimabatur eſſe ſanctiſſimus.Ibi enim ſepulti fuere viri Principes, & magni Patriarchæ Gentis Iſraëlitidis,Abrahã,Iſaac,& Iacob, Sara, Rebecca, Lia,Geneſ.49.imò & nõnulli primũ ibi parentem tumulatum exiſtimant. Et ideò fortaſsè ciuitas à Deo primùm Dauidi deſtinata eſt; quia,vt ſibi in ea ciuitate propter ſanctorum Patriarcharum ſepulcra complacuerat,ſic etiam oſtendebat in Dauide Rege,& illius regno ſibi complacuiſſe. 15.

Sepulcrorũ ſanctitas.

Polẽtaquid.

16. Hîc ad extremum dubitari potest, quo supplicij genere affecti fuerint duo illi viri, quorum manus, ac pedes dicuntur abscissi. Theodoretus q.14.sic de illorum supplicio: *Eos, qui Miphiboseth* (dicturus erat Isboseth) *occiderunt, & eius caput attulerunt, extremis membris mutilatos egit in crucem.* Idem penè Iosephus lib.7.cap.2. *Iussit*, inquit, *eos exquisitissimis tormentis excruciatos supplicio dedi.* Idem, quod Thodoretus, putat Abulensis; nempè à Dauidis satellitibus abscissas esse priùs manus, & pedes; ac deinde illos extremis truncatos corporis partibus actos in crucem. Apud reliquos A Interpretes de hac supplicij forma mirũ silentiũ. Mihi illud videtur, quod principiò dixi, nempe statim ad Regis imperium occisos esse Regij sanguinis reos; & posteà ex eorũ cadaueribus exectas esse manus, ac pedes, qui ad tãti sceleris memoriã suspensi sunt. In hãc ego cogitationem ideò magis inclino; quia in illã magis, imò meo iudicio omninò litera propẽdet, quæ priùs occisos esse dicit homicidas illos, deinde extremas corporis partes detruncatas. Neque credo, si quid esset tale, quale Iosephus vult, tacuisset Scriptura; aut certè cũ res esset obseruatione digna, nõ ita reliquisset obscurũ.

IN CAP. V. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

POSTQVAM Dauid non à Iuda solùm, sed ab Israele toto rex inunctus est, percussitque de more cum populo legitimum fœdus, Ierusalem, quam adhuc Iebusæus occupabat Israelis Imperio subiugare constituit. Tam autem Iebusæi arcem Sion expugnari posse non putabant, vt à cœcis, & claudis; id est, ab infirma maximè custodia defendi posse crederent, idque cùm oppugnatorum conuitio superbè iactarent; subegit tamen Dauid arcem illam proposito præmio illi, qui primus omnium Iebusæum percuteret, & domatum fistulas attingeret, per quas aquæ dilabuntur extrorsus. In qua arce habitauit, & magnificentiùs instructam ex suo nomine ciuitatem appellauit Dauidis, fecitque magis amplam, circumducto muro, qui inferiorẽ ciuitatis partem cum arce cõiungeret. Ibi regiam sibi domum ædificauit, Hiram Rege Tyri ad illud opus artifices, & ligna ministrante. Cùmque suum regnum confirmatum videret, alias insuper accepit vxores, ex quibus filios adhuc suscepit, quibus suam ornauit, amplificauitque familiam. Bellum rursus comparant Philisthini, vt nascentem Dauidis dominatum opprimerent; sed illi potiùs fuerunt oppressi. Occurrit enim illis Dauid, Deo antè consulto, & magnam in illos edidit stragem, diripuitque deos, quos illi tutelares in acie portabant. Quod fecit etiam secundò, accepta prius à Deo occasione, & forma dimicandi.

CAPVT QVINTVM.

B

1. ET venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum, & caro tua sumus.

2. Sed & heri & nudiustertius, cùm esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israël: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël; & tu eris dux super Israël.

3. Venerunt quoque & seniores Israël ad regem in Hebron, & percussit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnxerúntque Dauid in regem super Israël.

C

4. Filius triginta annorum erat Dauid, cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit:

5. In Hebron regnauit super Iudam septem annis & sex mensibus: in Hierusalem autem regnauit triginta tribus annis super omnem Israel & Iudam.

6. Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebusæum habitatorem terræ: dictúmque est Dauid ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc.

7. Cepit autem Dauid arcem Sion; hæc est ciuitas Dauid.

8. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos, & claudos odientes animam Dauid. Idcirco dicitur in prouerbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum.

9. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam, Ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello & intrinsecus.

10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.

11. Misit

11. Misit quoque Hiram rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificésque lapidum ad parietes: & ædificauerunt domum Dauid.

12. Et cognouit Dauid quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel.

13. Accepit ergo Dauid adhuc concubinas & vxores de Ierusalem, postquam venerat de Hebron: natique sunt Dauid & alij filij & filiæ.

14. Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem, Samua, & Sobab, & Nathan & Salomon,

15. Et Iebahar, & Elisua, & Nepheg,

16. Et Iaphia, & Elisama, & Elioda, & Eliphaleth.

17. Audierunt ergo Philisthiim, quòd vnxissent Dauid in regem super Israel: & ascenderunt vniuersi vt quærerent Dauid: quod cùm audisset Dauid, descendit in præsidium.

18. Philisthiim autem venientes diffusi sunt in Valle Raphaim.

19. Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim; & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua.

20. Venit ergo Dauid in Baal Pharasim; & percussit eos ibi, & dixit: Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim.

21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit Dauid, & viri eius.

22. Et addiderunt adhuc Philisthiim vt ascenderent, & diffusi sunt in Valle Raphaim.

23. Consuluit autem Dauid Dominum: si ascendam contra Philisthæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum.

24. Et cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam vt percutiat castra Philisthiim.

25. Fecit itaque Dauid sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthiim de Gabaa, vsque dum venias Gezer.

IN CAP. V. LIB. II. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Et venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum, & caro tua sumus.*]

1. CVM neque ducem haberent vllum, quē sequerentur; neque Regem, cuius obsequerentur imperio reliquæ Tribus Israel, conuenerunt omnes simul ad Dauidem, vt illum sibi ex omnibus Regem asciscerent. Quorum rationes hæ fuerunt aut solæ, aut præcipuæ. Prima, quia ex eodem omnes semine, & cognatione sunt, ab vno videlicet Israele propagati. Illud enim valet illud: *Os tuum, & caro tua sumus.* Quę dicendi forma apud Hebræos speciem habet prouerbialem. Sic Genes. cap. 29. v. 14. Laban ad Iacob: *Os meum, & caro mea.* Idem Abimelec ad fratres suos, & Sichimitas Iud. 9. v. 2. Idem 2. Reg. 19. 12. Secunda ratio, quia superioribus etiam diebus, cùm adhuc in viuis ageret Saul, summam Imperij videbatur obtinuisse Dauid; illius enim arbitratu res administrabatur bellica, cùm omniū singulari approbatione, & rerum felicissimo successu. Quo tempore satis multa, atque præclara documenta dedit, quibus alij cognoscerent, qualemnam Principem in Dauide, ac regem essent habituri. Tertia, quia aliter non solùm communi vtilitati, & bonorum votis, sed etiam diuinæ voluntati repugnaturi viderentur, cùm Deus id antè non semel, neque obscurè prædixerit; quod nemo illorum, qui Samuelem agnouerunt, ignorabat. Hæc popularis vox fuit, hoc omnium commune desiderium, hæc rationum momenta, quæ in re deliberanda necessitatis videntur habuisse pondus.

Vers. 3. *Venerunt quoque & seniores Israel, & percussit cum eis Rex Dauid fœdus.*] Hic popularium clamor, & commune votum. Nec defuerunt seniores, & Principes Israel, ad quos de summa rerum deliberatio pertinebat, quibus eadem fuit, quæ populo mens. Qui cùm legitimè, ac sanctè coram Domino, præmisso nimirùm sacrificio, & interposito iurisiurandi firmissimo vinculo, illum vnxerunt tertiò, vt non solùm tribui Iuda, à qua fuerat priùs electus, & vnctus; sed etiam vndecim Tribubus legitimè præficeretur, & sanctè. Sed hîc paucula nobis obseruanda. 2.

Primum, circa illam vocem popularem ad Dauid: *Dixit Dominus ad te; Tu pasces populum meum Israel.* Nam hæc verba nusquam audimus. Huic quæstioni satis, opinor, satisfactum est cap. 3. vbi etiam quærebamus, quonam Scripturæ sacræ loco esset illud Abneris ad populum v. 18. *Dominus locutus est ad Dauid, dicens; in manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israel.* Vbi diximus, non omnia, quæ dicta sunt à Prophetis, scriptis esse mandata. Sicut neque omnia, quæ dicta sunt 3.

à Christo, quæ ignoraremus omninò, nisi aliis in locis per occasionem vsurpassent alij. Quorum exempla non pauca produximus in nostris commentariis super Acta ad illud cap. 1. v. 5. *Quam audistis*, inquit, *per os meum*. Hoc autem credo siue à Gad, siue à Samuele dictum esse Dauidi, & illam vocem auditam à populo, & acceptam pro oraculo; quæ, vtpotè de re tanta, videtur in omnium ore fuisse frequentissima. Pascere autem non solùm de illis dicitur, qui rem curant pecuariam, quanquam de his propriè; sed de illis etiam, qui populi tractant gubernacula, quibus commissa est fidelis, & vigilans populorum custodia. Sic Græcè Imperator ποιμὴν λαῶν appellatur: id est, *pastor populorum*.

4. Hi seniores, qui venerunt, illi esse videntur, qui vniuerso præerant Israeli; illi videlicet septuaginta, quos elegit Moyses ad imperium Dei, de quibus Numer. cap. 13. Cum his autem etiam conuenisse videntur singularum Tribuum seniores, & Principes; quia hi etiam ad res grauiores cum senioribus Israelis; id est, cum senatu, aut summo seniorum concilio conuenire soliti; vt fecerũt sæpè in causa Christi ad extrema sæcula Iudaicæ reipublicæ. Hi opinor, sunt, qui lib. 1. Paralip. c. 8. v. 27. *Patriarchæ* dicuntur, & *cognationum Principes*. Ad hos priùs retulit Abner cap. 3. v. 17. quod statuerat de regno Dauidis. Hi ergo venerunt ad Dauidem, vt inirent cum eo de summa re fœdus, illúdque coram Domino ritè percuterent.

5. *Regis constituendi forma.* De fœdere, quod cum Dauide à senioribus, suarúmque Tribuum curatoribus percussum, nihil est certum. Ego sic censeo, adactum esse Dauidem à senioribus, ex quibus constabat senatus, atque concilium summum in Israel, ab aliisque Tribuum in suo ordine, & gradu Principibus, vt iuramento, atque alia solemni, sacráque ceremonia confirmaret id, quod Deut. cap. 17. v. 15. de Rege constituendo præceptum est: *Eum constitues* (ait Dominus, Regem) *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero subleuatus. Præsertim cùm Dominus præceperit vobis, vt nequaquàm ampliùs per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius; neque argenti, & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuitica tribus: & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, &* 6. *ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Hæc, vt opinor, proposita à senioribus fuere Dauidi, quæ ille lubens admisit, atque ita amplexus est auidè, vt in ipsa penitùs præcordia condiderit. Et sicut de aliis legibus cecinit Psal. 118. sic puto de his etiam illud ceciniſse: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Alia etiam credo à senioribus Dauidi proposita, quæ ad præsentem rerum statum pertinerent, vt de bellis cum hoste vicino, atque exultante conferendis, de ἀμυνσίᾳ, & obliuione iniuriarum, & quæ quiuis in eo impedito, atque multiplici rerum, studiorúmque congressu coniectare poterit. Neque dubium, quin seniores illi totius populi nomine nouo Regi promiserint fidelitatem, obsequium, quæque Reges alij in benè constituta republica exigunt à suis. Hoc itaque fœdus fuit inter Dauidem, & populum, interposito vtrinque iuramento, percussum.

Regibus quæ leges proponendæ.

Sed nunc etiam videndum, quomodò pactum hoc coram Deo potuerit dici percussum; cùm neque ibi Arca fuerit Domini, neque Tabernaculum, ante quæ, si qua fiunt, illa facta dicuntur coram Domino. Tractauit hæc Abulensis, q. 3. vbi dicit in Hebron fuisse sanctuarium à Dauide constructum, quia cum Gabaon, in quam Tabernaculum fuerat à Saule translatum esset in tribu Beniamin, neque in illa Tribuum diuisione, quæ ad præsentem durauerat diem, tutum esset iis, qui Dauidis castra sequebãtur, orationis gratia eò vsque contendere; sacrarium aliquod excitauit in Hebron, vbi speciali aliquo ritu coleretur Deus, oblatis videlicet sacrificiis, & his adhibitis ceremoniis, quę in Tabernaculo fieri religio permittebat. Posse autem sub hæc tempora, in quibus vacuum erat ab arca tabernaculum, aliis in locis extra immolari victimas, diximus supra cap. 7. in fine, & in lib. 1. sunt exempla non pauca. Quod autẽ in Hebron solitum esset offerri sacrificium, probat illud infrà cap. 15. vbi Absalom facultatem sibi à parente petiit, sibi vt liceret secedere sacrificij causa in Hebron, quasi legitimum esset, & ab aliis solitum obiri sacrarium. Quod quidem nisi sanctum esset, nunquam illius votis pater annuisset. Accedit, quod secum habuit Dauid in Hebron sacerdotem summum Abiathar, qui sacris operari legitimè, & excipere solemni forma ab vtraque parte iusiurandum potuit.

7. *In Hebron locus orationis.*

Sed etiamsi in Hebron nullum esset sacrarium, nullum altare, nulla victima; fœdus tamen illud dici potuit coram Deo percussum. Sic enim dicuntur illa fœdera, aut iuramenta, quorum Deus aduocatur testis. Sic Paulus ad Galat. cap. 1. v. 20. *Ecce coram Deo, quia non mentior*; id est, testis est mihi Deus, quòd non fallo. Neque sanctuarium erat in sylua, in qua apud Ziphæos morabatur Saul; & tamen ibi, vt habes lib. 1. cap. 23. v. 18. percussisse dicuntur Ionathas, & Dauid fœdus coram Domino: quia vterque illius fœderis in sylua percussi testem aduocarunt Deum.

8.

Vnxerúntque Dauid Regem super Israel.] Tertiò nunc vnctus est Dauid in Regem, cùm primùm illum vnxisset in occulto Samuel, & septennio antè in eodem loco Tribus Iuda; nunc autem totus Israel illum sibi tertiò vnxit, & consecrauit Regem, postquàm iam inter ipsum, & populum de regni forma, & administratione conuenerat. Quod fieri tunc potuit commodè, cùm summus ibi esset Sacerdos; neque sacrum deesset oleum, quale pro vnctione Regum religio requireret.

9.

Vers. 4. *Filius triginta annorum erat Dauid; cùm regnare cæpisset, & quadraginta annis regnauit.*] Si verum est, quod suprà pluribus ostendimus, in principio cap. 13. lib. 1. duos tantùm annos regnasse Saulem; verum erit etiam, nunquam illum ex quo in Scriptura notus esse cæpit, in ætate fuisse puerili, aut etiam iuuenili, vt multi censuerunt. Hebræi, vt habes in Seder Olam cap. 13. dicunt Dauidem, cùm in paterna domo vnctus est primùm à Samuele, annum attigisse vigesimum nonum. Quorum hac in re sententia mihi semper placuit, quam etiam probare debent, qui loco superiùs allegato tenent, biennium tantùm regnasse Saulem. Sanè Ambrosius lib. 1. offic. cap. 32. Dauidem maiorem ætate dicit fuisse Ionatha; qui tamen cùm primùm regnum iniit Saul, mille viris præfectus fuit à patre; & talia præstitit, qualia non nisi à viro iam grandi sperari poterant. Sic ergo ibi

10.

Ambro

Ambrosius: *Dauid, cùm esset prudentior, Ionathæ tamẽ iunioris consiliis acquiescebat.*

11. Vers. 5. *In Hebron regnauit super Iudam septem annis, & sex mensibus.*] Hoc idem suprà c.2.v.11.vbi explicuimus, quomodò hæc duo loca conciliari possint cum c.2.v.11.lib.3.Reg.vbi Dauid septem annis nulla sex mensium habita ratione, regnasse dicitur in Hebron.

12. Vers. 6. *Et abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo, in Ierusalem ad Iebusæum habitatorem terræ.*] Cùm primùm à ciuilibus, & intestinis bellis expeditus fuit Dauid, cæpit iam maiora, quàm antè, moliri, cùm collectas haberet maiores vires, neque contra domesticos, sicut anteà, dispersas. Quare cùm in medio Terræ promissionis, meliorique loco, maximéque à natura munito videret esse Ierusalem, non putabat ex vsu, aut dignitate esse Israelitici populi, si ab externo teneretur habitatore. Quare hoc voluit esse suarum expeditionum initium, & proœmium vnctionis suæ in vniuersum Israelem. Sed quia multus deinceps necessariò de Ierusalem nobis futurus est sermo, non erit sine aliquo operæ nostræ pretio, prius de illius antiquitate, ac mole, & variis habitatoribus nonnihil attigisse. Alij ea de re longiùs, nos paucis, & strictim, prout huius loci tractatio postulauerit.

13. *Ierusalem ciuitas pulcherrima.* Huius ciuitatis multa apud sacros, & profanos scriptores inuenta nomina: nam valde est in eorum scriptis commendata hæc ciuitas; licèt hæc commẽdatio præcipua ab eo tempore ducta fuit, quo ad ditionem Israeliticam, & Dauidicum genus traducta est. De quo ex profanis videndus Cornelius Tacitus lib. 21. In sacris literis multa occurrunt Regiæ illius ciuitatis encomia. Quale fuerit externarum Gentium de Hierosolyma iudicium, ostendit Ieremias Thren.2.v.15. *Sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Haccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?*

14. *Ierusalem aliis vocata nominibus.* Hæc primùm appellata est *Salem*, seu, *Ierusalem*, vt constat; quia antequàm Iebusæus illi nomen imponeret, aut illam incoleret, iam auditum erat nomen *Salem*, vt constat Genes.14.v.18.vbi Melchisedech, qui etiam putatur fuisse Sem filius Noe, Rex dicitur Salem. An verò illa *Salem* eadem fuerit, quæ posteà vocata fuit *Ierusalem*, inter auctores non leuis disceptatio est. Hieronymus epist. ad Euagrium aliam Salem esse putat à Ierusalem, quam obtinuit Melchisedech, quæ erat prope Sichem, quam nunc ait exigua mutatione vocari *Salim*, de qua Ioan. 3. Hieronymum sequuntur complures alij. Quod idem Hieronymus probat; quia suo tempore in illa Salem, quæ non longè distat à Sychimis, in qua tabernacula sua fixit Iacob, dicit ostendi adhuc palatium Melchisedech, & ex magnitudine ruinarum veteris operis magnificentiam. Plures alij Melchisedech illius Salem Regem esse dicunt, quæ etiam vocatur Ierusalem; de quo nobis hoc loco pluribus agendum non est. Illud certum, Ierusalem vocatam quoque fuisse *Salem*; quod non negat Hieronymus ad illud Psal.75. *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Hebraicè. *Et factus est in Salem locus.* Vbi etiam sentire videtur Hieronymus in Hierosolyma regnasse Melchisedech. Sanè plures esse ciuitates appellatas *Salem* docet Serarius in c.10.Iosue q.2.

Melchisedech cuius Salem Rex.

15. *Plures ciuitates appellata Salem,* Ego sic coniecto, inter alias ciuitates quæ appellantur *Salem*, duas fuisse præcipuas; alteram iuxta Sichem, vbi habitauit aliquando Iacob; alteram, quam modò Dauid Iebusæis eripuit. Vnde factum est, vt *Ierusalem* apud Hebræos ponatur in duali forma ירושלים *Ierusalaim*, sicut aliæ plurimæ ciuitates, vt Isaiæ cap.15.v.5. *Oronaim*, id est, duæ ciuitates, quæ dicuntur *Oron*, seu *Bethoron*, quæ locorum situ distinguuntur; quare altera dicitur Bethoron superior, altera inferior. Sic ergo cùm essent שלים *Salaim*; id est, duæ ciuitates appellatæ *Salem*; vt aliqua esset nota, quæ vnam ab altera distingueret; hæc, de qua nobis commentatio, appellata est *Ierusalem*; quæ sonat aut *Salem sublimem*, quia in excelso loco, aut *altitudo pacis*, seu *visio pacis*, aut *Salem horribilem*, cùm altera *Salem* aliam habuerit notam, de qua nobis non constat; qua nota diceretur Salem inferior, aut aliquid aliud, quod designaret pacem. Quasi dicas, ex duabus illis *Salaim*, illa quæ sublimis est, &c. *sed duæ præcipuè.*

16. *Ierusalem nomen antiquissimum ciuitatis.* Alterum etiam nomen *Ierusalem* impositum est, antequàm à Iebusæis nomen acciperet. Quod ideò mihi persuadeo; quia loci natura prior est, quàm illius habitator; atque adeò nisi dicamus, ab aliquo Iebus fuisse primùm ædificatam, à quo etiam nomen acceperit (sicut ciuitates aliæ à suis conditoribus solent) priùs appellata est *Ierusalem*, quæ loci altitudinem, aut terrorem sonat, seu etiam visionem absolutam, & perfectam; nam hæc etiam traditur nominis notatio; quàm *Iebus*. Scio aliquibus videri, à quodam illius nominis Principe primùm ædificatam, & habitatam esse Ierusalem; quis tamen ille fuerit, non dicunt. Ego *Iebusæi* nomen primum inuenio Genes. 10.v. 16. sed hic longè fuit post Melchisedech, à quo fundata dicitur Salem. Fuit enim Iebusæus pronepos Noë nepos Cham, filius Chanaan; Melchisedech autem Sem esse creditur, filius Noe. Porrò appellatam esse priùs *Salem*, quàm *Iebus*, docet Hieronymus epist. ad Euagrium, & alij qui Melchisedech illius ciuitatis conditorem appellant; quales sunt Isidorus lib.15. etymol. Iosephus lib. 7. de bello cap.28. Ægesippus. Et fauet plurimum ipse loquendi modus. Sic enim *de Iebus* loquitur, vt tamen non obscurè indicet, priùs nominatam esse *Ierusalem*. Iosue cap.18.v.28. cùm numeraret ciuitates, quæ attributæ sunt funiculo Beniamin, dicitur & *Iebus*, quæ est *Ierusalem*; illa nempe Ierusalem, cuius nomen in eo libro sæpiùs auditum est, vt cap. 10. non semel. Et sæpè Ierusalem dicitur à Iebusæis habitata, quæ sanè nomen *Iebus* non videbatur amissura, cùm à Iebusæo habitaretur, si illud omnium antiquissimum habuisset.

17. *Hierosolyma vnde dicta.* Dicitur etiam *Hierosolyma*, cuius nominis etymon varium est apud varios. Iosephus lib.1. contra Appionem, cuiusdam maledicam, & stultam illius nominis notationem reprehendit. Qui dicebat, Hebræos, cùm ex Ægypto essent egressi, in Iudæam tandem per solitudinem penetrasse; vbi spoliatis habitatoribus, & compilatis templis vrbem condidere, quæ priùs à templorum spoliis ἱεροσυλα nominata est. Sed aliquandiu post, vt obscuri illius, & ignominiosi nominis conuitium effugerent, mutatum esse nomen aliquantulum, & vrbem ipsam *Hierosolymam*, & se ipsos *Hierosolymos* appellasse. Sed ridet Iosephus stuporem illius hominis, qui non viderit, nomen illud non idem significare Græcè, quod Hebraicè; neque sanè Hebræi alienæ linguæ nomen suæ indidere ciuitati.

18. Ego hanc vocem confictam esse puto à Græcis ad Hebraici nominis similitudinem, modica syllabarum mutatione; qui ciuitatem illam à secunda

compo

cõpoſitionis parte vocauere *Solyma*, ſicut Hebræi *Salem*; & addita Ieruſalem priori parte, *Hieroſolyma*. Quod ideò fecerunt libentiùs, quia Templum, à quo maximè erat nota, & commendata ciuitas. ἱερὸν appellatur. Imò & quidam dicunt, à Salomone, & ab illius Templo, quod ἱερὸν vt diximus, dicitur Græce, vocatam eſſe *Hieroſolymam*. Quod mihi non diſplicet. Et quidem hoc nomen eſſe Græcum, & tenent communiter Interpretes, & ex eo fit veriſimile, quòd nonquam illud in Sacris literis auditum eſt, antequàm populus Babylonem abduceretur extorris. Tunc enim ex aliarum Gentium familiari conuictu nouum illud nomen & didicere primùm, & in patrios fines induxerũt. Plura de *Ieruſalem* vide apud Salmeronem prologomeno 42. Hadriconium, in Ieruſalem; Serarium in Commentariis Iudic. c. 10. q. 2. Pinedam in Eccleſiaſtem cap. 1. v. 1. & Ioſephum lib. 7. de bello cap. 18.

19. *Ieruſalem ad quam Tribum pertineat.* Illud præterea addendum, quod etiam priùs obſeruaueramus in noſtris Commentariis in Zachariam ad illud cap. 2. v. 7. *O Sion fuge.* ædificatam eſſe Ieruſalem in ipſis Beniamin, Iudæque confiniis; atque ideò ſicut aliquid ſumit ex vtriuſque funiculo, ſic etiam ad vtramque Tribum pertinere. Sic putant Lyra, & Serarius ad illa loca Ioſue, de quibus ſtatim; & Serarius in cap. 1. Iudic. v. 8. licèt neget Abulenſis in cap. 1. Iudic. & cap. 10. Ioſue. Quòd ad Beniamin pertineat, liquet ex Ioſue. c. 18. v. 28. Quòd ad Iudam, Ioſue cap. 15. v. 63. *Habitauitque Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem vſque in præſentem diẽ.* Et iiſdem verbis dicitur Iudic. cap. 1. v. 21. *Habitauitque Iebuſæus cum filiis Beniamin in Ieruſalem vſque in præſentem diem.* Quibus locis vtraque Tribus dicitur non potuiſſe Iebuſæum delere.

20. *Ieruſalem ad duas Tribus pertinet.* Ego ita exiſtimo, cùm facta fuit olim Terræ ſanctæ diuiſio, exiguam fuiſſe Ieruſalem, cuius tunc pars habitata à Iebuſæis tenebatur. Hæc autem videtur eſſe arx Sion, quæ poſteà ciuitas Dauid appellata eſt; quam partem tunc ædificiis inſtructam aſſignatam puto Tribui Beniamin. Cùm autè Iudæ funiculus ciuitatis illius fines attigeret, vt conſtat ex Ioſue cap. 15. & cap. 18. quicquid deinde additum eſt ciuitati, ſaltem ex latere Aquilonari; id eſt, ab ea parte, quæ ſpectat vallem Enao, id totum Iudæ funiculus complexus eſt. Quare per ſynecdochem Ieruſalem dicitur pertinere ad Beniamin, & Iudam; quia partem Iudæ & partem Beniamin ſedes eius amplectitur.

21. *Templum Salomonis in duarum Tribuum confinio.* Illud præterea mihi certum eſt, Templum etiam Salomonis in vtriuſque Tribus confinio fuiſſe conſtructum. Quod enim ad Beniamin pertineat, probat illa Hebræorum traditio, de qua Hieronymus in tradit. Hebr. ſuper Geneſim; quæ illud Gen. 49. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia*: de Templo accipit, in quo manè à Sacerdotibus immolantur hoſtiæ, & veſpere diſtribuuntur. Et ita putat Chaldæus. Et fauet illud Moyſis, Deut. 33. vbi Beniamin in thalamo Domini futurus eſſe dicitur; id eſt, in Templo, vt etiam Chaldæus exponit. Quare eodem ſpectant benedictiones Iacob, & Moyſis; nempè id, quod in Beniamin illuſtre magis, magiſque in tota Iſraelitide poſſeſſione pretioſum eſt. Quòd autem partem aliquam Templi, non autem Templum totum ſibi vendicet Tribus Beniamin, ex eo fit mihi maximè veriſimile, quòd Ieremiæ 20. v. 2. aliquod Templi latus nomen ſibi ſumpſit à Beniamin; quod planè indicat aliquam eſſe Templi partem, quam illa Tribus nõ agnoſceret ſuam. *Percuſſit Phaſſur Ieremiam prophetam: & miſit eum in neruum, quod erat in porta Beniamin ſuperiori in domo Domini.* En tibi duæ portę, ſuperior, & inferior; quæ indicant latus illud Templi eſſe intra ſortem Beniamin. Ierem 20.

Quòd verò etiã fuerit in Iudæ funiculo, probat illud in primis, quòd Dauid amplificauit valdè ciuitatem illam. 1. Paralip. 11. 8. *Ædificauitque vrbem in circuitu à Mello vſque ad gyrum.* In illa acceſſione ad ciuitatem antiquam, ſeu certè in illa noua ciuitate, cuius pars intra Iudæ claudebatur fines, ædificatum eſſe Templum, probat illud Pſal. 77. *Repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda montem Sion, quem dilexit. Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum:* id eſt, Templum. Et Zachar. cap. 2. v. 12. Templum ſuum in terra Iuda ſtatuit, dum illam terram vocat ſanctificatam, & in illa partem ſuam; id eſt, Templum futurum eſſe dicit: *Poſſidebit Dominus Iudam partem ſuam in terra ſanctificata, & eliget adhuc Ieruſalem.* Vide quomodò Ieruſalem ſtatuit in Iudæ ſorte. 22.

Supereſt iam videamus, quomodò expugnanda nunc dicatur Ieruſalem, cùm ante hoc tempus expugnata dicatur, & eſſe in Iſraelis poteſtate. Neque enim Dauid, & triumphalis pompa, deuicto Philiſthæo, ingreſſus eſſet Ieruſalem, ibique abſciſſum Gigantis collocaſſet caput, quaſi præclaræ victoriæ monumentum, niſi Iſraeliticæ foret ſubiecta potentiæ. 1. Reg. cap. 17. v. 54. *Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, attulit illud in Ieruſalem: arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo.* 23.

Ego in Ieruſalem duas partes eſſe video; alteram in vertice montis, quæ dicitur *Sion*; & poſtquam expugnata fuit à Dauid *Dauidis* appellatur *ciuitas*; alteram, quæ eſt in ipſo montis deſcenſu, & ſitu minùs arduo. Et hac fortaſsè de cauſa appellata eſt in duali numero ירושלים *Ieruſalaim*; quaſi duæ forent ciuitates eiuſdem nominis, altera ſuperior, quæ *Sion*; altera, quę magis communi vocabulo diceretur *Ieruſalem*. Hanc expugnarunt, qui erant è Tribu Iuda; quia minùs erat expugnatu difficilis. Iudic. 1. v. 8. *Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem, ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladij.* Superiorem verò, neque filij Iuda, neque filij Beniamin expugnare potuerunt, licèt ſæpiùs aggreſſi; atque ideò ſimul cum Iebuſæis ciuitatem illam habitarunt inuiti. De filiis Iuda Ioſue 15. *Habitauitque Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalẽ.* Idem de filiis Beniamin, Iudic. cap. 1. & de vtriſque ea redditur vtrobique ratio; quia non potuerunt delere Iebuſæum. Quare id nunc aggreditur Dauid, quòd Maiores ſui conſecuti non ſunt, vt illam ex medio Terræ promiſſionis, & loco magis illuſtri aboleret ignominiam, quam alij cum magno Iſraelitici nominis dedecore tamdiu pertulerunt; ne ſimul viuerent, contrà quàm eſſet à lege præceptum, qui tam religione, & ſacris diſſiderent; & ſuperiori quodammodò ſubeſſent potentiæ eorum, qui ſuperiori in loco ſupra ipſorum capita, domitaſque ceruices inſederant. 24. *In Ieruſalem duæ regiones.*

Dictumque eſt Dauid ab eis: non ingredieris huc; niſi abſtuleris cæcos, & claudos.] Mirum eſt, quàm variè ſe in huius loci commentatione verſent Interpretes, quámque parùm inter ſe conſentiant; longum eſſet ſingulorum referre, atque infirmare ſententias. Adducam illas, quæ magis videntur aliis placuiſſe, vel quia magis ad literam, vel quia magis ad plauſum. Hebræi, vt in tradit. Hebr. tradit 25.

Gen. 49.

dit Hieronymus,hunc locum sic accipiunt: *Non ingredietur huc Dauid,donec nos hinc auferat,quos inermes,& imbecilles,sicut cæcos,& claudos, esse arbitratur, & quos bello agressurus sicut cæcos,& claudos se triumphaturum putat.Idcirco dicitur in prouerbio, cæcus, & claudus non intrabunt in templum. In Hebræo habetur cæcus,& claudus non intrabit domum. Hoc est, cæcus, & claudus;subauditur,dicunt,non intrabit quilibet domum cæcorum, & claudorum, quandiu cæcus, & claudus intùs fuerint.* Mihi hæc Hebræorum expositio, à qua non videtur abhorrere Hieronymus,non omninò displicet, quæ placuit Angelomo, Magistro historiæ scholasticæ, & Glossæ; neque Abulensi displicet q.7.neque Hugoni.

26. Alij ex sententia Rab. Salomonis dicunt, supra ciuitatis mœnia positas fuisse imagines Isaac & Iacob, quorum alter cæcus, alter erat claudus. Quas eo consilio statuerunt in eminenti, atque conspicuo loco Iebusæi,vt recordarentur illorum posteri Israelitæ pacti,quod cum Abimelec Rege Geraræ percussit Abraham,& ea ratione abstinerent ab armis.Erant autem ait Rab.Salomon, Iebusæi ex genere Abimelec. Quare iuxta hæc hūc locum sic exponunt. Nisi volueritis datam à maioribus vestris violare fidem, & fœdus firmatum sacramento contemnere,cuius duæ parentum vestrorum imagines obsides sunt, nō ingrediemini. Quasi dicerent,non ingrediemini,nisi fœdifragi, nisi prodita fide, quam à parentibus acceptam, sartam,& tectam seruare debuistis.Hæc sententia Lyræ placuit,quam Abulensis, & Burgensis optimè,& acriter impugnant. Quos tu vide.

Alij in *cæcis*, & *claudis* Deos intelligunt tute-
27. rales,quos Gentium more in muris Iebusæi locauerunt, quasi futuros ciuitati præsidio, aut certè intra ciuitatis mœnia in loco religioso, ac sacro seruabant, quibus patronis, existimabant fore,vt nunquam in aliorum potestatem ciuitas veniret. Quare cùm euitari non posset, quominùs ab hoste caperetur ciuitas, dij tutelares, ac patrij excedere vltrò dicebantur, aut euocari ab hostibus certo aliquo carmine, quod vim haberet euocatoriam. Qua de re nos pluribus super Ezechielē, ad illud cap.3. *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Porrò illi dij ab Israelitis, vtpotè saxei, aut lignei,claudi dicebantur,& cæci. Sic certè cecinit Dauid, Psal.113. *Oculos habent,& non videbunt;pedes habent,& non ambulabunt.* Dicunt ergo Iebusæi,nisi illi dij, quorum ipsi custodiæ vrbem crediderunt;ab vrbe depellantur,nunquam futurum vt ipsi in ciuitatem irrumpant.

28. Communior est explicatio,Iebusæis ita munitam videri ciuitatem, vt à cæcis, & claudis contra omnem vim hostilem propugnari posset. Alij dicunt, reuerà cæcos,& claudos per vrbis propugnacula fuisse dispositos, qui non tam vrbem defenderent,quàm hostium irriderent,subsannarētque conatus.Huic facto illud fuisset simile,si modò verum, quod adducit Lyra Ezech.cap.27. vbi Pygmæi;id est, homines pusilli cubitali magnitudine,& omninò nihili dispositi dicuntur in mœnibus, quia non aliis egebat propugnatoribus Tyrus,quia satis habebat à se ipsa sibi munimenti,cùm ab arte esset, & natura munita. Sed illius loci longè alia ratio,& explicatio est, quam nos in nostris Commentariis ad illum locum adduximus.Quod propriè cæci,& claudi in mœnibus fuerint ad propugnandum dispositi, tenet Iosephus l.7.Ant. cap.2.Angelomus,Procopius,Theodoretus q.16.& 17. & hoc fortassè verè.Neque mihi videretur alienum, si hoc tantùm dicendi modo significaretur, etiamsi nullus intercederet cæcus, aut claudus, tam esse ciuitatem à natura munitam, vt à cæcis,& claudis, si alia non esset firmior custodia, arceri posset impetus hostilis. Videtur autem illa esse prouerbialis dicendi forma, qua significatur & hostium contemptus, & nimia securitas. Ex his explicationibus extremæ mihi aut probantur magis, aut displicent minùs.

Dicentes, non ingredietur Dauid huc.] Explicatio 29.
est superioris clausulæ, & quid in ea Iebusæi nimiùm sibi,ac vrbis munitioni tribuentes, significare voluerint ea prouerbiali, & obscura dicendi forma;quæ quia paulò videbatur obscurior,illius expositio ab historico sacro subiecta est. Quasi dicat, his verbis ostendere voluere Iebusæi, nullo modo sui conatus,ac voti compotem futurum esse Dauidem.

Vers. 7. *Cepit autem Dauid arcem Sion:hæc est ci-* 30.
uitas Dauid.] Quia auspice, atque auctore Deo, qui locum illum ex omnibus habebat eximium, suóque cultui præcipuè destinarat, illud sibi negotium aggressus fuerat Dauid,non fuit difficilè, oblatas superare difficultates. Quare depulsis inde Iebusæis,quātumuis oculos haberent lynceos, & firmos pedes, atque veloces; & mutato priori nomine, sicut etiam dominus mutabatur, illam appellauit, non *Iebus*, ne quod maneret antiquæ impietatis vestigium; sed *ciuitatem Dauid*, quam ipse postea maiori firmamento muniuit.

Vers. 8. *Proposuerat enim Dauid in die illa præ-* 31.
mium,qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos, & claudos.] Rationem reddit historicus sacer, cur tam citò tot difficultates exuperarit Dauid: quia videlicet præmiis suorum militum inflammauit animos, & ad arduum quidlibet aggrediendum armauit. Præmium autem positum est, lib. 1. Paralip. cap. 11. v.6. *Omnis, qui percusserit Iebusæum in primis, erit Princeps,& dux.* Hîc verò propositum audacissimo cuique negotium explicatiùs exprimitur;nempè qui primus Iebusæum percuteret,qui fistulas tangeret; id est,aquarum emissarios canales; & denique claudos amoueret,& cæcos, qui magno fuerant Dauidi fastidio;aut quia reuerà fuerunt quasi propugnatores in muro dispositi,aut quia illorum nomen ipsi ad ignominiam obiectum.Nunc de singulis seorsum.

Proposuerat enim Dauid in illa die præmium.] Quia 32.
ambitio,& cupiditas magnam habent vim in humano pectore, illúdque ad præsentem mortem cęcum,& prœceps abripit;ideò duces gnari quàm facilè homines his se abduci sinant, honores proponunt, & alia commoda, quæ humanæ naturæ aut ornamento sunt,aut leuamento.Inde inuentæ coronę;quæ, quia his, qui primùm ascenderunt murum, tribuuntur, *murales* appellantur. Quo artificio quàm frequenter vsi sunt externi; vnum è multis exemplum accipe,quia huic quàm simillimum. Alexander, vt tradit Curtius lib. 7. cùm in locum incidisset præruptum, & arduum, in quem hostium multitudo confederat; & ab his, qui eo in loco tutos se à tanti imperatoris fortuna,& viribus existimarent, simile intorqueretur opprobrium,quale nunc à Iebusæis Dauidi, præmiis propositis sic suorum inflammauit studia,vt ad summum vsque prærupti montis fastigium enitercntur. Eodem artificio vsus est Caleb, Iud. cap.1. v.10. qui filiam suam Axam illi despondit, qui Cariath Sepher adduceret ad

Israëlis

Israelis iugum. Et proximè Saul, qui filiam suam, & alia ornamenta dignitatis, ac vitæ subsidia illi promisit, qui Goliath singulari sterneret certamine, & ab Israelis nomine tam fœdum auerteret opprobrium.

33. *Et tetigisset domatum fistulas.*] *Domata*, vt docet Hieronymus epist. 135. ad Sunniam, & Fretellam, sunt tecta non fastigiata, aut testudinata; sed plana, quæ Hispanorum vulgus *terrados* appellat. Hæc necesse est, fistulas habeant, per quas pluuialis aqua foras emittatur, ne domum corrumpat. Hæ necesse est, in parte domus suprema statuantur, ne quid in interiorem domus partem humoris illabatur. Abulensis q. 7. prominentia domatum tigna putat, quas *canes* Hispani vocant. Quicquid horum sit, extremum esse constat in ædificiis; atque ideò qui *fistulas tetigerit*, ad summum etiam murorum euaserit, necesse est. Alij in *fistulis* cæcos quosdam, & subterraneos cuniculos intelligunt, per quos ad ipsa murorum fastigia patebat ascensus. Ita ex aliorum sententia referunt Magister histor. Schol. & Abulensis; & dicit apertè Theodoretus, q. 16. Illud tamen de *fistulis*, seu canalibus, vel ad emittendam, vel colligendam aquam, certius est. Illud de cuniculis omninò incredibile. Quia reuerà cæci essent, & claudi Iebusæi, nisi cæcos illos aditus, si qui forent, aut obstruxissent, aut obseruassent; cùm id non potuerit non esse notum; & hostis instaret acer, & strenuus, qui omnes scrutaretur, & tentaret vias, per quas sese aperiret expugnandæ arcis aliqua commoditas.

34. *Et abstulisset cæcos, & claudos odientes animam Dauid.*] Siue in *cæcis*, & *claudis*, Iebusæos omnes intelligamus, iuxta primum Hebræorum sensum; siue reuerà eos, qui capti essent pedibus, atque oculis, qui ad insultandum, irridendúmque Hebræorum conatibus in muris fuerunt à Iebusæo nimis insolente dispositi, qui & ipsi libero, ac petulante conuitio Hebræos subsannabant, eos, qui illos, quicúmque forent, summouerent, magna aliqua mercede muneratum voluit. Illud, *odientes animam*, iuxta textum Hebraicum, qui habet שנוא *senuhe*, quidam sic exponunt: *Quos exosos habuit, aut odiosos anima Dauid.* Quia videlicet talia iactabant, qualia sine offensione magna audire non poterat Dauid. Ita Pagninus, & Tigurina, & Hispanica translatio, quæ sic reddit: *Aborrecidos de el alma de Dauid.* Neque ab hac sententia longè abest Vulgata translatio, si modò, quod in Scriptura frequens est, res significata pro illius vsurpetur signo. Quo modo fortitudo ponitur aliquãdo pro armis, & gloria, & honor pro corona; quia in corona honorem, & gloriam in homine cognoscimus; & in armis, armati hominis fortitudinem. Sic hospitale munus, aut conuiuium ἀγάπη dicitur, seu *charitas*, quia charitatis signum, & argumentum est. Quo sensu Magdalena dilexisse dicitur multùm, quia multa edidit amoris signa. Sic ergo isti cæci, & claudi odisse dicuntur animam Dauid, quia subsannatione, & scommate despectum illius, & odium ostenderunt. Porrò notum est, & nos pluribus ostendimus super Isaiam ad illud cap. 42. *Complacuit sibi in illo anima mea*, per animam illum, cuius est anima, circumscribi.

35. Septuaginta hîc legunt: *Omnis percutiens Iebusæum, tangat in pugione & claudos*, &c. neque obscurus est sensus, neque à Vulgata translatione diuersus. Theodoretus tamen q. 17. longè aliter exponit, si tamen eius est expositio: *Cùm Dauid*, inquit, *cepisset Iebus, alios quidem Iebusæos iussit interfici, claudos autem, & cæcos, qui irridebant è muro, ob lenitatem, & animi magnitudinem conseruauit; proposito edicto, vt occideretur, qui ferret aliquem ex ipsis.* Omnium porrò primus, qui murum ascendit, & illi labori atque certamini propositum brauium consecutus est, fuit Ioab, qui vt prius Princeps exercitus Dauidis designatione, ac liberalitate consecutus fuerat; sic etiam nunc suo merito dignitatem illam quam diutissimè tenuit. Quomodò verò primus ascenderit, rémque peregerit à Dauide præscriptam, tradunt Hebræi, sed, vt solent, fabulosè, ne dicam stultè. Vide Abulensem q. 17. vbi illud Hebræorum commentum ridiculum vocat, & ferè impossibile.

36. *Idcirco dicitur in prouerbio; cæcus, & claudus non intrabunt in templum.*] Hîc ego sermonem esse puto de Iebusæis omnibus, qui hoc prouerbiali conuitio abiguntur à templo; qui aut omnes dicuntur *claudi*, & *cæci* eo sensu, quem in prima expositione tradidimus; aut alio, qui mihi visus est non alienus, & fortasse germanus. Obseruauimus sæpè, nomen aut singulari alicui homini, aut ciuitati, seu nationi toti ab aliqua voce imponi, in qua aliquid auditum est siue ad laudem, siue ad ignominiam singulare. Exempla adducam pauca, Lector plura mediocriter attentus inueniet. Lucillus quidam Centurio communi populi conuitio vocabatur *Cedo alteram*; vt auctor est Cornelius Tacitus lib. 1. Annal. quia fracta vite in tergum militis, alteram clara voce, ac rursùs aliam poscebat. Antigonus quidam Rex Macedoniæ, vt tradit in Æmilio Plutarchus, *Doson* appellabatur vulgò, quia illi multùm erat in ore δώσω: id est, *dabo*; promittebat videlicèt multa, largiebatur nihil. Neque in Sacris desunt exempla. Qui priùs dicebatur *Gedeon*, idem posteà vocatus est *Ierobaal*; quia cùm aram euertisset Baal, de illo dictum est ad illos, qui causam agebant Baal; *Vlciscatur se de eo Baal.* Iudic. 6. v. 32. id enim valet *Ierobaal*. Et Michael inde nactus est nomen, quòd in prælio cum Angelis apostatis dixisset: *Quis sicut Deus?* Ad hunc igitur modum arbitror, Iebusæos conuitiali prouerbio dictos *cæcos*, & *claudos*, quia dum subsannarent Hebræorum exercitum, ad propugnandum satis futuros esse dixerunt cæcos, & claudos.

37. Vt autem Iebusæi irridentes obiecerunt Hebræis prouerbiali forma à *cæcis*, & *claudis* arcendos esse, ne arcem Sionis occuparent: sic illi contrà, Iebusæis iam, quod non metuebant, domitis, Prouerbiali etiam insultantes conuitio, occinebant, *cæcis*, & *claudis*; id est, Iebusæis, non aperiendum vnquam aditum in templum. Hoc porrò dictum fuerat multò anteà, Leuit. cap. 21. v. 18. *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus*, &c. Sed licèt hoc antiquum fuerit; ex hoc tamen tempore vsum cepit habere prouerbij; sicut, multa quæ olim acutè, aut etiam distortè dicta sunt ad vnum; post tamen prouerbiali forma ad aliquid simile traductum est. Qualia sunt omnia symbola Pythagoræ, & illa Maroniana:

REGVLA. *Multa dicta simpliciter posteà in vsum prouerbialem abierunt.*

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Et illud.

Et campos vbi Troia fuit.

Item.

Et nostro sequitur de vulnere sanguis.

Et mille alia tum ab hoc, tum ab aliis Poëtis. Sic ergo, quod simpliciter olim dictum fuit, id nunc prouerbij pondus, & vsum obtinet. Neque, arbitror,

tror, præter Iebusæos ad alios extenditur: sicut multa sunt prouerbia, quorum vsus vnius tantùm ciuitatis, aut nationis terminis definitur. Vt illud, de quo infrà c.20. *Qui interrogant, interrogent in Abela.* Et Numer. 2. *Ignis egressus est de Hesebon.* Sensus autem is esse videtur, nunquam Iebusæos ingressuros in templum; id est, non ingressuros rursùs in locum, vbi habitarunt priùs, & ex quo tunc fuerant ab Israelitis expulsi. Cui expositioni fauet, quod Septuaginta vertunt, *in ciuitate Domini*, quæ est Ierusalem; & alij fermè omnes ita legũt, *in domũ*, iuxta textum Hebraicum, qui habet בית *beth.* Et erit sensus, eos non ingressuros in ciuitatem, aut in illa mansuros, qui aliis aditum,
38. cæcorum, & claudorum oppositu negauerant. Neque si legas *Templum* cum Vulgato, diuersus est admodùm sensus. Cùm enim Templum futurum esset in Ierusalem, & statim in arce Sion, seu ciuitate Dauid Arca Domini, vt liquet ex sequenti capite, qui negatur futurus in ciuitate Domini, aut in domo eius, ille ingressurus etiam negatur in Templum. Neque id de omnibus Iebusæis intelligendum est; sed de his, qui partem habitarunt superiorem, & aliis libero insultauere conuitio: nam alij permixti fuerunt Israelitis, & inferiori Salem, qui ad Hebræorum religionem accessere, & hi etiam cum Israelitis, eandem habitarunt ciuitatem; qualis fuit Areuna Iebusæus, de quo infrà c.24. qui aream Dauidi concessit, vbi Templum Domini Salomoni filio ædificãdum cõmendauit.

39. Vers. 9. *Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid.*] Cùm pars illa maximè esset à natura munita, futuráque videretur non solùm fortissimum munimentum vrbis, sed etiam ornamentum amplissimum, stabilem ibi habitationem habere voluit, & à suo nomine nomen imposuit ciuitati, quam deinceps vocari voluit *ciuitatem Dauid.* Quod etiam fecerũt plurimi alij, de quibus tam sacra, quàm profana historia. In profana sunt Tros, Romulus, Alexander, Antiochus, Ptolomæus, Cõstantinus, & innumeri alij. A quibus nominata Troia, Roma, Alexandria, &c. In sacra vnum tantùm caput 10. Gen. exhibebit plurima. & cap.25. & 38. non pauca.

40. *Et ædificauit per gyrum à Mello, & intrinsecùs.*] Sicut Dan.c.4.v.27. Nabuchodonosor occupatam à se Babyloniam sic ornauit, amplificauitque, vt à se apertè prædicauerit fuisse ædificatam: sic nunc Dauid ciuitatem in Israelitarum redactam potestatem amplificare sic voluit, vt meritò dici potuerit ciuitas à Dauide cõstructa. Quare primùm laxandam statuit ciuitatis sedem, & locorũ spatia magis explicanda; atque ideò tantùm spatij sumpsit, quantum erat à Mello; id est, à profunda voragine, quæ vtramque Salem, superiorem, & inferiorem media discludebat; & inde duxit murum per gyrum, qui nouam ciuitatem ambiret.

Mello quid. Quid sit *Mello*, disputant multi. Mihi in præsentia satis erit dixisse, vastum quendã fuisse hiatum, qui vtrámque ciuitatem diuideret, quem posteà Salomon, vt Templo commodam, ac ciuitati sedem pararet, adæquauit; de qua posteà lib.3. plura, si necessarium videbitur. Illud hîc non omittendum, intra illud spatium, quod à Mello circũscriptum est muro, ædificatas esse domos, & eò coactos esse ciues, qui vacuum anteà locum illum complerent. Vnde vasta illa præcépsque profunditas vocata sit *Mello*, incertum est. Videtur autem hoc nomen habuisse, ex quo impleta est à Salomone multo aggere, & saxo, à verbo מלא *male*, quod est *complere*: facer enim scriptor, siue fuerit Nathan, siue quis alius, nactus est impletum hiatum illum, & ex eo appellari cæptum *Mello.*

Vers. 10. *Et ingrediebatur proficiens.*] Ex eo tem- 41.
pore omnia Dauidi successerunt ex voto; ità vt continenti victoriarum cursu & ipse augeretur noua gloria, & in singulos dies magis, ac magis crescceret, & confirmaretur Imperium. Neque id mirum, cùm patronum haberet, & auspicem Deum, cuius ille præsertim intuebatur gloriam, & studebat amplificare nomen.

Vers. 11. *Misit quoque Hiram Rex Tyri.*] Vnde 42.
Hiram cum Dauide fœdus, amicitiamque contraxerit, incertum est. Illud certum, societatem illam ad tempus vsque Salomonis fuisse productã. Fortasse metus, quem Tyrius ex Dauidis prospero in bellando successu conceperat, illius societatis conciliator fuit. Cùm igitur Hiram Dauidis consilium cognouisset Regiæ domus ædificandæ, quam pro tanti nominis maiestate amplã esse, & luculentam oportebat; neque videret tractum illum Solymitanum abundare ad molitionem illã pretiosa materia, qualis est cedrina; aut habere artifices, qui ligna cæderent, dolarẽtque ad contignationes, & tecta, & qui pro parietibus saxa ex arte polirent; de illis etiam Dauidi commodare voluit, à quibus Regia Dauidi, atque superba domus constructa est.

Vers. 12. *Et cognouit Dauid, quoniam confirmasset* 43.
eum Regem.] Quæ continentur in hoc capite, omnia repetuntur lib.1. Paral. cap.14. Quomodò Dauid suum in suo capite stabilitum regnum, illúdque exaltatum, atque amplificatum iri didicerit, obscurum est. Fieri hoc potuit prudenti coniectura, cùm vno impetu arcẽ Sionis à Iebusæo sustulerit; quod multis præliis duæ Tribus potentissimæ consecutæ non sunt; aut spiritu prophetico, inspirante Domino: & hoc mihi multò verisimilius. Quia etiam viderat, quàm felix Saul habuerit regni sui, quámque celebratum exordium; & tamen regnum posteà multis habuit attritum incommodis; & ignominioso tandem, & planè miserabili interitu fœdatum. Quare nihil erat, cur prudens homo ex eo successu fortunatum aliquid coniectaret in posterum, nisi aliundè aliquid lucis habuisset.

Vers. 13. *Accepit ergo Dauid adhuc concubinas, &* 44.
vxores.] Hæc aperta sunt. Cur autẽ assumpsisse dicatur, ea causa est; quia iã sibi domum ædificarat, quam regni sedem esse voluit; & cùm cõmoda essent omnia, & ad Regiam amplitudinem instructa, suam voluit ibidem amplificare familiam.

Vers. 17. *Audierunt ergo Philisthiim.*] Proponũtur 45.
iam Dauidis noua prælia, & nouæ victoriæ. Cùm enim audiissent Palæstini tenere iam non vnam Tribum Iuda sub sua potestate Dauidem, sicut habuerat priùs in Hebron; sed totum Israelem, Regiámque sedem in nouam ciuitatem, eámque fortissimam transtulisse; & ea esse regni vixdum nascentis exordia, vt ab illo quiduis formidare potuerint; vt eliderent recentem illam plantã, antequam adolesceret, & erumpentem scintillã extinguerent, priusquã vires assumeret, collegerunt nõ solùm suas, sed etiam sociales vires, eásq; non procul à Ierusalem in valle Raphaim, opportuno videlicèt loco constituerunt. Contra quos suas vicissim Dauid copias explicuit, quas statuit in præsidio. Quod fuerit illud præsidium, nemo docet: verisimile est, esse certum locum, vbi aliquando Israelis castra posita sunt, quæ inde præsidij sibi locum assumpsere. Aut quia ibi ad similes casus cõparatus fuerat agger, & vallus, aut aliqua mu-

nitio castrensis, quæ tutum contineret militem, & hostem arceret. Quæ in eo videtur excitata loco, per quem cum minori periculo vel negotio hostis posset in interiores sinus copias inuehere.

Vers. 19. *Et consuluit Dauid Dominum.*] Nihil
46. arduum aggressus est Dauid, incõsulto Domino, quo id assecutus est, vt illum haberet adiutorem, & auspicem. Cùm verò Deus respondisset, venturum Palæstinum illum exercitum in Dauidis manum auctore se, confirmatus tam benigno, ac liberali responso, descendit in prælium, & partim cæsis, partim fugatis hostibus, illorum attriuit, ac dissipauit copias. Vnde locus nomen assumpsit nouum, & deinceps vocatus est *Baal Pharasim:* id est, *vallis diuisionis*, seu *virorum*, aut *idolorum diuisio*; cùm priùs diceretur *vallis Raphaim:* id est, *vallis Gigantum.*

Vers. 20. *Et dixit; diuisit Dominus inimicos meos*
47. *coram me, sicut diuiduntur aquæ.*] Agnoscit Dauid, quòd hostes cæsi fuerint, atque dispersi, non humanæ fuisse potentiæ, sed diuinæ virtutis indubitabile negotium; atque ideò nomen imposuit loco, quod futurum esset in omnem ætatem diuinę potentiæ monumentum. Quare sicut Samson, cùm in maxilla asini mille strauisset viros, statim locum illius cædis *lechi ruma*; id est, *eleuationem maxillæ* nominauit, sic modò Dauid locum illius admirandæ, atque insperatæ stragis, accommodato nomine *Baal pharasim* appellare voluit, vt ostenderet quàm facilè, ac subitò Palęstinorum fuerint acies dispersæ; nõ aliter atque aquæ per locũ delabuntur decliuem, quæ externo non indigent impulsu, sed suo se nutu ad inferiora præcipitant. Porrò *sicut aquam diuidi*, seu *difundi*, aut *liquefieri*, prouerbialẽ habent speciẽ, & significant, facilè aliquid, & omninò fuisse dissolutum, aut periisse. Sic Iosue 7. *Pertimuitque cor populi, & instar aquæ liquefactum est.* & Psal. 21. *Sicut aqua effusus sum.*

PROVER. *Effusus sicut aqua, pro nihil esse reliquũ.*

Vers. 21. *Et reliquerunt ibi sculptilia sua, quæ tulit*
48. *Dauid, & viri eius.*] Sicut antè sub Heli, imò etiam Saulis tempore tulerunt secum Arcam Hebræi, & habuerunt in castris: sic etiam Palæstini in suis secum castris habuerunt idola, quorum tutelæ, ac fidei & vitam suam, & victoriam crediderunt. Quod etiam Gentibus familiare fuit, qui secum & viæ socios, & pugnæ duces, & auxiliatores habuere tutelares Deos. De via diximus in nostris Commentariis super Acta c. 7. & docet Seruius ad illud Virg. 6. Æneid.

Deorum simulacra gentilibus in via, & in acie socia.

Errantesque deos, agitatáque numina Troiæ.

49. De castris, reque bellica dixit ex Gentium consuetudine idem l. 8. vbi in pugna Actiaca Ægyptios deos cum Romanis componit:

Omnigenúmque deũm monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunum, Venerem, contráque Mineruam
Tela tenent.

Sic ergo Palæstini contra verum Deum, quem coluerunt Hebræi, patrios deos opponunt, quasi ab illis foret concedenda victoria. Sed sicut alibi victi dicuntur Melchon, & Chamos, Nabo, & Merodach Gentilium dij, & cum suis cultoribus abducti captiui: sic etiam nunc Palæstinorum sculptilia, quæ lib. 1. Paral. cap. 14. vocantur idola; quæ sublata fuerunt à Dauid, & sociis, non vt illis honores impenderentur diuini, sed vt incendio tradita redigerentur in cineres. Sic enim ibi: *Dereliquerunt ibi* (Palæstini) *deos suos, quos Dauid iussit exuri.* Sic enim præceptũ erat, Deut. 7. v. 25. *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt: neque assumes ex eis tibi quicquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferas quicquam ex idolo in domũ tuam, ne fias anathema, sicut & illud est.*

Ex idolis nihil traducendum ad vsus humanos.

Vers. 22. *Et addiderunt adhuc Philisthiim, vt ascẽ-* 50.
derent.] Quãtum inter hæc duo prælia intercesserit temporis, non habemus ex Scriptura sacra: non verò diu cessatum à bellis & ipse suadet dicendi modus, & tẽporis, ac necessitatis articulus. Id enim agebant Palæstini, vt Dauidem opprimerent, antequàm se & regni sui viribus, & vicinorum fœdere confirmaret. Quare, vt ait Iosephus lib. 7. cap. 4. externarum Gẽtium quàm maximas possunt, copias aduocant, & eodem, quo anteà loco, castrametantur. Dauid verò cùm Deum haberet ducẽ, & auspicem, illo inconsulto, nil tentare voluit. Qui respondit, non statim impressionem faciẽdam in hostes, sed expectandum signũ, quod ipse ad pugnam opportuno tẽpore daturus esset.

Vers. 23. *Non ascendas contra eos, sed gyra post ter-* 51.
gum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum.] Docet bonus Imperator, qui non semper (cùm nunquam non possit victoriam miraculosè concedere) aut naturæ ordinem, & modum, aut prudentem rei administrandæ rationẽ omittit, quo modo essent inimicorũ inuadenda castra. Et primùm iubet, ne rectà irrumpat in aduersos hostes, sed capto circuitu ab illorum tergo, donec tandem veniat consistátque è regione pyrorum; ibique expectet, donec ipse signum edat certum ineundi prælij. De quo signo statim. Vbi Vulgatus *pyrorum*, Hebraicè est, בכאים *bechaim.* Quod alij aliter vertunt. Recentiores *moros*, vt Pagninus, Tigurina, atque Hispanica translatio. Noster Interpres, & Aquila *pyros.* Septuaginta *ploprationem*, seu *fletum.* Alij iuxta hanc explicationem, in *fletu* idola intelligunt, vt ex traditione Hebræorum notauit Hieronymus, & sequuntur, saltem non improbant Angelomus, & Magister histor. Schol. Quia idola, quæ secum præsidij gratia tulerunt Palæstini, causa fuerunt illius plagæ, quam ab Hebræis acceperunt secundò. Et vt Hieronymus refert ex sententia Hebræorum, ideò iussus est Dauid in eam castrorum partem irrumpere, vbi essent planctus, seu idola, quasi in totis castris nihil esset expugnatu facilius; imò per illam partem, vtpote munitam minùs, aditum apertum esse ad facilem, illustrémque victoriam.

Dij gẽtium potius ad fugam, & cædẽ, quàm ad victoriã aditum aperiunt.

Vers. 24. *Et cùm audieris sonitum gradientis in* 52.
cacumine pyrorum, tunc inibis prælium.] Hoc signum erat, quod expectare iussit summus Imperator, vt cùm primùm sonitũ audiret auræ tenuis, cùm tamẽ nullus tunc perflaret ventus, & arborũ cacumina moueri; intelligeret, tunc adesse Deum adiutorem, cuius manu inferẽda esset hostibus plaga grauis, & illorum sternendæ, atque fugandæ acies. Ita Theodoretus, & Iosephus, & alij plures, qui docent sonitum illum in summo ventorum silentio, & otio, signum esse aduenientis Dei, & præcedentis ad pugnam; imò, vt opinor, iam pugnantis, aut cohortis Angelicæ è cælesti militia. Sic autem occulto illo impetu hostis inuisi, & ignotæ virtutis ereptus est Palæstinis animus, & fractæ vires, vt neque primum Dauidis impetum sustinere potuerint.

Deus in bello dux, & author.

Vers. 25. *Fecit itaque Dauid, sicut præceperat ei Do-* 53.
minus.] Expectauit Dauid, donec summæ pyrorum frondes nullo perflante vento sponte agitarentur, & quasi Palæstini à cælesti virtute constricti forent, & exanimati, ingenti plaga percussi sunt, & in fugam conuersi; neque cessatum est à cæde, donec à Gabaa, vbi exordium factum est pugnæ, ad Gezer vsque ventum est, ad fines videlicet

licet Palæstinæ. Dicit autem Ioſephus, in ſecundo hoc prælio allatos etiam à Pelæſtinis patrios, & tutelares deos; quod omninò iuxta Septuaginta tranſlationem dicendum eſt. Quod ſi ita eſt,
34. igni ſine dubio traditi ſunt.

A *Gabaa ad Gezer* vſque dicitur Dauid Philiſthinorum fugam perſecutus; libro tamen 1. Par. c. 14. pro *Gabaa* legimus *Gabaon*. Quod aut errore accidit ſcriptariorum, propter literarum ſimilitudinem, vt putat Abulenſis q. 19. aut potiùs, vt ſentit idem eodem loco, hæc nomina ſunt duarum ciuitatum in Tribu Beniamin adeò proximæ, vt non magis ab vna, quàm ab altera dici potuerit cæpta Palæſtinorum fuga. Aut certè ager, vbi commiſſa eſt pugna, aut communis erat vtrique, aut certè æqualiter diſtabat ab vtraque: quare non magis ad hanc, quàm ad illam pertinuit
35. vel fuga, vel clades Palæſtinorum.

Ad finem c. 14. Paral. additur: *Diuulgatúmque eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus: & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes Gentes.* Duplex iſta victoria ſine vllo fermè labore cum tanta fortiſſimorum hoſtium ſtrage comparata, magnum Dauidi conciliauit nomen, & ingentem nationibus aliis pauorem incuſſit; qui tamen à Deo præcipuè immiſſus eſt, à quo fuit diuinitùs conceſſa victoria; quique ſolet, dum ſuorum ſtudiis, ac ſaluti conſulit, cor aliis indere muliebre, & pauentes ſpiritus. Sic fecit Dominus cum populo ſuo, quando illum in promiſſam Terram primùm induxit. Deut. 2. v. 25. *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cælo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientiũ contremiſcant, & dolore teneantur.* Hunc pauorem immiſit Chananæis, ne quid auderent contra Iacob, cùm rediret ex Meſopotamia; Gen. 35. v. 5. *Cúmque profecti eſſent* (Iacob, & tota eius familia) *terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Hinc factũ eſt, vt nullus deinceps auſus fuerit bello laceſſere Dauidem; & multi illius ſocietatem, & amicitias expetierint.

IN CAP. VI. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

ADIECIT porrò Dauid animum ad Arcam Domini, quæ in edito loco Cariathiarim iampridem inſederat; & quò id maiori cum dignitate fieret, triginta ſecum virorum millia detulit, ex toto Iſraelis genere delecta. Impoſuit autem Arcam in plauſtro nouo, cui aderant duo filij Abinadab, Ahiu, & Oza. Tam autem Dauid, quàm totus Iſrael præcedebat Arcam cum harmonia multiplici, hilaríque tripudio. Sed feſtiuam illam, atque Regiam pompam caſus quidam acerbus ſubitò turbauit. Nam cùm calcitrarent boues, & Arca, inclinato plauſtro, caſura videretur, acceſſit Oza, vt illam vindicaret à lapſu, qui eodem temporis veſtigio exanimatus eſt. Exhorruit Dauid ad durum illum caſum; & iuſſit, ne ad domum ſuam adduceretur Arca, ſed ſeruaretur in proximo loco, in domo videlicet Obed Edom; cuius familiam Deus trimeſtri ſpatio, in quo ibidem commorata eſt, multis ornauit modis, multis cumulauit beneficiis. Cognouit Dauid, quàm Deus cumulatè oblatum ab Obed Edom compenſaret hoſpitium, atque ideò Arcam Domini in ſuam ſibi ciuitatem, & domum tranſmittere decreuit, cum eo apparatu tam feſtiuo, ac loculento, vt ad ſextum quemque paſſum immolarentur victimæ, multiplici in ea traductione concrepante ſymphonia. Ipſe prætereà Rex tam habuit illum diem feſtiuum, & ſacrum, vt ante Arcam, ſpectante populo, tota corporis contentione ſaltauerit. Spectauit Michol non tam piis, quàm curioſis oculis ſaltantẽ Dauidem, illúmque tamquam Regiæ dignitatis immemorem apud animum ſuum ſuperbè cõtẽpſit. Cum primùm in ſuo loco expoſita eſt Arca, oblata ſunt à Dauide Domino ſacrificia, & toti populo Regia munera, vt liberali manu. Quibus rebus piè, magnificéque perfectis, quidquid Michol offenſionis conceperat, euomuit in illum, ſignificans dignitati Regiæ plurimùm eſſe detractum, cùm nudus ante ancillarum oculos, & ignobilem turbam indecorè ſaltauerit. Dauid non minore libertate retorquet conuitia, magno ſibi honori fore affirmans, ſi viliorem propter Deum ſpeciem aſſumeret. Quem Michol arrogantem ſpiritum æterna Deus ſterilitate damnauit.

CAPVT SEXTVM.

1. CONgregauit autem rursum Dauid omnes electos ex Israel triginta millia.

2. Surrexitque Dauid; & abiit, & vniuersus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Domini exercituum sedentis in cherubim super eam.

3. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum nouum: tulerúntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filij Abinadab, minabant plaustrum nouum.

4. Cúmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.

5. Dauid autem & omnis Israel ludebãt coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris & tympanis & sistris & cymbalis.

6. Postquam autem venerunt ad Aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam.

7. Iratúsque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.

8. Contristatus est autem Dauid, eo quòd percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius Percussio Ozæ, vsq; in diem hanc.

9. Et extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens: Quo modo ingredietur ad me arca Domini?

10. Et noluit diuertere ad se arcam Domini in ciuitatem Dauid, sed diuertit eam in domum Obededom Gethæi.

11. Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.

12. Nunciatúmque est regi Dauid quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius, propter arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli.

13. Cùmque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bouem & arietem,

14. Et Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. porrò Dauid erat accinctus ephod lineo.

15. Et Dauid & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in iubilo, & in clangore buccinæ.

16. Cúmque intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo.

17. Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocausta, & pacifica coram Domino.

18. Cúmque complesset offerens holocausta, & pacifica benedixit populo in nomine Domini exercituum.

19. Et partitus est vniuersæ multitudini Israel tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis vnam, & assaturam bubulæ carnis vnam, & similam frixam oleo: & abiit omnis populus, vnusquisque in domum suam.

20. Reuersúsque est Dauid vt benediceret domui suæ, & egressa Michol filia Saul in occursum Dauid, ait: Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiẽs se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.

21. Dixítq; Dauid ad Michol: ante Dominum qui elegit me potiùs quã patrẽ tuũ, & quàm omnẽ domũ eius, & præcepit mihi vt essẽ dux super populũ Domini in Israel,

22. Et ludã, & vilior fiã plus quàm factus sũ: & ero humilis in oculis meis: & cũ ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.

23. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.

IN CAP. VI. LIB. II. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Congregauit autem rursùm Dauid omnes electos, &c.*]

1. CVM nullũ iã ab hoste vicino immineret aut periculũ, aut periculi metus, aduocauit Dauid optimũ quẽque ex toto Israel, vt iniret, quando iam esset rebus Israeliticis inducta pax, aliquod de religione consilium. Quod autem illud fuerit, habemus l. 1. Paral. c. 13. Refert primùm ad Principes Israel, siue ij rebus bellicis, siue pacificis, & vrbanis præessent, vt si id existimarent è religione futurum, reque publica id apud se statuant, secumque deliberent; consulto tamen priùs Deo, cuius in omnibus voluntas præferenda est, & consilium primo statuendum loco. Id enim valet illud: *Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor.* Quasi dicat, si vobis, & Deo placet; aut si iudicatis hanc meã cogitationem esse à Deo; aut dummodò id nobis con

consultus Dominus edicat.) Si vobis,inquit, ac Deo placet, accersamus vndecúmque locorum Sacerdotes, & Leuitas, vt opus sacrum sacratis peragatur manibus; ac tandem ad honestiorem locum reducamus Arcam Domini, quæ iamdiu quasi extorris à sua sede, & peregrina vagatur. Quod Saul suo tempore perficere non potuit, cùm illud haberet assiduis bellis, & variis rerum incommodis impeditum. Cùm autem in illud Dauidis votum summa foret totius populi conspiratio,& ipse cum solemni omnium ordinum frequentia ac festiuo plausu cuperet Arcam ad stabile domiciliũ traduci,ab extremis Israeliticæ terræ finibus euocauit Israelem; ab Emath videlicet,quæ ab Aquilonari,& à Sihor Ægypti, quæ à meridionali regione promissionis Terram vniuersam definiunt. Est autem *Sihor*, quæ alio nomine vocatur *riuus Ægypti, fluuius deserti Rhinocolura*; aut,vt alij volunt, *Rhinocosura*. Hæc ex lib.1. Paral. cap.13.

2. Cùm ergo Dauidis omnes cogitationem, & studium probarent,amplecterentúrque consilium ad illius diei,& festi celebritatem cõgregata fuerunt triginta hominum millia ex præcipua nobilitate, aut qui inter alios aliquid haberent eximium,quibus accessere ex Tribu Iuda frequentes alij, vt reducerent Arcam,ad quam auxilij,atque consilij gratia frequens erat populi concursus; vbi Dei nomen implorabatur ab orantibus,& vbi præcipuo quodam modo super duo Cherubim, qui extabant super Arcam,suum sibi solium parauerat Deus. Quo modo, & qua forma expressi fuerint Cherubim,habes Exod. c.26.v.18. Tanta verò conuenit,præter illa electorum triginta millia, promiscui populi multitudo, vt ad ducenta, & viginti quatuor millia virorum peruenerit;vt ex l.1.Paral.c.13.probat Abulensis,q.1.quem ego locum non inuenio Non dubito,conueniisse multos supra triginta millia,quia digna videbatur illa celebritas,quam alij non inuitati frequentes obirent: at illam tantam multitudinem non video vnde colligere potuerit Abulensis.

3. Porrò antequàm Dauid de reducenda Arca Optimatum concilium coëgisset, iam domi suæ, quam proximè ex materia cedrina construxerat, locum etiam ad collocandam Arcam adornarat; vt habes 1.Paral.c.15. v.1. *Fecit quoque sibi domos in ciuitate Dauid,& ædificauit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum.* Cur ibi locare maluerit Arcam, quàm in Gabaon, cùm ibi eo tempore Tabernaculum esset à Moyse compactum; eam rationem reddit Abulensis; quia iam antè statuerat ædificare Templum in Ierusalem,vbi religiosè,& pro dignitate seruaretur,& ne cogeretur toties in alium,atque alium locum illam traducere;ex arce autem Sion,seu ciuitate Dauid facilè poterat ad Templum transferri; & quia transmissio breuis fieri cum maiore dignitate poterat. Ratio probabilis;sed fortasse id potius intuebatur Dauid; vt ciuitatem illam,quam Israelitici Imperij caput esse volebat, illo pretioso nobilitaret ornamento, & stabili propugnaculo muniret.

4. Vers. 3. *Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum nouum.*]Non legimus cuius consilio,vel imperio pro vectatione Arcæ *nouum* fuerit *plaustrum* ædificatum.Id scimus,quòd nouum fuerit, neque vsu vnquam attritum alieno, ortum ex pietate. Cur *plaustrum nouũ*, aut res denique nouæ diuinã deceant maiestatem, diximus ad similem locum suprà lib.1. c.6. v.7. Illud porrò consilium non tam videtur fuisse Dauidis, aut profanæ plebis, quàm sacerdotalis,& Leuiticæ,cuius ea de re debuit esse iudicium; vt Dauid ipse videtur significasse,1. Paralip. 15.v. 12. Tantùm igitur curauit Dauid,vt reduceretur Arca cum religiosa celebritate,& festiuo plausu.Modus autem religiosæ vectationis à Leuitici generis hominibus inuentus est,qui sanè aut ignorasse videntur legem;aut certè,quid illa præscriberet,non curasse.

Vers. 4. *Cúmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa.*] Certum est,Arcam fuisse antè repositam in Cariathiarim. Cur verò dicatur ex Gabaa tanslata,aut etiam ibi antè reposita,docuimus l.1.c.7.v.1.neque hîc aliquid occurrit necessarium,quod addamus. 5.

Oza autem,& Ahio filij Abinadab minabant plaustrum.]An hod tempore in viuis fuerit Abinadab, incertum:verisimile est,iam decessisse; alioqui nõ videbatur recessurus ab Arca,cuius tamdiu fuerat assiduus,ac fidelis custos; neque omisso patre, filiorum tantùm in ea religiosa pompa, sacra meminisset historia. Filij igitur Abinadab, siue ipsi suo quasi iure assumpserint, siue ab aliis acceperint Arcæ in ipsa etiam traductione custodiam, aderant plaustro proximè,quasi rectores, & aurigæ.Præcedebat Arcam Ahio,qui pro patre, vt est verisimile,iam defuncto, custodiendæ, atque curandæ Arcæ præerat;illam sequebatur, aut illi aderat proximè frater illius Oza, ne quid accideret Arcæ,quod deceret minùs. 6.

Vers. 5. *Dauid autem, & omnis Israel ludebat coram Domino in omnibus lignis fabrefactis.*]Sic procedebat sacra illa, festiua, & quasi genialis pompa. Duo fratres aderant omnium proximi, quasi rectores plaustri;& Arcæ custodes. Dauid autem, & reliqui ex Israele toto,qui diem illum,& pompam obierunt,honestaruntque, hincinde cum festiuo plausu, & canoro iubilo triumphalem in modum festum celebrabant; alij canendo tum alia ad hilarem illam traductionem opportuna;tũ, vt credo,maximè Psalmum 104.*Confitemini Domino,& inuocate.*De quo 1. Paral. c.16.aut Psalmum 23.*Domini est terra*; aut 46. *Omnes Gentes plaudite*, vt putat Ianseníus. *Ligna fabrefacta*, instrumenta sunt musica ex ligno compacta; qualia sunt aliqua,quæ statim explicationis,vt reor, gratia subiiciuntur,& alia similia. Neque tamen defuerunt ex ære multiplici forma,quorum aliqua hîc, & l. 1.Par.c.14. v.8. Fuisse autem Canticorum instrumenta plurima, ex eo quisque colliget, quòd alia diuersa numerantur loco citato nuper ex Paral. & iterùm c.15.à v. 16. Qua porrò figura fuerint hæc organa sonantia;quo pulsata,aut inflata modo; quos ediderint harmonicos sonos,neque explicare possumus,nisi coniectando,neque id nosse magnum habet operæ pretium.Hic verò non puto saltasse Dauid, sicut fecit, cùm post trimestre spatium rursùs è domo Obed Edom in suã;id est, Regiam ciuitatem traduxit. Neque id ignorasset, aut tacuisset Michol, aut Sacra siluisset historia; sicuti non tacuit, cùm secundò, ad idem opus se, & totum populum accinxit Dauid. Non ita saltauit hoc die, sed tantùm pulsauit cytharam,cantauit quanta potuit contentione, ac studio, cùm vtriusque facultatis esset scientissimus. 7.

Vers. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues,& declinauerunt eam.*] Cùm iam aliquid spatij triumphalis ille progressus confeciisset; quod non videtur fuisse paruum;ac ventum esset ad aream Nachon, qui binomius fuisse videtur, cùm lib. 1. Paralip.c.13.v.9.appelletur *Chidon*; calcitrare cæ- 8.

perunt boues,aut lasciuire, vt legimus loco proximo Paralip. Vtrúmque certè accidit, aut quia lasciuiente altero,calcitrabat alter;& hoc videtur certius,quia 1.Paral.13.v.9. alter bos lasciuire dicitur. *Bos quippe lasciuiens paululum inclinauerat eam.* Et sanè per synecdochem cùm aliqui è certo numero aliquid faciunt, opus illud toti tribuitur multitudini. Quo modo latrones duo in Christum dicuntur fuisse blasphemi, cùm tamen illorum alter tantùm blasphemauerit. Aut certè lasciuiens vterque calcitrabat; quia hoc ex illo sequitur,& ex vtroque vt plaustrum exorbitet,& onus aut excutiat, aut illidat. Nunc certè plaustrum declinans à trita, & molliori via, & in asperam, & inæqualem inuectum inclinauit Arcam, ita vt ad lapsum videretur prona,& nisi quis accurreret maturè,omninò ruitura.

9. Vers. 7. *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam,& percussit eum super temeritate, qui mortuus est.*]Hîc multa meditantur Interpretes, dum causam quærunt, cur Oza repentinam oppetierit mortem à Domino percussus,cùm tetigisse Arcam ne fœdè laberetur è plaustro, opus fuisse videatur seruatæ potiùs, quàm violatæ religionis. Quia verò res hæc grauissima est, & longis à variis exagitata modis, non erit abs re, neque ab studio Lectoris, in illa tractanda morari paulisper, & quæ fuerint aliorum sententiæ præcipuæ,breuiter percensere.

10. Quidam aliquid admissum opinantur ab Oza, propter quod indignus censeretur, qui sacra tractare religiosè potuerit. Ita in constit. Apost. lib. 2.cap.10. Sed quodnam illud fuerit, obscurum. Quidam illum nocturnum cum vxore habuisse congressum arbitrantur,& impuras manus ad Arcam admouisse. Quod si ita esset, satis sibi supplicium illud capitale commeruit: nàm qui sacra tractant, mundos esse decet, maximè ab eo,quod aliquid olet coniugale. Qua de re est illud Leuit. 15.v.16. *Vir,de quo egreditur semen coitus, lauabit aquæ omne corpus suum, & immundus erit vsque ad vesperum. Mulier,cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vsque ad vesperum.* Immunditiam verò ad vesperum tantùm durare, argumentum est illum non esse morbum, sed nocturnum concubitum. Quo modo Bersabee statim à Dauidis cõsuetudine nocturna purificata est,2. Reg. cap. 11. v. 4. *Quæ cùm ingressa esset ad illum* (Dauidem) *dormiuit cum eo, statimque sanctificata est ab immunditia sua.* Lege quæ suprà diximus lib.1. cap.20. vbi ad comedendum propositionis panes munditiam Sacerdos exigit ab vsu coniugij. Sanè id exigebat Gentilium religio,ne quis aut sacra tangeret, aut sacris interesset post nocturnum opus. Vide Brissonium lib. 1. formularum. Tibullus lib. 1. eleg. 3.

Vos quoque abesse procul iubeo,discedite ab aris,
Queis tulit externa gaudia nocte Venus.

Persius Satyra 2. hoc ipsum indicat à Gentilibus curari, vt puræ ad deos leuentur in precatione manus:

Hæc sanctè vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Sed qui hæc de Oza suspicantur, coniecturis ducuntur incertis,neque vllum habent in Scriptura fundamentum.

11. Alij ideò punitum esse dicunt Ozam repentina morte,quia suis humeris debuit potiùs sacrum illud onus imponere, quàm plaustro, vt à Sacerdotibus veheretur potiùs,quàm à bobus. Ita dicunt Hebræi, vt refert Hieronymus in tradit. Hebr. super c.13.l.1.Paralip. *Iusserat*,inquit, *Abinadab duobus filiis suis Oza,& Ahio,vt portarent Arcam Domini humeris suis. Et quia neque ipsi eam portauerunt, neque Caathitis ad portandum dederunt; idcircò Oza mulctatus est morte. Fuit enim peccatum in non portãdo,in sustinendo Arca iam pœna peccati.* Et tradit ex Hebræorum item traditione Hieronymus, iusto Ozam punitum esse supplicio: nam illa primùm parte punitus, atque truncatus est, quam noluit Domino fuisse subiectam. Coniecturam sumunt ex loco,qui ex Ozæ casu nomen accepit, qui vocatus fuit *Ozæ diuiso. Traditur*,inquit,l.1.c.28. *quòd aruisset brachium eius, & humerus, vbi Arca Domini portanda erat,& in illius loco diuiso quædam facta est.* Hæc repetit,& probat Rupertus l.2.c.28.

12. Eiusdem sententiæ est Theodoretus q. 20. vbi rationem reddit, cur ab hominibus potiùs, quàm à bobus portari debuerit;quam tu apud illum vide.Et quidem nostra ætate frequentiùs sanè, quã deceret,homines,qui virilis aliquid habent roboris, & opinionis, & superiore sæculo non rarò, quasi in fœmineam degenerassent mollitiem, aut sicut cadauera efferrentur ad tumulum, humeris, & lacertis hominum incessu molli, & sæpiùs intermisso gestantur. Quod verò homines molliter, ne dicam inuerecundè,faciunt;id in Arca religiosè fieri debuisset. Idem tenet Procopius, idẽ Hieronymus epist.48.ad Sabinianum. Ita Lyra, Abulensis q.10.& complures alij. Et est hæc opinio omnium maximè communis. Sed huic cogitationi obstat, quòd eodem modo Ahio illius frater, ad quem non minùs, quàm ad fratrem Ozam Arcæ custodia, atque religiosa obseruantia pertinebat, luere debuit eandem,aut similem pœnam,cùm ab illo etiam gestari debuerit, & ipse non aliter ac frater impositus plaustro.

13. Ab hoc loco id habemus, tetigisse Arcam Ozã & ob illius *temeritatem* à Domino percussum cecidisse. Nunc igitur exploremus, quænam sit hæc *temeritas*;nam vbi de illa constiterit, non erit, cur de alia inuestiganda causa laboremus. Quidam dicunt, in eo fuisse temerarium Ozam, quia aliquid aggressus est,quod alieni erat instituti,ac curę;non enim Sacerdotem fuisse,cuius id erat proprium, sed Leuitam. Ita S.Thomas d.19.q.1. quæstiun. 3. ad 3. Idem videtur sentire Hieronymus epist.22. ad Eustoch. nam cùm epist. 48. Leuitam fuisse fateatur,hîc dicit tetigisse Ozam,quod nullo modo licuit. Imò & ibi indicat, quod S. Thomæ visum est, Sacerdotibus illud solùm licuisse; vbi cùm de custodienda virginitate ageret ad Eustochium,sic ad illam sanè perquàm grauiter: 14. *Obtestor te coram Deo,& Christo Iesu, & electis Angelis eius,ne vasa templi Domini, quæ solis Sacerdotibus videre concessum est,facilè in publicum proferas,ne sacrarium Dei quisquam profanus aspiciat. Oza Arcam,quã non licebat tãgere,attingens subita morte prostratus est: neque enim vas aureum,& argenteum tam charum Deo fuit,quàm templum corporis virginalis.* Sed contra hoc est,quòd Arcam portare concessum est Leuitis,imò illorũ proprium munus,vt constat Num. c.4.v.15. vbi iubentur Sacerdotes omnia vasa Sãctuarij,& Sanctuariũ ipsum inuoluere, & tradere Leuitis,qui fuerint è familia Caath. Nisi fortè dicas,Ozam,& Ahio nõ esse ex genere Caath,sed ex familia Gerson,seu Merari, quibus alia portanda traduntur; quod sanè sine vllo Scripturæ fundamento dicitur.

Qua Oza temeritas in tangendo Arcam.

Virginum corpus non temerè tangendum.

Leuita arcã portabant.

15. Alij dicunt, potuisse quidem Leuitas Arcam tangere, atque ideò non ea de causa Ozam esse per

percussum; neque enim facilè hoc euitari posset à Leuitis, qui Arcam magno interdùm tractu portare iubebantur. Atque ideò aliam esse quærendam temeritatem; quia videlicet Arcam tetigit nudam, qualem neque videre alij impunè potuissent. Quam rationem optimè confutat Abulensis, q. 10. quia quando ex vno loco in alium mouebatur Arca, non erat nuda, sed tribus velata tegumentis: quam primùm operiebant Sacerdotes; deinde tradebant Leuitis ex familia Caath ita coopertam, vt neque ab aliis, neque ab ipsis Leuitis videri posset. Ridiculum porrò est existimare, ex calcitratione boum, & plaustri inclinatione, aut si qua acrior perflaret aura, detegi potuisse Arcam, & fluere, aut eleuari velamina. Quis enim credat leui inclinatione (*bos quippè lasciuiens paululum inclinauerat eam.* 1. Paralip. 13.) nudatum iri Arcam, quæ tanto studio esset à Sacerdotibus inuoluta?

Arcã Leuita nudam tangere non licebat.

16. Alij in eo fuisse putant *temeritatem*; quia, cùm non esset necesse Arcam tangere, quia leuis erat inclinatio plaustri, vt modò dicebamus; ille tamen tetigit, non maiori reuerentia, quàm si profanum aliquid tetigisset. Ita Gregorius lib. 5. Moral. cap. 10. *Sæpè multa à fortibus dicuntur, quæ infirmi idcircò diiudicant, quia ignorant. Quod benè bobus calcitrantibus inclinata Arca signauit, quam quia casuram credens Leuites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit.* Hanc quoque sententiam amplexus est Abulensis q. 10. vbi dicit, in eo peccatum esse ab Oza, quia sine necessitate tetigit, & irreuerenter.

Oza sine necessitate existimatur tetigisse Arcam.

17. Neque omittendum, quod etiam existimarunt Hebræi, quo fundamento, ipsi viderint; certè nullum est. Dicunt enim, ideò peccasse Ozam, neque leuiter, quia sustentare voluit Arcam, quasi casura foret, cùm ipsa & plaustrum, & boues sustentare posset, cùm nutarent, & agi viderentur in præceps. Hoc verò ex diffidentia natum esse dicunt, & quia de Arca, atque diuina potentia non æqua sentiret. Dicunt etiam aliquid planè ridiculum: nam cùm Iosue cap. 4. Arca traiiceret Iordanem, eleuatam fuisse super aquas, & adeò non esse portatam Sacerdotum humeris, vt ipsa potiùs Sacerdotes portauerit. Sed quis non rideat, aut doleat potiùs tam deliram mentem, & merum somnium à dormitante cerebro? Quod refert hîc Abulensis ex Hebræorum sententia, & idem iterùm, ac Lyra in cap. 4. Iosue.

Fabula Hebræorum de Oza, & Arca.

Pondus à Deo impositum leuamẽto est, non oneri.

18. Hæ sunt præcipuæ tam nostrorum, quàm Hebræorum sententiæ. Ex quibus illa videtur magis ad literam, quæ in Oza reuerentiam desiderat, & officium, ac pietatem in opere alioquin officioso, & pio, cùm festinatò aduolaret, & inconsideratè ad sustentandam Arcam, cùm rei necessitas non exigeret, cùm esset leuis inclinatio plaustri. Hæc autem videtur esse in tangendo *temeritas*, quam à Deo damnatam, atque punitam litera ipsa indicat. Quam sententiam indicat Gregorius lib. 5. Moral. cap. 10. & tenet Abulensis suprà.

Oza qua temeritas in tangendo Arcam.

19. Illa verò sententia, quæ pluribus placuit, quod videlicet plaustro vectaretur Arca, quæ Sacerdotum, ac Leuitarum humeris potiùs portari debuisset, eo laborat incommodo; quòd vt multi in opus illud, atque consilium consenserùt; sic etiam multis eodem, aut simili supplicio pereundum fuit. Quot enim putemus fabrilem operam dedisse compingendo plaustro? Quot Arcam imposuisse, quot attulisse boues, & in iugum adegisse, & curasse alia, quæ ad illum plaustralem progressum A viderentur necessaria? At illorum nemo periit præter vnum Ozam, qui Arcam tetigit, temerè videlicet, irreuerenter, & audacter. Deinde, si culpa fuit vsque adeò grauis, & capitalis non gestasse humeris sacrum illud onus; cur non eodem supplicio mulctatus Ahio frater; cur non multi alij ex sacerdotali, ac Leuitico gradu, quorum plurimos ad celebrem illum, & festiuum diem conuenisse verisimile est? Non nego peccatum esse ab illis, qui fœderis Arcam boum potiùs, quàm hominum sarcinam esse voluerunt; quod emendauit posteà exacto trimestri spatio Dauid, cùm illam Leuiticis humeris portandam curauit. Tamen probare non audeo, quia litera non indicat illud peccatum fuisse Ozæ repentino interitu B mulctatum.

Ego tandem ad superiores sententias aliam addam, quam nemini persuadere volo; sed tantùm aliis expendendam proponere. Quæ sanè mihi displicuisset minùs, si viderem aliis placuisse. Sunt tamen, qui, licèt obscurè, indicant tamen, de quibus statim. Ego sic existimabam, Ozam neque Sacerdotem esse, neque Leuitam, neque vllo modo sacrum aliquod ministerium obire potuisse legitimè. Quod mihi hac vna ratione persuadebam. Quia Sacerdotes, ac Leuitæ suas habuere ciuitates inter alias Tribus à Iosue pro ipsorum vsibus, ac domicilio destinatas; neque in aliis habitare aut poterant, aut solebant. Cùm ergo Cariathiarim non esset ex ciuitatibus assignatis ordini Leuitico, vt constat Iosue cap. 21. vbi ciuitates omnes numerantur, verisimile, imò meo iudicio certum est, neque Abinadab, neque illius filios, Ozam, & Ahio, ex numero fuisse Leuitici gradus. Quod Iosephus videtur sensisse lib. 7. Ant. cap. 4. & apertè author Mirabilium sacræ Scripturæ; quicunque ille est (neque enim creditur esse Augustinus, licèt opus illud inter Augustini opera inueniatur) omninò de genere Aaronis esse negat. 20.

Oza, neque Sacerdos fuisse videtur, neque Leuita.

Theodoretus q. 30. Leuitam esse affirmat Abinadab, eo adductus argumento, quòd lib. 1. cap. 7. v. 1. Eleazar filius Abinadab sanctificatus esse dicitur, vt custodiret Arcam. Quæ verba nostram cogitationem non admodùm infirmat: *sanctificare* enim ex Scripturæ vsu, non semper significat aliquid sacrum; sed interdùm, & admodùm frequenter, destinationem ad alios vsus etiam profanos. Sanè cùm Ieremias cap. 1. sanctificatus dicitur ab vtero, vt Hieronymus putat in illud ad Galat. 1. *Qui me segregauit ab vtero matris meæ*; & alij complures, nihil est aliud, quàm *esse destinatum ad Prophetiæ munus.* Et Isaiæ 13. Persæ, & Medi *sanctificati* dicuntur à Deo; id est, electi, vt Babylonium extinguant imperium. Et Ierem. 6. bellum *sanctificatum*, quia à Deo destinatum, vt vindictam sumat de inimicis. Sic ergo *sanctificatus* dicitur, vt custodiret Arcam, quia id illi negotium datum est. Quòd cùm nihil contineret sacrum, quale est sacrificium, aut alia opera, quæ ad altare pertinent, aut quod Arcæ sanctitatem functione aliqua solemni, atque legitima significat, à laica etiam, atque profana turba fieri salua religione potuit. 21.

Sãctificare, idem interdum, quod destinare.

Quod etiam facit verisimile, quia etiam verisimile est, iterùm apud profanum hominem Arcam esse depositam, qui illam tamdiu custodiret, quandiu non esset ad locum à Rege comparatum disposita. Talem fuisse puto Obed Edom, & indicat Mariana: quem Scriptura *Gethæum* vocat, qui nimirùm è Geth Palæstinorum vrbe, in qua, vt ap- 22.

paret, aut saltem ex qua non essent Leuitæ. Scio aliquas ab aliis rationes adduci, cur ille Leuites esse, & simul potuerit esse Gethæus. Sed planè sunt infirmæ. Accedit, quòd vt dicemus statim, domus huius Obed Edom erat in Ierusalem; at ibi non habitarunt, qui orti essent è genere Leuitico, saltem ante constructum Templum: neque enim hæc ciuitas sacerdotalis erat, vt constat ex Iosue cap. 21. Sed dices Paralip. 15. v. 19. Obed Edom numerari inter Leuitas. Respondeo, non sine causa priùs appellatum esse Obed Edom *Gethæũ*, vt ab hoc distingueretur Leuita, & ab alio item Leuita, de quo 1. Paral. 16. v. 38. qui Gethæi non erant. Huic cogitationi nonnihil incommodat, quòd 1. Paralip. capite 26. v. 4. Dominus dicitur benedixisse Obed Edom Leuitæ, & eius domum impleuisse mascula sobole. Quare hanc cogitationem tantùm dixi fuisse verisimilem; de qua statim aliquid addemus.

23. Quòd si ita statuas, satis apparet, quænam fuerit in Oza *temeritas* tanti digna supplicij; quia & officium assumpsit sibi omninò Leuiticum, aut Sacerdotale, cùm non solùm comitaretur, aut sequeretur Arcam, sed etiam tangeret. Quod significasse videtur non obscurè Dauid, & hanc nostram cogitationem aut indicasse, aut potiùs confirmasse, qui lib. 1. Paralip. cap. 15. v. 11. cùm statuisset è domo Obed Edom ad suam ciuitatem Arcam transferre, aduocauit Sacerdotes, & Leuitas, edixitque, vt adessent omnes, viderentque, ne aliquid non legitimè fieret; *vos, qui estis Principes familiarum Leuiticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est: Ne vt à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat illicitum quid nobis agentibus.* Vbi, vt vides, aliquid dicitur actum illicitè, quia neque Leuitæ aderant, neque Sacerdotes, qui nossent, quid circa Arcam definitum esset à lege. Quibus verbis indicat, in ea tractatione priori è Leuitico genere interfuisse neminem. Atque ideò multis modis in illo progressu fuisse peccarum; primùm, quia Arca non tam Leuitarum humeris, quàm plaustro, bobúsque commissa; deinde, quia à profano, & laico hominum genere tractata; & alia denique in illo religioso opere facta non religiosè; aut ab illis arrogata sibi temerè, quæ non nisi Leuitico, atque Sacerdotali ordini concessa sunt. Hæc postrema ita mihi placent, vt quæ priùs proposui ex aliorum sententia, non improbentur. Si quis contendat, fuisse Leuitam, nihilominùs fermè eadem erit peccati grauitas, si dicat non fuisse ex familia Caath; quod perinde est, ac si Leuita non esset, cùm his tantùm liceret tractare, quæ pertinent ad Arcam; aliis autem, qui orti fuerunt à Gerson, & Merari, id omninò prohibitum fuit. Vide Numer. cap. 4. v. 15. Locus porrò proximè citatus ex lib. 1. Paralipomenon satis indicat, ideò percussum Ozam, quia non priùs ad illud opus se purificauerat. Ibi enim iubet Dauid, vt se Leuitæ ad portandam Arcam purificent, & indicat ideò Ozam fuisse percussum, quia purificatio non præcesserat.

24. Vers. 8. *Contristatus est autem Dauid, eò quòd percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius, percussio Ozæ.*] Grauiter concussit tum Dauidis, tum aliorum animos Ozæ repentinus interitus; fecitque vt tanta tantæ multitudinis exultatio verteretur in stuporem, & luctum; cùm non dubiis signis videretur Deus non probare illorum studium, qui Arcam voluerç è sua sede, vbi aliquot annos locata fuerat, aliò traducere; cùm diem illum, & communem, publicámque lætitiam repentino funere incestauerit. Et vt illius casus ad posteros emanaret memoria, abrogato priori nomine, ab Ozæ morte locus ille mansurum in longo sæculo nomen accepit.

Vers. 9. *Et extimuit Dauid.*] Non obscurum 25.
Dominus indignationis suæ argumentum præbuit interfecto Oza. Quare Dauid, ne vlteriùs in se, ac populum ad illud opus congregatum vltrix iracundia sæuiret, subsistere iussit religiosam pompam; neque permisit Arcam in locum antè præparatum deduci, ad arcem videlicet Sionis, & Regiam ciuitatem; sed deflexit ad domum Obed Edom, illum, inquam, Obed, qui à Geth Palæstinorum vrbe cognomentum accepit. Quomodò hic Obed Edom diuersus videatur ab illo, qui inter Leuitas numeratur, lib. 1. Paralip. cap. 15. diximus nuper.

Vbi fuerit domus hæc, vbi substitit Arca, incer- 26.
tum est. Abulensis q. 11. & lib. 1. Paralip. capite 15. q. 31. domum hanc fuisse putat in Ierusalem inferiori, quæ eo tempore aliquantulùm distabat ab arce Sion, seu ciuitate Dauid. Erat autem non modicum interuallum desertum à ciuium frequentia, quod posteà frequentibus ædificiis instruxit Dauid, & multò magis Salomon, cùm in eo loco sacram excitauit molem, & circa illam ad Templi ministerium domos multas ædificandas curauit. Quam Abulensis sententiam his mihi rationibus persuadeo. Primùm, quia in eo, quod dixi, spatio, quod inter vtramque ciuitatem interiectum est, aream fuisse Nachon, seu Chidon, verisimile facit; quia eodem loco infrà cap. 24. v. 17. & 22. Areuna Iebusæus aream habuisse dicitur, in qua, vt apparet, terebat, aut comportabat fruges; ibi habuisse dicitur plaustrum, boues, & iuga, quæ vltrò ad sacrificium obtulit Dauidi. Porrò eo in 27.
loco ædificatum esse posteà à Salomone Templum, res est omnibus nota. Sic etiam aream habuit Nachon, iuxta quam percussus est Oza, & ex illius casu locus ille vocatus est *Ozæ percussio*, & propè, aut omnium proximè erat domus Obed Edom, ad quam inde facili negotio Arca diuerti potuit. Deinde, quia ex quo secundò moueri cæpit Arca, totis viribus canebant, & harmonicis personabant organis Leuitarum plurimi; & Dauid linteatus subsiliebat, atque saltabat; quod sanè, si procul Arca substitisset ab vrbe, facere non posset. Adde, quod nisi id accidisset Hierosolymæ, in ciuitate videlicet notissima, & quò tendebat triumphalis illa pompa, satis procederet obscurè, & imperfectè sacer historicus, si tantùm pro assignando loco, vbi cecidit Oza, & Arca substitit, nominasset aream Nachon, & domum Abinadab, cùm tacuisset vrbem, vbi essent domus, & area. Quia ergo ex adiunctis facile erat cognoscere, in qua ciuitate, aut prope quam ciuitatem hæc accidissent omnia, ideò satis habuit historicus sacer ostendisse, quo ciuitatis loco aut cecidisset Oza, aut stetisset Arca. His adde, quòd cùm ad sextum quemque passum bos immolaretur, & aries, si longum esset spatium, vix ad tam lentum, & impeditum opus multi dies sufficerent. At nec vnum diem in hoc negotio consumptum esse video. Magister historiæ Scholasticæ in ciuitatis suburbio constitisse tradit. Idem Dionysius putat; neque Serario displicet.

Vers. 11. *Et benedixit Dominus Obed Edom, &* 28.
omnem domum eius.] Tribus mensibus mansit Arca, quasi in diuersorio, in domo Obed Edom, quæ

pro

Oza percussus prope Ierusalem.

Domus Obed Edom in Ierusalem.

pro liberali hospitio ipsa quoque liberalem mercedem rependit. Benedixit etenim Dominus illi domui,& sic est illam amanter,& largiter amplexus, vt nihil intereà acciderit aduersi, nihil non ex voto. Qualisnam fuerit ista benedictio tam plena,tam fœcunda, diuinam Hebræi, vt solent, neque quicquam probant;de quibus sic Hieronymus in tradit.Hebr. *Benedixisse domum eius Dominum Hebræi dicunt, eò quòd omnes vxores eius, & concubinæ, & nurus, & ancillæ masculos pepererint filios; necnon & fœminæ quadrupedes geminos ediderint fœtus. De quo in lib.Paralip.*(nempe 1.cap.13.) *scribitur: Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus,& benedixit Dominus domui eius, & omnibus, quæ habebat.* Fuisse porrò ex ea benedictione domum illam fœcundam mascula sobole probant ex illo 1.Paral.cap.26.v.4. *Filij autem Obededom Semeias primogenitus, Iozabad secundus,* &c.vsque ad octauum. Et tandem addit,tot illum habuisse filios,*quia benedixit illi Dominus.*Quæ verba Obed Edom Gethæum illum esse indicant, qui 1.Paralip.15.inter Leuitas numeratur; de quo suprà dubitabamus, coniectabamúsque fuisse diuersum.

Qualis benedictio domus Obed Edom.

29. Antequàm hinc emergat nostra commentatio, videamus, qualenam fuerit hoc Ozæ supplicium, æternúmne, an temporarium tantùm. Res sanè difficilis,& vni Deo reseruata, cuius sunt iustissima iudicia, & hominum cogitationibus occulta. Neque video à quoquam hanc controuersiam esse definitam,imò neque disceptatam. Tantùm lego apud Dionysium,qui aliorum videtur adducere sententiam,quos tamen non nominat, qui negant illum æternum subiisse supplicium. *Creditur*, inquit, *quòd Oza per temporalem illam percussionem purgatus sit, & damnationem euasit. Nam etsi repente obierit; potuit tamen in tempore illo permodico pœnitere,præsertim dum manum suam, brachiúmque,& humerum sensit arere.*

30. Ego mallem aliorum hîc iudicium audire, quàm meum interponere;inclino tamen magis in Dionysij sententiam, & aliorum, si tamen alij sunt,quos ipse non nominat, & suspicor temporaria tantùm morte Ozæ peccatum fuisse punitum. Et quidem si alias ob causas in peccato non fuit,quod æterno supplicio mulctari dignum esset,de quo modò non disputo; non videtur conatus ille, qui ex religione, & pietate natus est, tam graue meruisse supplicium, vt temporariæ morti etiam esset adiuncta sempiterna. Fuit sanè aliquid audaciæ, & inofficioli religionis officij Arcam tetigisse,ea festinatione,ac modo, qui minùs Arcæ sanctitatem deceret; sed deceret minùs id,quod metuebat, caueréque studebat Oza, si laberetur Arca, & allisa terræ, & inter boum, hominúmque pedes volutaretur.Neque error hic Ozæ causam premit, quia casuram putabat Arcam, cùm tamen procul abesset à casu: neque enim tam iudicat, & damnat Deus errorem, si quis tamen sine culpa contingat, qualis videtur hic fuisse, quàm animum, ac studium;hæc autem videntur aliquod religionis, ac pietatis opus spectasse.

Oza nõ videtur morte obiisse æternam.

31. Neque præterea,vt ille in eo audaci,atque alieno conatu aliquid censeatur admisisse mortiferum,negandum videtur potuisse cognoscere peccatum,& de illius indignitate vtiliter dolere.Neque legimus sic ab irato Deo fuisse percussum, vt nihil illi fuerit temporis relictum cognoscendi, atque fructuosè detestandi peccati. Nihil enim habemus aliud, quàm ibi percussũ fuisse,& interfectum Ozam; inter plagam verò, & mortem, quis neget aliquid potuisse interponi moræ? Quòd si verum est,quod putãt Hebræi,aruisse Ozæ priùs manum, deinde brachium, ac tandem humerum, quem Arcæ vectationi subiectum esse oportuit, satis habuit temporis, vt peccatum suum,& diuinam offensionem agnosceret,ac tandem ad Deum opportuna conuersione rediret. Percussi sunt à Deo Sodomitæ, & qui cum Pharaone in mari rubro demersi sunt: at illorum multi temporalem subiere mortem,non æternam. Ita Hieronymus in illud Nahum.2. *Non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Rupertus lib.4. Comment.in Genesim cap.16.

Neque omninò conuincit oppositum, quòd Deus dicatur indignatus; aut quòd supplicium fuerit omnium rerum,quæ in humanis censentur maximæ,iactura nempe vitæ. Nam sæpè Deus in aliquem dicitur indignatus; cùm tamen nihil admiserit æterna damnatione dignum; sicut etiam pater in filium, quem neque domo eiicit, neque hostiles in illum spiritus concepit. Sanè sæpe dicitur indignatus Moysi,quem tamen à sua amicitia eo ipso tempore non habuit alienum. Exod.4. vers.14.Deuteron.1.v.34.& 36.Deut.3.vers.26. & propter vnius peccatum Iosue 7. v.1. iratus dicitur in totum populum; cùm tamen vnus tantùm è populo peccasset. 32.

Deus dicitur in aliquem indignatus, cùm tamen nihil admiserit æterna damnatione dignum.

Neque hoc conuincit supplicij grauitas:multi enim damnati sunt morte, quorum vitam nulla mortalis culpæ labes infecerat. Primùm Moyses, & Aaron damnati sunt morte; propter culpam,vt est communis Patrum sensus, leuissimam, quam subierunt, ille in monte Nebo, Deut.34. hic in monte Hor,Numer.33.v.38.De vxore Loth, quæ in statuam salis conuersa est, Gen.19. non videmus,quid commiserit adeò graue,dum ardentem ciuitatem respectat, vt in eo appareat mortalis culpæ pondus; atque ideò multi, vt noster dicit Cornelius, tantùm hîc vident veniale peccatum. Prophetę,qui lib.3.Reg.cap.13.occisus fuit à leone, nemo dubitat peccatum esse leue. Sanè Abulensis ibi q.31.liberum fuisse dicit ab æterna pœna,imò & statim ad sanctorum Limbum euolasse. Cur ergo,dices,tam seuerè mulctatus:Respondeo, quod alij in causa vxoris Loth, & Prophetæ, & Ananiæ,& Saphiræ, qui etiam à multis dicuntur supplicium tantùm subiisse temporarium.Ita Augustinus contra Parmen.lib.3.cap.1.Hieronymus ad Demetriadem, Petrus Damianus lib. de contemptu sæculi cap.13.Idem è recentioribus multi,vt Dionysius Carthusianus, & Salmeron in Acta.Et hi eodem, quo Oza,genere mortis sublati sunt.Vt ergo alij, quanti Deus faceret Arcam illam, in qua tabulæ claudebantur Legis, & quàm grauiter ferret, si quis in illam auderet aliquid indecori,extare voluit publicum illud exemplum in corpore subitò prostrato, quod paulò anteà animatum aspexerant. Neque aliud homines, quorum causa id factum voluit, spectare, aut cognoscere poterant: nam de æterna morte quî possent? Hæc sententia mihi videtur non difficilis; neque tamen aliis persuadeo, sed tantùm expendendam, & examinandam relinquo. 33.

Multi propter peccatũ veniale dãnati morte.

34.

Sæpe Deus ad aliorum doctrinã leue peccatum grauiter punit.

Vers.12. *Nunciatúmque est Regi Dauid, quòd benedixisset Dominus Obededom.*] Magnam fuisse opportet Dei liberalitatem in domum Obed Edõ, quando tam breui;id est,trimestri spatio, tantum rerum omnium incrementum etiam externi videre potuerunt. Quare non puto tantùm, vt Hebræi 35.

bræi volunt, auctos esse greges fœcunda, multiplicique fœtura, & domum masculà, atque robustà prole; sed etiam agrorum fœlicem esse prouentum, & possessionibus nihil accidisse non ex voto: & ab omni populo propter Arcam, ad ornandam domum plurima fuisse collata. Id ergo ab his, qui viderant, relatum est ad Dauidem.

36. *Abiit ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom ad ciuitatem Dauid cum gaudio.*] Non longè aberat, vt diximus, domus Obed Edom à ciuitate Regia; quò verò minus erat spatium, eò magis compensari voluit sumptuum, & celebritatis ad illud tempus inauditæ magnitudine. Quam pluribus describit lib.1.Paral. cap.15. quæ hîc referre operæ pretium erit; neque cùm ad illum locum, Deo benè iuuante, commentatio venerit, opus erit inculcare rursus, sed ad hunc locum Lectorem remittemus; quod etiam in aliis fiet non infrequenter.

37. *Qui apparatus in traductione*

In eo igitur cap.15. Paralip. primùm ostenditur, ædificatam esse domum pro Arcæ religiosa custodia, in eáque extensum Tabernaculum, ad similitudinem, opinor, illius, quod extruxit ante Moyses, & eo tempore, licèt ab Arca vacuum, erat in Gabaon. Tunc autem secum tacitè reputabat Dauid, nequaquam decere Arcæ maiestatem, si aliis quàm Leuitarum portaretur humeris, quibus id negotij Dominus proprium, atque perpetuum esse voluit. Ergo congregauit iterùm Israelem vt anteà, cùm primùm iniit de Arcæ traductione consilium: sed aduocauit præcipuè Sacerdotes, & Leuitas, ne quid in eo negotio, quod sanctè obiri cupiebat, fieret non legitimè, peccaretúrque rursùs, sicut in priori traductione contigerat. Qui fuerint, quóve numero, qui ex Leuitico semine ad illud pium, religiosúmque comitium conuenerunt, non est opus hîc enumerare; quia satis dilucidè explicantur in textu. Ad quos Rex orationem habuit plenam dignitatis, plenam spiritus. Iubet in primis, vt si quid habent, quod non admittat aut loci sanctitas, aut ministerij religio, id consuetis, & præscriptis à lege ceremoniis emundent; & tunc suis humeris sacrarium illud maximum reportent ad locum, qui illius custodiæ, ac religioni, tanto antè studio præparatus est; ne quid rursùs accidat, quale nuper in Oza, qui subita interceptus morte lætitiam illam publicam diro planè spectaculo fœdauit. Quod illi, sicut erat præceptum, euestigiò complent.

38. Deinde ex illa tanta Leuitici ordinis multitudine Cantores constituit, qui variis instrumentis, quorum eo loco nomina, & vsus disertè ponuntur, honestarent pompam, & diem illum tamdiu desideratum exhilararent. Hinc iam licebit ad intermissam commentationem reuerti, cùm respectu tamen ad ea, quæ in Paralip. cap.15. & sequentibus proximè succedunt.

39. *Et erant cum Dauid septem chori.*] Ex illo tanto Sacerdotum, Leuitarúmque numero septem choros, atque ordines digessit Dauid, quos secum tulit ad sacram illam pompam; & simul vitulos, & arietes, qui in ipso progressu ad sextum quemque passum erant immolandi. Cur eo numero distributi fuerint Sacerdotes, & Leuitæ, non satis apparet ex textu, quia illorum in ea traductione non vnum est, aut simplex ministerium, sed omninò multiplex. Ab illis cantati sunt Psalmi, & eliciti numerosi organorum soni; & mactatæ victimæ; quæ sanè cùm sexto quoque passu cæderentur, licèt breuis foret illa transmissio, plurimas fuisse necesse est; atque ideò rei sacrificali plurimos è sacro illo cœtu fuisse destinatos oportuit; & in septem distributos ordines, ne qua esset in tanto sacrificiorum, & sacrificantium numero confusio. Et ita putat Abulensis q.17. varios choros variis esse sacrificiis intentos.

Ego hæc non improbo; sed nomen *chori* in aliam me cogitationem adducit. *Chorus* aliquid indicat numerosum, & lætum, quales sunt Cantores, aut qui saltatorios motus, & numeros obeunt, in certum aliquem numerum, & ordinem digesti. Id porrò significari videtur lib.1.Paral.cap.16. vbi septem Cantorum ordines numerantur. Primus ordo ponitur vers.17. & deinde singulis versibus ad versum 24. singuli etiam ordines, seu chori respondent. Nunc de horum ministeriis, & partibus aliquid dicendum ex eodem cap.16. 40.

Versu 18. & iterùm 24. quidam constituuntur Ianitores, quos aliqui dicunt fuisse portitores Arcæ; sed nomen parùm fauet huic cogitationi. Ego potiùs crediderim, eos, qui hoc loco Ianitores dicuntur, illud in hac pompa obiisse munus, quod obeunt ex instituto Ianitores in templo: illi enim aliquos summouent, alios admittunt, prout cuiusque dignitas, aut ordo postulat. Sic etiam in pompa alij summouebantur, ne propè accederent, alij admittebantur. Et quidem nisi ita fieret, non videbatur satis consideratè, ac prouidè instituta traductio. Neque minùs à prudentissimo Rege consulendum fuit Arcæ sanctitati, atque honori, quàm suo sibi honori, ac dignitati consulunt Reges, & qui personam sustinent publicam, & grauem, dum lictores secum, & satellites ferunt, qui expediant viam ad Regium incessum, & omnem iniuriæ, atque irreuerentiæ aditum præcludant. Et quia illi forsitan in Tabernaculo posteà habituri erant Ianitorum nomen, & officium; sic etiam modò per prolepsim *Ianitores* vocantur. Aut certè illi tunc Ianitores erant in Tabernaculo, quod erat in Gabaon, vnde sunt euocati. Vide Abulensem in hoc capite quæst.21. 41. *Ianitores qui.*

Versu 19. *In cymbalis æneis concrepantes.*] Non dubium est, quin ex varia materia varia quoque fuerint instrumenta musica concinnata, ex buxo, ex ære, ex argento. Illa puto hîc appellari ærea cymbala, quæ ex ære sine vlla alia admixtione materiæ concussu, & collisione concrepant; qualia sunt sistra, crotali, & eiusdem generis, si qua sunt alia; ad quæ etiam refero tintinnabula, & pelues, quæ percussione sonant: nam de Tubis, quæ non tam clangunt percussu, quàm inflatu tubicinis, post agetur. 42. *Cymbala ænea quæ.*

Vers.20. *In nablis arcana cantabant.*] *Nablum*, seu *nablium* vox est Hebraica נבל *nebel*; quid propriè sit, incertum est. Quidam *lyram*, alij *psalterium* reddunt; quidam *chorum*, alij aliter vertunt, & *chordas* addunt, ex quibus sonos elicit plectrum. Sed si vim nominis accuratiùs intueare, aliud videtur esse instrumentum, quod aërem excipit ab vtriculo, & reddit sine inflatu cuiusquam cum modulato sono. Quod *vtriculum* Latini, Græci ἀσκὸν appellant, cui addita est fistula: & qui eo vtitur instrumento, *vtricularius* à Latinis, *aſcaules* appellatur à Græcis, ab Hispanis dicitur *gayta*. Sed ego aliquid nobilius fuisse puto, & pluribus fortasse compactum fistulis, vnde etiam sonus magis varius. Neque fortasse alius est, quàm quod 43. *Nabliquid.*

quod à Hieronymo describitur sub symphoniæ nomine in epistola quadam ad Dardanum tomo 4.

44. *Arcana canere quid.* Quid sit *arcana canere*, obscurum est. Quidam materiam carminis esse putant, quæ mysteria continet, & ignota vulgò sacramenta, quæque aperte ad populares proferre nefas. Quare illa aut summisso cantabantur sono, aut ita obscuris inuoluta sermonibus, vt vulgarem intelligentiam fugerent. Ita Abulensis q.24. Ego alluſum esse puto ad titulos Psalmorum, quibus eadem vox Hebraica עלמות *alamoth* præfigitur, quæ *arcanum* aliquid, & *occultum* significat. Qualis est Psalmus 9. cuius titulus est, *pro occultis*. & Psalmus 45. cuius, *pro arcanis*. Si, quod multi putant, Psalmorum tituli initia sunt certæ, vulgóque notæ cantilenæ, ad cuius numeros cantandus est Psalmus, nihil hîc significatur aliud, quàm inabilis illos esse musicos modulos adhibendos, quos certæ illæ cantilenæ præscribunt. Sed puto id esse à Dauide constitutum, vt ad nablia illi cantarent carmina Psalmorum, qui illis essent insigniti titulis, *pro arcanis*; seu quod idem est, *pro occultis*. Et quidem duo illi Psalmi ita sunt ad illum temporis articulum accommodati, vt in illum diem, & celebritatem à Dauide videantur esse compositi.

45. *Titulus pro octaua in psalmis quid.* Vers. 21. *In cytharis pro octaua canebant epinicium.*] *Epinicium*, carmen est triumphale, seu pro victoria. Quale in Dei laudem cantare tunc meritò debuit Dauid, cùm præclaras ab eius liberali manu à Iebusæis, & Palæstinis victorias obtinuit. Ad illud *Epinicium* cantatos esse puto Psalmos, quorum inscriptio est *pro octaua*; quales sunt Psalmus 6. & 11. Nisi dicamus *epinicium* illud, quodcúmque fuerit, iussum esse cantari in cytharis, quæ octo chordis essent instructæ, quæ vocari potuerunt *octachorda*; sicut instrumenta alia *eptachorda*, & *decachorda*, vocata sunt. Dici etiam posset *Epinicium* cantari in octachordo instrumento, quia ad illud illi canebantur Psalmi, quorum titulus *victori*. Est autem *epinicium canticum* victori, seu triumphatori consecratum. Hebræi, vt in eorum traditionibus refert Hieronymus, putant *pro octaua* epinicium iussum esse cantari, quia à sexto Psalmo inceperunt Cantores, cuius est titulus, *pro octaua*.

46. Vers. 22. *Chonenias autem Princeps Leuitarum prophetiæ præerat, ad præcinendum melodiam, erat quippe sapiens valde.*] Sicut *prophetare* idem est, quod *laudare*, vt multis probauimus lib. 1. cap. 10. ad illud: *Obtium habebis gregem prophetarum*; sic etiam laus, & canticum prophetia vocatur. Ille ergo, vtpotè illius artis peritissimus, & aliorum magister, præibat in cantu, & aliorum voces ad harmoniacos numeros temperabat.

Prophetia, idem quod canticum.

47. Vers. 24. *Porrò Sabenias, & Iosaphath, &c. sacerdotes clangebant tubis coram arca Dei.*] Septem hîc numerantur Sacerdotes; atque ideò totidem fuere Tubæ, quæ suo clangore antecedebant Arcam: quòd ex eo fortasse tempore fieri cæpit, quo totidem Tubæ circumduxerunt Arcam, cùm ad illarum clangorem, Arcæque conspectum muri ceciderunt Iericuntini, Iosue cap. 6. Cùm autem Sacerdotes tunc accepissent Tubas, & antegrederentur Arcam; sic etiam nunc in eiusdem Arcæ celebri triumpho Sacerdotes septem designati sunt, qui Tubarum clangore gloriam personarent Arcæ triumphantis. Redeamus iam ad caput 6. quod his interpositis interrupimus.

48. Vers. 12. *Erant cum Dauid septem chori, & victima vituli.*] Quomodò sint à Dauide distributi chori, iam à nobis supra dictum est. His autem aderant victimarum non exigui greges, quia non paucæ in eo progressu immolatæ sunt, cùm ad senos passus illarum fierent destinatæ cædes. Quare muti illi pecudum, atque armentorum balantes, atque mugientes greges, pars erat illius solemnitatis non exigua. Vbi Vulgatus, *Victima vituli* (quæ verba in Hebraico textu non sunt) Septuaginta legunt, *victima vituli, & agni*.

49. *Quomodo in traductione Arcæ mactata victima.* Vers. 13. *Cúmque transcendissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabat bouem, & arietem.*] Hîc sine dubio per synecdochem singularis numerus pro plurali ponitur. Vt enim proximè *victima vituli* pro victima vitulorum adhibetur; sic etiam nunc *bos*, & *aries* in singulari pro *arietibus*, & *bobus* vsurpantur. Sic enim lib. 1. Paralip. cap. 15. v. 26. *Cúmque adiuuissent Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes.* Quomodò tot victimæ tam breui spatio, ac tempore immolari potuerint, tradit Abulensis lib. 1. Paralip. q. 36. & docet, duobus modis immolari potuisse. Altero, vt tantùm in via iugulentur victimæ, non excorientur, & crementur carnes, & aliæ præterea adhibeantur ceremoniæ, quas lex præscribit; id enim præcipuè valet *immolo*. Vbi verò iam essent iugulatæ victimæ, cremabantur posteà eo in loco, qui præparatus erat à Dauide, vbi similia peragerentur sacrificia. Id porrò sine vlla longiori mora perfici potuit, cùm multi iam essent congregati Sacerdotes, & aræ item comparatæ plurimæ, vbi rite opus illud sacrificale peragi potuit. Altero, vt tantùm cremaretur, & adoleretur adeps; quod licèt plusculum desideraret moræ, breui tamen confici potuit; quod fieri posse, imò & debere dicit. Quia illa sacrificia fuere pacifica, in quibus reliqua præter adipem, quem sibi ex omnibus vendicat Deus, cedunt in aliorum vsus. Vtrámque rationem admittit Abulensis, aut potiùs neutram improbat.

50. Illud etiam hîc obseruandum, quod eodem loco Paralip. dicitur; *Cùm adiuuissent Deus Leuitas, &c. immolabantur septem tauri.* Quomodò Leuitæ adiuti fuerint in Arca portanda, quærunt Interpretes. Vide Abulensem q. 32. vbi refert, & improbat Hebræorum sententiam, qui dicunt Arcam ipsam eleuatam esse supra Leuitarum humeros, neque illis oneri vllo modo fuisse, cùm ipsa suo se nutu ferret: quod etiam tunc contigisse dicunt, cùm super Leuitarum humeros Iordanem traiecit. Alios modos adducit Abulensis, quos tu vide. Ego duo hîc video, in quibus ad pium illud onus Leuitarum humeri leuari potuerint. Primum ad pondus ferendum, quia licèt Arcæ moles adeò magna non esset; erat tamen ex auro magna pars, & lapideæ tabulæ intùs claudebantur. Sed longè maior erat difficultas, & labor ab ascensu, qui erat arduus, & præceps, per quem ad arcem Sionis, seu ciuitatem Dauidis ascendendum fuit. Fuit autem mirum in tanta accliuitate sine vlla offensione ad summum vsque fastigium Arcam esse delatam. Cùm ergo adiuuante Deo sex passus esset Arca progressa, subsistebat parumper; an super Leuitarum humeris, vel super altari ad illum vsum, & ministerium instructo, incertum est. Vtrumque probabile, sed prius meo iudicio magis, cùm magnus esset Leuitarum numerus, inter quos labor ille partiri posset: tunc verò septem immolabantur tauri, & arietes totidem.

Onus Dei leue.

51. Vers.14. *Et Dauid percutiebat in organis armigatis,& saltabat totis viribus ante Dominum.*] In aliquibus Bibliis, neque paucis inueniuntur hæc verba, licèt ex aliis multis, & ex nuper à Sixto correctis expuncta sint. Quare visum est in his etiam explicandis aliquantulum operæ ponere, ne videamur antiquam illam lectionem omninò reliquisse, *Armigatus* vox est inusitata,& quod ego viderim,in hocvno loco tantùm audita.Significare aiunt,qui hanc lectionem probant,id quod ex armis;id est,humeris suspenditur. Sicut de arcu dixit Maro lib.1.Æneid. *Armigata organa quæ.*

Namque habilem de more humeris suspenderat arcum.

Et de pharetra Claudianus 2.de Raptu.

----Pendent post terga sagittæ.

Ego hîc arbitror feciſſe Dauidem,quod hoc tempore,credo etiam & antiquis,& faciunt,& fecere multi; qui eodem tempore & digitis lyram, & terram alterno quatiunt pede, dum numeros simul obeunt saltatorios. Quod non obscurè indicat hic locus,qui docet *armigata organa* percussisse Dauidem,& totis saltasse viribus. Tunc autem verisimile est, organũ illud ex humeris fuisse suspensũ;magnus enim fuisset labor gestare illud,& pulsare manibus,cum saltu frequenti, & incitato tripudio,maximè in loco accliui,atque arduo.Sic opinor.

52. *Porrò Dauid erat accinctus ephod lineo*] Hoc lib. Paralip.1.cap.6. v.27.*stola* vocatur *byssina*; sed est omninò idem, quod statim v. 28. clariùs explicatur, dum eadem adhibetur vox, quæ nunc cap. hoc 6.Porrò quid sit hoc *Ephod*,quo vsus est Dauid,& quod est Leuitis familiare, & quo modo ab illo distinguatur, quod gestat Sacerdotum summus; diximus lib.1.cap.2. ad illud v.18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo.*Eodem autem lineo tegumento etiam erant amicti Leuitæ, de quibus loco citato Paral.v.27.*Porrò Dauid erat indutus stola byssina, & vniuersi Leuitæ.*

53. Vers.16. *Cúmque intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram,vidit Regem Dauid subsilientem.*]Non tantùm viri, sed etiam fœminæ secutæ fuerant Arcam, cùm traduceretur,& quo potuerant modo,triumphalem illam pompam, & genialem diem honestauerant,vt constat ex v.19.Et in his quoque fortasse fuerant aliæ vxores Dauidis, quæ non sunt dedignatæ inter mediam turbam interesse, quam mariti singularis pietas euocauerat;neque locum, conuentúmque despexerant, quem Rex,& coniunx non solùm ingentibus prosecutus fuerat sumptibus; sed etiam cantu,numerosóque tripudio celebrare voluit.Ergo Michol, cùm regios;id est,superbos retineret spiritus, quos à Saulis stirpe,& moribus hauserat,continuit se domi,& appropinquantem prospectauit pompam per fenestram, vnde cum fastidio, & nausea intuebatur pium Regis,festiuúmque tripudium.

54. Vers.17. *Et introduxerunt arcam Domini,& imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid.*] Non dubium, quin à pio,& liberali Rege præparatus sit locus, qui futurus esset Arcæ non tam domicilium stabile, quàm exigui temporis hospitium, & pro Regia maiestate eximius,& arte,materiáque conspicuus, & pro Arcæ dignitate religiosus, & lautus. Sed pro Tabernaculo, in quo diu commorata est, quódque tunc relictum fuerat in Gabaon, fuit quoddam tentorium ex pellibus, aut ex alia materia, pretiosis intentum velis, de quibus in Scriptura sacra non constat. Tantùm enim audimus cap.7. v.2.Arcam Dei positam *in medio pellium.* Et 1.Paralip.17.v.1.*sub pellibus.*Eo tamen in loco fuisse alia, quæ ad opus sacrificale pertinerent, non est dubium, vt altare holocausti; nam scimus ibi oblatas esse victimas, & Ioab ibi amplexum esse cornu altaris,quasi in summo vitæ discrimine inuiolabile perfugium.

Et obtulit Dauid holocausta,& pacifica.] Hoc fuit extremum, quod in religiosum Arcæ cultum à Dauide comparatum est, antequàm cum bona gratia dimitteretur populus. Quid porrò sit *holocaustum*,quid *pacifica victima*,notum est,& à nobis non semel repetitum. 55.

Vers.18. *Benedixit populo in nomine Domini exercituum.*] *Benedicere* hoc loco,benè precari est, quasi optet,orétque Dauid Deum, vt populi pietatem aliquo cœlesti dono, atque humanarum rerum abundantia compenset.Sed quia *benedictio, donum* etiam significat, quo alios aut excipimus, aut prosequimur; qualia sunt xenia,aut hospitale conuiuium,vt diximus ad illud 1.Reg.25.v.27. vbi sic ad Dauidem Abigail: *Suscipe benedictionem hanc,quam attulit ancilla tua; Benedixisse* dici potest Dauid populo, cùm illum discedentem cibo illo quasi hospitali prosecutus est. 56. Benedico, *idem quod*, largior.

Vers.19.*Et partitus est vniuersæ multitudini Israël, tam viro,quàm mulieri,singulis collyridam panis vnã.*] Noluit Rex pius,ac liberalis tam hilare,ac promptum popularium officium omittere non compensatum aliquo grati animi vel leui documento. Quare ex tanta multitudine nemo fuit ex vtroque sexu,quem aliquo munusculo prosecutus non fuerit abeuntem.Largitus est primùm *collyridam panis*:1.Paralip.16.*tortam panis*.Abulensis putat, tantum cuique porrectum esse panis, quantum pro vna siue mensa, siue epulo petabatur sufficiens esse demensum.Id fortasse verum. Sed illud certum, significari aliquid supra vulgarem panem delicatius.Hebraicè est, חלה *Chala*, quam noster Interpres modò vertit *tortam*,vt 1.Paralip. cap.16.modò *crustulam*,Exod.29.v.2. Quare arbitror huic generi placentæ aliquid esse admixtum ad conciliandum saporem, non tam pistorio opere,quàm dulciario:quia plerúmque video vocem חלה, seu *collyridam*, cum rebus, quæ gulam excitant,& palatum permulcent,esse coniunctam,quę lagana,vel lalangia vocantur.De quibus sic Rhodiginius lib.9. lect. Ant. capite 16. *Collyra dicta minuti panes,qui dari pueris consueuere. Alicubi tamen collyria dicuntur lalangia; vnde & κολλυρίζειν verbum, quo in sartagine lalangiorum percoctio significatur.* 57. Collyrida *quid.*

Et assaturam bubulæ carnis vnam.] Paralip. 16. *bubalæ*.Vox Hebræa אשפר *espar, frustum carnis* significat;sed animal vnde sumptum fuerit,non definit.Noster *bubulam*,seu *bubalam carnem* reddit,ea opinor adductus ratione, quia אשפר, à radice שפר, aliquid importat speciosum; taurus autem in Scriptura sacra pulcher appellatur.Deuteron. 32.v.17.de Ioseph: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Aut fortasse dictionem illam in duas partes diuisit hoc modo אש פר *es par*: id est,*bos ignitus*,siue *assatus*; & ideò vtramque particulam spectans reddidit: *Assaturam carnis bubulæ*.Et hoc postremum magis placet. Quod si ita est,vt profectò verum esse arbitror, dedit singulis Dauid carnem bubulam,aut assam,aut elixam; denique quam ignis tetigerat, esculentámque reddiderat. Quemadmodùm apud Hispanos, hodiéque multis 58.

tis in locis fit,vt multitudo,quæ ad diem aliquem celebrandum conuenit,cum huiusmodi æsculentis dimittatur;quod officium Hispanorum vulgo charitas dicitur,à Græcis olim ἀγάπη,agape.

Et similam frixam oleo.] Hebraicè משושׁ, *asisah:* 59. quæ vox nihil significat certum, sed tantùm id, quod conuiuium,& hominum familiarem,& beneuolum cætum exhilarat. Quare pro rerum, ac temporum opportunitate modò Interpretes reddunt *similam oleo frixam*,modò *laganum*, modò *flores*,modò *poppana*,modò *lagenam vini*. Quid simila oleo frixa sit,non est obscurum; puto esse illa, quæ pro secundis mensis scriblita dicuntur, aut quid simile,artolagana videlicet,aut lalangia.Septuaginta sic reddunt:*Collyridam panis, & placentam,& laganum de sartagine.* Chaldæus nihil de materia dicit definitò; tantùm dicit, singulis datam esse portionem.Hispanica translatio: *Vn pan,vna buena pueſta de carnes,e vna ampolla de vino.*

Similafrixa oleo quid.

60. Vers. 20. *Reuersúsque est Dauid, vt benediceret domui suæ.*]Sicut populo antè benedixerat Dauid, precatus illi fortunata omnia,& largitus aliquod suæ beneuolentiæ,atque alacritatis documẽtum; eodem, opinor,modo domui suæ benedixit,orãs, vt quando illam tanto dono Deus voluisset ornare, sic etiam & dignum redderet habitaculum, cœlestibus cumularet beneficiis, & ab omnibus tueretur incommodis.Quomodò nos in fine Cõpletorij Dominum oramus,vt habitationem nostrã visitet,& inimicorum ab ea repellat insidias; eodem fortasse modo, quo Salomon ædificato Templo;priùs enim benedixit populo cap.8. lib. 3.Reg.v.14. *Conuertítque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israël:* sicut modo Dauid.Deinde à versu 29. orauit, vt super domum illam essent oculi Dei semper intenti,&c.Eodem modo arbitror benedixisse Dauid domui suæ; id est, illi à Domino precatum esse, quod Salomon Templo; aut certè illius orationi orationem habuisse non valde dissimilem.Deinde puto,sicut in alios liberalis fuit, largiendo æsculenta dona; sic etiam in domesticos fuisse munificũ, & geniale illis adornasse cõuiuium,dixisséque,quod in re nõ dissimili dixisse traditur Esdras lib.2.c.9.v.10.*Comedite pinguia,& bibite mulsum,*&c.*quia sanctus dies Domini est.*

61. *Et egressa Michol filia Saul in occursum Dauid, ait:Quam gloriosus,*&c.]Iam antè spectarat Michol saltantem Dauidem, & festiuo tripudio præcedentem Arcam. Neque diutiùs comprimere potuit conceptum animo fastidium, siue dolorem; quin statim,quasi virus esset acerbum, in coniugem euomeret. Quare cùm primùm dimissus est populus, verbis illum excepit contumeliosis, & amaris,dum illum dicit parùm considerasse, quid ab eo Regium nomen,& dignitas exigeret.A qua longè aberat, nudatum esse in conspectu totius Israël, non aliter atque si ludius esset,aut mimus, aut qui scurrilibus nugis, & inconditis corporis motibus oblectare vellet nimis curiosos, & auidos irridentium oculos. Addebat deinde,ad maiorem Regis ignominiam, vile seruularum nomen, quibus se spectandum nudum, & illudendum præbuerit. Quod,credo, fingebat insolens fœmina,vt crimen,si quod esset,magis amplificaret;non quòd reuerà coram ancillis Rex in ea religiosa,ac celebri traductione saltauerit. Nam in illa tam frequenti turba,vbi erat non solùm Hierosolymæ,sed etiam totius Israëlis prima nobilitas,nõ videntur ancillæ habituræ fuisse locũ iuxta Arcam, vbi nudatus Dauid ad saltatorios se 62. numeros versauerat.Nisi dicas,præcessisse quoque

Michol in reprehensione Dauidis aliquid videtur esse commenta.

A Arcam puellarum choros, inter quas Dauid suos quoque impleuit orbes saltatorios; cùm nobiles fœminæ artem illam minùs ingenuã,& honestam in virorũ conspectu exercere nõ soleant. Sed neque hoc nimis probat, quod Regi exprobrat insolẽs vxor.Nam in huiusmodi causis,quæ publicę sunt,quæque religioni,ac pietati seruiunt, honestæ,atque ingenuæ virgines illud quoque adhibere solẽt exultantis animi, & gratulantis argumẽtum. Sanè nõ erat Moysis soror Maria ex vili ancillarum grege;illa tamẽ,& honestarũ mulierum (quod nemo credo dubitabit) frequentes chori trãsmisso mari rubro diuinã celebrauere victoriam. Neque Principis Iephte ignobilis erat filia, quæ cum eiusdẽ ordinis virginibus victori parẽti B cũ choris,& tympanis occurrit.Sic credo, si quis in ea pompa fuit virginum chorus, ille nõ è vulgaribus,sed ex ingenuis congregatus fuit. Quòd id vsitatum fuerit inter Hebræos,constat satis ex Iudic.c.21.v.19.vbi hoc in Silo;id est,ante Arcam, anniuersaria celebritate fieri solitum ostenditur.Quod etiam accidisse arbitror in victoria Iudith,vt constat ex illius libro cap.15.v.15.

Virginum chori in præcipuis solẽnitatibus frequẽtes,& honesti.

Dicitur Dauid discoopertus,& nudatus;an ita 63. fuerit,ipsa viderit Michol;quæ, vt erat impatiẽs, muliebri more incõsideratè hæc exprobrat.Ex historia sacra id tãtùm habemus suprà v.15. accinctũ fuisse Ephod lineo.Sed quia ibi etiam dicitur totis saltasse viribus, quod sanè facere nõ posset, si vestes ex more regias haberet,ideò est verisimile,illas deposuisse, & earũ loco sumpsisse lineum C ephod,quod leuissimũ est,& ad saltus illos Pyrrhicos opportunũ;& quia Religioni dabat tunc publicã operam, maximè personam Regiã religiosũ quodãmodò decebat amiculũ.Et licèt in Rege nihil indecorũ esset, quale spectari solet in homine nudo, quódque illi exprobrasse videtur nimiùm putida,ac fastidiosa cõiux;eo tamen sensu discoopertus potuit,& nudus appellari,quia illud ornamentum deposuit,quod erat Regiæ dignitatis insigne. Quo modo nudus dicitur Propheta,Sacerdos,& Monachus,qui licèt laico sint integumento vestiti, sui tamen ordinis abiecerunt familiarem cultum. Qua de re nos plura ad illud lib.1. cap.19.de Saule.*Et cecidit nudus tota die.*

D Vers.21. *Ante Dominũ,qui elegit me,*&c.]Aliqui 64. Latini codices habẽt:*Viuit Dominus,quia ludã ante Dominũ,qui elegit,*&c. Sed Sixtiani codices habẽt, sicut à nobis dictũ est.Sed est aut idẽ,aut nõ valde diuersus sẽsus,si illud,*ante Deũ*,forma sit iuramẽti Hebræis familiaris.Vt enim *corã Deo* iuramenti species est, qua vsus fuit Paulus, cùm dixit *coram Deo,quia nõ mentior*;sic etiã *ante Deum*. Quare sensus erit,*corã Deo*,seu *Deus viuit* (parũ enim refert, hoc ne,an illo modo interpretere,cùm vtrúmque iurisiurãdi põdus habeat)qui elegit me,repudiato parẽte tuo, tradidítque Israëlitici populi gubernaculũ;quia ludã (nempe *coram Deo*) & me multò magis abiiciã, quàm hactenùs feci.Et tunc illud Et, *causalis particula.* & ante *ludam*,non erit copulatiua cõiunctio, sed valet idem omninò quod *quia*.Exẽpla sunt obuia.

Ante Deum iuramenti forma.

Sed fieri etiã potest,vt illud,*ante Deum*, nullam 65. E habeat iurisiurãdi firmitatem;sed id valeat, quod simpliciter sonat;& tune est sensus:*Ante Deum*, à quo habeo,vt reiecto Saule,regnem,& ludam, & personam sumam multò viliorem,neque id mihi existimabo futurum esse dedecori;imò quò vilior fuero,plus inde me putabo accepisse gloriæ.

Est quidẽ vtralibet harum expositionum neque 66. inepta,neque aliena à trãslatione Vulgata;sed est difficile illam ad Hebraicum textũ accõmodare.

Quare aliam ego expositionē aggrediar, id quod in rebus implexis,& obscuris aliquando facio,vtinam cum aliquo operę pretio.Et primùm obseruo, *Si*, conditionalem particulam maximè cum futuris esse supplendam, vt docuimus in nostris Commētariis super Psal.67.ad illud. *Infirmata est, su verò perfeciſti eam.* De tempore futuro exempla sunt obuia.Ioan.7.*Quæretis me,& non inuenietis*; id est,si quæsieritis,non me inuenietis. Prouerb.1.v. 28.*Inuocabunt me,& non exaudiam;manè consurgent, & non inuenient me.* Id est,si inuocauerint, si consurrexerint. Quæ sententia eo dicendi modo sæpiùs occurrit. Prou.21.v.13. Isaiæ 58.v.9. Ierem. 11.v.11. Sic accipio illud Deut.28.v.38.*Sementem multam iacies in terram,& modicum congregabis. Vineam plantabis,& fodies,& vinum non bibes. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo. Filios generabis,& filias,& non frueris eis.*Iob.ca.31. *seram,& alius comedet.*Id est,si sementem feceris,si vineam plantaueris,si oliuas habueris,si filios genueris,si seuero. Ad hunc modum tēporibus hisce futuris conditionalem particulam præpono, & sic explico textum Hebraicum,qui ad verbum sic habet:*Ludam ante Dominum, & vilior fiam,plusquàm factus sum,& ero humilis in conspectu meo,* &c. Si lusero in conspectu Domini, & me ipsum abiecero, & si vilis fuero in conspectu meo, ita vt non me his ancillis, quarum mihi vilem conditionem obiicis,superiorem putem, & ad illarum me ministerium abiiciam;tum glorioſior apparebo,nempe in oculis Domini. Alia enim sunt Dei, alia hominum iudicia; illa spectari debent, hæc cum illis composita,omninò contemni. Hæc explicatio non videtur difficilis,& est valdè ad moralem sensum opportuna.

Si,conditionalis particulaaliquādo supplēda.

Deut.28.

Qui magis coram Deo se abiicit, magis est honoratus.

67. Vers.23. *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque ad diem mortis suæ.*] Puniuit Deus hoc tam superbum,liberúmque conuitium,eo supplicio,quod inter Hebræos censebatur esse grauissimū.Illa enim fœmina infœlix putabatur,& quodammodò maledicta,quæ nullam susceptsset prolem.Quod cùm aliis accideret semper molestum, huic tamen non poterat non esse longè molestissimum;quia cùm esset è regio genere,& aliis Dauidis vxoribus illustrior,si quem è Dauide filium esset enixa, ille videbatur ad Regiam dignitatem esse venturus. Quo argumento Theodoretus, & Procopius vtuntur ad hunc locum. An verò filiū Michol siue ex Dauide, siue ex alio coniuge, cui illam pater antè tradiderat, aliquando conceperit,disputant Interpretes. Quam nos quæstionem expediemus breuiter ad cap.21.

68. Et primùm ridiculum est, quod, vt in tradit. Hebr. refert Hieronymus, existimarunt Hebræi; nēpe cōcepisse ex Dauide,ac peperisse filium,nomine Iethram,& in ipso partu animam egisse;qui etiam addunt Æglam fuisse vocatam.Eo verò ducūtur argumēto,quia hoc loco dicitur nō habuisse filium vsque ad diem mortis;quasi eo die, quo filium est enixa,è viuis excesserit. Sed hāc cogitationem illud cōfutat,quòd Iethram ex Ægla susceptus esse dicitur in Hebron c.3.v.5. multò ante hoc tempus;quare si in partu Michol interiit,non potuit interesse,aut spectasse pōpam,quæ Arcam longè posteà in arcem;id est,in Dauidis ciuitatem induxit. Quomodò autem Ægla non potuerit esse Michol,eo loco à nobis demōstratum est. Neque ratio,quæ Hebræos in illam cogitationē induxit, nimis vrget.Illud enim,*vsque ad diem mortis suæ*,nō indicat,in die mortis natum esse filium, sed nunquam omninò fuisse susceptum. Hæ etenim particulæ,*donec,vsque*,& similes,nō ita excludunt reliquum temporis,vt terminum illis particulis designatum includant,quasi in illo aliquid cōcedatur esse factum,quod toto tēpore,quo anteceſſit, negatur accidisse.Quale est illud Matth.1. de Iosepho: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum.*Ex quo dicendi genere non sequitur, quòd aliquando Virgo cognita fuerit à Iosepho.

Michol nullum susceptit filium.

REGVLA. *Vsque,donec,& similia aliquādo terminum includūt,cui præponūtur, & aliquādo excludunt.*

Neque nouū est in Scriptura sacra,vt dies, aut terminus,qui proximè antecedūt huiusmodi voces,includantur in numero,vel spatio,in quo negatur,aut affirmatur aliquid esse factū. Vulgaris enim est hæc dicendi forma, *vsque ad mortē regnauit*,aut *in luxu fuit*,de illo, qui nunquam excidit è regno;sed tātùm toto tempore ante mortem obtinuit Regiam dignitatem, & luxui fuit,ac voluptati deditus.Qui dixit bibendum esse calicē vsque ad fæces, sine dubio ipsas quoque fæces cōplexus est.Sic Ezech.c.23.cùm Ps.112.à solis ortu vsque ad occasum diuinum nomen dicit esse laudabile,absque dubio nō excludit occasum. In his formulis,quæ passim occurrunt in Scriptura:*Ab homine vsque ad pecus,à maximo vsque ad minimum, à sene vsque ad infantem omnes peribunt*, nemo dicet aliquem esse exemptum à cæde. Sic ergo neque diem mortis Michol hic dicendi modus eximit à sterilitate.

69.

70. Sunt qui putēt susceptisse ante hunc articulum Michol aliquos filios, siue ex Dauide,siue ex alio viro;ex hoc tamē tempore propter seuerā illam, atque superbam reprehensionem conclusam esse vuluam,neque vnquā auctam noua prole. Quod ex eo verisimile faciunt,quia infrà ca.21. quinque filij Michol,exigentibus id obnixè Gabaonitis,in crucem dicuntur esse sublati. Nihilominùs communior est Interpretum sēsus,nullum ex Michol susceptum esse filium;nō quidem ex Dauide;quia cùm ex aliis vxoribus susceptos filios ad vnū expresserit,de filiis Michol,quæ longè propter Regium genus erat illustrior, nūquā Scriptura sacra tacuisset. Neque ex priori viro,quia hoc non videbatur prætereundum esse silentio.Et quidē ita putant Hebræi,à quibus Lyra nō dissentit ad illud lib.1.c.25.*Saul autem dedit Michol filiā suam vxorē Dauid,Phalthi filio Lais.*Hîc autem Hebræi, vt solent,multa confingunt,neque de illorum fide admodùm laborant. Primùm enim dicunt Phalthi virum esse peritum legis,religiosum,& pium,qui cùm nosset Michol habere tunc viuētem virum, neque ab eo fuisse dato libello repudij legitimè dimissam,noluisse eā maritali copula cognoscere, atque ideò purum,& cęlibem seruasse thalamum. Atque ideò cùm lib.1.c.25.vocatus esset Phalthi, posteà l.2.vocatur Phalthiel,addito Dei nomine; quod cognomentum à religiosa castitate cōsecutus est. Ita Abulensis in c.3. q.17. citátque historiam Scholasticam,apud quam ego non inuenio.

71.

Cùm autē huic explicationi viderentur obstare Phathielis lachrymæ, quas ablata vxore vbertim effudit;& studium,quo illam voluit in suo retinere conuictu:Dicunt ploraſse quidem Phathielem, præ gaudio tamen; quia cùm non esset illius vxor, cui posset assuescere legitimè, gaudebat vir bonus, quòd Michol legitimo foret restituta coniugi, & ipse à familiari peccandi consuetudine liberatus.Neque abnuere videtur Lyra, qui aliam etiam adducit ex Rab.Salomone.Ideò nempe ploraſse,quia ablata Michol,videbat sibi magnæ perfectionis ablatam esse materiam,cùm contineret se ab ea, quam assiduam habuit lectuli consortem. Vt enim ex eodem Rabino refert

72.

Abulensis

Abulensis suprà q.18. inter se, & vxorem ensem statuebat nudum, ne quis auderet, aut posset ad alterum impunitus accedere. Aliam historia scholastica Phaltielis gemitus rationem adducit in lib.2.Reg.cap.4. quia non cognouerat eam. Quia illa cùm diligeret Dauidem, tristem ad alterum virum vultum afferebat. Quòd verò Phaltiel tantoperè voluerit eam habere secum domus, thalamique consortem, eam fuisse causam nonnulli credunt: quia magnus illi ex Regiæ coniugis consortio adueniebat splendor, quod abeunte vxore, ex sua quoque familia abiisse videbatur. Sic illi.

73. Illud porrò argumentum, quod adducitur à Lyra, aliquod etiam momentum habet, vt putemus intactã à Phaltiele fuisse Michol, quia si Dauid aliter de vxore cogitasset, non illam tantoperè repetiisset ab Abner primùm, deinde ab Isboseth. Sanè quia concubinæ, quas Ierosolymæ reliquerat, violatæ fuerunt ab Absalom, ab illarũ perpetua consuetudine abstinuit. 2. Reg.c.20.v.3. *Cúmque venisset Rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis prabens, & non est ingressus ad eas; sed erant clausæ vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes.* Scio hanc rationem infirmari optimè ab Abulensi in lib.1. cap. 25. q. 19. aliquid tamen habet ad hanc cogitationem momenti.

At dices, infrà cap.21.v.8. quinque filios attribui Michol: *Tulit itaque Rex quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Bercellai, qui fuit de Molathi.* Iosephus lib.7. cap.4. ex Dauide dicit nullos filios peperisse Michol; ex alio verò marito genuisse quinque. Sed est communis, veráque sententia, quinque illos filios non fuisse natos è Michol, sed ex illius sorore Merob, quos ipsa, cùm careret filiis, sibiipsi à matre iam orbatos adoptauit. Ita Hebræi, vt in eorum traditionibus refert Hieronymus, & communiter alij. Et docet textus ipse nó obscurè; nam illi quinque filij esse dicuntur Hadrielis filij Bercellai, qui fuit de Molathi; at huic nupsit non Michol, sed eius soror Merob, vt liquet ex lib.1.Reg.cap.18.v.19. Imò ex hoc fit magis verisimile, nullos ex Michol natos esse filios; neque enim, si proprios haberet, adoptaret alienos. 74. *Michol quinque habuit adoptiuos filios.*

IN CAP. VII. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

MEDITABATVR secum in domo sua Dauid, cùm iam nullus obstreperet bellorum motus ab hoste vicino, quo modo ipse in domo habitaret è materia cedrina, & luculenter ornata; Dei autem Arca sub Tabernaculo sit pellibus instrato. Quod cum Nathan Propheta, vt alia plurima communicasset, eadem nocte Dominus ipsi Prophetæ reuelauit, quod sibi à Dauide vellet obsequium præstari, cui Dei nomine significauit. Primùm, toto tempore, quo populus commoratus est in deserto, & ex quo Terram promissionis occupauit, ad illud vsque tempus se præcepisse nemini, vt domum ipsi è cedrina materia construeret. Deinde, Dauidem assumptum esse de gregibus, quibuscum vitam agebat rusticam, & vilem; & ad regium vsque nomen esse prouectum. Neque minora in posterum beneficia promittit; nimirùm requiem, & otium tantum, quantum anteà nunquam à diebus Iudicum Israel; & quòd domum ipsi statuit stabilem, & nomen, si vspiam alteri, amplum, gloriosúmque conciliet. Ac tandem cùm è viuis excesserit, eadem in posteris conseruatum iri beneficia, quorum vnus ædificabit domum, de qua ipse proximè cogitabat secum, & regnum ipsi perpetuum duraturum concedit. Cui Rex pro tam prolixa liberalitate gratias agit, & beneficia tam sibi, quàm populo concessa amplificat: & tandem orat, vt promissionis fides, & euentus appareat.

CAPVT SEPTIMVM.

1. FActum est autem cùm sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis,

2. Dixit ad Nathan prophetam: Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?

3. Dixítque Nathan ad regẽ: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.

4. Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens:

5. Vade, & loquere ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

6. Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de Terra Ægypti, vsque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio.

7. Per cuncta loca, quæ transiui cũ omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad vnã de tribubus Israel, cui præcepi, vt pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

8. Et nunc hæc dices seruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli

tuli te de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum meum Israël:

9. Et fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua: fecíque tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.

10. Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & nõ turbabitur ampliùs: nec addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut priùs,

11. Ex die qua constitui iudices super populum meum Israel: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.

12. Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.

13. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.

14. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.

15. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea.

16. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.

17. Secũdùm omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid.

18. Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque?

19. Sed & hoc parum visum est in cõspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus.

20. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? tu enim scis seruũ tuum Domine Deus.

21. Propter verbum tuum, & secũdùm cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres seruo tuo.

22. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia nõ est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus nostris.

23. Quæ est autem, vt populus tuus Israël, gẽs in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, facerétque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & Deum eius?

24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum, & tu Domine Deus factus es eis in Deum.

25. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum: & fac sicut locutus es,

26. Vt magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus serui tui Dauid erit stabilita coram Domino,

27. Quia tu Domine exercituum Deus Israel reuelasti aurem serui tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac.

28. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad seruum tuum bona hæc.

29. Incipe ergo, & benedic domui serui tui, vt sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus serui tui in sempiternum.

IN CAP. VII. LIB. II. REGVM
COMMENTARII.

Vers. 1. *Cùm sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem.*]

1. DOMVERAT iam vicinos populos Dauid, neque quid apparebat reliquum, quod armorum strepitum, & bellicam contentionem exigeret. Quare cùm ex tanta perturbatione summum esset otium consecutus, cogitationem suam ad religionis curas, & pietatis molimenta traduxit. Quare vocauit ad se Nathan Prophetam, & de re tota cum illo seriò communicauit. Porrò hoc idem tractatur argumentum lib. 1. Paralip. cap. 17.

2. Vers. 2. *Videsne, quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?*] Vidimus suprà cap. 5. v. 11. missas à Rege Tyri cedros, & artifices, qui Regiam Dauidi molirentur domum pro tanti nominis maiestate. Cùm ergo Rex pius habitari à se videret illustrem domum, & splendido instructam apparatu; Arcam verò Dei, cui multò maior deberetur cultus, & domus luculentior, & augustior, quasi adhuc esset peregrina, atque hospes, habitare sub pellibus, non tam in domo, quàm in viatorio tabernaculo; quasi doleret de sua priùs, quàm de Arcæ Domini commoditate cogitasse, de illius habitatione commoda, cum Propheta deliberat. Eodem, quo seipsum modo reprehendit Dauid, impietatis coarguit Israelitas Dominus; quia post-

Dauid seipsum reprehendit, quòd priùs de sua, quàm de Arca domo cogitarit.

3. quàm

quàm ex exilio rediere Babylonico, plus operæ, ac ſumptus poſuere in ſuis domibus conſtruendis,ornandiſque,quàm in Templi; id eſt, in diuinæ domus molitione, cùm frigeret tunc Templi iampridem interruptum opus, & priuatarum domuum conſtructio ferueret.Sic autem Deus per Aggæum cap. 1. v. 4. *Nunquid tempus vobis eſt,vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* Et v.9. *Quia domus mea deſerta eſt,& vos feſtinatis vnuſquiſque ad domum ſuam, propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli.* Vide quæ nos eo loco. Hinc conſtat,in eo loco,quem Dauid præparauerat,poſitum eſſe Tabernaculum pelliceis intentum velis,ſicut è pellibus viatores, & milites parare ſibi ſolent tabernacula.Quod etiam notauimus ſuprà ad verſum 17.

4. *Nathan propheta hiſtoria.*

Quia in hoc libro, & in ſequenti Nathan nomen ſæpiùs occurrit, de illo aliquid nos præmittamus neceſſe eſt.Et primùm, quam rerum à Dauide, & Salomone geſtarum monumentis operam nauauerit, diximus in principio Proleg.1. De illius vita egerunt,qui de Prophetarum vita, & morte tractarunt.Epiphanius,Iſidorus cap.52. Theodoretus in Synopſi, & Chronicon Alexandrinum. Qui omnes dicunt,fuiſſe ex Gabaath Galilææ,& Dauidi Regi fuiſſe familiarem,maximè ex eo tempore, quo ab illo admonitus eſt, & artificiosè reprehenſus de adulterino concubitu cum Bethſabee,& Vriæ iniuſtiſſima cæde. Fuiſſe quoque ante illud tempus familiarem, imò & aſſiduum Regi, cuius apud ipſum graue eſſet, & fidele conſilium,quocum partiri curas,& de ſummis rebus deliberare conſueſſet; locus iſte non 5. obſcurè docet. Obſeruarunt autem Epiphanius, & Dorotheus,& Chronicon Alexandrinum(vnde illud ſumpſerint, ipſi viderint) cognouiſſe Nathan, antequàm Dauid Bethſabee ad turpem conſuetudinem accerſeret, illum aliquid aggreſſurum, quod minimè Regem, imò neque virum pudicum, & honeſtum deceret. Quare quàm potuit ocyſſimè è patria Hieroſolymam aduolauit, vt audaciſſimum illud,& crudele facinus anteuerteret. Sed diabolus, quem ibi Epiphanius *Beliar* appellat (meliùs, opinor, Dorotheus *Belial*) illi in via corpus obiecit exanime, quod ille cùm ſepulturæ, ne à feris laceraretur, ritè mandare vellet, tempus, quod ad maturum euentum aſſumpſerat, extraxit. Cùm autem agnouiſſet, ſpiritu videlicet prophetico, à Dauide iam admiſſum eſſe flagitium, in patriam è via mœrens reuerſus eſt. In his ego multa inuenio, quæ minùs videntur cum Prophetæ ſpiritu conſentire,cuius effectum diaboli importuna calliditas eluſiſſe dicitur. Sed quia his non admodùm aſſentior, neque cuiquam perſuadeo, nolo me illorum propugnatorem præbere. Tandem ſenio iam confectus diſceſſiſſe dicitur, & ad Gabaath patriam ſuam in agro tumulatus. Si qua præterea de Nathan dicenda ſuperſunt, illa ſuis quæque locis poterunt explicari commodiùs.

6. *Non omnia, quæ dicunt Prophetæ, ſpiritu didicere prophetico.*

Verſ.3. *Dixitque Nathan ad Regem, omne, quod eſt in corde tuo, vade, & fac.*] Non omnia, quæ loquuntur Prophetæ, ſpiritu didicere prophetico,ſed interdum ſicut cæteri hominum ſuis ducuntur, imò & abducuntur conſiliis, & prudentibus agunt coniecturis. Vnde nonnunquam reprehenduntur à Deo,quod aliquid fecerint,dixerintque & minùs ſanctè, & non valde attemperatum ad rem. Exemplo eſſe poterit Ionas,in cuius verbis multa ſunt, quæ à diuino, atque prophetico ſpiritu longè receſſerunt. Neque pauca ſunt in aliis,quæ ex affectu humano,potiùs,quàm ex ſpiritu prophetico prodiere, quæ ipſi damnant, & de quibus ſibi à Deo ignoſci poſtulant. Vide S.Thomam 2.2.q.171.art.5.& Gregor.hom. 1.in Ezech.vbi hæc verba Nathan in exemplum adducit:*Sciendum*, inquit, *quòd aliquando Prophetæ ſancti,dum conſuluntur,ex magno vſu prophetãdi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt,& ſe hæc ex Prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur. Sed quia ſancti ſunt, per ſanctum Spiritum citiùs correcti,ab eo, quæ vera ſunt, audiunt, & ſeipſos,quia falſa dixerint,reprehendunt.Nathan etenim Prophetam ſanctum virum fuiſſe quis negat? Qui Dauid Regem & de culpa apertè reprehendit, & quæ ei pro culpa eadem eſſent ventura, nunciauit. Quem tamen dum idem Dauid, quia Templum Deo vellet conſtruere,requiſiſſet,illicò reſpondit: Omne quod eſt in corde tuo, vade, & fac,quia Dominus tecum eſt. De quo illic ſtatim ſubditur:Factum eſt in nocte illa,& ecce ſermo Domini ad Nathan,dicens:Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus Deus; nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Hæc verba Gregorij ſatis nobis hunc locum luculenter explanant, neque aliquid aliud addere neceſſarium eſt. Probat enim Propheta Dauidis conſilium, illúdque vt quamprimùm ad opus cõferat,iubet; quod tamen à Deo non fuiſſe ipſe docet Deus,dũ iubet,vt manus ab ædificando cõtineat,& alteri illius operis molitionem reſeruet.

Verſ. 5. *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?*] Sequenti nocte hoc per Prophetam Dominus mandatum dedit ad Dauidem, vt cogitationem abiiceret de conſtruenda domo, non quòd illam non probaret, ſed quia negotium illud arduum alterius curæ ſeruatum eſt. 7.

Verſ. 6. *Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Iſraël de terra Ægypti.*] Rationes reddit Deus, cur in præſens non vrgeat Templi fabricam,neque ferat grauiter,ſi in aliud tempus differatur. Vt enim per multa ſæcula,ab eo videlicet tempore,quo ex Ægyptio iugo Iſraëlitarum ceruices expediit, in Tabernaculo peregrinãtium in modum habitauit; ſic etiam in Tabernaculo ſub pellibus pluſculum temporis habitare non erit moleſtum. Quòd verò commoratio illa viatoria,& quaſi caſtrenſis,illi non fuerit in longa illa peregrinatione moleſta,ex eo probat, quòd ea de re nunquam de populi obliuione, atque inertia conqueſtus eſt:neque vlli è populi Iudicibus præcepit,vt ſtabilem domum ipſius habitationi conſtrueret. 8.

Cur verò Dominus de domo ſtabili, & certa, ad illud vſque tempus non curarit, ea ratio eſt, quia dux erat populi,& pro illo variis in locis,& cum illo pugnabat. Vt autem Imperator abeſſe neque ſolet,neque debet à caſtris, niſi malit Imperatoris nomen amittere; ſic etiam Deus, qui *Deus* vocatur *exercituum*,abeſſe noluit ab illorum caſtris,quorum manus ad inimicorum cædem, & vrbium vaſtitatem armauit. Sanè Deum,& quæ Deũ referebat, Arcã,quaſi excubantem ſub pellibus cõſiderabat Vrias,cùm dixit 2.Reg.c.11. *Arca Dei Iſraël,& Iuda habitant in papilionibus,& ego ingrediar domum meam,vt comedam, & bibam,& dormiam?* Simile aliquid ex profanis dixit apud Ouidium Laodamia de viro ſuo Proteſilao,epiſt.13. 9.

Conueniunt matres Phylacides, & mihi clamant,
Indue regales Laodamia ſinus.
Scilicet ipſa feram ſaturatas murice veſtes;
Bella ſub Iliacis mœnibus ille geret?
Ipſa comas pectam; galea caput ille premetur?
Ipſa nouas veſtes, dura vir arma ferat?

10. *Cur antehoc tẽpus Arca domus non ædificata.*

Sed dices, iam cessasse populi peregrinationem, & viam; atque ideò potuisse, imò & debuisse Deo domicilium extrui stabile, & firmum: sicut populus ex quo in Terrã promissionis ingressus est, disiectis tabernaculis, stabiles domus habitauit. Respondeo, huic rei multò antè quàm subiugata foret Terra promissa, fuisse à Deo maturè prouisum. Deuteron. 12. v. 10. vbi iubet Deus eligendum esse locum, vbi offerantur sacrificia, cùm nullus ab hoste finitimo sese metus, aut turbatio ostendat. *Transibitis*, inquit, *Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque vllo timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. Illuc omnia, quæ*
11. *præcipio, conferetis holocausta, & hostias*, &c. Hinc, vt opinor, occasionem sumpsit Dauid, vt de construendo Domino Templo cogitaret, quia videbat nihil iam in terra Israelitide ab hoste turbari. Ideò enim dicitur: *Cùm sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis.* Cui obiectioni responsio difficilis nõ est. Neque enim tunc Deus certam aliquam, & stabilẽ fabricam commendat, cùm cessatum sit à bellis; sed cùm eò res sit deducta, vt absque vllo timore promissa terra possit ab Israëlitis habitari. Hoc verò tempore, licèt esset Israëliticis finibus inducta requies; non tamen sic erant res, rationésque compositæ, vt non aliquis se metus, si minùs in præsens, at saltem in posterum ostenderet ab hoste. Quare bellatorem voluit Deus esse Dauidem, non architectum; vt sic finitimum hostem frangeret, subigerétque, vt regnum omninò pacificum traderet Salomoni filio. Hoc ipsum significauit Salomon 3. Reg. 5. v. 3. qui sic ad Hiram Regem Tyri: *Tu scis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. Nunc autem requiem dedit Deus meus mihi per circuitum, & non est Satan, neque occursus malus: quamobrem cogito ædificare templum*, &c.

12. *Cur Deus noluerit domum sibi à Dauide construi.*

Alia ratio traditur, cur Deus noluerit à Dauide sibi Templum ædificari, 1. Paralip. 22. vers. 8. *Multum*, inquit, *sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Et 1. Paral. 28. v. 3. sic Dauid ad Principes Israël: *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini*, &c. *Deus autem dixit mihi; non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis.* Qua de re posteà suo loco pluribus.

13. Vers. 8. *Ego te tuli de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum meum Israël.*] Verba sunt Nathan, quibus Dei nomine Dauidem alloquitur. Primò docet Deus, quòd victi toties fuerint, & subacti Israëlitici nominis inimici, quodque ex pastoritio, ac rustico ministerio tam gloriosum nomen obtinuerit Dauid, opus esse non humanæ virtutis, & industriæ, sed diuinæ manus. Neque esse aliquid deinde ab hoste vicino metuendum, quoniam eadem diuina manus, & potentia, quæ subegit hostes, in pace deinde, atque otio conseruabit imperium, eóque adducet populum antiquis Iudicum temporibus antè turbatum, & afflictum, vt domum ipsi in eo stabilem constituat, & diuturnam; & nomen, si vspiam alteri amplum, gloriosúmque conciliet. Obseruat autem Abulensis q. 8. non promitti hoc loco populo, cui tunc præerat Dauid, libertatem omnem, & omnimodum otium; nam ab hostibus sæpè vicinis ab hoc etiam tempore turbatum est Israëlis Imperium; sed non esse eo modo affligendum, quo Iudicum temporibus, quando Israëli dominabantur Madianitæ, Idumæi, Moabitæ, Palæstini, à quibus sic opprimebantur, vt tempus videretur Ægyptium renouari, & species quædam proponi Chaldeæ seruitutis.

Larga Dauidi à domino promissa.

Vers. 12. *Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum fratribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.*] 14. Contingit aliquando, vt sublato auctore, & conseruatore rei alicuius, ipsa quoque res eodem intereat temporis momento. Quo modo si quis solem de cœlo tollat, idem etiam mundo tenebras inducat, necesse est. Induxit Dauid quietem, & otium Israëlitidi terræ, amplificauit regnum; & quandiu vixit, si modò Absalomis tempora secludas, in otio conseruauit. Timeri posset, ne postquàm ipse naturæ concessisset, extingueretur imperium, quod ab ipso robur, & pulchritudinem acceperat; & moles illa tanta, labente suo conseruatore, ac vindice, labascaret. Ab hoc ergo metu liberat Dominus Dauidem, promittítque futurum, vt filius, quem in regno successorem habebit, regnum habeat diuina protectione firmatum.

Vers. 13. *Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.*] 15. Non dubium, quin hîc de Salomone sermo sit; est tamen obscurum, an hoc, quod traditur de sempiterno regno, de Salomone ad literam sit intelligendum. Nam in Salomonis stirpe non videmus relictum à Dauide regnum fuisse perpetuum, cùm à Roboam, qui primus à Salomone regnum excepit, decem Tribus ad alienum dominatum abierint. Et toto Babylonicæ captiuitatis tempore reliquæ Tribus Regem habuerint nullum è Dauidico genere. Sed ea de re instituitur statim peculiaris disceptatio.

Vers. 14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.*] 16. Magnus hîc indicatur in Dauidem, & illius posteritatem affectus, quando Deus & paternam sedulitatem promittit, & talem ex illius genere suauitatem capturum se esse dicit, qualem ex sua sobole capere parentes solent. Sed fortasse his verbis aliquid subauditur conditionale. Quasi dicat Deus, tunc ero posteris tuis pater, amplectárque illos indulgenter, & molliter, cùm ipsi erga me filiorum obseruantiam colere voluerint. Tunc enim agam cum illis seueriùs, & ab illorum intemperie pœnas exigam; sed quales ab indisciplinatis filiis exigit pater, qui id agit sæuiendo, vt illos ad officium, & disciplinam reducat. Quod statim magis explicat, dum ait.

Quomodò Dauidis posteri castigandi, si peccent.

Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.] 17. Hîc explicatur conditio, quæ obscuriùs proximè videbatur inducta. Ait autem, si filij aliquid moliti fuerint improbius, esse virorum virga scelerum vindice mulctandos. Quod statim per epexegesim, opinor, docet explicatiùs, dum hanc virgam plagas hominum vocat. Sed hîc occurrit explorandum aliquid, an illud *virorum*, & *filiorum hominum*, ita sit accipiendum, vt talibus Dauidis posteri afficiantur plagis, quales homines patiuntur, siue à Deo, siue ab homine; vel certè quales solent homines hominibus infligere. Si priori accipias modo; id est, si plagam, aut virgam passiuè capias, sensus erit, subitu-

ros

Quid spectet Deus in filiorum plagis.

ros quidem esse plagas Dauidis filios, quales homines patiuntur à Deo, quorum Deus miseretur, & sicut beneuolus pater dum flagellat, id spectat, vt peruicaces filios in officio,& disciplina contineat. At cùm diabolum puniit,nulla in illum misericordia commotus est, neque flectetur in æternum. Ad hunc sensum accommodatè subditur: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Si verò plagam actiuè sumas, sensus erit; Castigabo peccatores filios,aut hominum virga,quia homines in illorum aut cædem,aut infortunium armabo;aut castigabo , quomodò hominem homo castigare solet,qui ita premit, vt non omninò comprimat,neque omnia aut auferat, aut deleat, quæ humanis commoditatibus seruiunt ; quia hominum debilis est,& angusta manus.

18. Ex his expositionibus illa est communi omniũ penè Interpretũ opinione recepta, quæ in hominum virga bella intelligit, & alia humani corporis incommoda. Ita Hebræi , vt in eorum traditionibus refert Hieronymus:*Virgam,* inquit, *virorum gladium vocat inimicorum;plagæ verò filiorum hominum sunt incommoditates corporum humanorum,quibus propter peccatum suum homines à Domino meritò flagellantur.*Eodem penè modo Abulensis,Caietanus,Lyra,Dionysius.Gladius autem hominum arma sunt Dei,sicut creaturæ omnes,quas Dominus contra peccatorum armauit insaniam. Et quidem cùm à Domino defecit Salomon,& se alienarum mulierum amoribus,& sacris implicuit , multi in illum suscitati sunt hostes , qui ad illud vsque tẽpus neque ausi fuerant contrà mutire;vt habes l. 3.Reg.c.11.v.14.*Susʃitauit autem Dominus aduersarium Salomoni Aded Idumæum de semine regio.* Et v. 23.*Suscitauit quoque ei Deus aduersarium Razon filiũ Eliada.*Et v.26.*Ieroboam quoque filius Nabat,*&c.*leuauit manum suam contra Regem.* Hæc fuit virga hominum , quæ Salomonem iam à paterna pietate, imò & à patria religione degenerem infectata est. Quàm verò non solùm externi hostes, sed & decem cognatæ Tribus iam à regio Dauidis dominatu,& quasi à suo corpore diuersæ Salomonis posteros pertinaciter,& assiduè vexarint,sacra docet historia.

Contra Salomonẽ postquàm peccauit excitata bella.

19. Ad extremum addo, non vt probem , sed vt alij aut rideant , aut doleant incredibilem Rabbinorũ stuporem , qui nihil putant sibi non licere ; & quid aut sacra fides,aut sana ratio postulet,neque meditantur,neque curant.Cùm enim,vbi nos habemus; *In plagis filiorum hominum* ; ipsi iuxta Hebraicum textum legant,*filiorum Adam* ; sic à filiis Adam inflictam Salomoni plagam somniarunt. Verba repetam Lyræ in hunc locum,quæ sumpsit ex eo,& multis confutauit Abulensis,q.11.*In Hebræo,*inquit, *habetur , in plagis filiorum Adam , quod exponũt Hebræi de Adam primo homine,dicentes;quòd Adam in centum tribus annis,quibus continuit se ab vxore sua Eua propter interfectionem Abel,dæmones succubi iungebantur ei,& concipiebant ab eo,& pariebant dæmones;& isti fuerunt filij Adam,qui,vt dicunt, incitauerunt Salomonem ad peccandum;& per hoc diuisum fuit regnum tempore filij sui.* Quis non videat,quàm isti longè abeant non à pudore solùm,& veritate, sed etiam à sana philosophia?

Fabula Hebræorum de Adam.

20. Vers. 15. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo,sicut abstuli à Saul, quẽ amoui à facie mea.*] Homines,cùm alios infectantur,quia non semper possunt, quia vires sunt exiguæ , funditùs delere, aliquod relinquunt aut vitæ subsidium , aut dignitatis ornamentum;Deus verò,cui nihil est arduum, nihil non obnoxium , sic interdum afficit quos punire vult,vt supersit nullũ siue dignitatis, siue facultatis antiquæ monumentum.Quo modo Sodomæos olim incendio,& antè vniuersum orbem generali cataclysmo subuertit ; & proximè Saulis domum, ex qua reliquit neminem, qui Regij nominis in posterum memoriam conseruaret. Sed Deus mitius aliquid promittit Dauidico generi,si illud aliquando peccare contingat:sic enim premet,vt non opprimat;sic afficiet,vt non omninò conficiat,& perdat.Quod reuerà præstitit,dum pœnas exegit à Dauidis posteris,quos ita mulctauit , vt non prorsus erga illos desierit esse misericors. Ita ex illa nobilissima planta ramos , & luxuriem excussit,vt non omninò stirpem elisserit,ex qua quotidie noua pullularent germina ; ac tandem ex radice Iesse virga prodiret , & ex ea flos, qui mille mundo vsus, & delicias afferret. Amouisse porrò Deus dicitur à Saule faciem ; quia illius curam videtur abiecisse prorsus. Ex idiomate enim Scripturæ, *auertere* , *abscondere* , aut *amouere faciem ab aliquo* , seu, quod idem est , *aliquem à facie*, idem valet, quod, non curare , neque aliquid habere pensi, quid quisque patiatur. Sicut *intendere oculos*,aut *ponere faciem super aliquem* , singularem aliquam curam , & præcipuam beneuolentiam significat.

Quomodò Deus puniat amicos.

Vers.16. *Et fidelis erit domus tua , & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam.*] Verbum אמן *aman* , in coniugatione Niphal, quæ passiuæ significationis est, idem valet, quod *firmum esse, robustum, fidelem* , & *verum.* Fieri autem solet , vt cùm vox aliqua sit polysima , interdum à nostro Interprete in ea significatione sumatur , quæ aut obscurior est , aut minùs ad rem propositam accommodata. Quod etiam non rarò faciunt profani ; vt pluribus ostendimus ad illud Psal. 67. *Etenim non credentes*, in defensione Vulgatæ contra Caluinum. Neque hoc tantùm loco *fidele* pro *firmo* sumitur,ac *stabili*; vt 3.Reg.11.38. Isaiæ 22. v.23.Actor.13.v.34. Et quidem si rectè vtriusque vocis proprietatem expendas , nihil penè differt *firmum* à *fideli* ; fidelis enim dicitur , cui fides non est aut leuis , aut venalis ; & cui te , ac tua tutò possis committere.Quæ vox ad inanimata neque rarò,neque ineleganter traducitur.Fidelem vocamus murum,aut columnã, quibus propter firmitatem põdus imponimus, neque ipsa ponderi aut cedunt aut succumbunt. Sanè ad vetustatẽ *fidelem* dicit esse terebynthi materiam Plinius lib.13.c.6. id est , firmam, vt durat diu. Et Cicero epist.17. lib.16. domum appellat *fidelem*, quæ videlicet firma consistit structura; neque,quia dolum in materia, aut constructione celat , ruina subita inhabitantes obterit. Quam nunc *fidelem* appellat domum, statim firmum vocat thronum, & duraturum iugiter ; quæ prioris clausulæ explicatio est. 21.

Fidelis *idẽ, quod firmus, & stabilis.*

Ante faciem tuam.] Hunc locum nonnulli,quia vident Dauidem spectaturum nunquam posterorum regnum, ad quorum ætatem non perueniet, aliquid putant esse supplendum ; nempe *quæ nunc est ante faciem tuam*, quam modò vides , neque tamen posteà visurus es. Ego in *ante* futurum tempus explicari existimo,sicut in *post* præteritum;id est,quod nobis à tergo relictum est. Sumitur autem , vt opinor, metaphora à viatore , cui similis est,qui vitam nunc agit , & præteritos annos post se relinquit. Nam sicut viator , quod confectum est viæ , post se relinquit , & ante faciem habet, quod supereſt spatij:sic etiam qui vitam agit,exactam ætatem relinquit à tergo , & in futuram in- 22.

tentam habet mentem,& faciem.

23. REGVLA. *Nõ toti sermones referuntur sæpè ab historico sacro, sed eorum summa.* Antequàm hinc nostra emergat commentatio, obseruo ex vsu Scripturæ non totum sæpe alicuius sermonem à sacro historico referri, sed interdum illius breuem quandam adhiberi summam; quod tamen in proprio loco prætermissum est, id ex aliis locis esse supplendum. Quam ego obseruationem adduxi in Commentariis in Acta cap. 2.vbi cum orationem Petri retulisset Lucas, subdidit: *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos dicens; Saluamini à generatione ista praua.* Sic sanè existimo multò plura dixisse Nathan Dauidi in hac oratione, quam ad illum habuit, de qua nuper; quorum multa ex aliis Scripturæ locis apertè deducimus. Primùm habemus, promissiones hasce de æterno Dauidici generis solio, deque in eius domo felici rerum omnium euentu esse conditionales. Sic enim ait Dauid ad Salomonem filium,lib.3. Reg.cap.2.v.4. *Vt confirmet Deus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua,non auferetur tibi vir de solio Israel.* Idem lib. 1. Paral. cap. 28. v.7. Quo modo promissio facta Heli de æterno in suo genere Sacerdotio conditionata fuit,lib.1.Reg.cap.2. v.30. *Loquens locutus sum,vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque honorificauerit me,glorificabo eum,*&c.

24. *Cur Dauid ab ædificando Templo prohibitus.* Habemus secundò, eodem loco ostendisse Dominum per Nathan Dauidi causam, cur noluerit illius manibus,aut industria ad sui nominis religiosum cultum Templum excitari. Quod ipse docuit Dauid,dum ad Salomonem filium, 1.Par. 22.v.7. *Dixitque Dauid ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domũ nomini Domini Dei mei; sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinis effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus,*&c. *Ipse ædificabit domum nomini meo: & ipse erit mihi in filium,*&c. Nisi dicamus, quod in hunc locum visum est Caietano, aliis temporibus Deum siue per Nathan, siue per Prophetas alios allocutum esse Dauidem, & ad priorem hunc etiam sermonem addidisse. Quod quidem in Scriptura sacra non apparet; facit tamen verisimile,quia lib.1. Paral. cap.28. quædam specialia addidit Dauid,quæ non videntur à Nathan Propheta fuisse prædicta;vt quod Salomon, qui tunc natus non erat, ex omnibus ad regnum Templique molitionem fuerit electus. De quo Dauid ad Principes Israel: *De filiis meis elegit* (Deus) *Salomonem filium meum, vt sederet in throno regni Domini super Israel, dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam.*

25. Hic quæstio occurrit multis in locis à Patribus versata, vt Psal.88.& 71.qui de Salomone inscribuntur, in quibus cùm aliquid occurrat, quod minimè possit in Salomonis ætatem, & regnum conuenire,de Christi regno, qui Dauidis fuit filius,quidam interpretantur. Sic etiam hoc loco, cùm æternum regnum Dauidis filio promittatur, quod illi æternum esse non potuit,& à quo illius posteri tandem exciderunt,ad Christum referunt nonnulla saltem eorum, quæ hîc ex Nathan Prophetæ vaticinio accipimus. Vnde fit,vt variæ sint de istius loci interpretatione sententiæ. Quidam hunc locum tantùm putant in Christum Seruatorem conuenire,& nullo modo in Salomonem, sicut & alij,qui prædictos Psalmos Salomoni eripiunt,& adscribunt Christo.In his sunt Tertullianus l.3. contra Marcionem cap.20. Angelomus, Glossa:& facit illud Pauli ad Hebr. cap.1.v.5.qui de Christo interpretatur illud: *Ego ero illi in patrem,& ipse erit mihi in filium.* Hebræorum Magistri solum hic Salomonem intuentur,quibus videtur Caietanus subscribere.

Communis est sententia, quædam ad literam de Salomone,quædam de Christo esse intelligenda; & in regno Salomonis, licèt non æterno,sempiternum Christi regnum adumbrari. Ita Augustinus lib.17.de Ciuit.c.8. & 9. Lyra, Dionysius, Hugo,Serarius,& ex parte Abulensis q.9.Pro cuius rei intelligentia obseruandum est, quod ex Hieronymo notauit hîc Dionysius, quædam de Salomone dici, prout est certa quædam persona; puta,vt est filius Bethsabee,vt idola coluit,vt intemperantiùs indulsit libidini, vt alia fecit plurima, in quibus nihil apparet esse mysticum. Quædam prout Christi fuit imago,in qua altiora quedam spectamus, quàm capere possint Salomonis angustiæ.Priora illa propria sunt Salomonis, neque à Salomonis moribus, ac vita aliò traducuntur.Quædam ita sunt typus Christi Seruatoris,& vmbra, vt in Salomone imperfecta videantur,& inchoata;in Christo verò Domino in summam perfectionem adducta. Abulensis suprà, quæ hîc dicuntur omnia per Nathan, de Salomone intelligi posse constanter affirmat,vt quod regnum sit futurum pacificum,& in æternum duraturum; & quod ab illo non sit,quemadmodùm à Saule,auferenda misericordia.Et certè illius cogitatio mihi difficilis non est.Tum quia promissio illa conditionata est,neque impleri debuit,cùm Salomon omninò, & illius posterorum plerique conditionem abiecerint. Tum etiam,quia *æternum*, *sempiternum*, & similia longum spatium aliquando ex vsu Scripturæ,non ab omni tempore absolutum significant. Verùm ille nihilominùs hæc eadem putat altiori quodam modo exponenda de Christo.Sunt autem aliqua, quæ ita sunt Salomoni propria, vt nullomodo debeant, aut possint ad Christum accommodari; licèt nonnulli id facere conentur;quale est,illum arguendum esse, si aliquid aggressus fuerit inique. Quod quàm absit longè ab eo,qui peccare non potest,quis non videt? Vide hac de re Interpretes ad Psal.71. & 88. qui hac de re fusè,atque accuratè disputant.

26. *Ex promissis Dauidi factis, quædã de Salomone, quædã de Christo accipienda.*

Vers.18. *Ingressus est autem Rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit.*] Ex capite præcedenti didicimus,in regia domo,quam sibi Dauid construxerat in arce Sion, destinatum esse locum, vbi religiosus cultus impenderetur Arcæ.Extra illud,vt apparet,conclaue accepit Dauid vaticinium istud à Nathan; deinde illa tam illustri promissione exultans,& gratulabundus ingressus est augustum illud, & venerabile sacrarium, vt gratias ageret pro singulari illa liberalitate, & aliquid præterea oraret,quod ad promissionis illius rata, & certa complementa pertineret.Dicitur autem *sedisse coram Deo*,non quia desidem sumpserit, & mollem oratoris habitum; id enim minimè decebat illum qui supplex esset, & beneuolum Deum habere vellet, apud quem sciebat neque infirmam esse, neque ingratam fore orationem illius, qui abiecta procul ambitione Regia, ad terram se pronus abiecisset:Sedebat igitur non ad quietem,& ignauum otium,neque sedebat propriè,sed eo dicendi modo significabatur diuturna in orando constantia;quia diutiùs homo sedendo,quàm stando, aut

27. *Quo sensu dicitur Dauid sedisse coram Domino.*

28. aut incuruato corpore perſeuerat. Niſi mauis,ſedisſe Regem non in ſolio,ſed humi,& in puluere, quod faciunt qui aut animi ægritudinem oſtendunt,aut humilem profitentur, & ſordidam vitæ conditionem. Quomodò Hieroſolymam ſediſſe dicitur,cùm orbata fuit filiis, quos Chaldæorum barbara crudelitas in exilium abduxit.Thren.1.& Senes, Thren.2. v. 10. eandem ob cauſam ſediſſe dicuntur,& cinere conſperſiſſe capita. Et quidem cum Iſaias c.47.fortunæ conuerſionem, & ancillarem ſtatum Babyloni prædicit;monet, vt deſcẽdat è ſolio,& in puluere ſedeat, quod hoc tempore videtur feciſſe Dauid: *Deſcende*, inquit, *ſedè in puluere virgo filia Babylon:ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia vltrà non vocaberis mollis, & tenera.* Et ita putat Ioſephus,qui l.7.Ant. c.4. tradit,procidiſſe Dauidem in faciem ſuam;id eſt, oſculatum eſſe terram,& ſtratum humi ſupplicantis more Deum adoraſſe.

29. *Optimum orationis exordium ſui cognitio.* *Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque?*] Audierat Dauid à Nathan,vnde fuerit ad Regium ſolium, & ſummum inter Iſraelitas ordinem ſublatus. *Ego*, inquit, *tuli te de paſcuis ſequentem greges,vt eſſes dux ſuper populum meum.* Illa igitur ſecum cæpit meditari primũ optimus orator Dauid, quæ à Dei internuncio Propheta primùm audierat.Quare refert primùm oculos, & animum ad ſtatum, & locum vnde aſſumptus eſt,ad familiam nimirùm humilem,& tenuem,ad caulas,& paſcua, vbi iuueniles annos,& ætatis cunabula poſuerat; deinde ad Regium nomen, & ſplendorem traducit, vt ex diſſimilium rerum cõtentione magis appareret diuinæ manus profuſa liberalitas.Quaſi dicat;ecquis ego quondam? ecquis ego modò? Quis mihi ex paſtoritio gurguſtio ad domum iſtam luculentam, ad cedrinam baſilicam aditum aperuit?Quis me eò prouexit, vt cùm paucarum ouicularum paſtor fuerim, Rex iam appeller,& paſtor populorum? Hoc primùm modo Deus illos inſtituit, quos ad ſublimẽ gradum, & ad ſuam familiaritatem aduocat. Quod ſecum iterum,atque iterùm verſare debet, quicúmque progreſſus in re ſpirituali facere voluerit. Sicut bonus diſcipulus illa identidem ſecum meditatur, & verſat, quæ accepit à doctore. In illo porrò; *Adduxiſti me huc vſque*; videtur meditatus eſſe Dauid, per quot ipſum diſcrimina Deus ad Regiam amplitudinem extulerit; quemadmodùm ad illud faſtigium aſcenſum arduum expedierit,& hominem imperitum belli, & penè inermem è potentiſſimorum hoſtium manibus,& quotidianis penè inſidiis eripuerit. Quod his verbis paulò antè fuerat à Propheta propoſitum. *Fui tecum in omnibus, vbicúmque ambulaſti*,&c.

30. Verſ.19. *Sed & hoc parùm viſum eſt in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum.*] Meditatur idem Dauid, quod ſecundo loco audierat à Propheta; nempe in domo ſua æternum fore ſolium, ad quod ipſe è rure, curaque paſtorali conſcenderat. Ait ergo eo Dominum affectum eſſe ſtudio in abiectum hominem,vt non ſatis habuerit illum in ſummo rerum faſtigio conſtituere,niſi etiam dignitatem illam primam in ſua familia vellet eſſe perpetuam. Videtur autem hoc loco Dauid explicuiſſe, quid ſit illud *in ſempiternum*, cùm de poſterorum throno eſſet inductus ſermo;nam pro voce illa, *in longinquum* ſuppoſuit. Ex quo conſtat, quod non ſemel à nobis obſeruatum eſt, *æternum,ſempiternum*, & quæ immenſum aliquid,& perpetuum ſonant, *magnum* aliquando, & *diuturnum* tantùm ſignifi-

A care.Eſt autem priori loco עדעילם *ad olam*;in poſteriori verò, לדרחות *le dorototh*: quæ vox nihil ſonat abſolutum à termẽnis,ſed quod concluſum finibus longè protenditur.

Ita eſt enim lex Adam, Domine Deus.] Hic locus 31.
variè à variis exponitur.Quidam in *Adam* hominem intelligunt eximium, & heroem, qui & ipſe magnus ſit, & eius progenies, vtpotè ex nobili ſtirpe, exiſtimetur nihil cogitatura ſordidum, nihil non ingenuum: quod cum de ſe non ſentiret homo verè humilis,neque de ſua poſteritate ſperaret,tam inſignem Dei in ſuam familiam, támque liberalem beneuolentiam mirabatur. Alij cõtrà in *Adam* hominem intelligunt vilem; quod ipſa nominis notatio præ ſe fert,cùm *Adam* idem *Adam quid ſignificet.*
B valeat,quod *terrenus*, & *luteus*. Tunc autem adhibenda eſt interrogationis nota, in hunc ſenſum: Siccine hominem terrenum,& vilem amplecteris & ornas,quaſi in eo multa non eſſent,quæ viliſſimum illum eſſe docent,& iure pluſquàm optimo contemnendum? Nonne lex à principio lata contra Adam, à qua mortalium nemo naſcitur immunis,mortem illi,laborémque minatur?Quid eſt *Singularis Dei in Dauidem benignitas.*
ergo, quòd me, genúſque meum quodam modo æternum eſſe vis,& gloria,quæ omnium cenſetur maxima, cumulatum? Quid eſt homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum? Alij id putant à Dauide ſignificari, nihil homini in votis eſſe potuiſſe,quod non fuerit ſibi à Domino conceſſum.Hæc eſt enim rationali naC turæ inſita lex,hæc innata cupiditas, vt ſuã quiſque commoditatem,& vitam,deinde filiorum dignitatem,& gloriam quærat,tueaturque. Id autẽ totum à Deo conſecutus eſt Dauid, qui ex mille ereptus fuit periculis,& id tandem obtinuit,quod in hominum cætu putatur eſſe maximum: & hoc idem poſteris quaſi hæreditarium, & perpetuum reliquit. Huc inclinant Caietanus, Dionyſius, Hugo,& Abulenſis,q.11.vbi ſic locum iſtum exponit:Non aliter Adam; id eſt, homo, filiorum commodis in poſterum cõſuleret, quàm tu mihi, generique meo conſuluiſti.Hieronymus ex ſentẽtia Hebræorum in tradit. Hebr.quem Lyra ſequitur,Dionyſius,& Hugo,& Abulenſis ſuprà,ſic exponunt: *Hæc eſt lex Adam, quam debet homo ſeruare*
D *cũ Deo,vt illi in ſimplicitate cordis,& puritate ſeruiat, & Deus de illius ſit commoditate ſollicitus.* Ex omnibus magis mihi probantur expoſitiones tertia, & quarta.

Verſ. 20. *Quid ergo addere poterit adhuc Dauid,* 32.
vt loquatur ad te?] *Loqui* hoc loco idem eſſe videtur quod *orare*. Quaſi dicat Dauid;ſic Deum fuiſſe in largiendo liberalem,vt nihil ſit reliquum(de humanis id intelligo commodis)quod ab illo deinceps aut petat,aut cupiat.Aut certè non eſſe, quid aliud loquatur,quàm quod locutus eſt nuper,cùm dixit,Deum eo ſe modo geſſiſſe cum Adam, & illorum progenie,quo pater in filios. Cùm autem neceſſe non ſit(cùm ipſa natura Adam; id eſt, hominis, & lex illi cognata ſatis moneat, & vrgeat) E admonere patrem, aut vrgere precibus, vt filiorum commodis ſedulus inuigilet;ſic etiam neque neceſſe eſt orare Deum,niſi vt animum in nos paternum obtineat,conſeruetque: quia cum illa paterni animi ſedulitate, omnes nobis commoditates aduenient; neque ipſe ignorat, quid nobis futurum ſit vſui,vt maturè prouideat,quidue nocumento, vt illud à nobis procul amoueat. Quare commodè ſubditur.

Tu enim ſcis ſeruum tuum, Domine Deus.] Quaſi 33.
dicat;Tu me penitùs,& in cute noſti; atque ſcis,

quibus

Singularis Dei in homines prouidentia.

quibus rebus, aut cõmodis indigeã: quare neceſſe non eſt, vt tibi ego, quid mihi ſit neceſſarium, aperiam. Cùm ergo quæ neceſſaria nobis & noſti, & ineſſe vis, præſtare poſſis, non erit cur aliud abs te humana fragilitas expoſcat, niſi certè noſtrum eſſe parentem recorderis, cùm animum habeas ſic in noſtram vtilitatem amanter affectum, vt velis; & eam potentiam, vt facilè poſſis paupertati noſtræ ſubuenire quantò ocyùs, & coniuratam inimicorum manum repentè confringere.

Quid à Domino orandum.

Quod Chriſtus ipſe faciendum præcepiſſe videtur, dum dicit Matth. cap. 6. *Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici: putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur: nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequàm petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter,* &c. Quaſi dicat, ſi Deus vobis ſit pater, de omnibus erit vobis abundè prouiſum. Dixit hoc idem profanus quidam, qui docuit vota noſtra diis eſſe permittenda, qui norunt, quid nobis futurum ſit magis ex vſu, & quia multò chariores illis ſumus, quàm nos ipſi nobis, illa non negabunt. Is eſt Iuuenalis ſatyra 10. ad finem:

Nil ergo optabunt homines? ſi conſilium vis,
Permittes ipſis expendere numinibus; Quid
Conueniat nobis, rebuſque ſit vtile noſtris,
Nam pro iocundis aptiſſima quæque dabunt dij:
Charior eſt illis homo, quàm ſibi.

34. Hæc mihi explicatio non diſplicet, neque aliam quærerem, niſi in aliam me vocaret locus idem l. 1. Par. c. 17. v. 18. qui ſic habet: *Quid vltrà addere poteſt Dauid, cùm ita glorificaueris ſeruum tuum, & cognoueris eum?* Quæ verba apertè ſignificant, nihil eſſe reliquum, quod à Domino poſtulet Dauid, cũ ita ab illo fuerit cumulatus donis, & ornatus gloria. Quod verò ſubditur: *Et cognoueris eum*; nihil eſſe aliud exiſtimo, quàm ſuperioris clauſulæ ſubiectam explicationem: ex vſu enim Scripturæ,

Cognoſco, idem quod amo, & fauco.

cognoſcere aliquem, idem valet, quod *amare, ornare, & curam de illo ſuſcipere paternam.* Sic Deus Oſeæ c. 13. dicit ad populum, quem paternum in modum aluit in ſolitudine: *Ego cognoui te in deſerto, & terra ſolitudinis.* Et Amos c. 3. *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Sic ergo glorificari à Deo, & cognoſci Dauidem, nihil opinor eſſe aliud, quàm Deum illum eſſe complexum vt filium, & ad Regiæ dignitatis glorioſum gradum extuliſſe.

35. Verſ. 21. *Propter verbum tuum, & ſecundùm cor tuum feciſti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres ſeruo tuo.*] Paulò aliter l. 1. Par. c. 17. v. 19. *Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum feciſti omnem magnificentiam hanc, & nota eſſe voluiſti vniuerſa magnalia.* Nihil ex tot beneficiis Dauid ſuis meritis aſcriptum eſſe vult, ſed totum benignitati diuinæ refert acceptum. Fecit enim Deus, quę ſuprà commemorata ſunt à Nathan; nempe vt è caulis ad regnum promoueret, vt ab hoſtili manu, atque inuidia defenderet Dauidem; & quod è Dauidico ſemine aliquis regno præeſſet Iſraelitico, vt fidelis eſſet in promiſſis. Sæpè namque Deus à Dauide conſultus promiſit certam de hoſte victoriam. Vt l. 1. cap. 23. cùm à Palæſtinis obſidebatur Ceila. Et cap. 30. cùm ab Amalecitis vaſtata eſt, & incenſa Siceleg. Et lib. 2. cap. 5. bis Dominus Dauidi victoriam promiſit de gente Philiſthina. Iure igitur felices bellorum euentus diuinorum verborum promiſſioni fideli, non ſuis meritis, aſcribit Dauid. Quod autem addit, *ſecundùm cor tuum*, animum indicat Dei benignum, & liberalem, quique in benè de aliis, & munificè merendo delectatur. Quaſi dicat Dauid, ex fideli promiſſione, & natura ad omne humanitatis genus incitata, & prona, illa tot beneficia fuiſſe profecta.

In loco citato Paral. dicitur, *propter famulum tuum feciſti*, &c. vbi alia additur cauſa, propter quam illa Dominus operatus eſt magnalia, de quibus proximè, & alia, quę non ſolùm apud ſuos ſed etiam apud externos Dauidis memoriam, & ad res arduas virtutem, & induſtriam commendarunt. Qualia fuerunt, victum penè ab inermi Goliath, & toties victos finitimos populos, in quibus id ſpectaſſe videbatur Deus, vt magnus apud omnes haberetur Dauid. Niſi mauis hoc à Dauide fuiſſe dictum, quia, vt erat animo ingenuo totum illud beneficiorum pondus in ſe ipſum recepit, neque voluit cum aliis habere commune; vt magis ſe oneratum beneficiis agnoſceret, & gratias pro illis ageret aſſiduas. Quo modo Paulus ad Galat. 2. reum ſe eſſe dicit, & cauſam Chriſti mortis, neque in alios quicquam illius ponderis deriuat. *Qui dilexit*, inquit, *me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Lege ibi Chryſoſtomum, & Bernardum ad illud Cantic. 2. *Dilectus meus mihi.* Oportet autem me- 37.

Fidelis ſeruus, & gratus totum beneficiorũ pondus in ſe recipit.

miniſſe in libris Paralipomenon ſic referri eorum plurima, quæ in libris Regum continentur, vt tamen addantur alia, quæ in libris illis prætermiſſa ſunt. Quare ſi quid videtur ſuperioribus eſſe contrarium, contrarium non eſt; ſed omiſſum priùs, & nunc additum ſuperiori relationi. Quod multis locis obſeruato opus eſt, quia huius generis occurrent non pauca. Fecit quidem Deus admiranda propter verbum ſuum, quod legis in hoc cap. 7. ſed fecit etiam propter Dauidem, vt illi bonum conciliaret nomen, & regnum redderet fortunatum, quod omiſſum antè fuerat, & nunc additum c. 7. Paral.

Ita vt notum faceres ſeruo tuo.] In Paralipomeno, 38. *Et nota eſſe voluiſti vniuerſa magnalia.* Vtroque loco ſignificantur illa magnalia, quæ ſuprà commemorauit Nathã, & nunc ſecum meditatur Dauid, manifeſta fuiſſe. Hoc loco nota dicuntur eſſe Dauidi, ſiue quia ignorare non potuit, quid eſſet à Deo, & quo factum conſilio; ſiue, quod potiùs reor, quia illud Deus ſeruo ſuo Dauidi; id eſt, in Dauidis gratiam, omnibus notum eſſe voluit, vt illum obſeruarent, quaſi aliquid à Deo conceſſum diuinitùs, & amarent vt Deo gratum, & de patria benè, atque prolixè meritum. Ita vt datiuus ille *ſeruo tuo*, vt Grammatici dicunt, ſit acquiſitionis. Sanè in Hebraico textu tam *magnalia*, quàm *ſeruus*, in accuſatiuo ſunt. In libro Regum להודיע את עבדך *le odiahh ethabdecha*: id eſt, *ad manifeſtandum ſeruum tuum.* Et in Paral. להודיע את כל הגדולות *le odiahh col ha geduloth*: id eſt, *vt manifeſtares omnia magnalia.* Manifeſtauit itaque, ſi vtrumque locum coniungas, Dominus magnalia ſua, vt per illa ſeruum ſuum Dauidem manifeſtaret.

Verſ. 22. *Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui* &c.] Tam ex his, quæ in Dauidis cauſa, quàm quæ antiquis populi temporibus operatus eſt Deus, quorum accepit, conſeruatque memoriam Gens Iſraelitica, ſatis oſtendit Deus, in diis Gentium ſibi ſimilem eſſe nullum; imò & præter ipſum nullum eſſe Deum. Pro eo, quod in libro Regum habemus: *Neque eſt Deus extra te in omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris*; In Paral. habemus: *ex omnibus, quos audiuimus.* Sed eſt aut nulla, aut non niſi leuiſſima diuerſitas; quia priorum verborum, ſi ad poſteriora referas, atque compo-

nas,

nas, hæc videtur esse sententia: In omnibus, quæ audiuimus aut de nostris, aut de externis regionibus, quas incolunt pagani, ac barbari, & in quibus alieni dominantur dij, nihil deprehendimus quòd à diuina virtute videatur esse profectum, nisi quæ de tuis magnalibus accepimus. Quare præter te nullum esse Deum manifestè cognoscimus. Posteriorum verò, illorum, quos tanquam deos coluit delusa Gentilitas, nemini conuenit nomen Deitatis, quia illorum opera nihil olent diuinum; imò illorum plurima quàm longissimè absunt vt homines deceant. Hebraicè eadem vtrobique sunt verba, & significant, ex omnibus, quæ audierat Dauid, vnum esse Deum, quem colit Israel; in aliis, à quibus est decepta gentilitas, nihil esse præter inane nomen, & fallacem diuinitatis vmbram.

40. Vers. 23. *Quæ est autem, vt populus tuus Israel, Gēs in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum?*] Explicat quænam sint illa Dei magnalia, quibus populus & suum verum cognouit esse Deum; & in Gentilium simulachris nihil esse diuini præter alienum, & inane nomen. Et orditur ab eo tempore, quo Deus populum quondam ex Ægyptio iugo, ad libertatem, & regium splendorem traduxit. Quo nomine felicem appellat, & supra nationes alias longè fortunatam Hebræorum gentem, in qua tot extant, támque præclara diuinæ tutelæ, atque virtutis monumenta. Vocat igitur primùm felicem terrā, & cū qua nulla alia cōparanda sit, in qua collocata fuit à Deo gēs Israelitis. Quam vt Dominus è barbaro eximeret imperio, sic aggressus est Ægyptios quasi Imperator, qui vt hostilem populetur ciuitatem, armatam inuehit manum. Vbi ea dedit suæ virtutis documenta, vexatis prius multis modis, deinde in mari rubro demersis Ægyptiis, vt magnum sibi apud alienos etiam populos conciliauerit nomen. Talibus verò beneficiis quæ vspiam Gens à Deo cumulata est? De quo Moyses Deut. c. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest*, &c.

Deus in populum suū quam mutauit.

41. *Et poneret sibi nomen.*] Hic locus ad varias patet explicationes. Quidam illam probant, quam nuper adduxi, nempe ex rebus siue in Ægypto ad populi libertatem gestis, siue in Terra promissionis, vt in illam, eiectis antiquis possessoribus, Israelem induceret, illustre sibi, atque admirabile comparasse nomen. Sic Isai. c. 63. v. 12. *Qui scidit aquas ante eos, vt faceret sibi nomen sempiternum.* Et statim: *Adduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.* Aut ideò posuit sibi nomen, quia ex beneficiis, quibus populum profecutus est, quémque sibi præcipua quadam largitate demeruit, vocatus est Deus Israel, seu Deus Hebræorum: quo nomine ab illis secernebatur diis, quos aliæ nationes sub alia, atque alia compellatione veneratæ sunt. Vtraque explicatio probabilis; vtraque Dei in illum populum liberalitatem ostendit. Prior mihi potior est.

42. *Facerétque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti ex Ægypto, gentem, & deum eius.*] Magnalia hæc, atque horribilia, non solùm in Ægyptio solo patrata sunt ad captiui populi libertatem; sed etiam in regione Chanaanitide, ad illius possessionem, & regnum. Et hoc posterius hîc significatur fortassè præcipuè, vt fit ex citato libro Paral. c. 17. verisimile. Sic enim ibi v. 21. *Vt magnitudine sua, atque terroribus eiiceret nationes à facie eius* (populi) *quem de Ægypto liberarat.* Et quidem admiranda quædam, atque horribilia contigerunt in eo tractu, ac tempore, quod filij Israel ex Ægyptia seruitute liberi vsque ad initam Terram promissionis consumpserunt. Quot in deserto, quot in ipsa Chananæorum regione prodigia contigerint, nemo nescit, quæ in Exodo, Numeris, Deuteronomio variè dispersa sunt; quæque Dauid tum aliis, tum maximè Psalmo 77. persecutus est.

Gentem, & Deum eius.] Hic locus variè torquet Interpretes, & ab illis ipse quoque vicissim variè distorquetur, quorum afferre hîc expositiones supersedeo, ne longiùs trahatur commentatio. Illam ego arbitrarer expeditam, & veritati valde, & rei etiam Grammaticæ consentaneam, quæ præpositionem illam *super*, quæ terræ præponitur, ante *gentem*, & Deum præponatur, quod neque infrequens est in omni literatura; imò à bonis auctoribus, dum elegantiam captant, adhibetur. In hunc sensum: *Fecit magnalia, & horribilia super terram, & super gentem, & super deum eius.* Et sanè in his tribus magna legimus accidisse prodigia. Nā terra concussa est motibus, & scopuli, qui pro muris erant, Amorrhæis, inclinati, & aperti, vt per illos tutò in Terram promissionis ingrederentur Hebræi; sicut antè mare Rubrum sicco traiecerant vestigio. Numer. cap. 21. v. 14. de quo nos plura in expositione Psal. 67. Apertus est Iordanis, vt liber, & expeditus pateret ingressus in Terram promissionis. Ad conspectum Arcæ, 44. clangentibus tubis muri ceciderunt Ierichuntini: stetit sol ad Iosue votum; & alia contigere quamplurima, quæ diuinam testabantur potentiam, & prouidentiam in illum populum paternam. Quod ad Gentes attinet, scimus contra illas pugnatum esse de cælo, vt in victoria Deboræ, & Barach, Iudic. 5. versa inimicorum arma in cognata viscera, sub Gedeone, cap. 6. & nuper cùm Samuel bellum intulit Palæstinis lib. 1. Reg. cap. 7. & iterùm cap. 14. cùm Ionathas vno tantùm sociatus armigero castra turbauit, & cecidit hostilia. De infidelium diis, quibus etiam bellum indixerunt Hebræi, non adeò multa suppetunt exempla ante tempora Dauidica; post illa fuere sanè quamplurima. Neque ante hunc articulum desunt exempla; & illud est maximè notabile, quod accidit paulò antè sub Samuele, quando non semel ad conspectum Arcæ cecidit, & contritus est Dagon. Gedeon aram confregit Baal, vnde Ierobaalis cognomentum accepit. Et Iudic. 10. v. 16. filij Israel idola proiecerunt, sicut anteà fecerant, Iosue cap. 20. Et Ægyptiorum dij, cùm ex illorum dominatu emersérunt Hebræi, comminuti dicuntur vsque ad puluerem, vt dicit Abulensis ad illud Num. 33. v. 4. *Dominus in diis eorum exercuerat vltionem.* Quare optimè in terram illam & gentem, & illius Deum dicuntur horribilia contigisse magnalia.

Vers. 24. *Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum*, &c.] Quia Deus *sempiternum populum* illum sibi esse voluit, impedimenta omnia ex illa regione, quam illius Gentis habitationi destinarat, aut sustulit, aut fecit leuiora. Quid sit *æternum*, aut *sempiternum* in Scriptura, iam à nobis suprà declaratum est. Item promissiones plurimas in Scriptura sacra esse conditionatas. Quare hic locus, si hæc spectes, nihil habet, in quo hærere possit nostra commentatio. 45.

Vers. 25. *Nunc ergo, Domine Deus, verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, fuscita in sempiternum.*] Huc vsque commemorata sunt diuina beneficia, & singularis Dei in populum, 46.

lũ,quem ſuum eſſe voluit,beneuolentia.Hinc iam orationẽ inſtituit, precatúrque,vt quæ promiſit, rata faciat;nempe,vt ſui curam gerat conſtantem & ſedulam, & domui ſuæ, cui omnia prædixerat fore fortunata, in æternum prouideat. *Suſcitare* autem *verbum*, idem eſt, quod præſtare promiſſa: nam quandiu ſuſpenſa eſt,neque dum executioni mandata promiſſio,dormire exiſtimatur. Latinus diceret;*Fac vt appareant promiſſa.*Hic porrò dicendi modus vſitatus in Scriptura eſt, cùm id præſtatur,quod in pactis, aut in promiſſis, ſeu minis numeratur.Sic dicimus *ſuſcitare arcum,& gladium, iuramentum,& pactum:* id eſt,facere ne otioſa ſint, & vacua pacta,promiſſa, minæ,

47. Verſ. 26. *Vt magnificetur nomen tuum vſque in ſempiternum, atque dicatur Dominus exercituum Deus ſuper Iſrael.*] Ingenua eſt illa poſtulatio,quæ bonum optat, & gloriam precatur illi, à quo poſtulatum exorare ſtudet.Optat Dauid,orátque, vt ſibi Dominus, ac domui ſuæ, & populo Iſrael in æternum inuigilet, illúmque ſicut antè tueatur & prouehat; vt illius nomen in ſempiternum mirificum habeatur, & horribile; vt ſicut priùs propter aſſidua, & grandia beneficia, qui Deus vocabatur exercituum; id eſt, *Deus fortis*, in cuius dextera omnis erat virtus, atque potentia, ille idem Deus appellabatur Iſrael; ſic etiam in poſterum nomen idem magis, quàm anteà, notum perſeueret. Hic verò pro varia partium diſpoſitione varias etiam ſignificationes inuenio; quæ tamen parùm inter ſe differunt, neque multùm refert,hoc ne,an illo modo capias. Nam ſi, vt loquuntur Logici, illud, *Dominus exercituum*,ſubiectum eſt, & *Deus ſuper Iſrael*, prædicatum, hunc continebit ſenſum: Deus exercituum, potens nimirùm, & inuictus, curam ſuſcepit Iſrael. Si verò contrà ſtatuas, ordinémque permutes, ſenſus erit; qui Deus eſt Iſrael,ille Deus eſt exercituum. Quaſi dicas, aliæ nationes alios ſibi Deos tutelares habent; at ille Deus, quem tutelarem habet Iſrael,Deus eſt fortis,& cui nulla poteſt obluctari potentia.

48. *Et domus ſerui tui Dauid erit ſtabilita coram Domino: quia tu Domine Deus exercituum, Deus Iſrael, reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: domum ædificabo tibi.*] Orat,vt ſtabilito,réque ipſa confirmato promiſſo in regno ſtabiliat, confirmetque domum, ne vnquam regium nomen excidat è ſua familia;quando id proximè verbis prædixit, promiſítque non obſcuris.*Reuelare* autem, ſeu *aperire alicuius aures*, idem eſt ex Hebraici ſermonis proprietate, quod alicui aliquid prædicere, præcipere, aut loqui; vt pluribus oſtendimus l.1.Reg.c.9. ad illud: *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis.*

Verſ. 27. *Propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum.*] 49. *Cordis* multiplex ſignificatio eſt, illáque ad hunc locum accommodata maximè. Sed inter alia audaciam ſignificat, & robur, quo aliquid aggredimur intrepidè, & conſtanter perſequimur. Vnde illi dicũtur *corde languere*, quibus animus excidit, neque parati ſunt,vt labores ſiue adeant, ſiue ſubeant.Neque habere dicuntur cor ad aliquam ſiue curã,ſiue cogitationem, qui ab illius conſecutione deſperant,dum vires ſuas cum negotij magnitudine,aut difficultate cõponunt. Quomodò qui pauper eſt opibus,& viribus exhauſtus,neque audet cum homine robuſto congredi, neque rem aggredi,quam ſola plerúmque pecunia tentat, & expugnat. Quòd ſi aut vires recuperet à morbo ſublatas, aut pecuniis abundet, animum dicitur inueniſſe,vt audeat,quod priùs horruerat, aut deſperando refugerat adoriri. Sic ſanè Dauid, cùm exigua in ſe merita cognoſceret, & ſupra merita, ac vires exiſtimaret, & præeſſe regno tam luculento,atque amplo, & illud in ſua familia hærere perpetuò; non putabat illud à Deo eſſe poſtulandum. Quare & animum deſponderat, & cor ſic abiecerat, quaſi ad illam cogitationem, & curam ſe putaret excordem. Cùm autem Deus vltrò tam prolixè, & facilè omnia promiſiſſet, recuperauit animum,quem abiecerat;& cor,quod amiſiſſe videbatur,inuenit; & hac tam liberali promiſſione confirmatus auſus illud orando petere, de quo priùs cogitare neque auderet, neque poſſet. Hæc mihi expoſitio videtur expedita,& facilis; cui fauent illi,qui *cordi* addunt *præparatum.* Quaſi dicat Dauid, cor mihi priùs ad hanc cogitationem, & orationem infirmum erat, & timidum,neque aptum, vt ad tanti nominis ſplendorem aſpiraret: nunc autem paratum habeo, vt hæc non ſolùm ſperem,ſed etiam petam, & mihi, atque familiæ à tua fide,& promiſſione deberi putem.

Verſ.28. *Nunc ergo Domine Deus,tu es Deus,*&c.] 50. Cùm ergo,ô Domine,Deus ſis, à quo abeſſe veritas nullo modo poteſt,neque à promiſſis pondus, & fides;& hęc mihi bona ſponte promiſeris,incipe iam,vt promiſſorũ incipiat apparere fides, incipe oculos in domum meam intendere beneuolos, ita vt ab illa eos nunquam dimoueas, ſed vt ſemper ſit coram te. Hinc enim nunquam ab ea benedictio tua aberit in æternum, à qua id habebit,vt omni ex parte fortunata dici poſſit,& tua.

IN CAP. VIII. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

VARIA Dauidis bella, & variæ contra vicinos hoſtes deſcribuntur victoriæ, quibus & Iſraeliticum amplificauit imperium,& opes congregauit ingentes,quas Domino ad ſacros vſus conſecrauit. Deinde quo modo tot defunctus bellis Dauid rem in pace publicam moderatus fuerit,& varia variis miniſteria commiſerit.

CAPVT OCTAVVM.

1. FActum eſt autem poſt hæc, percuſſit Dauid Philiſthiim, & humiliauit eos, & tulit Dauid Frenum tributi de manu Philiſthiim.

2. Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum & vnum ad viuificandum: factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo.

3. Et percuſſit Dauid Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus eſt

vt do

vt dominaretur ſuper flumen Euphraten.

4. Et captis Dauid ex parte eius mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, ſubneruauit omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.

5. Venit quoque Syria Damaſci, vt præſidium ferret Adarezer regi Soba: & percuſſit Dauid de Syria viginti duo millia virorum.

6. Et poſuit Dauid præſidium in Syria Damaſci: factaque eſt Syria Dauid ſeruiens ſub tributo, ſeruauitque Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus eſt.

7. Et tulit Dauid arma aurea, quæ habebant ſerui Adarezer, & detulit ea in Ieruſalem.

8. Et de Bete & de Beroth, ciuitatibus Adarezer, tulit rex Dauid æs multũ nimis.

9. Audiuit autem Thou rex Emath, quòd percuſſiſſet Dauid omne robur Adarezer,

10. Et miſit Thou Ioram filium ſuum ad regem Dauid, vt ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret: eo quòd expugnaſſet Adarezer, & percuſſiſſet eũ. Hoſtis quippe erat Thou Adarezer, & in manu eius erant A vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea.

11. Quæ & ipſa ſanctificauit rex Dauid Domino cum argento, & auro, quæ ſanctificauerat de vniuerſis gentibus quas ſubegerat,

12. De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philiſthiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filij Rohob regis Soba.

13. Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cùm reuerteretur capta Syria in Valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus.

14. Et poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuítque præſidium: & facta eſt vniuerſa Idumęa B ſeruiens Dauid, & ſeruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcũque profectus eſt.

15. Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſrael: faciebat quoque Dauid iudicium & iuſtitiam omni populo ſuo.

16. Ioab autem filius Saruiæ erat ſuper exercitum: porrò Ioſaphat filius Ahilud erat à commentariis,

17. Et Sadoc filius Achitob, & Achimelec filius Abiathar, erant ſacerdotes: & Saraias, ſcriba:

18. Banaias autem filius Ioiadæ, ſuper cerethi & phelęthi: filij autem Dauid ſacerdotes erant.

IN CAPVT VIII. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Verſ. 1. *Factum eſt autem, poſt hæc percuſſit Dauid Philiſthiim, & humiliauit eos, & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſthiim.*]

1. CVM iam à Deo doctus didiciſſet Dauid alterius curæ Templi molitionem, de qua ipſe cogitare cæperat, eſſe relictam, eò animum appulit, vt regnum hæredi traderet pacatum, & bellorum cauſas, & ſemina, quàm poſſet ocyſſimè, præcideret; ne quid filij retardaret ſtudium, quominùs diligenter, ac tutò in ſacri Templi fabricam incumberet. Et quia maius à Palæſtinis, & propius impẽdebat periculum; cum illis ſtatuit primũ eſſe pugnandũ. Quare graui plaga concidit Palæſtinos, & tributi frænũ, quod ad illud vſque tempus moleſtum acciderat, omninò diſſoluit.

2. Vbi Vulgatus *frænum tributi*, Hebraicè eſt מתג האמה *metheg ha hamah*. Quod variè reddũt, & exponunt Interpretes. Septuaginta: *Et accepit Dauid ſęgregatam de manu alienigenarum*. Chaldæus, *commoditatem riui*. Plures alij vocem ipſam immutatã relinquunt; *Metheg Ama*. Ita Pagninus, & Hiſpanica tranſlatio. Alij, *frænum aquæductus*. Alij *frænum cubiti*. Alij *ſtimulum*. Dicam primùm, cur varia hæc à variis indita ſint nomina, vt deinde quid mihi probetur magis, commodiùs oſtendã. De explicatione, ac traductione Septuaginta agemus poſteà commodiore loco. Exiſtimatur à quibuſdam ciuitatem à Dauide ſubactam appellari *frænũ aquæductus*, ſiue *cõmoditatẽ riui*, quia per illam aqua deducebatur, quæ Palæſtinis agris fœcunditatẽ, & ſpeciẽ inducebat. Aquęductus verò, ſeu canalis, ideò

Frænũ tributi quid.

A *aquæ* dicitur *frænũ*; quia ſicut canalis, ſeu alueus aquam facilè obſequentẽ in quancumque partem inducit, & deriuat; ſic etiam frænũ in quãcumque partẽ inflectit, & verſat equum non reluctantem.

Alij *frænũ* reddidere *cubiti*; quia frænum imperiũ 3. ſonat, vt cõſtat: quia ſicut, qui equo inſidet, illũ coercet frẽno, & ducit quocúnque fert voluntas; ſic qui cum poteſtate eſt, ſubditos ſibi populos quaſi iniecto frẽno pro ſuo arbitratu moderatur, & verſat. In *cubito* verò menſura intelligitur, & modus; & quia vicina eſt ſignificatio, ex proximo ponitur etiam pro numero. Cùm autẽ tributum in certo numero, aut mẽſura pendatur, fit vt *cubitus* pro tributo vſurpetur, quodcunq; illud ſit. Aliã rationẽ nominis refert Pagninus in dictione מתג *Metheg*, ex Rab. Heliezer in Midras, dignã ſanè Rabbinorũ cerebro. *Quãdo venit*, inquit, *Abimelec* (is erat B Rex Palæſtinorum) *ad Iſaac, & dixit ei, Gen. 26. v. 28. videndo vidimus, quòd ſit Dominus tecum, &c. dixerunt: Nouimus, quod Dominus daturus eſt tibi, & ſemini tuo omnes has terras, pange nobiſcum pactũ iuramenti, quòd ſemen tuũ non poſſideat terram Palæſtinorũ. Et pepigit cũ eis pactũ iuramẽti. Tũc Iſaac incidit cubitũ vnũ frœni, ſiue chami; id eſt, capiſtri aſini, ſuper quo equitabat, & dedit illis, vt eſſet in manu illorum ſignum pacti iuramenti. Cæterùm cùm Rex Dauid vellet ingredi terram Philiſthiim, non poterat propter vim pacti iuramenti Iſaac. Sed cùm ab illis pactũ abſtulit (quia ſcriptum eſt; Et tulit Dauid frænum, vel chamũ cubiti)*

Fabula Hębræorum de frœno tributi.

tuno accepit terram Philisthinorum. Paulò aliter refert Abulensis q. 3. hoc Heliezeris merum somniũ, qui pro *fræno*, seu *chamo*, *stimulum* ponit; quasi Isaac partem stimuli asini dederit Abimelec quasi signum, & tesseram iurati fœderis. Vtcumque accipias, res est planè ridicula; vt enim promiserit Isaac terram illam nunquam fore à sua posteritate possidendam, quod Sanè Scriptura non docet, cuius esset prudentiæ, imò & pudoris, Palæstinorum Regi tradere aut partem fræni, seu capistri, quo regebatur, aut partem stimuli, quo adigebatur asinus? Vtrumque ego Heliezeri traderem, donumque putarem illius maximè accommodatum naturæ, vt cohiberet ingenium à tam præcipiti, temerariáque licentia, aut mentem excitaret, ac pungeret omninò dormientem, & tardam, vt expenderet vigilans, quod dormiens somniarat.

4. Ego quid in hac translatione, & sententiarum varietate sentiam, paucis exponam. Et primùm puto nostrum Interpretem tam hîc, quàm l. 1. Par. c. 18. vbi idem tractatur argumentum, optimè cõuertisse, licèt verba sint omninò diuersa, neque vnum locum alteri esse contrarium. Habemus hîc: *Tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthiim.* & l. 1. Paral. c. 18. *Et tolleret Geth, & filias eius de manu Philisthiim.* Hîc ciuitates exprimuntur à Dauide captæ, illic aliquis explicatur ciuitatum vsus, & quoddam illorum adhibetur epitheton. Nam ciuitates illæ, quæ propiores erant Hebræorum finibus, illum habuerunt vsum, postquàm à Dauide subactæ sunt, vt quasi frænum continerent Palæstinos in officio, & fide, ne quid contra Hebræos iam Palæstinæ dominos molirentur hostile; & vt tributum sibi impositum statis temporibus integrè, atque fideliter penderent. Sic puto Palæstini in Hebræorum regione ciuitates habuerunt, quæ vocari potuerunt Hebræorum מתג *Matheg*; id est, *frænum*, siue *stimulus*, quibus arcerentur Hebræi, & ad pendenda tributa adigerentur. Talis erat, opinor, illa ciuitas, quæ l. 1. Reg. c. 13. vocatur *statio Philisthinorum*, quam nos arcem, seu statiua castra vocare possumus; vndè sic angustè premebantur Hebræi, vt neque fabrum permitterentur habere, non solùm à quo cuderentur arma bellica, sed etiam neque à quo exacueretur vomer, & ligo, aut stimulus corrigeretur obtusus. Illæ igitur ciuitates, de quibus l. 1. Paral. à Dauide in prouinciam redactę, quia, & ipsæ munitæ erant, & totius Palæstinę claustra videbantur; tum quia in ipso erant duarum regionum positę confinio, hunc Hebræis præstiterunt vsum, quem quondam Palæstinis statio illa, quæ fuisse dicitur in Gabaa Beniamin, l. 1. c. 13. Hinc constat, non malè vertisse Septuaginta, qui pro *freno tributi*, *segregatam* reddiderunt; quia reuerà Geth segregata fuit à Palæstinorum habitatione, quia in ea stationem habuerunt Hebræi. Neque contrarium habet locus ex Paral. citatus: ille enim nominat ciuitates, in quibus frę-num tributi iniectum est Genti Palæstinæ; hîc verò vsum exprimit, quem ciuitates illæ contra Palæstinos habuerunt. Neque vllus est locus, à quo plus habeat lucis hic, in quo nostra laborat commentatio. Quod dixerunt Hebræi, neque displicet Hieronymo in traditionibus Hebraicis ad hunc locum: *Frænum*, inquit, *tributi quinque erant ciuitates Philisthinorum, quæ frequenter Israel sibi tributariũ faciebant, quas ab eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque eos sibi tributarios. Vnde & in Paralipomeno legitur: Percussit Dauid Philisthiim, & humiliauit eos, & tulit Geth, & filias eius de manu eorum.* Vbi, vt vides, à nostra cogitatione dissentit, quia ille captis ciuitatibus ablatum dicit esse tributum, quod ab Hebræis exigebant Palæstini; nos verò Palæstinis dicimus eo loco impositum esse tributum. Illud fortasse verius; hoc tamen videtur expeditum magis. Neque aliud, meo iudicio, fecit Dauid cum Palæstinis, quàm quod fecisse traditur statim cum Moabitis, & posteà v. 6. cum Syris. Vbi posuisse traditur præsidium in Syria, & Syros sibi fecisse vectigales.

Hebræi in Palæstina habuerunt præsidia sicut ante Palæstini in Israelis finibus.

Vers. 2. *Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ.*] Hoc est secundum prælium, quod subacta Palæstina, contra Moabitas suscepit Dauid, eóque adegit, vt quotannis imposita penderent vectigalia. Modus dicendi, quo Moabitarum exprimitur strages, subobscurus est, sed qui optimè magnam indicat, & celerem cladem, neque citrà prouerbialem figuram. Strauit Dauid Moabitas, ita vt illorum cadaueribus terram sic constrauerit, vt non viderentur extare super terram, sed illi prorsùs esse coæquata, sicut fruges in area. Vt ergo nos terram funiculo metimur, non numeramus glebas; quia lõgus ille esset, & inutilis labor; sic etiam Dauid quasi puluerem dimẽsus est Moabitas, aut iã cæsos, & exanimes, aut ita subiectos, vt quasi mortui essent, mutire non auderent, aut se contra victoris nutum commouere. Vt autem funiculo metimur agros, & variis illos vsibus destinamus, illos armentorum pabulis, hos serendis frugibus, aut vinearum plantationi; & illi quamcúmque in sortem dati neque metatori, neque aratori resistunt: sic etiam strati, & quasi coæquati terræ Moabitæ veluti funiculo subiiciebantur mensorio, siue ad mortem essent, siue ad seruitutem miseram destinati. Hanc puto esse huius loci obscurissimi sententiam. 6. PROVER. *Coæquare victos terræ stragem indicat magnam.* *Funiculo prostratos metiri quid.*

Alij sic hunc locum accipiunt, vt nihil hîc esse 7.
putent de hominibus, sed tantùm de agris, quos tam liberè, ac facilè quibuscúmque vellet, adhibito mensorio funiculo diuisit, quàm agros suos verus, antiquúsque possessor ad varios vsus diuidere, ac destinare solet. Sed huic explicationi multa obstant. Caietanus suspicatur, non esse viros coæquatos terrę; sed illorum turres, & propugnacula, ita vt non tam viderentur ciuitates munitæ, quã agri inculti, & vasti. Quod expressè sequitur Lyra. Theodoretus q. 23. propriè accipit, sine vlla figurata locutione. *Tanta*, inquit, *erat vis victoriæ, & tanta erat multitudo eorum, qui capti erant vini, vt eos numerare non permitteret. Quare iussit eos pronos deiici in terram diuisos trifariam, & duas quidem partes occidit, vnam verò viuam reseruauit.* Hæc Theodoretus. Sed vt dixi, hîc aliquid est metaphoricum, ac prouerbiale: quare subaudiri debet similitudinis nota in hunc modum: Quemadmodum aliquam subiectam terram funiculo metitur, déque ea liberè suo arbitratu disponit: sic Moabitę quasi coæquãti terræ, & illi persimiles, id subierunt, quod victori Dauidi visum est, qui quominùs cogitata, atque constituta compleret, nullum ab hoste iam subacto, & domito habuit impedimentum. Sanè metaphoram agnoscunt Vatablus, Caietanus, Lyra, Serarius, licèt nõ eodẽ omnes explicent modo.

Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendũ 8.
& vnum ad viuificandũ.] Diuisit Dauid in duas partes eos, quos habuit aduersarios in acie, vt putat Abulensis q. 3. alteram addixit ferro; alteri viuendi facultatem concessit. Neque tamen hi funiculi fuerunt æquales; multò enim plures reseruati sunt, & redditi vectigales, quàm occisi. Quod indicat nõ obscurè textus Hebraicus, qui plenũ esse dicit funiculũ eorũ, quibus vitæ vsura cõcessa est.

Hebrai

9. Hebraicus textus obscurus est, & nisi attentè expendas, duos videtur assignare funiculos morituris, vnum tantùm his, quibus gladius hostis, & furor ignouit. Sic enim habet: *Mensus est duos funiculos ad occidendum, & plenitudinis funiculum ad viuificandum.* Sed si ita dispungas, vt post *funiculos*, addas diuisionem, & *vnum* addas, quod sine vlla distorsione, ac vi addidit Vulgatus Interpres, quod Abulensis, & Caietanus faciendum esse dicunt, nihil habebit Vulgata lectio impedimenti ab Hebraico textu. Sic enim habebit: *Mensus est duos funiculos: ad occidendum*, subaudi, *vnum*; *& vnum plenitudinis funiculum ad viuificandum.* Porrò *viuificare* ex Hebraici sermonis proprietate non est, quod propriè apud Latinos valet, ad vitam illum reuocare, cui ablata est; sed non adimere illi, cui auferri poterat; vt pluribus diximus ad illud l. 1. c. 27. *Virum, & mulierem non viuificabit Dauid.* Ex eo tempore Moabitæ imposita Israeli pensitarunt tributa.

10. Vers. 3. *Et percussit Dauid Adarezer filium Rohob, Regem Soba, quando profectus est, vt dominaretur super flumen Euphratem.*] Tertium iam aggreditur bellum, eadem cum reliquis facilitate, atque exitu. Hic Adarezer, vt habes ex textu, Rex erat Soba, contra quem videtur pugnasse aliquando Saul; vt est verisimile, ex c. 14. l. 1. vbi bellum gessisse dicitur cum Rege Soba. Vbi fuerit Soba, non cõstat. Sophenorum hunc Iosephus Regem fuisse tradit, lib. 7. c. 5. Sed est certum regnasse in Syria non procul ab Euphrate, quando ciuitates quasdam suæ voluit adiungere ditioni, quæ erant ad Euphratem. Quæ ciuitates, licèt tunc non essent in Hebræorum potestate; ad Hebræorum tamen sortem pertinere constat ex illis locis, quæ terminum Terræ promissionis in Euphrate flumine constituunt, vt Deut. 1. v. 7. & c. 11. v. 27. & mille aliis. Hæc verò, vt putat Abulensis q. 8. causa præcipua fuit, licèt aliæ plures non defuerint, cur Dauid aggressus bello fuerit Adarezer; quia regionem in Hebræorum fines contributam noluit in illius venire potestatem. Non facilè ex textu deduces, an Dauid proficisceretur, vt ciuitates occuparet, quæ sunt ad Euphratem, vel Adarezer; quia dicendi modus non huic magis, quàm illi fauet: pro Adarezer stant Dionysius, & Hugo; pro Dauid Abulensis, Vatablus, & Mariana. Et huic posteriori sententiæ libentiùs subscribo, quia Hebraicè est לחשיב *leasib*, id est, *vt reduceret*; quia fortassè defecerat; & ita vertunt Tigurina, & Isidorus. Sed regio illa non defecerat ab Israel, quia nunquam ab eo possessa fuerat.

11. Vers. 4. *Et captis Dauid ex parte eius mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditũ, subneruauit omnes iugales curruũ.*] Attulerat, vt apparet, ad debellandas ciuitates illas, quæ erant ad Euphratẽ; magnum apparatum militarem Adarezer, quem totum conuertit cõtra Dauidem, qui illius voluit occurrere consiliis, sed alio exitu quàm ipse sibi proposuerat. Nam totus ille exercitus, quà cæde, quà fuga, quà denique captiuitate in seruitutẽ adducta, dissolutus est. Numerus tã equitum, quàm curruum, ac peditum, satis est expressus tam hîc, quàm l. 1. Paral. c. 18. Sed est illud obscurũ valde, & explicatu difficile; quia cùm eadẽ narretur historia libro citato Paralip. non tamen idem ponitur equitũ numerus, qui captus esse dicitur à Dauide: hic enim mille ac septingenti equites dicuntur esse capti; in libro tamen Paral. septem equitum millia. In componendo hoc tam dispari captiuorum numero multus est Abulensis q. 13. Et statuit primùm in libris Par. multa addi, quæ in libris Regum fuerant omissa; explicari plurima, quæ ibidem tradi videbantur obscuriùs. Quod sanè verum est, vt probant exempla quæ eo loco Abulensis adducit. Hoc ergo loco nihil audimus de quadrigarum numero; sed illum ex Paralipomenis citatus locus expressit, dum dicit, quadrigas fuisse mille; in quibus necesse fuit plurimos equites esse portatos, qui in l. Regum prorsùs omittũtur. Quis autem dubitet in quadrigis mille, quinque mille & tercentos equites vehi posse? Quibus si addideris mille & septingentos, quorum liber ille Regũ meminit, septem mille numerabis, quos in libro legis Paralipomenon. Meminit autem liber Regum, eorum tantùm equitum, qui singularibus equis vehebantur, nõ iunctis ad currum; & hi tantùm fuere mille ac septingenti. Porrò illos, qui quadrigis vehũtur, *equites* appellari nõ est in Scriptura sacra inusitatum. Sic sanè vocantur Isaiæ c. 21. v. 7. *Vidi currũ duorum equitum*: id est, in quo duo vehebantur. Et v. 9. *Vir bigæ equitum.* Et c. 22. v. 6. *Currum hominis equitis.* Neque verisimile est, cùm Hebræos fugientes currus insequerentur, & equi, Pharaonem Regem non tam insedisse equo, quàm vectum esse curru; & tamen Exod. c. 15. v. 19. *eques* dicitur ingressus esse mare. Et nisi *equites* dici possent, qui vehuntur in curru, non diceretur Cant. 1. *Equitatus in curribus Pharaonis.*

Equites appellati, qui vehuntur curru.

Subneruauit omnes iugales curruum; dereliquit autem ex eis centum currus.] Fuisse dicuntur in castris Adarezer currus, quo tamen numero non audimus; neque sciremus, nisi in libro Paralipomenon esset expressus. Ex mille curribus centum tantùm sibi reseruauit, reliquos perdidit, & curules equos suffractis cruribus reddidit inutiles. Cur verò tam equos, quàm currus alios perire voluerit; aut ideò fuit, quia in ipso conflictu diffracti fuerant currus & equi saucij, & vtrique sic malè vexati, atque concisi, vt nullum possent vsum præbere rei bellicæ, aut rusticæ. Aut quia Deut. c. 17. v. 16. interdicitur Regi equorum multitudo: *Cúmque fuerit cõstitutus* (Rex) *non multiplicabit sibi equos.* Et hoc puto verius. Neque alio consilio arbitror, Iosue c. 11. v. 6. iussum esse à Deo Iosue, vt inimicorum subneruet equos, & currus igne comburat, nisi vt seruet legem eo loco Israelitarum Regi præscriptam. Quod reipsa, vt imperatum fuerat, præstitit Iosue, de quo dicitur statim v. 9. *Equos eorum subneruauit, currusque combussit igne.*

12.

Cur à Dauide occisi equi, & currus combusti.

Vers. 5. *Venit quoque Syria Damasci, vt præsidium ferret Adarezer.*] Syria latissima regio est, quę multas continet, amplissimásque prouincias, quarum vna est, quæ Soba dicitur, seu Sophena, in qua regnauit Adarezer; alia ea, cuius caput erat Damascus, vt habes Isaiæ c. 7. quæque ideò hoc loco Syria vocatur Damasci. Syri itaque Damasceni cùm vicinum Regem malè viderent esse concisum à Dauide, & suo sibi capiti è vicino detrimento metuerent, exercitum comparant copiosum, illúmque pro Adarezer instruunt contra Dauidem, non tamen exitu meliori. Nam & victi sunt, & quotannis vectigalia dependere coacti. Et sicut Palæstinis frænum imposuit, seu stimulum tributi, constituto apud illos militari præsidio; sic etiam in Damascena Syria præsidium constituit militare, quo Gentem illam in officio, ac fide contineret.

13.

Vers. 7. *Et tulit Dauid arma aurea, quæ habebant serui Adarezer.*] *Arma* nomen est commune: caput ex Paralip. sæpius citatum speciem expressit, dum ait, fuisse pharetras aureas, quas secum gestabant

14.

gestabant serui Adarezer, illi videlicet, quibuscũ eo tempore congressus est Dauid; aut quæ ad illum vsum in armamentario Regio seruabantur: Vnde constat, quàm opibus, & deliciis affluerit Rex ille, cuius tam esset splendida bellica supellex.

15. Vers. 9. *Audiuit autem Thou Rex Hemath, quòd percussisset Dauid omne robur Adarezer.*] *Hemath* eadem est, quæ Epiphania, vel Antiochia dicitur Syriæ, vt dicit Hieronymus in Zachariam cap. 9. quod illi nomen imposuit Antiochus Epiphanes. Huius Rex Thou vehementer est lætatus, cùm vidit prostratum Adarezer; quia cum illo longas habuerat, & graues inimicitias. Quare gratulatus est per filium de victoria, à quo vt gratiam iniret, & cum illo fœdus, societatémque componeret, dona misit tanto principe, atque victoria non indigna; vasa nempè pretiosa ex auro, atque argento, & ære. Quæ omnia Dauid consecrauit Domino ad Templi ministeria, ad cuius fabricam iam anteà animum adiecerat: sicut etiam quæcúmque alia de variis prouinciis, quas armis debellarat, erepta, ex quibus posteà conflauit Salomon vasa, quorum vsus erat ad templi ministeria necessarius; vt habes Paralip. lib. 1. cap. citato. Porrò, quòd Hebræi putant, vt docet Hieronymus in tradit. Hebr. super Paral. filium Thou oneratum muneribus missum esse cum dolo, nescio vndenam sibi persuadere potuerint, quomodò his subesse possit dolosum aliquid.

16. Vers. 13. *Fecit quoque sibi Dauid nomen, cùm reuerteretur capta Syria in valle salinarum.*] *Vallis salinarum* extra Syriam est non longè à mari, quod Mortuum appellatur, vel Salsissimum; & pertinet ad Idumæorum terminos. Cùm igitur spolia secum refert ex Syria iam subacta; & victoriarum cursu alacres reddidisset militum animos, aggressus est etiam Idumæos; qui licèt cognati essent; non tamen ab illis minùs vexabantur hostiliter Hebræi, quàm ab aliis, quibuscum nulla intercedebat sanguinis communitas. Ex quibus cùm octodecim hominum millia peremisset, magnum sibi nomen apud omnes obtinuit. *Vallis salinarũ* Idumæorum cædibus, & Israelitarum victoriis celebris fuit: nam post hanc Dauidis victoriam posteà Ioab in eadem valle duodecim Idumæorum millia occidit, vt in tradit. Hebr. ad lib. Reg. colligit Hieronymus ex titulo Psal. 59. qui sic habet: *Cum succendit* (Dauid) *Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.* Deinde Amasias, de quo 4. Reg. c. 14. *Porrò Amasias confidenter eduxit populum suum, & abiit in vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia; & alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda,* &c. De hoc iterùm lib. 2. Paral. c. 25. Hoc tempore, & in hos intentos præclaros rerum euentus cecinit Dauid Psalmum 59. qui incipit: *Deus repulisti nos.* Huic bello videtur fuisse præfectus Abisai frater Ioab, vt habes loco sæpiùs ex Paral. citato, v. 12. *Abisai verò filius Saruiæ percussit Edom in valle Salinarum decem & octo millia.* Qui etiam ibi dicitur constituisse præsidium; quod in I. Regum ascribitur Dauidi. Neque nouum est in omni natione, vt quæ ab exercitu gesta sunt, illa ab Imperatore summo gesta esse dicantur.

Vallis Salinarum quæ.

In valle Salinarũ multæ victoriæ.

17. Porrò in *valle Salinarum* tot Idumæorũ millibus occisis nomẽ sibi fecisse dicitur Dauid. Quale verò illud sit, dubitant Interpretes. Lyra tradit Hebræis visum esse à Dauide triumphalem arcũ in valle Salinarum esse constructum, in quo rerum ab ipso gestarum æternum esset monumentum, quale è saxorum firmitate sperari posset. Quod Lyra ipse non probat, quia id ambitiosius videbatur, quàm Dauidis religionem, & modestiam deceret. Quare fornicem illum, & ambitiosum spiritum non minùs respueret Dominus, & improbarent homines, quàm improbarunt illum, quem lib. 1. cap. 15. subactis Amalecitis excitauit Saul. Quæ ratio Dionysio non videtur habere plurimùm momenti; cùm excitari potuerit his additis notis, & argumentis, vt ad diuinam gloriam spectaret, & nullo modo intueretur humanam. Qualia nunc videmus magnis sumptibus à mortali manu ad diuinam laudem erecta monumenta. Neque est improbabile, si modò fornicem erectum esse fateamur, descriptum esse à Dauide in triumphali fornice Psalmum illum 58. cuius titulus harum meminit victoriarum, post quas Dauid dicitur fecisse sibi nomen. Quare illam cogitationem de fornice non improbat Abulensis q. 16. neque Dionysius, & Hugo; tenet expressè Glossa interlinealis.

Dauid erexisse videtur fornicẽ in valle Salinarum.

Propter hoc magis videtur probare, quod de Dauidis nomine censuit Rab. Salomon, quòd nẽpè consecutus est magis propter pietatem, quam in Idumæos exercuit, quàm propter bellicam virtutem, qua tot sibi prouincias subiugauit. Neque enim Idumæos, quos ferro confecerat, insepultos reliquit; sed quasi cognatos, & fratres sepulturæ mandauit. Quæ res maiorem Dauidi gloriam peperit, quàm rerum bello gestarum magnitudo. 18.

Ego potiùs existimo, *nomen*, quod sibi fecisse dicitur Dauid, neque esse erectum fornicem, neque aliquod aliud bellicæ virtutis monumentum & signum; sed res ipsas bello gestas: nam cùm multa prælia habuisset secunda, neque aliquid in tanto, ac tam vario inimicorum instructu militari accidisset aduersi, magni ducis, & principis nomẽ consecutus, quem timerent omnes, & quocum vellent inire sociale fœdus. In quam sententiam inclinant Abulensis, Vatablus, Dionysius, & Hugo. Et quidem id in Scriptura valet *facere sibi nomen.* Certè non alium sensum habet illud capitis proximi v. 9. *Fecique nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra.* Et illud 1. Machab. 5. v. 57. *Faciemus & ipsi nobis nomen.* 19.

Facere sibi nomen quid.

Vers. 15. *Et regnauit Dauid super totum Israel.*] Non solùm regnasse dicitur Dauid super totum Israel; quia duodecim illi Tribus suberàt, cùm tãtùm priùs vni præesset Tribui Iuda; sed quia quicquid ad Israelis possessionem pertinebat, obtinuit; quod neque Iudices antiqui populi, neque proximè Saul, sibi, ac populi iuri vindicauerant. Nam regiones, quæ erant ad Euphratem, qui terminus erat Terræ promissionis, alieni possidebant; item Palęstinorũ regio, & magna pars Syrię; neq; Iebusæi ad tẽpus vsque Dauidis è suis fuerant sedibus expulsi: hos tamen populos, qui aliorum anteà parebant imperio (si vnum, aut alterum excipias) aut expugnauit Dauid, aut reddidit Israeli tributarios. Quæ verò exigua sunt, & aliorum cõparatione instar obtinent nihili, non faciunt, quominùs alia *totius* sibi compellationem assumant. Toti itaque Israeli imperauit Dauid, quia ad terminos à Domino descriptos extendit Israelis Imperium. 20.

Faciebat quoque Dauid iudicium, & iustitiam cuncto populo suo.] Magnus existimatur Caius Cæsar, quia non solùm armis subiecit Gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas; sed quia eo fuit ingenio, vt moderari optimè nosset Rẽpublicam, & quòd ratione astronomicam 21.

micam ita cognouerit, vt cursus quodammodò cæleſtes metatus digeſſerit tempora,& nouam toti mundo temporum diſpenſationem induxerit. Hanc ſibi laudem noſter quoque comparauit Dauid,qui incredibili virtute, ac celeritate confecit bella, regiones ſubiugauit eò vſque ſubiugatas à nemine. Et ad hanc laudem illud adiecit, vt rem conſtitueret profanam, & ſacram: ita vt in eo nullus aut in præliādo virtutem,& audaciam, aut in religione pietatem, aut in Republica optimè adminiſtranda prudentiam deſideret. Qua de re alio loco pluribus.Nunc ſummatim,quæ, & quorum fidei, ac curæ credita fuerint publica miniſteria deſcribit.

22. Verſ. 16. *Ioab autem filius Saruiæ erat ſuper exercitum.*] Ordinauit primùm, aut potiùs ratum habuit,quod ordinarat antè de re bellica,quæ rebus publicis admodùm neceſſaria eſt ad arcendos hoſtes, & propellendam vim, & iniuriam. Rei itaque bellicæ curam credidit Ioab, cuius antè virtutem, & prudentiam ſæpiùs explorarat.

23. *Porro Ioſaphat filius Ahilud erat à commentariis.*] *A commentariis quis eſſe dicitur.* Quid ſit hoc loco *à commentariis*, obſcurum eſt. Hebraicè eſt מזכיר *maſquir*: quæ vox curam indicat eius,qui circa hominum,rerúmque memoriam occupatur,qualis eſſe poteſt,qui Regi ſuggerit, quid quoque tempore fieri debeat, aut qui ſupplices exhibet libellos,aut ſingulorum dierum ac rerum inſtituit commentarios, ex quibus poſteà conficiuntur annales,aut denique notarij,qui ſcriptis mandant publica negotia, quibus à conſuetudine,& lege publica ineſt,& certa fides.Ego quid certum dicam, nihil habeo definitum. Eò magis inclinat animus,vt putem huic id à Dauide datum eſſe negotij, vt res geſtas traderet monumentis;quam curam alios habuiſſe obſeruauimus ſuprà prolegomeno 1. ex quibus obſeruationibus diariis,quæ etiam *ephemerides* dictæ ſunt, collectæ ſunt hiſtoriæ. Hæ verò obſeruationes illæ ſunt, quæ dicuntur *verba dierum*,quorum nomen in hiſtoria ſacra ſæpiùs occurſat. Qui hanc curam ſuſceperunt,dicuntur eſſe *à commentariis*; ſicut qui alia curant,*à ſecretis*,*à poculis*.Lege quæ nos in horum Commentariorum principio diximus, Prolegomeno primo.

24. *Sacerdotes duo ſimul.* Verſ.17. *Et Sadoc filius Achitob, & Achimelec filius Abiathar erant ſacerdotes.*]Hic multus eſt Abulenſis, qui ea de re varias inſtituit quæſtiones. Quomodò duo eſſe potuerint Pontifices ſummi, cùm lex ſtet contrà ſacra, & perpetua à condita Iſraelitica Republica conſuetudo. Dicitur tamen Dauidis tempore diuina diſpenſatione factum;& ita Pontificatum illum ſummum eſſe diuiſum, vt per vices alterni, vt habes l.1. Paral. c.24.Sacris, & Tabernaculo præeſſent. Fuit quidem Abiathar Sacerdos,& eo loco habitus à Dauide, quia filius erat Achimelec, quem cum aliis multis Sacerdotibus minoribus interfecit Saul: neque videbatur depoſitus eſſe legitimè, aut deponi potuiſſe, cùm nihil ab ipſo, aut à parente illius videretur eſſe peccatum.Quare ſecum habuit ephod,quod vnus habere poterat sūmus Sacerdos,& per illud Deus ſæpè dedit oraculum, quod non videbatur fore daturus, niſi ritè tanquam Sacerdos ſummus interrogaſſet. Quod verò Sadoc, quem pro Achimelec Sacerdotem ſummnm voluit eſſe Saul, Sacerdos fuerit eodem tempore, quo Abiathar, collegit Abulenſis ex eo, quòd Deus approbaſſe videatur Sacerdotium Sadoc,cùm dixerit ad Heli:Sacerdotis,quem eſſet ex alia familia vocaturus ad ſummum illum gradum, fidelem futuram eſſe domum, & in ea æternum ſacerdotium; & quod magis ad rem præſentem facit,viſurum eſſe, ſcilicet filium Heli,æmulum ſuum in Templo,nempe Sadoc ex genere Eleazari. Vide quid nos ſuprà ad illud cap.2.v.32.*Et videbis æmulum tuum in templo.* Vide Abulenſem q.21.

Eſt item hîc valde difficile, quod Achimelec Sacerdos eſſe dicitur cum Sadoc, & filius Abiathar, cùm potiùs Abiathar filius fuerit Achimelec, & Sacerdos. Reſpondet Abulenſis q. 24. eſſe quidem Abiathar Sacerdotem ſummum, & patrem Achimelec; Achimelec tamen vocari Sacerdotem, & Sacerdotis ſummi fungi miniſterio pro parente Abiathar. Non quia vſque adeò eſſet Abiathar ætate prouectus, vt illius ſacerdotij laborem ſuſtinere non poſſet, cùm ad tempus vſque Salomonis vitam produxerit, vt apparet, robuſtam,& vegetam,quando contra Salomonē partibus adhæſit Adoniæ, & eam ob cauſam è ſacerdotio excidit à Salomone depulſus. Sed cùm Abiathar Dauidi ſemper eſſet aſſiduus, illique operam nauaſſet non inutilem, illum apud ſe retinere voluit: cùm autem Tabernaculo adeſſe non poſſet, quod tunc temporis erat in Gabaon, ad Sacerdotale munus ibi pro ſe miniſtrare voluit filium Achimelec. Quod fieri poſſe, cùm Sacerdos aut propter ætatem, aut graues alias cauſas non poſſet ſacrum obire miniſterium,docuit non multò antè Sacerdos Heli, qui ſui loco ſacerdotali negotio præpoſuit filium Phinees; neque tamen ideò ipſe Sacerdos eſſe deſiit. In hunc fermè modum Abulenſis. Quòd autem Abiathar ſub hæc tempora Sacerdos eſſet ſummus, multa probant.Primum,quia Sacerdotis nomen, vtique sūmi,in Abiathar ſæpiùs auditur. Et 2. Regum c.4. v.4.Salomonis tempore duo dicuntur eſſe Sacerdotes,Sadoc, & Abiathar,qui duo aliis ſæpè locis coniunguntur, quaſi eiuſdem conſortes miniſterij. Quòd autem Achimelec filius Abiathar eodem tempore ſacerdotio ſummo fungeretur, locus hic non obſcurè docet,& 1.Paral.c.24.v.6.vbi Sadoc, & Achimelec in ſacerdotio coniunguntur. 25.

Hæc mihi videntur ſatis probabilia;ſed occurrit mihi alia ratio non nimis impedita diſſoluendi nodi. Quam indicant Beda, Theophylactus, & Euthymius in cap.2. Marci, & Salmeron tomo 8. tractatu 14.qui putant Achimelec fuiſſe binominem,& modò vocatum eſſe Abiathar,quod putant eſſe nomen familiæ; modò Achimelec, quod erat illi proprium. Quare ille,qui panes propoſitionis tradidit Dauidi, quique ideò à Saule interfectus, qui eo loco, & pluribus aliis dicitur Achimelec, Marci 2. capite v. 25. nominatur Abiathar. Sic enim ibi Chriſtus ad Sacerdotes, qui Diſcipulos violatæ legis accuſabant: *Nunquam legiſtis, quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe,& qui cum eo erant; quomodò introiuit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauit?* Hunc quoque Sacerdotem habuiſſe duo nomina, proprium videlicet, & ſicut patrem, ſic etiam ipſum ex paterno nomine, quod ſæpe faciunt filij, vocatum eſſe Achimelec. Quare qui hoc loco dicitur Achimelec, ille eſt, qui aliis ſæpè locis dicitur Abiathar: & qui Abiathar hoc loco nominatur, idem eſt,qui aliis locis dicitur Achimelec. Erit igitur ſenſus:Sadoc filius Achitob,& Achimelec,qui etiam dicitur Abiathar,filius Achimelec, qui etiam à familiæ communi nomine Abiathar dicebatur, Sacerdotes erāt.Quæ explicatio mihi facilior eſt; 26. *Abiathar, & Achimelec binomij.*

quam multò libentiùs quàm superiorem amplector. Illud hîc obiter obseruandum, licèt duo fuerint Dauidis tempore Sacerdotes; Sadoc tamen fuisse præcipuum, quod probat non difficilè, quia quoties hi duo quasi Sacerdotum principes nominantur, priori loco nominatur Sadoc.

27. *Et Saruias scriba.*]Hebraicè סופר *sopher*. Hic dicitur notarius, qui publicam obtinet fidem, & publica auctoritate disceptantium, ac contrahentium instrumenta consignat, qui Hispanorum vulgo *escribano* dicitur, quemadmodùm reddidit Hispanica translatio. Est etiam legis, iurisque peritus, qui ab aliis de lege, religioneque consulitur, quique etiam legitimo iudicio exortas in Republica controuersias aut componit, aut disceptat. Sanè *Scribarum* nomen in Scriptura maius aliquid sonat, quàm quod apud Latinos. Vt enim illi, qui sapientia pollent, & eo nomine apud alios in honore sunt, apud Græcos *Philosophi*, apud Chaldæos *Magi*, apud Latinos *Sapientes* nominantur; sic etiam iidem apud Hebræos appellantur *Scribæ*. Quorum duo videntur esse munera. Primum, legem populo proponere, sensus eius eruere, eruto sque manifestare populo; de quibus Epiphanius hæresi 15. Qui quoniam legebant, interpretabantúrque legem *Lectores* quoque dicebantur. Sic sanè Esdras l. 3. c. 9. *Lector* appellatur, qui sæpiùs alibi nominatur *Scriba*. Alterum munus est, iudicare causas, & ex illorum meritis damnare, vel absoluere. Id indicat illud Matthæi 20. *Tradetur Principibus, & Scribis, & condemnabunt eum morte.* & Ioan. 8. Scribæ Christum consulunt de adultera, & dicunt: *Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidari, tu ergo quid dicis?* Vide plura apud Cardinalem Toletum in c. 18. Ioan. annot. 1. Hoc puto munus obiisse Saruiam, neque puto vulgare aliquid datum Saruiæ, cùm alia, quæ aliis concessa dicuntur, vulgaria non sint.

Scribæ quid.

28. Vers. 18. *Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethi, & Phelethi.*]Hi absque dubio viri fuerunt, qui & corpore fuerunt robusto, & rei periti bellicæ, & quorum iam esset comperta fides, & quibus Regij corporis esset credita custodia, quos nos Latino vocabulo *Prætorianos* appellamus; Græci verò σωματοφύλακας: id est, *corporis custodes*. Dicuntur autem Cerethi à radice כרת *Carath*, quæ significat inter alia *incidere*, quasi qui potenter, ac facilè aduersarios cædant, & sternant; siue ab aliqua ciuitate, seu prouincia, vnde illud satellitum genus adducebatur. De quibus nos copiosè in c. 2. Sophoniæ ad illud v. 5. *Væ qui habitatis funiculum maris gens perditorũ.* Vbi pro *perditoribus*, Hebraicè est כרתים *Cerethim*. *Phelethi* quidã deducunt à פלט *palat*, quod est *euadere*, & in hiphil *eripere*, quasi potentes, & qui alios possent ex periculis eripere. Alij à פלא *pala*, quasi *viri* essent *mirabiles*. Hoc mihi certum est, aliquid his vocibus significari militare; neque enim aliter diceretur *legiones Cerethi, & Phelethi.* Deinde has non esse cum reliquis militum ordinibus confusas, sed tantùm regiæ custodiæ destinatas; quia aliter parerent potiùs Ioab, qui princeps erat militiæ, quàm Banaiæ. Deinde quia hi comitati dicuntur Dauidem, cùm fugeret à facie Absalom, cap. 15. v. 18. quasi nefas crederent, Regem in eo rerum articulo deserere, cuius ipsis fuerat commissa custodia. Sanè Iosephus hoc hominum genus Dauidis appellat *satellitium*, dum ait lib. 7. cap. 6. cùm hoc idem tractaret argumentum, *Banaiam Ioiadæ filium satellitio suo præposuit.* Et c. 11. quos Vulgatus appellat *Cerethi* in Salomonis comitatu, ipse Regiam appellat cohortem. Alij hos sagittarios esse volunt, & funditores. Ita Chaldæus, Theodoretus, & Procopius; neque respuunt è recentioribus alij. Et ita habet antiquissima translatio Hispanica, cuius verba libuit hîc attexere. *E Ioab fiio de Ceruya era Condestable, e Iosafat fiio de Adelud era relator, e Saraia era escriuano, e Banaiahu fiio de Ioiada era sobre los honderos y ballesteros.* Sed quod proximè dixeram, magis videtur ad veritatem.

Quis Cerethi.

Quis Phelethi.

Filij autem Dauid sacerdotes erant.]Non poterant Dauidis filij Sacerdotes esse, cùm id tantùm à Deo concessum esset familiæ Leui. Cur autem Sacerdotes esse dicantur, diximus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 61. *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini ministri Dei nostri.* Vbi tunc cum illis loquebatur Propheta, quibus nullo modo ad sacerdotium patebat accessus. Dicuntur autem tam illi, quàm modo filij Dauid, esse Sacerdotes, quia illi magno erant in honore apud omnes, & in illorum sumptus abundè suppeditabatur à populo. Neque textus ipse indicat obscurè; nam cùm paulò anteà duorum Sacerdotum meminisset, statim tanquam aliquid diuersum addidit, Dauidis filios esse Sacerdotes. Vbi ego notam similitudinis subaudio; id est, esse quasi Sacerdotes, quia illos obseruabat, & alebat populus. Septuaginta reddidere ἀυλάρχας: id est, *aulæ Principes.* & l. 1. Paral. c. 18. in fine, vbi cùm eodem ordine, filóque sermonis, superiora texerentur, de filiis Dauid dicitur. *Porrò filij Dauid primi ad manum Regis*; id est, qui in Regia domo familiares erant Regi, & cum illo plurimùm versabantur. A quo loco, & ordine excidisse videtur Absalom, cui edixit Pater 2. Reg. 14. v. 24. *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Id est, non sit mihi vt anteà Sacerdos, aut inter primos ad manum. Porrò Sacerdotem aliquem, aut quasi Sacerdotem esse, prouerbiali specie dici de illo, cui omnia honestè, abundéque contingunt, in locum citatum Isaiæ probauimus, vbi satis multa de hoc dicendi genere; quem tu vide.

30. *Sacerdotes illi etiam dicuntur, qui magno sunt apud alios in honore.*

IN CAP. IX. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

QVÆRIT *Dauid à Siba, qui diu vixerat in Domo Saulis, an aliquis reliquus sit è Saulis domo? Cúmque vnum nosset esse Miphiboseth Ionathæ filium, illi paternos agros manu liberali, ac vindice restituit, & suæ mensæ vsum familiarem indulsit. Quod beneficium gratus accepit Miphiboseth suam tenuitatem modestè confessus. Paternos agros Rege iubente restituit, curátque Siba, ex quibus Miphiboseth familiæ necessaria largitur.*

CAPVT NONVM.

1. ET dixit Dauid: Putásne est aliquis qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?

2. Erat autem de domo Saul, seruus nomine Siba: quem cùm vocasset rex ad se, dixit ei: Túne es Siba? Et ille respondit: Ego sum seruus tuus.

3. Et ait rex: Numquid supereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei? Dixítque Siba regi: Supereſt filius Ionathæ, debilis pedibus.

4. Vbi, inquit, est? Et Siba ad regem, Ecce, ait, in domo est Machir filij Ammiel in Lodabar.

5. Misit ergo rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar.

6. Cùm autem veniſſet Miphiboseth filius Ionathæ filij Saul ad Dauid, corruit in faciem suam, & adorauit. Dixitque Dauid: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum seruus tuus.

7. Et ait ei Dauid: Ne timeas, quia faciẽs faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restituam tibi omnes A agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.

8. Qui adorans eũ, dixit: Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?

9. Vocauit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerũt Saul, & vniuersam domum eius, dedi filio domini tui.

10. Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & serui tui: & inferes filio domini tui cibos vt alatur: Miphiboseth autẽ filius domini tui comedet semper panem super mẽsam meam. Erant autem Sibæ quindecim B filij, & viginti serui.

11. Dixítque Siba ad regem: Sicut iussisti Domine mi rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus: & Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi vnus de filiis regis.

12. Habebat autem Miphiboseth filium paruulum nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibæ seruiebat Miphiboseth.

13. Porrò Miphiboseth habitabat in Ierusalem: quia de mensa regis iugiter vescebatur: & erat claudus vtroque pede.

IN CAP. IX. LIB. II. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Et dixit Dauid, putásne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?*]

1. TOTVM hoc caput apertum est, neque magna indiget Interpretis opera. Dicendum tamen aliquid, quia aliquid etiam est expeditum minùs. Multa fuerunt, quæ Dauidis impulerunt animum, vt Saulis recordaretur, neque nomen illius pateretur extingui, aut familiam aliorum expositam ludibrio incommodis laborare, quibus tenuiorum, & miserorum hominum fortunæ iactantur. Primum, ipsa natu- C ræ bonitas ad miserendum prona, iniuriarum immemor, & à Deo ad omne pietatis genus instituta; illa fecit, vt viuenti Regi, cũ maximo in Dauidem inflãmaretur furoris æstu, non semel ignosceret, cùm tutò posset, & facilè vitã eripere; hæc vt lugeret occisum, & illi quàm potuit officiosissimè parentaret. Hæc eadem nunc ingenuum cogit, & verè Regium animum, vt si qui ex Regia familia forent ab ingenti, & quasi fatali cæde *Dauidis in domũ Saulis studium.*

superstites, illorum consuleret rationibus, & de rebus ad vitam necessariis prouideret. Sed erat præterea grauissima ratio, cur Regiæ familiæ tam impensè consulere debuerit; quia id exigebat & amicitiæ fidelitas, & interposita iuramenti religio. Quàm arcto Dauidis, & Ionathæ necessitudinis vinculo fuerint animi constricti, ille dicendi modus satis explicat, qui lib. 1. cap. 18. ait, animam Ionathæ conglutinatam esse animæ Dauid. Ex qua animorum coniunctione ortum est, vt pro Dauidis salute non semel Ionathas vitæ periculum adierit. Accedebat præterea grauis in primis, & fœderis ratio, & interpositi iuramenti religio; vt constat lib. 1. cap. 20. & 23. Hæc igitur præter alia causa fuit, cur non solùm domui Ionathæ, sed etiam toti Saulis familiæ commendare voluerit. Et ideò addidit; *vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham.*

2. Vers. 2. *Erat autem de domo Saul seruus nomine Siba.*] Hic assiduus esse putabatur in domo Saulis, atque ideò ab illo, qui norat omnia, quæ ad Regiam illam familiam pertinebant, scisitatur Dauid, ecquis reliquus fuerit ex illa domo, in quem officiosus esse possit, & facere cum illo Dei misericordiam. Loquebatur autem de tota Saulis domo, non vt alij putant, tantùm de Ionathæ familia. Neque obstat, quòd vno tantùm Ionathæ filio responderit Siba; quia ille seruus videtur fuisse Ionathæ, vt constat v. 9. *Vniuersam domum Saulis dedi filio domini tui.* Et quò illi à Regia liberalitate consulerit, aliorum nomina suppressit: neque enim valde erat fidelis, aut verax, vt satis constat ex cap. 19. v. 26. Deinde, quia si qui erāt alij, vt filij quinque Merob, qui cap. 21. à Gabaonitis acti sunt in crucem, illis satis erat prouisum à Michol vxore Dauidis, quæ illos sibi in filios adoptauerat. Duo verò fuerunt alij filij Saulis ex Respha concubina, qui propter concubitum non legitimum, & maternas sordes iudicabantur alieni.

3. Adde, quòd cùm de Saulis posteris ageret Dauid, dixit ad Sibam; *Vt faciam cum eo misericordiam Dei.* *Dei* porrò *misericordia* ad ipsius inimicorum beneficium extenditur, quibus spiritum largitur, & vitam: & cùm illos posset à se procul abiicere, cumulat tamen donis; neque illorum merita Dei impediunt mitissimam naturam, quominùs solem suum oriri faciat super bonos, & malos; & pluat super iustos, & iniustos. At hæc misericordia, si non spectaret Saulis intestinum odium, & rabidam sitim Dauidici sanguinis, in eo, quem dixi, sensu, non diceretur misericordia Dei, quia potiùs erat Dauid Ionathæ prouocatus meritis, quàm offensus iniuriis; atque ideò habuit potiùs in Ionatha, quod compensaret antidorali officio, quàm quod studio vlcisceretur hostili. Neque alio, vt opinor, sensu dixit Ionathas lib. 1. capite 20. vers. 14. *Facies mihi misericordiam Domini.*

4. Vers. 6. *Cùm autem venisset Miphiboset filius Ionathæ filij Saul ad Dauid, corruit in faciem suam, & adorauit.*] Hic fuit, de quo suprà, cap. 4. v. 4. cecidisse dicitur ex nutricis vlnis, & debilitatis cruribus claudus effectus. Id porrò accidit eo ipso tempore, quo Saul, & Ionathas ceciderunt in montibus Gelboë, cùm ipse quintum ageret ætatis annum. Vnde optimè colligit Abulensis, hanc historiam, seu hanc misericordiam Dauidis erga Miphiboseth accidisse, quo tempore ab historico sacro proponitur, nempe subiugatis his prouinciis, de quibus proximè præcedenti capite. Nam habuisse tunc dicitur Miphiboseth filium nomine Micha v. 12. Quare annos natum esse viginti verisimile est. A morte autem Saul, quando quinquennis erat Miphiboseth, ad hoc tempus anni videntur intercessisse quindecim, quibus anni Miphiboseth viginti complentur. Vbi ergo Miphiboseth Dauidis subiit aspectum, procidit supplex ad illius genua, & tanquam aliquid in eo maius, & augustius agnosceret, illum solita Regum adoratione prosecutus est.

Vers. 7. *Et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.*] Quædam habent Principes priuata bona à parentibus accepta, quæ neque ius attulit regni, neque Regio nomine ab aliis acceperunt; qualia sunt, quæ quisque habuit, antequàm regnum, seu iurisdictionē obtineret. Nam olim omnia, quæ regium comitantur nomen, ad successorem cùm nomine, ac titulo transmittuntur. Habuerunt Reges propria quædam bona, quæ aut acceperunt à parentibus, aut aliis modis ipsi quæsierant. Qualia fuerunt illa, quæ Zachar. cap. 14. v. 10. dicuntur *torcularia Regis.* Et quæ sibi ad delicias comparauit Salomon, de quibus ipse Eccles. cap. 2. v. 4. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomeria, & conseui ex cuncti generis arboribus.* Talia, opinor, aliqua habuit Saul, antequàm ad Regiam dignitatem ascenderet. Sanè asinarum habuisse greges habemus lib. 1. cap. 9. & agros coluisse, cap. 11. v. 5. *Ecce Saul veniebat sequens boues ex agro.* Hæc igitur Saulis bona dedit Dauid Miphiboseth, quæ non videntur fuisse luculenta, quia neque diu Saul cum potestate fuit, cum biennio tantùm regnum obtinuerit; & illa omnia Siba cum filiis, & seruis colere potuerit. Habuisse tamen vineas, & agros, ipse indicat Saul, cap. 22. v. 7. dum ait: *Nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas?* Ac si dicat; Dauid non poterit, quia pauper est: ego facilè potero, quia his omnibus abundo. Promisit quoque Dauid Regios cibos, quos eidem secum accumbens mensæ quotidie sumeret.

Vers. 8. *Respexisti super canem mortuum similem mei.*] *Canis*, & multò magis *canis mortuus*, prouerbiali specie pro re sumitur vilissima, & execrabili, quia & canis odiosus est, & cùm mortuus fuerit, grauissimum ex se halitum aspirat. Capite 24. v. 15. lib. 1. iisdem verbis locutus est de se Dauid ad Saulem, ex quo fortasse didicit Miphiboset, & dicendi modum, & humilitatis spiritum. Vide quæ nos ibi hac de re pluribus.

Vers. 9. *Omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuersam domum eius dedi filio domini tui.*] Hîc duos agnosco dominos Sibæ, alterum Ionatham, alterum Miphiboseth, cui patre mortuo famulatus est Siba. Dominum hoc loco Miphiboseth, intelligo, cuius filio Michæ adiudicata sunt à Dauide Saulis bona; nam licèt attributa fuerint Miphiboseth; tamen quia illi omnia abundanter sunt à Dauide prouisa; neque ad vitæ subsidium, neque ad dignitatis ornamenta vllo alio egebat adiumento, omnes, qui ex Saulis agris capiebantur prouentus, ad Michæ sumptus, & alimentum dicuntur esse conferendi. Hoc autem idem est, ac si Miphiboseth accepisset omnia, quia ab illo in alendo filio sumptus illos factos oportuit. Quare non sine causa addidit Dauid: *Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam.* Ac si dicat: Nolo tibi id imponere negotij, vt dominum tuum Miphiboseth alas, quia hanc in meipsum curam recepi; satis habebo, si filium

lium eius Micham percepto ex agris fœnore sustentes.

8. Vers. 11. *Dixitque Siba ad Regem; sicut iussisti domine mi Rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus. Et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi vnus de filiis Regis.*] Faciam, inquit Siba, quodcumque abs te de Micha Miphiboseth filio mihi mandatum est, & si tibi visum fuerit, Miphiboseth etiam in mensam meam, & curam accipiam, illúmque sic tractabo luculenter, ac splendidè, quemadmodum filij Regum tractari solent. Quomodò Genes. 24. v. 18. dicit Rebecca. *Bibe domine mi. &c. quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Hic mihi sensus facilis, & germanus videtur. Alij aliter & legunt, & exponunt; alij aliquid supplendum putant: quod mihi non videtur necessarium, cùm sensus hic facilis sit, & planus; maximè si, quod millies in Scriptura occurrit, *Et*, sumatur pro *imò*, in hunc sensum: Alam Micham filium domini mei Miphiboseth, imò & ipsum Miphiboseth.

9. Quidam codices *super mensam tuam* legunt, vt notat Hieronymus in tradit. Hebr. ad hunc locum, quemadmodùm etiam legit Abulẽsis. Quasi dicat Siba; quando Rex sibi curandum esse dicit de Miphiboseth alimento, curaturum se, ne quid illius filio Michæ desit. Sed textus Hebræus *meam* habet. Quem sic accipiunt aliqui, vt verba putent esse Dauidis, & suppleant: *Et dixit Dauid*, iterando videlicet dictum, & ea repetitione confirmando magis, quod promiserat. Sed sanè hoc A valdè distorquet textum, & ad hanc sententiam prorsùs trahit inuitum. Ita Hieronymus suprà, Caietanus, Lyra, & nonnulli alij. Alij verba quidem dicunt esse Sibæ; ita tamen vt dicat, mittendos esse cibos à Rege, quos in mensa Sibæ comedat Miphiboseth. Quam cogitationem omninò conuellit, quod statim v. 13. *ideò mansisse dicitur Miphiboseth in Ierusalem, quia de mensa Regis iugiter vescebatur*; alioquin esset eo in loco, vbi Siba morabatur, vtique extra Ierusalem. Septuaginta *super mensam Regis* transtulerunt. Sed Vulgata translatio, & Hebraicus textus habent *mensam meam.*

Vers. 12. *Habebat autem Miphiboseth filium* 10.
paruulum nomine Micham.] Hoc additum puto, vt
explicetur, quinam sit ille domini Sibæ filius, cu- B
ius commodis seruire debuerũt Saulis agri, quos Ionathæ filio restituit Dauid, quemque alere Siba iussus est, & sedulò seruire.

Omnis verò cognatio domus Sibæ seruiebat Miphi- 11.
boseth.] Amplexus est Dauid filium Ionathæ quasi filium Regis; atque ideò iussit, vt qui parẽti priùs florente fortuna, illi iidem filio Miphiboseth, eodem studio, ac sedulitate seruirent. Quare licèt aliqui alio in loco de Michæ alimento, atque educatione curarent; alij fuerunt in Ierusalem, qui assisterent Miphiboseth, ne quid illi deesset ad dignitatem, quæ Regium adolescentem, & Regis amicum, & alumnum decebat. Quare verisimile est, ex agrorum prouentu non parùm in illius comitatu, & cultu fuisse consumtum.

IN CAP. X. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

LEGAT Dauid nuncios ad Ammonitarum Regem, vt illum de parentis obitu solarentur. Quam quidem rem iniquus interpretatus Ammonites, nempe quòd Consolatorum specie explorare vellent, quis illius regionis status esset, quæ munitio, ac firmitas, ignominiosè tractat Regios legatos, & rasa dimidia barba, & vestibus ita dissectis, vt illa paterent, quæ non possunt honestè nudari, irridendos populi ludibrio permittit. Quod, vt par erat, permolestum accidit Dauidi. Cum autem ex suo scelere, & stupore insano coniectarent Ammonitæ ab offenso Rege paratum sibi malum, & domesticos habent delectus, & externa auxilia mercede conducunt. Neque segniùs Dauid contrà aciem instruit, & Ioab exercitus Principi tanti sceleris vltionem commendat; qui primo congressu contrarias acies profligat, ac sternit. Syri, qui suam operam Ammonitis locauerant, & quorum è genere superiori prælio multi ceciderant, vt labem eluerent, quæ suo nomini videbatur aspersa, rursùs contra Israelitas bella mouent, & externum etiam militem accersunt. Sed accipiunt rursùs non minorem plagam, quàm exceperant priùs. Quare neque vlteriùs Syri auxilium præbent Ammonitis, & Reges alij ex pacto Israelitico iugo ceruices antè liberas submittunt.

CAPVT DECIMVM.

1. FActum est autem post hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo.

2. Dixítque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naaz, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid, consolans eum per seruos suos super patris interitu. Cùm autem venissent serui Dauid in terram filiorum Ammon,

3. Dixerunt principes filiorum Ammõ ad Hanon dominum suum: Putas quòd propter

propter honorem patris tui miserit Dauid ad te consolatores, & non ideo vt inuestigaret & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, misit Dauid seruos suos ad te?

4. Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos.

5. Quod cùm nunciatum esset Dauid, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde, & mandauit eis Dauid: Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini.

6. Videntes autem filij Ammon, quòd iniuriam fecissent Dauid, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum.

7. Quod cùm audisset Dauid, misit Ioab, & omnem exercitum bellatorum.

8. Egressi sunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha seorsum erant in campo.

9. Videns igitur Ioab quòd præparatum esset aduersum se prælium, & ex aduerso & post tergum, elegit ex omnibus electis Israël, & instruxit aciem contra Syrum:

10. Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem aduersus filios Ammon.

11. Et ait Ioab: Si præualuerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon præualuerint aduersum te, auxiliabor tibi.

12. Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.

13. Iniit itaque Ioab, & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt à facie eius.

14. Filij autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt & ipsi à facie Abisai, & ingressi sunt ciuitatem, reuersúsque est Ioab à filiis Ammon, & venit Ierusalem.

15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israël, congregati sunt pariter.

16. Misítque Adarezer, & eduxit Syros qui erant trans fluuium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum.

17. Quod cùm nunciatum esset Dauid, contraxit omnem Israelem, & transiuit Iordanem, venítque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerso Dauid, & pugnauerunt contra eum.

18. Fugerúntque Syri à facie Israël, & occidit Dauid de Syris septingẽtos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est.

19. Videntes autem vniuersi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israël, expauerunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israël. Et fecerunt pacem cum Israël: & seruierunt eis: timuerúntque Syri auxilium præbere vltrà filiis Ammon.

IN CAP. X. LIB. II. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Factum est autem post hæc, vt moreretur Rex filiorum Ammon.*]

1. HIc Rex lib. 1. Paralip. cap. 19. appellatur Naaz, qui sine dubio ille fuit, de quo lib. 1. cap. 11. contra quem primum bellum suscepit Saul. Ita putat Abulensis q. 2. Neque huic cogitationi incommodat, quòd hic amicus esse dicatur Dauidis, qui hostis priùs acerrimus fuerit Israëlis, quocum ea tantùm lege dicebat ineundum fœdus, si dextros sibi oculos erui pateretur Israël. Hoc, inquam, non nimis vrget; quia longo tempore mutari potuerunt animi, & bene in illos affici, à quibus antè fuerant alieni. Præsertim, quia cùm Naaz, & Regio illa Ammonitis malè fuerit à Saule vexata, non durè se haberet ad Dauidem, eo maximè tempore, cùm hostili animo illum ad cædem expeteret Saul, vel eo tantùm nomine, quòd Saulis illum hostem existimarer.

Vers. 2. *Dixitque Dauid; faciam misericordiam cum Hanon filio Naaz, sicut fecit pater eius mecum misericordiam.*] Quænam fuerit hæc misericordia, quam à Naaz acceperit aliquando Dauid, quærunt Interpretes; neque quod ego viderim, vllum habent in Scriptura vestigium, quod sequantur: quòd si aliqua se ostentat coniectura, illa incerta est, & quæ aut nihil, aut certè parùm afferat lucis. Lyra duas adducit Hebræorum sententias. Altera est, Regem Ammon fuisse quoque sub hæc tempora Regem Moab, & illius fidei credidisse Dauidem patrem suum, ac matrem, quibus nihil putabat tutum in terra Israëlitide, quo tempore Saul ardenti ipsum insectabatur odio. De quo lib. 1. cap. 22. Hanc igitur misericordiam consolationis officio agnoscere voluit, & compensare Dauid. Hanc tamen sententiam neque ipse probat Lyra, & 2. *Rex Ammõ qua in re in Dauidem misericors.*

& multis confutat Abulensis q.4. Et quidem si ante hoc tempus accidit bellum Moabiticum, de quo cap.8. v. 2. in quo Dauid coæquasse dicitur terræ Moabitas, & illorum plurimos ad cædem esse dimensus, non benè conuenit cum hac in Ammonitas misericordia illa in Moabitas tanta seueritas.

3. Alteram sumpsit ex Rab. Salomone, quam ipse tandem sequitur. Ait enim Regem Moab illum esse, apud quem patrem suum, & matrem manere voluit, dum ardens Saulis deferuescceret æstus, aut pacatior esset, & melior Regis, regnique conditio. Cùm autem præsente Dauide se benignum præbuisset, illo inde profecto mutauit animum; aut certè prodidit, quod antè celauerat, odium, & inuidiam in Israëlitidem gentem. Nam occidit patrem, & matrem Dauidis, & alios nonnullos, qui cum Dauide erant sanguine, aut amicitia coniũcti, præter aliquos, qui ab illa se cæde subduxerunt, & ad vicinum Ammonitarum Regem contulere, quos ille accepit benevolè, & tandem ab hoste vicino seruauit incolumes. Hanc Regis gratiam, quam sibi impensam existimabat Dauid, remetiri voluit consolationis officio. Quæ explicatio eo laborat incommodo, quòd nullum habet in Scriptura sacra fundamentum; neque habet aliquid aliud, quàm mera huius Rabbini somnia, quorum habet fœcundissimum cerebrum. Huius cogitationis refutationem vide apud Abulensem q.4.

4. Alia est sententia, quæ licèt in Scriptura fundamentum non habeat; minùs tamen habet, quod reprehendas, & damnes. Quam tenent Hebræi, vt in eorum traditionibus refert, neque improbat Hieronymus, & historia Scholastica, Angelomus, Glossa, & Abulensis q.cit. Sic autem Hieronymus ex Hebræis, & cum eo alij: *Quando fugit Dauid à facie Achis Regis Geth, venit ad Naaz Regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naaz itaque venit in speluncam Odolam, vbi venerunt ad eum pater eius, & mater, & omnis domus eius. Inde venit ad Moab, & dimisit apud eum patrem, & matrem, & omnem domum suam.* Hoc nos etiam sequamur, quia nihil occurrit verisimilius. Optamus aliquid ab aliis probabilius afferri; interim communiori hac sententia contenti simus.

5. *Misit ergo Dauid consolans eum.*] Vetus fuit consuetudo, quæ nunc etiam piè, & quodammodò religiosè seruatur, vt mutuò sibi homines gratularentur, si quid aliquando successisset ex voto; aut solarentur, si quid accidisset durius. Hinc ortæ gratulationes, & cõsolationes, quę in epist. officiosis numerantur; & quod per epist. sæpè fit, nõ minùs sæpè fit per legatos. Sanè Thou Rex Hemath gratulatus est Dauidi per filium de victoria contra Adarezer suprà cap.8. Sic Babylonis Rex Merodach per legatos Ezechiæ de restituta valetudine gratulatus est, Isaiæ cap.39. Quod vsque adeò vsitatum, atque legitimum fuit, vt consultandum ante victoriam dixerit Isaias, cap.14. quid respondendum sit Gentium legatis, qui gratulatum venerint de victoria. Hoc igitur officium non putauit sibi prætermittendum esse Dauid, sed suum in morte Naaz dolorem per viros ex suis non infimos Hanoni filio significauit.

Gratulatio inter Principes vsitata, & penè legitima.

6. Vers.3. *Dixerunt Principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas quòd propter honorem patris tui miserit Dauid consolatores?*] Misera vocatur terra, cuius Rex puer est, Eccles. cap.10. v.16. quia ipse vtpotè multarum rerum ignarus, quarum scientiam affert vsus, & experientia, facilè aliorum consiliis abducitur. Regum autem Consilarij, cùm ex suo sensu alios fingant, & iudicent; neque tam quid rei expediat publicæ spectent, quàm quid ad priuata faciat commoda, ex quo rerum honestatem, & vtilitatem metiuntur; fit vt dum suam captant vtilitatem, publicam prodant, atque contemnant. Sic sanè expertus didicerat Assuerus, Esther cap.16. v.6. dum docet, improborum hominum consiliis, qui Principum abutuntur simplicitate, grauia res publicas subiisse detrimenta: *Dum aures*, inquit, *Principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes callida fraude decipiunt.* Expertus est hoc Roboam, qui dum aures dat consiliariis, quales Reges pueri audire solent libentiùs, optimam regni partem temerarius amisit. Testis est Hanon, qui dum aliis se facilem, & credulum præbet, violato Gentium iure, & legatis Regiis per ludibriũ inhonestè tractatis, seipsum, & regnum penè perdidit. Cùm enim Regij legati officiosum ad Hanonem mandatum attulissent, persuaserunt adolescenti, qui illi à consiliis aderant, insidiosum illud esse artificium hostis, non amici benevolentis officium: neque aliud agere per legatos, imò veriùs per exploratores Dauidem, quàm vt terram Ammonitidem penitùs dispicerent, ac viderent, quid in ea regione apertum esset, vel munitum, quáque inferri possent castra commodiùs. Hoc autem artificium frequens tunc esse, & antiquum in Hebræorum populo, suadet quod suprà cap.3. vers.25. Hoc ipsum de Abner Dauidi voluit persuadere Ioab. Et Genes.42. vers.9. Ioseph ex eo, quod erat vsu frequens, hoc ipsum fratribus crimen insidiosum obiecit. Quibus cùm fidem habuisset, tam ingenio stupidus, quàm facilè credulus adolescens, pro tam pio benevolentiæ, & commiserationis officio, insignem retulit ignominiam.

Consiliarij mali, valde noxij.

Exploratorij artificium.

Vers.4. *Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum.*] Sanè verum est, quod in Romanis problematis q. 13. docet Plutarchus, in luctu, & funere illa adhiberi solita, quæ alibi molesta, & indecora iudicantur. Quare qui in pacata, lætáque fortuna candidis vtuntur vestibus; illi iidem in luctu atrati incedunt, sicut faciunt Romani. Alij contrà vestes assumunt candidas in funere, quibus erant in honore nigræ. Alij barbam, crinésque in luctu crescere sinunt, quæ in lætiore statu, atque fortuna detondent. Alij promissam comam, & barbam in honore gestant, atque lætitia; in fortuna tristi ad cutim vsque radunt. Denique quod in luctu fit, ita videtur à politiori cultu alienum, vt qui in luctu sunt, illi etiã dicantur in squallore, ac sordibus iacere. Quare quæ in luctu, & funere honesta sunt, eadem aliis locis, atque temporibus indecora iudicantur, & sordida. Deponebant è Gentilibus plurimi in suorum funere cæsariem, & barbam; quales fuere Ægyptij, de quibus Herodotus lib.2. & Assyrij, de quibus Strabo lib.16. Quod in funere Germanici feciſse barbaros quosdam tradit Suetonius in Calligula cap.5. Sed illi iidem in detonsa barba, aut ab aliis quoquo modo vulsa, vel tractata ab aliena manu, sic ferebant molestè, vt in eo summam putarent ignominiam, & intolerabile ludibrium: Vnde apud illos frequens, & prouerbiale, *barbam vellere*, & similia; pro subsannare, illudere, & eum tandem in modum accipere, quo accipiuntur illi, in quibus nihil est mentis, nihil pudoris. Sic Horatius lib.1. satyra 3. *Vellunt tibi barbam lasciui pueri:* Et Persius satyr.

7. *In luctu, ac lætitia varij apud varios habitus.*

Barba in luctu deponi à variis solita.

Barbam alicuius manu tractare, aut vellere ignominiæ genus.

Idoneò

Ideirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam Iuppiter.

9. Hinc etiam illud, *Leoni mortuo barbam vellere*; id eſt, inſultare, & illo ludibrij genere inſectari, quo nihil eſt turpius. Hoc conuitium tulit Chriſtus ab inſana, & barbara Iudæorum turba; de quo Iſaias cap. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Raſerant in dolore barbam Sichimitæ, cùm parentare vellent Hieroſolymæ à Chaldæis euerſæ. Ierem. cap. 41. v. 7. Hoc ipſum minatur Iſaias Moab cap. 15. v. 2. & Ieremias cap. 48. v. 37. Denique hoc luctuoſum eſt, & triſte, & niſi in dolore, ac funere voluntariè ſuſceptum, ignominiæ plenum. Apud Hiſpanos ſummæ ignominiæ loco ponebatur, ſi quis hoſtis ſui barbam apprehendiſſet; quare in minis hoc quondam in hoſtes iactabatur. Et Alexander, ne hoc Macedonibus accideret, iubebat, vt milites prælium inituri barbam raderent. Ita Plutarchus in Apophthegmatis Alexandri.

Iſai. 50.

10. Eſt quidem durum, & ignominioſum, barbam alicuius per ludibrium aut redere, aut vellere; ſed eſt multò ad ignominiam grauius, & ad pudorem acerbius, eam in facie, aut barba ſpeciem relinquere, vt aliis ſit prorſus irridendus, quemque ideò laſciui pueri conuitiis exagitent iocularibus, & lapidibus appetant. Tales omninò videbantur legati illi Dauidis, viri vtique honeſti, cùm dimidiam habuere barbam eraſam; nouum ſanè ſpectaculum, & eiuſmodi, vt pueris opportunos præberet ludos, & otioſorum hominum turbam ad ſannas, & cachinnos excitaret. In lib. 1. Paralip. cap. 19. dicuntur etiam hi nuncij decaluati, quod nouum fuit irriſionis genus: & vt dimidia tantùm barba raſa fuit, ſic etiam exiſtimo dimidium quoque caput fuiſſe ad cutim quoque detonſum. Cur autem hanc potiùs Ammonitæ Hebræis, quàm alia irrogarint iniuriam, hanc cauſam eſſe ſuſpicor: Quia hoc tempore (nam de poſterioribus ſæculis alia ratio, in quibus multa Hebræorum populo ex moribus adhæſere Gentilicis) Iſraëlitæ illud horrebant tanquam impium, quod Gentibus erat vſu frequens, maximè in luctu, ac funere, nempè tondere caput, aut barbam radere, quia id didicerant Leuit. 19. v. 27. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Quod præcipuè ſeruandum eſſe Sacerdotibus dicitur Leuit. cap. 21. v. 5. *Non radent caput, neque barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.* Cùm igitur hunc habitum tanquam à lege prohibitum abominarentur tunc temporis Hebræi, probróque ducerent, imò & prodigio ſimile putarent, cum deformato capite, ac facie ſuorum oculos ſubire, quod non ignorabant Ammonitæ; ideò eam legatis irrogarunt plagam, quam maius videbant apud ſuos habituram dedecus. Quod ne legati ſubirent apud ſuos, monuit Dauid, vt tandiu ſubſiſterent in Iericho, donec creſceret barba, ne deformata facie & ipſi pudefierent, & alios afficerent mœrore.

11. *Hebræis cur turpe barbã, & caput radere.*

12. *Et præcidit veſtes eorum medias vſque ad nates.*] Lib. 1. Paral. cap. 19. *Præcidit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes.* Nouum ignominiæ genus, & fortaſsè grauius, quàm raſo capite, & dimidiata barba deformari faciem. Quod vt appareat eſſe verum, obſeruo, quod etiam notauit Lyra, & à me pluribus probatum eſt ad illud Cant. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ*; Hebræis nullum eſſe fœmoralium vſum, niſi Sacerdotibus, cùm operam darent ſacrificiis, atque altari; ne fortè dum cùm victimis luctantur, reducta lacinia, & ſublata tunica, illorum appareret turpitudo. Reliqui nullum habebant tegumentum, quo partes illas proximè velarent, quas naturalis pudor maxime voluit ab aliorum oculis ſubmouere. Quare neceſſe erat, ſi à natibus ad pedes vſque veſtes eſſent ab omni parte præciſæ, vt illa ſpectanda proponerentur aliorum oculis, quæ nudari horret ingenuus pudor, & honeſtatis amor. Quam ignominiam pertulerunt, quandiu fuerunt apud Ammonitas, in Regia ſaltem vrbe, & totius regni prima ſede, vbi ſatis & puerili turbæ, & aulicæ nobilitati, & toti denique multitudini fuere ridiculi. Ita putat Lyra, & Abulenſis q. 4. Dionyſius, & Hugo.

Hebræi non vtebantur fœmoralibus, niſi ſacerdos, cùm operam daret ſacrificiis.

13. REGVLA. *Res nomen aliquando ſumit à fine, aut ab eo, quod ex actione prouenit.* Hic libet adhibere regulam, quam tradidit Rab. Dauid in radice אפה *aphah*, quæ ſanè vera eſt, & ad hunc locum non importuna. Nempè rem interdùm denominari non ab eo, quod eſt, ſed à fine, aut ab eo, quòd futurum eſt. Iſaiæ 47. v. 2. *Tolle molam, & mole farinam:* non farina molitur, ſed granum, vnde farina fit. Iob. 22. v. 6. *Nudos ſpoliaſti veſtibus:* id eſt, ſpoliaſti veſtitos homines, ita vt relinqueres nudos. Dan. 2. v. 21. *Dat ſapientiam ſapientibus:* id eſt, rudibus, vt fiant Sapientes. Deut. 17. v. 6. vbi Vulgatus: *In ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur*; Hebraicè, *Occidetur mortuus:* id eſt, occidetur, vt ſit mortuus. Sic ergo nunc veſtes mediæ dicuntur eſſe præciſæ, quia id ex præciſione conſecutum eſt, vt tantùm pars eſſet media ex veſtibus relicta. Iob 22. Dan. 2. Deuter. 17.

14. Verſ. 5. *Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra.*] Docuerunt legati per tabellarios, vt dicitur 1. Paralip. cap. 19. quid paſſi fuiſſent ab Ammonitis; neque enim ipſi facie adeò indecenter deturpata venire in ſuorum conſpectum auſi sũt. Qui iuſſi sũt manere in loco, qui nõ procul aberat à Hieroſolyma, donec adulta barba ſine pudore poſſẽt in patriam remigrare. Ex quo intelligimus, ignominioſum eſſe Iſraëlitis barbã habere nudã à naturali veſtitu, niſi fortè in dolore, ac luctu, quando id honeſtum facit familiaris, & quaſi legitima populi conſuetudo. Nam ſi tota turpitudo foret in dimidiata barba, facilè ſublata parte, quæ ſupererat intacta, tolleretur illa tota deformitas, neque neceſſe eſſet expectare, donec creſcente barba ad deformatam faciem honeſtas rediret.

15. *Videntes autem filij Ammon, quòd iniuriam feciſſent Dauid, miſerunt, & conduxerunt mercede Syrum.*] In lib. 1. Paralip. cap. 19. conductum eſſe dicitur externum auxilium tam ab Hanone, quàm à toto populo: quam ad rem mille argenti talenta collecta ſunt; auxiliares autem copiæ ex variis Syriæ prouinciis euocatæ fuerunt. Nam Syria, vt alio loco diximus, latiſſimè patet. Vide Melam lib. 1. cap. 11. Reliqua ad finem vſque capitis obſcura non ſunt. Tantùm enim habemus hic acies ſuas inſtruxiſſe Ammonitas, vt conductum militem ex Syria in campum producerent, & apertum locum; patrium verò exercitum ad portam ciuitatis conſidere iuſſerint, ibique inimicorum appulſum expectare: qui tamen omnes aut cæſi, aut in fugam conuerſi; illi ab Abiſai fratre Ioab, hi ab ipſo Ioab Principe Iſraëliticæ militiæ. Cùm autem Syri, quod non putarant, tam grauem ab Hebræis accepiſſent plagam, quam conſecuta fuerat, vt apparet, Syrij nominis apud alios populos non leuis ignominia, enitendum ſibi exiſtimarunt, vt fœdam illam notam à ſuo nomine depellerent. Quare maiores vndecumque conſcribũt copias, & illas in Hebræos nocenti victoria exultantes inuehunt.

Ammonita & Syri victi.

16.

hunt. Sed non meliori, quàm antè succeſſu. Tranſmiſit enim Iordanem Dauid, excepitque hoſtem vſque adeò alacriter, & fortiter, vt cædem illius ediderit maximam, & vires eò vſque plus ſatis inſolentes attriuerit. Alij porrò Reges, qui Adarezer, qui in repetendo bello princeps, & auctor fuerat, aut ſubditi erant, aut fœderati, ingenti panore concuſſi fugerunt primùm ex acie, & deinde ſocietatem cum Dauide, & fœdus inierunt: neque Ammonitis vltrà Syri præbuerunt auxilium.

17. Illud hîc obſeruãdum, expediendúmque, quod in tota hac narratione videtur implexum. Nam v. 18. vbi nos legimus: *Fugerúntque Syri à facie Iſrael, & occidit Dauid de Syris ſeptingentos currus:* in lib. 1. Paralip. cap. 19. v. 18. legimus: *Interfecit Dauid de Syris ſeptem millia curruum.* Sed eſt ſolutio non difficilis iuxta ea, quæ diximus cap. 8. ad v. 4. Nam hoc loco currus tantùm numerantur, qui fuerunt ſeptingenti; in lib. Paralip. milites, qui vehebãtur in curribus, qui fuerunt ſeptem millia. Dicuntur autem *currus*, qui in curribus vehuntur, per metonymiam, quæ in re continenti rem contentam intelligit; & contrà per eumdem tropum in iis, qui

REGVLA. *Currus, & equi pro his, qui curru, & equis vehuntur.*

A vehuntur curribus, currus ſignificantur, quia non rarò res continens in re ſignificatur contenta.

Illud difficilius, quia in hoc capite quadraginta equitum millia dicuntur occiſa; in libro tamen Paralip. illa quadraginta millia peditum eſſe dicuntur. Sed eſt dicendum, iuxta illa, quæ ſuprà cap. 8. obſeruata ſunt; neque in libro Regum, neque in libro Paralipomenon omnia fuiſſe numerata. Aliquid enim omiſſum eſt in libro Regum, quod addidit liber Paralipomenon; cuius id eſt præcipuũ, iuxta ſui nominis notationẽ, vt omiſſa adiiciat; quare addidit *peditum quadraginta millia*, quod omiſerat in libris Regum hiſtoria ſacra; neque equitum meminit, quia de illorum numero in libris Regum diſertis verbis actum videbat. Quare in eo bello ceciderunt ſeptem hominum millia, qui in ſeptingentis vehebantur curribus, & inſuper quadraginta equitum, & totidem peditum millia. Quare in eo congreſſu ex Syrorum caſtris octoginta, & ſeptem millia deſiderata ſunt. Alij alias afferunt ſolutiones, quas omitto, quia impeditæ ſunt, & non admodùm faciunt ad textum.

18.

In libris Paralipomenõ, ea traduntur, quæ in libris Regũ omiſſa, aut explicantur quæ ibi dicuntur obſcuriùs.

IN CAP. XI. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM ſequenti anno tempus rediret, in quo bella ſolent adminiſtrari commodiùs, rursùs Ioab bello tentat Ammonitas, & prouinciæ caput Rabbath obſidione vallat anguſta. Interea Dauid, qui Hieroſolymæ remanſerat, è ſolario curioſiùs fœminam eleganti forma contemplatus, & ipſius captus inſano deſiderio, per nuncios accerſit, ac tandem ad ſuum votum liberè potitur. Quam cùm ex illo furtiuo concubitu concepiſſe diſceret, & omninò celari vellet adulterium, vt non tam ex adultero, quàm ex legitimo viro concepiſſe putaretur, Vriam verum coniugem accerſit, & vt cum vxore rem habeat coniugalem ſedulò procurat, ſed fruſtrà: neque enim obtinere potuit ab illo, vt voluptati, ac genio daret mollem operam, cùm duram ſubirent exercitus Principes cubantes humi, & Dei Arca pellibus eſſet aſperis operta. Quare cùm nihil blanditiis eſſet conſecutus, rem aliter tentat: ſcribit enim ad Ioab, vt eo in loco agminis Vriam conſtituat, vbi maius proponitur periculum; ac tandem curet, vt omninò cadat. Quod præſtitit Ioab, ſicut ipſe à Rege in mãdatis acceperat. Tunc verò cum Vria cecidere non pauci. Quod Dauidi minùs accidit durum, quàm oporteret: immò dolorem, quem de eo euentu acceperat Ioab, conſolatione deterſit. Impendit vxor Bethſabee defuncto viro funeris honorem. Cùm verò legitimus planctus eſſet iam expletus, illam Dauid accepit vxorem, quæ filium peperit, quem ex Dauidis ſatu antè conceperat.

CAPVT VNDECIMVM.

B

1. FActum eſt autem, vertente anno, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſraël, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſiderunt Rabbath: Dauid autem remãſit in Ieruſalẽ.

2. Dum hæc agerentur, accidit vt ſurgeret Dauid de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ: vidítque mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde.

3. Miſit ergo rex, & requiſiuit quæ eſſet mulier. Nunciatúmque eſt ei, quòd ipſa eſſet Bethſabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi.

4. Miſſis itaque Dauid nunciis, tulit eam, quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit eum ea: ſtatímque ſanctificata eſt ab immunditia ſua:

5. Et reuerſa eſt in domum ſuam concepto fœtu. Mitténſque nunciauit Dauid, & ait: Concepi.

6. Miſit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum. Miſítque Ioab Vriam ad Dauid.

7. Et venit Vrias ad Dauid. Quæsiuítque Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum,

8. Et dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vrias de domo regis, secutúsque est eum cibus regius.

9. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum aliis seruis domini sui, & non descendit ad domum suam.

10. Nunciatúmque est Dauid à dicentibus: Non iuit Vrias in domũ suam. Et ait Dauid ad Vriam: Nunquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?

11. Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.

12. Ait ergo Dauid ad Vriam: Mane hîc etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Vrias in Ierusalem in die illa & altera:

13. Et vocauit eum Dauid vt comederet coram se & biberet, & inebriauit eum: qui egressus vespere, dormiuit in strato suo cum seruis domini sui, & in domum suam non descendit.

14. Factum est ergo manè, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misítque per manum Vriæ,

15. Scribens in epistola: Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, vt percussus intereat.

16. Igitur cùm Ioab obsideret vrbem, posuit Vriam in loco vbi sciebat viros esse fortissimos.

17. Egressíque viri de ciuitate, bellabant aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus.

18. Misit itaque Ioab, & nunciauit Dauid omnia verba prælij:

19. Præcepítque nuncio, dicens: Cùm compleueris vniuersos sermones belli ad regem,

20. Si eum videris indignari, & dixerit: Quare accessistis ad murum, vt præliaremini? an ignorabatis quòd multa desuper ex muro tela mittantur?

21. Quis percussit Abimelech filium Ierobaal? nónne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? quare iuxta murum accessistis? dices: Etiam seruus tuus Vrias Hethæus occubuit.

22. Abiit ergo nuncius, & venit, & narrauit Dauid omnia quæ ei præceperat Ioab.

23. Et dixit nuncius ad Dauid: præualuerunt aduersum nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus vsque ad portam ciuitatis.

24. Et direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos ex muro desuper: mortuíque sunt de seruis regis, quinetiam seruus tuus Vrias Hethæus mortuus est.

25. Et dixit Dauid ad nuncium: Hæc dices Ioab: Non te frangat ista res: varius enim euentus est belli: nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos aduersus vrbem, vt destruas eam, & exhortare eos.

26. Audiuit autem vxor Vriæ, quòd mortuus esset Vrias vir suus, & planxit eum.

27. Transacto autem luctu, misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor, peperítque ei filium: & displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid, coram Domino.

IN CAP. XI. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Factum est autem vertente anno, eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab.*]

1. POST tot victoriarum gloriã, & magnarum virtutum illustria documẽta, lapsus est grauiter, & mutatus à seipso Dauid, qui non minùs peccando nobis vtilis fuit, quàm antè fuerat iustè, religioséque viuendo. Docuit enim lapsus non esse temerè fidendum vitæ superiùs integrè, castéque tractæ, vt nos liberos existimemus à lapsu; & quàm potens sit pulchra fœminarum species, vt magnorum etiam Heroũ spiritus, & constantiam debilitet. Et quantùm expediat cohibere oculos, ne per illos blandæ, & illudentes species in animum irrumpant, quæ cogitationes priores, imò & priorem mentem penitùs expectorent. Exhibuit præterea optimum animi verè pœnitentis exemplum, quod nobis sæpe proponunt antiqui Patres, vt in illud intenti inolitas ex animo nostro labes deleamus.

Dauidis nõ minùs vtile exemplum post peccatũ, quàm antè.

Annus vertens dicitur illud tempus, quod nouum annum inchoat, & exacto annuo circulo, in se ipsum iterùm recurrit, & talem orditur cursum, qualem exactus annus nuper absoluerat. *Vertens annus* passiuè ponitur, sicut alia participia non pauca temporis præsentis, vt *voluens*, *præcipitans*, *vehens*; id est, quod vehitur, præcipitatur, voluitur; sic etiam *vertens*, quod vertitur, aut conuertitur. Est

2. *Annus vertens quis.*

REGVLA. *Participia præsentis interdum præterita significant.*

Est autē *annus vertens*, qui vertitur, & in seipsum redit; quæ explicatio est Græci nominis ἐνιαυτός. Sic sæpe vocatur annus à Cicerone, cùm annus completus est, & circularem periodum absoluit. Cùm autem anni finis cùm alterius anni principio coniūgatur, sicut extrema circuli; si tamen extremum est aliquid in circulo; fit vt annus vertēs dici possit vel extrema pars antecedentis, vel sequentis prima. Sed quia varia sunt apud varios annorum principia, & fines, fit vt non eadem apud omnes anni pars dicatur *annus vertens*. Quidam ineunte Ianuario, apparere dicunt ineuntē; id est, incipiētem annum. Qui annus dicitur ciuilis, quia eo tempore seruiles operæ, pensiones, & vsuræ cōplentur. Alij ab æquinoctio vernali. Et sanè hoc est apud Astrologos anni principium, à quo reliqui menses & numerum sumpserunt, & nomen. Hoc apud Hebræos anni principium est, qui Nisan; id est, Martium primum numerant mensem in anno. Iuxta illud Exod. 12. v. 2. *Mensis iste nobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Et quidem Iosephus lib. 7. cap. 7. ineunte vere dicit ad bellum missum esse Ioab.

3. Cur autem *anno vertente*; id est, sub initium anni ad æquinoctium vernum, Reges ad bella procederent, ea ratio est, quia hibernum tempus incommodum est illis, qui aliis voluerint inferre bellum; quia cùm in alienam regionē castra moueant, neque commodam ad arcendas hiberni tēporis iniurias habitationem habeant; necesse est humi quamplurimi cubent sub cœlo; & vbi cum aliis actum est optimè, sub pellibus. Sic sanè hoc ipso capite, v. 11. dixit Vrias: *Dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent.* Cùm autem durum sit, cùm riget cœlum, & venti perflāt frigidi, & frequentes sunt imbres, illa temporum incommoda subire, continentur milites in hibernis; id est, in locis tectis, & apricis, vbi minùs molestæ sint illæ temporum iniuriæ. Cùm verò primùm sub vernam lucem, vertente anno, cœlum intepuit, prodeunt ex hibernis acies, & bella moliuntur ad illud vsque tempus intermissa.

Vernale tēpus gerendis bellis opportunum.

4. Vbi Vulgatus; *Quo solent Reges ad bella procedere*; Hebraicè est, *ad tempus egredi Reges*, seu *egressionis Regum*; nempè ad bellum. Quare quidam existimant tunc compleri annū, ex quo Reges, de quibus proximè, nempe Syriæ, vt suorum vlciscerentur cædem, & inustam suo nomini ignominiam exurerent, ad bellum processissent. Ita Hebræi, vt in eorum traditionibus refert Hieronymus. Sed quia & Hebraicus textus nostram admittit expositionem, & ad hæc accedit Vulgatæ translationis auctoritas, de aliorum sententia non laboramus; licèt fieri posset, vt ab aliorum Regum egressu compleretur annus: nam & illi etiam sub æquinoctij tempus prodierunt ad bellum.

5. *Et vastauerunt filios Ammō, & obsederūt Rabbath.*] Totus ille bellicus apparatus eò spectabat, vt reliquias persequeretur Ammonitici belli. Cùm ergo filij Ammon, qui aut occurrerunt in via cum infensis signis, aut qui regionem illam incolebāt, per quam esset transiturus exercitus, essent vastati, totū belli pondus in Regiam sedē, regnique metropolim incubuit. Hæc autē erat Rabbath; quæ, vt ipsum præ se fert nomen, ciuitas erat lauta, & nobilis, & ciuium multitudine frequens. Hāc Iosephus vocat lib. 7. c. 7. Rabbatha; quam Hieronymus de locis Hebraicis suo tempore Philadelphiā appellari dicit. Vocatur autē c. 12. v. 27. *vrbs aquarū*, quia abundabat aquis aut iugiter manantibus, aut in piscinis abūdāter collectis. De qua fortassè est illud Cant. 7. v. 4. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Filia multitudinis*, quæ descriptio est frequentissimæ ciuitatis, videtur esse Rabbath, quæ *multitudinem* sonat.

Vers. 2. *Dum hæc agerentur, accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem.*] Non constat, quo tēpore acciderit hæc Dauidis tam subita, ac lamentabilis offensio, atque ruina. Nam illud, *dum hæc agerentur*, ad longum tempus explicari potest, quia plurimùm interfuit tēporis inter exercitus progressum ab bellum, & inter Regiæ ciuitatis obsidionem. Quare quo longi huius tēporis articulo contigerit, incertum est. Captarat, vt apparet, Dauid pomeridianos sūnos in stragulo, & lecto; quod mollioris iam animi, & fracti deliciis, atque otio, nonnullum argumentum est; quod fuit quasi pronubus illius consuetudinis flagitiosæ, & illius incendij prima, ac potentissima fax. Contigit ergo, vt è cubili surgeret, & per solarium deambularet, per locum videlicet sublimem, & apertum, qui ideò *solarium* appellatur, quia solem excipit, & illius lumine completur. 6.

Viditque mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum.] Illud, *solarium suum*, non erat Bethsabee, sed Dauidis: neque enim credibile est, honestam fœminam ad opus illud, quod non censetur omnium honestissimum, elegisse locum excelsum, & apertum, vbi ab omnibus liberè videri posset. Neque textus Hebraicus id admittit nisi admodùm durè, qui sic habet: *Vidit mulierem lauantem* מעל הגג *meal hagag*: id est, *desuper solario.* Vidit itaque Dauid mulierem lauantem, cùm esset super solarium suum, ad quod exurgens è lectulo conscenderat. Eodem modo locutus est proximè, cùm dixit, *vt surgeret Dauid de strato suo*: Hebraicè מעל משכבי *meal miscabo.* Licèt locum Bethsabee secretum elegisset, in eo tamen videtur peccasse, quòd non accuratè circumspexit, an aliqua ratione aliorum oculis patere posset; & an esset aliqua fenestra, aut etiam rima, quæ curiosos, & lasciuos oculos admitteret. Sanè si id, prout pudicam decebat, prouidisset, neque cepisset Regis oculos, neque ipsa passa fuisset pudoris sui tam turpe detrimentum. Quodnam fuerit illud Bethsabee lauacrum, seu lotio, quærunt Interpretes. Quidam dicunt sanitatis, alij voluptatis gratia lotam fuisse toto nudatam corpore. Alij tantùm menstruum eluisse sanguinem; quod mundæ, & elegantes fœminæ faciunt non indecorè. Alij purificari voluisse ab illa menstrua illuuie; quod non modò potest, & licet, sed etiam fieri necessariò debet, quia lege cautum est, Leuit. cap. 15. à v. 19. vbi de hoc sanguine, & de illius purificatione sermo est. Sed neque turpe existimabatur lauacrum in balneis, valetudinis, aut etiam recreationis gratia. 7.

Sanè balnea non horrebant etiam honestæ fœminæ, quia valde putabant ad corporis valetudinem conferre. Admirabilis fuit Susannæ pudor, & honestas; & tamen balneum iniisse dicitur, Dan. cap. 13. Non disputo, an totum nudauerint corpus aut hæc, aut Bethsabee, quod fortassè non fecerunt: sed id dico, hoc etiam pudicis, & honestis inusitatum non esse. Sanctum Ioannem Euangelistam lauandi gratia ingressum esse balneum, tradunt Epiphanius hæresi 30. Irenæus lib. 3. cap. 3. Eusebius lib. 4. historiæ capite 13. Tertullianus in Apologet. cap. 42. Christianorum in se mores, & consuetudinem describit: *Non lauor*, inquit, *diluculò saturnalibus, ne etiam noctem, & diem perdam: attamen lauor honesta hora, & salubri, quæ mihi, & calorem, & sanguinem seruet.* 8. *Balnearum honestus vsus.*

Et quidem Augustinus epist. 109. sanctimonialibus quibusdam permittit, vt semel in mense balneis vtantur: *Lauacrum, inquit, corporum, vsusque balnearum non sit assiduus; sed eo, quo solet interuallo temporis, tribuatur; hoc est semel in mense.*

9. *Oculi amorū pronubi.* Docemur hoc loco Dauidis exemplo, quanto studio nobis curandum sit, ne quid per oculos ad animum irrepat, quod pudorem nobis, & mētem eripiat. Norat hoc optimè Iob cap. 31. qui fœdus pepigit cum oculis suis, ne virginē aspiceret, quia veretur ne in animo posteà scintillam cōciperet, quæ durum excitaret incendium. Multa à Patribus, multa etiam à profanis dicuntur, de vago hominum, liberóque oculorum coniectu, de quibus nos ad illud Ezech. 6. *Et oculos eorum fornicantes.* Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum cap. 1. visum esse dicit amoris principium. Quod etiam cecinit quidam ex profanis:

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Grauia per oculos irrūpunt dāna. Et lib. 3. Pædag. c. 11. ad medium: *Lasciui autē aspectus, & versatilibus, & tanquam conniuentibus oculis intueri, nihil est aliud, quam oculis mœchari, cùm per eos cupiditas ineat prima pugnæ præludia.* Et Petrus ep. 2. c. 2. v. 14. oculos intemperantes, & vagos, plenos vocat adulterij. Basilius de vera Virginitate, libidinis pronubos, & quasi lenas oculos appellat. Idē Cyprianus de cœlo, & inuidia: *Offert*, inquit, *dæmō oculis formas illices, & faciles voluptatis, vt visu destruat castitatem.* Seneca de remediis fortuitorum, oculos irritamenta vocat vitiorum, & scelerum duces, & partem innocentiæ dicit esse cæcitatem.

10. *Species mulierum pudorem, & mētem expellit.* Exemplum optimum huius tāti periculi nobis est Dauid, qui cùm illustratus esset à Deo Prophetiæ dono, & oculos suos fortassè è pomeridiano strato extulisset madentes lachrymis, ex oratione, cui multam dabat, & frequentem operam; inopinato tamen captus mulieris aspectu, mentem abiecit non solùm piam, sed etiam pudicam, aut humanam. Quare hoc exemplum sæpe nobis proponunt Patres, ne vana nos superioris vitæ confidētia decipiat. Augustinus hac de re multa, atque præclara tom. 8. in Ps. 50. in principio: *Dicam ergo non quod volo, sed quod cogor: dicam non exhortans ad imitationem, sed instruēs ad timorem. Vxoris alienæ pulchritudine captus Rex, & Propheta Dauid, ex cuius semine secundùm carnem Dominus venturus erat, eam adulterauit.* Et longiusculè ab hoc loco, exemplo Dauidis monet, ne etiā procul mulierem intueamur; quia in nobis est, quod etiam è longinquo fœminarum species inflammat: *De longè vidit Dauid illam, in qua captus est. Mulier longè, libido propè. Alibi erat quod videret, in eo vnde caderet.* Vide Chrysostomum homil. 1. in Ps. item 50. & Gregorium lib. 21. Moral. cap. 2.

11. Vers. 3. *Misit ergo Rex, & requisiuit eam, quæ esset mulier.*] Amauit Rex, quam non nouerat, neque quicquā habuerat de illius moribus, ac nobilitate compertum. Quare quod priùs inquisiisse debuit, de illius genere, nomine, atque coniugio, per seruos, quos ea de causa miserat, doceri voluit; ac tandem cognouit vocari Bethsabee, & vxorem esse viri omnium fortassè fidelissimi, atque optimi, quorum opera in bellis vtebatur. Hic porrò Eliam, cuius filia dicitur Bethsabee, vt ex traditione Hebræorum docet Hieronymus, filius fuit Achitophel; & ea fortassè de causa contra Dauid posteà coniurauit cum Absalome, vt illatam nepti suæ vlciscēretur iniuriam.

12. Vers. 4. *Missis itaque Dauid nunciis tulit eā.*] Iam incipit Dauid ostēdere, quemadmodū libido, quæ virium est præceps omninò, & cæcū illū expectorato pudore, atque prudētia, cæcum reddiderit, & excordem. Quādoquidē nō dubitat animi vulnus tam fœdum, atque olidum nunciis aperire; neque sit verecūdatus ostendere se muliebri succubuisse pulchritudini; quē neque leo, & vrsus, neque posteà Hebræorū terror Goliath, neque mille deinde tela frāgere, aut domare potuere. Neque enim credibile est, ignorasse nuncios, quid animo designasset Dauid, cùm ad se fœminā euocauit ignotā anteà; aut nescisse nobilissimi viri copulatā coniugio. Quare in Rege desiderarent & constātiam in cohibenda libidine, & iustitiam, cùm innocētis viri thalamo violenter illuderet. Tulit illā Dauid non vi, vt apparet, & quasi armata pro regia potestate manu; sed suasione, aut prece, qualibus vtūtur, quos cæcus instimulat amor. Neque enim benè cōueniunt maiestas, & amor, & dum suam expleant cupiditatē, nō admodùm aut curāt, aut expēdunt amantes, quid maiestas exigat, aut dignitatis ratio. Neque illa videtur reluctata diu, aut admodū ægrè tulisse interpellari se de adulterio, quando de ea dicitur: *Cùm ingressa esset ad illum, dormiuit cum eo.* Qui loquendi modus non indicat illam fœminam ad Regis votum fuisse difficilem.

Statimque sanctificata est ab immunditia sua.] Mirum est, quàm in hac sanctificatione explicāda varij sint auctores, quorum opiniones refert Abulēsis q. 7. & Dionysius in hunc locū. Quidam sanctificationē esse putant, quia illa, cùm lauauit se, menstruam patiebatur illuuiē, quam lotione à se munditiæ gratia detergere voluit; cùm autē fuit primùm à Dauide cognita, cessauit mēstruū illud sanguinis profluuium, quod sistit fœtus in vtero conceptus. Quæ opinio non est omninò contemnenda. Nam rediit domum concepto fœtu, deinde cùm ex mēstrui sanguinis cessatione (neque enim tempore cōsueto rediit impurus ille sanguis) cognouisset se cōcepisse, quod anteà deprehendere nō poterat; significauit Dauidi se cōcepisse. Cessāte autem illius impuri sanguinis illuuie, sanctificata; id est, purificata dicitur; id est, nō polluta, aut immūda: quo sensu viuificatus ille dicitur, qui nō est mortuus; & ille hominem viuificasse, qui illi, cùm posset, vitam non eripuit. Hæc est omnium penè Interpretum sententia. Cui ego etiam, ne illis aduersari videar, lubens subscribo. 13. *Quomodò Bethsabee sanctificata post concubitum.*

Alij dicūt, sanctificatā esse Bethsabee in illo nocturno cōgressu cū Dauide, quia sterilis ante fuerat; & tunc cōcepto fœtu, sterilitatis deposuit opprobriū. Alij dicunt ab immunditia sua fuisse sanctificatā, quia semel tantùm cū Dauid illicitā illā cōsuetudinem habuit. Quasi dicas, sanctè se deinceps, & castè gessit. Hebræi, vt refert Abulēsis q. 7. sic exponunt, sanctificatā esse; id est, lotam ab immunditia scilicet menstrua; antequàm esset ad Dauidis consuetudinem adducta; quod fecit illa lotione, qua suam Dauidi pulchritudinē prodidit. 14.

Ego potiùs crediderim, hanc sanctificationē lotionem esse, qua vsa fuit Bethsabee, postquàm reliquit adulteri cubile: nam sanctificatio, seu purificatio legalis per lotionē sæpe fit. Exod. 19. *Sanctifica populum in diem tertium, & lauent vestimenta sua.* Obseruat autem Abulensis q. 7. virum, aut fœminam statim à concubitu siue cum proprio, siue cum alieno cōiuge, lotione purificari; adducitque Leuitici caput 15. quod tamen ego in eo loco nō inuenio. Existimo tamen id fieri solitum, quia inter Hebræos vt multæ erant immunditiæ legales, sic etiam multæ legales erant purificationes, illæque plerúmque ex aqua. Quod si à lege cautum non est, vt se statim viri, siue fœminæ à 15.

næ à nocturno congreſſu lotione purificent; at id ſaltem fuit conſuetudine receptum, quia maxima putabatur ex ea nocturna copula pollutio. Cui cõſuetudini vt pareret Bethſabee, ſe ſtatim recèns à coitu purificauit lauacro. Id ſanè facere conſueuiſſe Gentiles, cùm aliquid molirentur ſacrum, docuimus alibi. Sanè ad orationem, & ſacrificia ſolere Gentiles, ſi nocte rei coniugali dediſſent operam, manè ſe ablutione purificare, docuit Perſius Satyra 2.

A nocturno congreſſu gẽtiles etiam purificãtur.

Hæc ſanctè vt poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

16. Hanc ſententiam videntur ſecuti illorum aliqui, quibus ſuperior ſententia de menſtruo ſanguine non improbatur. Abulenſis q. 7. Dionyſius; Hugo. Et fauet huic cogitationi, quòd vbi Vulgatus habet, *ſanctificata eſt*, Hebraicè eſt מתקדשה *mith cadeſeth*: quod non tam ſignificat purificationem, quæ eſt à natura, qualis eſt ceſſatio à mẽſtruo sãguine concepto fœtu, quàm aliquo artificio, aut opera extrinſecùs allata ab illo, qui purificatur. Coniugatio enim ſeptima hithpael actionem aliquam indicat reciprocam, quam in ſe ipſo aliquis exercet. Quare idem eſt atque *purificauit ſe ipſam Bethſabee*. Et ita tranſtulerunt Pagninus, Tigurina, & Hiſpanica tranſlatio.

17. Verſ. 5. *Mittenſque nunciauit Dauid, & ait: Concepi.*] Cùm abeſſet diu Vrias, neque exiſtimaretur vulgò habuiſſe cum vxore conſuetudinem, apparerentque in vtero plùs ſolito tumẽte conceptionis ſigna, in ſuſpicionẽ venire poterat Bethſabee violatæ cõiugalis fidei; cui flagitio lapidatio erat à lege conſtituta. Hoc igitur ſupplicium, & infamiam vt declinaret Bethſabee, maturè admonet Dauidem, vt videat quid facto opus ſit, & qua ratione velit ſuæ ſaluti, ac nomini eſſe conſultum.

18. Verſ. 6. *Miſit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum.*] Nõ minùs timebat Dauid, quàm Bethſabee, ne quà in hominum vulgus tãti, támque indigni flagitij fœtor erumperet. Licèt enim nihil à legis ſeueritate timeret, quam Regũ poteſtas ſæpiùs eludit: at timere poterat infamiã, quæ Regium nomen obſcurat, & ſubditorũ mouet, & inflammat inuidiam. Quod ſi aliquãdo cõtingat, neque pacatus eſſe poteſt regnorũ ſtatus, neque vita Regum à periculo tuta. Vterque ita timet, vterque de quærenda tanti mali medicina laborat, quia & metus vrget, & ſcelerum conſciẽtia vrit, & inſtimulat. Purchrè hæc Chryſoſtomus hom. 1. in Pſ. 50. tom. 1. põderat, & amplificat. *Concepit*, inquit, *mulier, & Rex putabat poſſe latere: nam etſi Propheta erat, tamen concupiſcentia obcæcauerat eũ. Prægnans ergo facta mulier vadit ad Regem, & dicit ei: O Rex, peri. Et ille ait: Quid habes? Prægnãs, inquit, ſum. Peccati mei pullulat fructus, accuſatorem intrinſecùs habeo, & in ventre profero proditorem. Si venerit, & viderit vir meus, quid dicam? quid loquar? quam excuſationem prætendam? Inueniet me grauidam, & occidet me accuſatore clamante. Videte, & admiramini fratres, quantum malum ſit delictis, & peccatis obnoxium fieri, Rex militem timet, & formidat ſubditum. Imperator coronam capite geſtabat, & confuſionis opprobria metuebat. Nonne tu Imperator? nonne glady poteſtatem habes? Habeo, inquit, ſed conſcientiam peccati mei timeo formidinis matrem.* Vide reliqua, quæ planè ſunt Chryſoſtomo digna.

Conſcientia timida.

19. Verſ. 8. *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos.*] Paruit Ioab regio mandato, ſtatímque Vriã abire iuſſit Hieroſolymam. A quo cùm leuia quædã interrogaſſet Dauid, ne fruſtrà è caſtris euocaſſe videretur, tandem domum abire iuſſit, non alio con-

A ſilio, quàm vt ſcelus ſuum artificio tegeret; & fœtus, qui tunc celabatur in vxoris vtero, à legitimo putaretur, non ab adulterino concubitu cõceptus. Illud, *laua pedes tuos*, cõſuetudinẽ indicat regionis illius, in qua eorum, qui excipiuntur hoſpitio, lauantur pedes, & alia impenduntur ab amicis humanitatis officia. Lotionis porrò in Paleſtina propter loci naturam frequens eſt, & fortaſsè neceſſarius vſus. Vnde neque mirum eſt, neque eo loco indecorum, quod lauerit ſe domi Bethſabee, neque in ea re ſi cautionẽ adhibuiſſet, ne ab aliquo videri poſſet, quicquam eſſet reprehẽſione dignũ.

Pedes hoſpitum lauari vſitatum.

Verſ. 9. *Dormiuit autem Vrias ante portam domus Regiæ cum aliis ſeruis domini ſui, & non deſcendit in domum ſuam.*] Quia nomen ſuum militiæ dederat Vrias, & iuramento ſeſe obſtrinxerat militari, noluit etiam, dum eſſet extra caſtra, videri otioſus à militari negotio. Quare adire noluit domũ, ibique ceſſare ab eo, quod obire in caſtris milites ſolent. Vt enim excubias agunt nocturnas, ne quid inopinatũ ſecuros opprimat; ſic etiam in pace ad vrbis, Principíſque cuſtodiã inuigilãt. Cum aliis igitur prætorianis militib. inuigilare voluit ad portam domus Regiæ, & Regij corporis fidelẽ adhibere cuſtodiam, officij potiùs, & pudoris memor, quàm voluptatis, & otij. Et fortaſsè Vrias de numero eorũ erat, qui dicuntur *Cerethi*, & *Phelethi*; id eſt, qui è regio ſatellitio ſunt, quique à regia domo recedere neque debẽt, neque ſolent. Suarũ itaque partiũ duxit bonus Vrias, nõ captare delicias ex vxorio cõplexu, lectique mollitie; ſed cubare humi, & videre ne quis Regis aut turbaret otium, & quietem, aut aliquid inſidioſum moliretur.

20.

B

C

Verſ. 11. *Arca Dei, & Iſraël, & Iuda habitãt in papilionibus; & Dominus meus Ioab, & ſerui domini mei ſuper faciem terræ manent.*] Non illum exitũ habuit conſilium Dauidis, quẽ ipſe expectauit, dũ ex caſtris accerſeret Vriã. Nam tam longè aberat, vt ab vxoris ſinu delicias captaret amatorias, vt neque domũ adire voluerit, neque in lecto cælibe cubare molliter. Cùm autẽ ſeueræ illius diſciplinæ ab eo cauſam exquireret Dauid, reſpõdit, neque boni eſſe militis, neque eius, in quo eſſet ingenuus pudor, indulgere voluptati, & in molli ſtragulo lentos captare ſomnos, cùm dux Ioab, & qui illius ſequuntur ſigna, humi cubent, & vitã habeãt repẽtinis propoſitã periculis, quorum quietem interrumpit, & turbat buccinarum clangor, & hoſtilis fremitus. Sed illud hîc notãdum, primo loco poſuiſſe æquè fidelem, ac fortem, & religioſum virũ Arcã Dei, quæm cũ videret eſſe ſub papilionibus militari more, indignum putabat, vt ipſe vitã profiteretur niſi militarem. Atque ideò nõ decere, domum habitare ſtabilem, & firmã, cùm in tabernaculo infirmo, & natura ſua facilè tranſmutabili, maneret Arca fœderis, quo in Iſraëlitico populo nihil erat auguſtius. Quæ ratio homini Chriſtiano debet eſſe grauiſſima, cùm illi aut caro intemperãtiùs blãdita; & diabolus, qui animos à Crucis, & ſeuerioris vitæ diſciplina deterret, blandimẽta ſuadet, & mollioris inſtituti delicias. Tunc autem Chriſtianus, ſi ſapit, & illũ pudor tãgit ingenuus, dicet cũ Bernardo ſer. 1. in Natiuitate: *Quid magis indignũ, quid deteſtandum ampliùs, quid grauiùs puniendum, quàm vt videns Deum cœli paruulũ factum, vltrò apponat magnificare ſe homo ſuper terram? Intollerabilis impudentia eſt, vt vbi ſeſe exinaniuit Maieſtas, vermiculus infletur, & intumeſcat.* Eodem, quo Vrias, ſpiritu dixit Dauid capite 7. ad Nathan: *Videſne quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium?* Vide locum illum,

21. *Optimi ſerui, ac militis ſpecies.*

22. *Chriſti exẽplum in nobiliũ animis potentiſſimum.*

vbi multa accommodatè ad hunc locum. Simile aliquid dixit Ouidius ex honestarum fœminarum more in epistola Laodamiæ ad Protesilaum.

Conueniunt matres Phylacides,& mihi dicunt,
Indue regales,Laodamia,sinus.
Scilicet ipsa feram saturatas murice vestes:
Bella sub Iliacis mœnibus ille geret?
Ipsa comas pectam;galea caput ille premetur?
Ipsa nouas vestes,dura vir arma feret?

23. Vt autem Arca Dei, vt adderet bellatoribus vires,& audaciam,adducta fuerat in exercitum lib. 1.Reg. cap. 4. quando capta fuit à Palæstinis, & cap.14. tempore Saul v. 18. sic etiam nunc allata videtur à Ioab,vt sicut illa olim, quando gloriosas populus victorias obtinuit,erat in castris,quasi dux;sic etiam nunc eodem fungeretur munere, & Hebræis adderet, Ammonitis adimeret spiritus,& robur.Ita putant Dionysius,& Lyra. Arca verò in castris sub pellibus reddebat, vt opinor, expeditum, & leue, quod militibus videri solet austerum,& difficile. Sicut ducis exemplum ad superandas difficultates omnes potentissimum est.

14. *Per salutem tuam,& per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem.*]Iuramẽtum interponit Vrias,quod magni apud Regem debuit esse momẽti,cùm per ipsius vitã,& animam esset conceptum,quo nihil homini esse solet carius, & optabilius.*Per salutem tuam,& per salutem animæ tuæ,*idem omninò valẽt, neque hîc aliquid est aliud,quàm eadem bis iterata sententia:per *animam* etenim ille circumscriptè significatur,cuius est anima.Quare *anima mea* idẽ est quod *ego;anima Regis* idem quod *Rex*,vt mille declarant exempla, quæ nos sæpiùs adduximus. Erit ergo sensus,*Per salutem tuam, per salutem iterùm tuam,ô Rex,iuro*,&c.

25. Vers.13. *Et vocauit eum Dauid,vt comederet corã se,& biberet, & inebriauit eum.*] Quod ab Vria sobrio non potuit impetrare Dauid, id putauit extorquendum ab ebrio; quia ebrietas obliuionem inducit,iuxta illud Prouerb.31.v.6. *Date siceram mœrentibus,& vinum his,qui amaro sunt animo:bibãt, & obliuiscantur egestatis suæ.* Et dum vino æstuaret Vrias,existimabat fore,vt nulla subiret interpositi iuramenti memoria.Deinde quia ebrietas libidinem euocat,& inflãmat;& quos illecebræ nullę domuerunt,eosdem vinum ad luxuriem,&,quam sobrius horrebat animus, intemperantiam adduxit.Notum est illud, despumare in libidinem vẽtrem æstuantem vino;*friget* enim,vt dixit optimè Comicus,*Venus sine Baccho.* Sanè Hieronymus epist.ad Occeanũ obseruauit,ad vnius horæ ebrietatem nudasse femora sua Noë, quæ per sexcentos annos contexerat. Sed nihil perfecit Dauid hoc tam efficaci telo, vt à priore sententia commoueret animum:nam licèt ebrius esset,non tamen de quiete, & somno cogitauit,& multò minùs de illo,cuius est ebrietas magistra; sed ibi cubuit,vbi superiori nocte.

Ebrietati iuad libidinẽ vis.

26. Vers.14. *Factum est ergo manè, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab.*] En quo Dauid sua præcipitauit cõsilia,dum celare vult, quod turpiter admiserat. Inebriarat hominem modestissimum Vriã,qua in re illi maiorem videtur iniuriam irrogasse, quàm cùm vitam eripuit;non solùm quia,vt in hoc eodẽ casu notauit Augustinus serm.231.& 232.qui alterum cogit, vt se, plusquàm opus est bibendo, inebriet,minus malum ei erat,si carnem eius vulneraret gladio, quàm animã eius per ebrietatem necaret.Sed si humana hæc tãtùm,& philosophica ratione pẽsemus,multò grauius est hominibus sobriis,& honestis à mente dimoueri vino,quàm à vita ferro.Sed cùm priùs antè malum intulisset Vriæ,mortem etiam attulit,vt sui sceleris testem, & accusatorẽ submoueret. Mittit enim literas ad militiæ principem Ioab,iubétque,vt in illam certaminis partem coniiciat innocentem, vbi maius ab hoste sese pèriculum oftẽtat, illúmque deserat in eo loco,vnde euadere nõ possit incolumis,quasi in eo magnum aliquod deprehendisset flagitium, quod eo mortis genere expiari oporteret.Ecce alteram iniuriam. Nam non satis habuit abstulisse vxorem per adulterium,& deinde mentẽ per inebrationem;sed nunc etiam honorem adimit,dum iubet quasi magni sceleris reum hostilibus telis obuium opponi,& perfidiosè deseri ab illis, qui fortassè eum ab illis angustiis extraxissent incolumem.Adde,quod nouum est iniuriæ, atque miseriæ genus,eundem Vriam suæ sibi necis auctorem esse voluit: ille enim literas à Rege accepit, & tulit ad Ioab,quibus se ipsum in laqueos,& insidias inducit.

Magna in ebrietate turpitudo.

Quatuor graues iniuriæ illatæ à Dauide Vriæ.

Ex hoc facto tam celebri,ac noto,natũ est prouerbium inter Hebræos olim, quod etiam nunc apud nostros in vsu est, vt cùm quis literas fert, aut mandata contra se, ille dicatur secum afferre literas Vriæ.Latini dicunt eodem sensu literas secum ferre Bellerophõtis:nã,vt est in fabulis,talia illi contigerunt à Rege Præto,qualia Vriæ à Dauide. Prætus enim literas dedit Bellerophonti ad Iobatam, quas Bellorophon commendatitias putabat;cùm tamen in illis mandatum esset,vt illum quamprimùm extinguendum curaret.Nomen autem Iobatas,ad quẽ datæ dicuntur literæ de cęde Bellerophontis,suspicari nos facit, fabulam illam ab Vriæ historia duxisse principium;Iobatas enim non procul dissidet à Ioab.Neque nouum est, aut infrequens, Poëtas in suis fabulis veras,imò Canonicas historias includere. Sanè ex vno Iona ad tres fabulas suo more fingẽdas sumpsere materiã, & Noë totidem,vt nos diximus in nostris Cõmẽtariis in Ionam c. 1. & ex verissima Samsonis historia multa Gentiles falsò in sua cõmenta transtulerunt. Plura hac de re Clemens Alexandrinus lib.2.stromatum.Nos hac de re pluribus in cap.1. Ionæ n.21.quæ tu vide.

27.

Bellerophontis fabula ortaviderur ab historia Vriæ.

Antequàm hinc emigro,duo mihi de Vria obseruanda sunt.Alterum est,appellari *Hethæum*,cùm tamen constet esse Hierosolymitanum, vt patet, quia vxorem habuit, & domum Hierosolymæ;illámque,vt apparet,splendidam,sanè optimo ædificatam loco,vtpotè proximã Regiæ, quando Bethsabee ex Regio solario videri, & illius species notari potuit à Dauide. Quod sanè indicat Vriæ domum regiæ domui fuisse cõiunctã;neque enim aliter tãta fœminæ pulchritudo explorari posset. Dici tamẽ potuit *Hethæus*, sicut dicebãtur illi,qui à filiis Israël è suis sedibus olim expulsi sunt, aut quia erat ex ea Gẽte proselytus, aut quia in loco, vbi habitauerũt quondã Hethæi, aliquãdiu commoratus est. Quo modo Iudæi in Actibus Apost. dicuntur *Græci,Cretes,Arabes*,& *Ælamitæ*, quia in illis regionibus domicilium habuere.Cuius rei exemplum habemus recẽs;nam c.15.v.18.sexcenti viri,qui fuerũt in Geth,aut in ciuitate,quæ ad illã pertinebat metropolim, vocati sunt *Gethæi.Egressusque est Rex*(Dauid fugiẽs Absalomẽ)*& omnis Israel pedibus suis: & vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum:& regiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi sexcenti viri, qui secuti fuerant de Geth.* Aut certè Hebræus appellatus est, quia

28.

REGVLA. *Nomen quibusdam impositũ à loco, in quo fuerunt.*

quia ibi aliquod facinus edidit illustre. Quo modo Scipio vocatur *Africanus*; Marcus, *Coriolanus*; Marcellus, *Cretensis*: quia in illis locis præclara sui nominis monumenta reliquerunt.

29. *Vrias epistolam portans typus peccatoris.* Alterum, Vriam, licèt iustus fuerit, & Dauid in hoc opere crudelis, turpis, & iniustus; tamen illum in hoc ipso facto figuram esse peccatoris, hūc verò Dei, in quo summa est honestas, summa iustitia. Ita hîc latè sentit, & disputat Angelomus. Tenet Glossa; Gregorius l. 3. Moral. cap. 21. Isidorus l. 2. Reg. c. 1. Dionysius hîc, Rupertus l. 11. de diuinis offic. c. 1. & in l. 2. Reg. cap. 34. Est autem certum, homines malos etiam in actione non bona, rerum sanctissimarum, atque adeò ipsius etiam Dei esse figuram; & contrà, bonum in re etiam non mala figuram esse rei non bonæ, imò ipsius diaboli. Contrarium senserat antè Hieronymus in cap. 45. Isaiæ, & in cap. 10. Oseæ, & in cap. 12. Ezech. sed mutauit posteà sentētiam epist. 131. ad Rufinum, vbi ait, duas filias Loth, & duas vxores Oseæ significare vtrumque Testamentum: & Loth, & Oseam in eo etiam actu; in quo vxores, & filiæ figuræ fuere Synagogæ, Christi fuisse typum. Idem putat Augustinus l. 22. contra Faustum Manichæum, & adducit incestum concubitum Loth cum duabus filiabus, & Iudæ cum Thamar. Et Gregorius lib. 3. Moral. cap. 21. vbi fusè tractat hoc exemplum Dauidis, & Vriæ. Theodoretus dialogo 3. Beda in quæst. super lib. 2. Reg. cap. 1.

REGVLA. *Malus aliquando figura rei bonæ, aliquando & bonus rei malæ.*

30. Quid porrò significet typicè hoc Dauidis opus, explicuere hi fermè omnes hoc modo. Primùm in Dauide, qui *desiderabilis*, aut *amabilis* sonat, Christus exprimitur. Vt enim Dauid ex solario vidit Bethsabee se lauantem, quam accersiuit ad se ereptam ab Vria priori coniuge: sic Christus quasi in solario deambulans, quia *in sole posuit tabernaculum suum*, adamauit Ecclesiam super tectum se lauantem; id est, mundantem se à sordibus sæculi & domum luteam spirituali contemplatione trāscendentem, atque calcantem: & inchoata cum illa primæ conuentionis notitia, posteà ab ea penitùs separatum diabolum occidit, eámque sibi perpetuo connubio copulauit. Ita fermè Beda, & paulò aliter Gregorius, Isidorus, Angelomus. Gregorius in Vria populum etiam intelligit Iudaicum, quem Deus cum literis mittit, quæ illum violatæ religionis, & proditæ fidei accusant, & damnāt: *Vrias*, inquit, *ad Ioab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur. Quia idem ipse Iudaicus populus legem portat, qua conuincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirùm defert iudicium, vnde damnetur. Quid ergo per factum istud Dauid scelestius? Quid Vria mundius dici potest? Sed rursùs per mysterium, quid Dauid sanctius, quid Vria infidelius inuenitur, quando & ille per vitæ culpam Prophetiæ signat innocentiam; & iste per vitæ innocentiam in Prophetia exprimit culpam?* Hoc posterius docet S. Thomas in præfatione ad epistolas Canonicas, vbi literas, & doctrinam in literatis hominibus, qui tamen illas ad morum emendationem non conferunt, literas appellat Vriæ. *Istæ*, inquit, *sunt epistolæ, siue literæ Vriæ, de quo loquitur l. 2. Reg. c. 11. quòd portauit literas mortis suæ. Literas mortis suæ portant viri literati, qui sciunt, & docent, & non faciunt. Istæ sunt literæ sine sigillo; id est, scientia sine vita.* Et statim: *Istæ literæ in peccatoribus sunt scriptæ, Ieremiæ c. 17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, vngue adamantino exaratum*, &c.

In Vria populus intelligitur Iudaicus.

Scientia literarum hominem accusat, & damnat.

31. Vers. 21. *Quis percussit Abimelec filium Ierobaal.*] Attulit Vrias literas doli plenas ad Ioab, quas cùm ille accepisset, statim iuxta Regis præscriptum, illum eo loco constituit, vnde certissima videbatur proponi moriendi necessitas; neque pauci cum illo ceciderunt, quibus potior fuit honesta mors, quàm ignobilis fuga. Docet autem Iosephus, inimicorum impetum penè solum Vriam excepisse, & illorum interemisse non paucos, donec circumuentus cum aliis paucis non inultus occubuit. Successus illius aduersi, & acceptæ plagæ nuncium misit Ioab ad Regem, quem admonuit, vt si grauiùs Rex accipere videretur temerarium assultum, & accessum ad murum, adderet Vriæ cædem; qua sciebat temperandum esse dolorem, aut iram, si quam Rex ex accepta plaga cōcepisset. Nota est historia Abimelech filii Gedeonis, qui etiam vocatur Ierobaal, quomodo quia studio pugnandi, dum audaciùs accedit ad murum, percussus molari lapide à fœmina subiit exitium. Hanc historiam habes Iudic. c. 9. quam cognitam fuisse oportet iis qui militiæ dant operam, præcipuè illis, qui præsunt, qui ab interitu Abimelech magnum habent, & familiare documentum.

Vers. 25. *Non te frangat ista res: varius enim euētus est belli.*] Non fefellit Ioab sua cogitatio: nam audito Vriæ casu minùs commotus fuit Rex, quā deberet, imò quàm tulisset, nisi turpis amor, & studium celandi flagitij regium ademisset, aut turbasset spiritum. Quare ægrè non fert suorum cædem, quorum debuit prouidere saluti; non Israelitici nominis dedecus, quod subierunt, qui ad Regis præscriptum ignobili fuga in medio conflictu deseruerunt Vriam moriturum. Hæc non curabat is, ex cuius animo libido, & metus consilium expectorarat, & mentem: imò potiùs probat factum Ioab, iubetque illum bono esse animo, neque existimare inusitatum esse, vt qui secunda plerúmque est vsus, aliquando aduersam experiatur fortunam. Hæc est enim bellorum natura, vt modò in hanc, modò in illam partem inclinet victoria. Neque desperet de meliori euentu, etiam dum bellicis vrgetur incommodis, & exultantes victoria spectat aduersarios. 32. *Luxuriosus, vt suæ obsequatur libidini, omnia deuorat.*

Vers. 26. *Audiuit autem vxor Vriæ, quòd mortuus esset Vrias vir suus, & planxit eum.*] An lachrymas expresserit dolor, vel artificium aliquod, quale notum est, & familiare mulierculis, quę lachrymas vendunt, & licèt multùm, ac diu plorent, nunquam tamen siccantur lachrymarum scatebræ, non facilè statues. Nā sicut Dauid non videtur ex Vriæ interitu dolorem cepisse, quia sic putabat celari posse immane flagitium, & dignitati suæ fuisse consultum; sic etiam quia illud idem assequebatur, coniuge sublato, Bethsabee, sperabatque fore, vt eo impedimento summoto ad Regium thalamum ascenderet. Non est incredibile, minùs illi coniugis cædem dolori fuisse, quàm pudicam deceret, & amantem viri. Dolere se in Pompeij morte simulabat Cæsar, & ad gemitus addebat quoque lachrymas; sed neque dolebat, nec lachrymabatur seriò, sed simulatò, cùm potiùs exultaret animo, cùm videret esse nullum, qui ipsi viam ad imperium obstrueret. De quo verè Lucanus. 33.

—Lachrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore læto.

Quidquid verò sit, planxit virum suum; id est, parentauit, aut funebres honores impēdit, qui vita defunctis à coniugibus, & aliqua necessitudine coniunctis debentur. Planctus autem, & luctus, externus ille habitus est, & funeris impendium, 34. *Planctus in funere quis.*

quo viui ſuam in mortuos pietatem, & amorẽ oſtẽdunt; quales veſtes atræ, & ſordidæ, decaluatũ caput, funereæ faces,& publicus,atque domeſticus fletus, etiãſi procul ab animo dolor abſit. Sic Hieronymus epiſt.25. ad Paulam : *Planctus*, inquit,*magnus non in plangentium exanimatione, ſed in pompa funeris,& exequiarum frequentia intelligendus eſt.Denique de Iacob Scriptura ſic loquitur:Et aſcẽdit Ioſeph ſepelire patrem ſuum, & aſcenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis,& ſeniores domus eius,& ſeniores omnis terræ Ægypti, & omnis domus Ioſeph, & fratres eius.* Et poſt paululum:*Et aſcenderunt cum eo quadriga, & equites, & facta ſunt caſtra grandia nimis.*Ac deinde:*Et planxerunt eum planctu magno,& forti nimis.Planctus iſte ſolemnis non longas Ægyptiis imperat lachrymas,ſed funeris monſtrat ornatum.*Hæc Hieronymus, qui Ægyptiorum exemplo ſatis probat,in quo maximè funereus ille planctus cõſiſtat. Neque enim Ægyptij habebant, cur tantoperè in peregrini, nequedum ſibi cogniti hominis obitu dolerent,ac lamentarentur.Neque vicini populi,qui Ægyptiorum multitudinem procul ſpectabant, aut audiebant gemitus, aut videbant lacrymas;ſed quia accenſas videbant faces,& pullulatam pompam, quia hæc erant legitima parentalium ſigna,dixerũt Gen.c.5.v.11. *Planctus magnus eſt iſte Ægyptiis.*Hunc ego planctum impenſum arbitror Vriæ à Bethſabee,licèt gemitum, & lachrymas interceſſiſſe putem.

35. Verſ. 27. *Tranſacto autem luctu miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam.*] Poſtquàm data eſt viro funebris opera, & impenſum illud pietatis, & fidei coniugalis officium; quia iam expetitis nuptiis à lege, ſeu conſuetudine nullum opponebatur impedimentum, induxit Dauid in domum ſuam Bethſabee, & habuit vxorem. Planctus autem ille,vt opinor, ſeptemdialis fuit:nam licèt in aliquos Principes productus fuerit ad ſpatium tẽporis longius planctus ille,vt in funere Aaron,cui impenſi fuerũt dies triginta, Num.20.v.30.& totidem Moyſi,Deut.34. aliis quaſi legitimus planctus ſeptem dierum fuit.Sic Iacobum ſeptem diebus honorario planctu proſecuti ſunt Ægyptij in terra Chanaan;licèt in Ægypto in eius parentalibus dies multò plures conſumpti ſint. Et hunc ſeptemdialem luctum eſſe legitimum docet illud Eccl.22.v.13.*Luctus mortui ſeptem dies;ſtatui autem, & impij omnes dies vitæ illorum.*

Septem dies impendi ſoliti Hebræorum funeri.

Peperitque ei filium.]Illum nempè,quem ex adulterio conceperat. Vnde colligitur non duraſſe planctum per annum, aut longum tempus, quando puer multò antè conceptus natus eſt in domo Dauid.

Et diſplicuit verbum hoc,quod fecerat Dauid coram Domino.]In *verbo hoc* illa intelligo, quæ Dei nomine ſequenti capite Dauidi exprobrauit Nathã; quia alienum thalamum adulterino violauit concubitu;quia occidit innocentem Vriam;quia eius vxorem ſibi coniugali vinculo ſociauit.Sic autem Dei nomine Nathan ad Dauidem c.12.v.9. *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi.* 36.

Ex hoc, opinor, loco coniectarunt Hebræi, in concubitu Dauidis cum Bethſabee ante Vriæ mortem nullum fuiſſe peccatum, quia cùm Vriæ cædem,& cum illius vxore coniugium exprobrat Nathan; illius tamen ſiluit adulterium : illud verò factum hac ratione à turpitudine,atque peccato liberant:Quia euntes, inquiunt,ad bellum, in quo mors vbique præſens occurſat, libellum repudij dant vxoribus,quo permittunt,vt, cuicumque velint,ſuo arbitratu nubant;cum ſolutæ iam ſint à matrimonij lege.Atque ideò optimè potuit Dauid cum Bethſabee iam omninò ſua legitimũ habere congreſſum.Hanc Hebræorum cogitationem multis modis confutat Abulenſis q. 8. Primùm, quia ſi ſemel vxorem dimiſiſſet ſolemni forma cum libello repudij, non poſſet iterùm ad illam redire,vt conſtat Deut.24. v.2. ſi repudiata alterius nuptias iniiſſet. Quare neceſſe erat, vt omnes, qui reuerterentur è bello, niſi mallent vitam agere cælibem, nouas ambirent coniuges. Quòd ſi propter periculum mortis eo vterentur conſilio, vt ſi marito mori in acie contingeret, ipſa poſſet alium ſibi coniugem aſciſcere; fruſtrà libellus ille porrigebatur vxori, cùm viro mortuo, nulla illi iam imponebatur neceſſitas non nubendi alteri, cùm alterius obitus omnia matrimonij vincula diſſolueret. Neque Bethſabee vxor vnquam diceretur Vriæ, ex quo ad bellum proceſſit; neque ſolemni ritu planxiſſet mortuum;neque iuſſus eſſet Vrias à Dauid, vt ad domum ſuam diuerteret,& ſe cum vxore interim oblectaret. Vide plura apud Abulenſem ſuprà; ſed in re vſque adeò ludicra plus à nobis ſatis. 37.

In libello repudij Hebræorum error.

IN CAP. XII. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

MITTITVR à Domino Nathan ad Dauidem, qui inducta parabola hominis, qui vt ſuis parceret, vnicam pauperculi cuiuſdam ouem occidit, vt peregrino cuidam conuiuium inſtrueret, Dauidi peccatum proprium expreſſit in alieno; fecitque vt in eo, quem reum capitis eſſe iudicarat, ignarus artificij ſe ipſum condemnaret. Audit igitur à Propheta in caput ſuum indictum à Domino ſupplicium, quale ipſe in ſimulatam cauſam, atque perſonarum ignarus intorſerat. Cumque ſe peccaſſe agnoſceret, & conſcium peccati animum pœnitentia ſubiret, dimiſſum ſibi ſtatim peccatum audiuit, & remiſſam pœnam; niſi quòd propter exemplum peſſimum, quod fecit, vt aliqui neque piè, neque rectè de Diuina prouidentia ſentirent, filius ex adulterio natus moriturus erat. Comminationem iſtam euentus probauit: ſtatim enim infantulum morbus inuaſit grauis, quem ſeptimo tandem oppreſſit die; cùm tamen interea pro ſalute

pueri

pueri varijs se modis affligeret Dauid, qui tamen extincto puero statim luctum durámque corporis vexationem deposuit, quia non iam amplius putabat vsui futuram fore filio, pro cuius salute susceptа fuerat. Suscepit adhuc filium ex Bethsabee, quem Salomon appellauit pater. Deus autem per Nathan prophetam amabilem Domino admonuit. Intereà Ioab vrgebat obsidionẽ Rabbath, eóque rem deduxerat, vt non procul abesset, quin caperetur ciuitas. Quare vt expugnatæ vrbis tribueretur gloria Dauidi, illum admonet, vt cum nouis copijs quamprimùm aduolet, vt illo auctore, & duce res transigatur, cùm ergo ciuitas caperetur, optimam ex ea prædam retulit, & populum acerbissimo confecit supplicij genere. Quod item fecit in aliis eiusdem prouinciæ ciuitatibus.

CAPVT DVODECIMVM.

1. Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid: qui cùm venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper.

2. Diues habebat oues, & boues plurimos valde.

3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: erátque illi sicut filia.

4. Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis: & præparauit cibos homini qui venerat ad se.

5. Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quòniam filius mortis est vir qui fecit hoc.

6. Ouem reddet in quadruplum, eo quòd fecerit verbum istud: & non pepercerit.

7. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vnxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul,

8. Et dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel & Iuda: & si parua sunt ista, adiiciam tibi multò maiora.

9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.

10. Quam ob rem, non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua.

11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malũ de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius.

12. Tu enim fecisti absconditè; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.

13. Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixítque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.

14. Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.

15. Et reuersus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus paruulũ, quem pepererat vxor Vriæ Dauid, & desperatus est.

16. Deprecatúsque est Dauid Dominum pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super terram.

17. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum vt surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum.

18. Accidit autem die septima vt moreretur infans: timuerúntque serui Dauid nunciare ei quòd mortuus esset paruulus: dixerunt enim: Ecce cùm paruulus adhuc viueret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: quantò magis si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget?

19. Cùm ergo Dauid vidisset seruos suos mussitantes, intellexit quòd mortuus esset infantulus: dixítque ad seruos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei, mortuus est.

20. Surrexit ergo Dauid de terra: & lotus vnctúsque est: cúmque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: & adorauit, & venit in domum suam, petiuítque vt ponerent ei panem, & comedit.

21. Dixerunt autem ei serui sui: Quis est sermo, quem fecisti, propter infantem, cùm adhuc viueret, ieiunasti & flebas: mortuo autem puero, surrexisti, & comedisti panem.

22. Qui

22. Qui ait:propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui & fleui: dicebam enim:Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus,& viuat infans?

23. Nunc autem quia mortuus est,quare ieiunem? Numquid potero reuocare eum ampliùs?ego vadam magis ad eum:ille verò non reuertetur ad me.

24. Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam, ingressúsque ad eam, dormiuit cum ea:quæ genuit filium,& vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum.

25. Misitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius, amabilis Domino,eo quòd diligeret eum Dominus.

26. Igitur pugnabat Ioab cõtra Rabbath filiorum Ammon,& expugnabat vrbem regiam.

27. Misítque Ioab nuncios ad Dauid,dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum.

28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem,& cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit vrbs,nomini meo ascribatur victoria.

29. Congregauit itaque Dauid omnem populum, & profectus est aduersum Rabbath:cúmque dimicasset,cepit eam.

30. Et tulit diadema regis eorum de capite eius,pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput Dauid. Sed & prædam ciuitatis asportauit multam valde:

31. Populum quoque eius adducens serrauit,& circumegit super eos ferrata carpẽta:diuisítque cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorũ Ammon. Et reuersus est Dauid,& omnis exercitus in Ierusalem.

IN CAPVT XII. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid, qui cùm venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna.*]

1. MVLTI iam fuerant exacti dies, neque tamen mens Dauidi antiqua redierat, quam immoderatus carnis affectus eripuerat. Iam enim natus erat puer furtiua venere, & adulterino concubitu conceptus, vt constat ex fine præcedentis capitis;& quia Nathan hoc loco mortem puero ex adulterio nato minatus est. Quare necesse est, in peccato Dauidem nouem saltem mensibus hæsisse. Ad illum igitur Deus misit Prophetam,qui excitaret è somno soporatum animum, & illum sceleris renouata,& exaggerata memoria compungeret. Qui adducta parabola sceleris indignitati accõmodata, fecit vt Rex ipse quasi damnaret alium, cuius proponebatur adúbrata culpa, in seipsum tulerit iustum, seuerúmque iudicium. Vsus est autem parabola Propheta,vt incautum Regem,& artificij nescium ad veritatis cognitionem, fœditatémque criminis agnoscendam, & in seipso puniendam pertraheret.

2. Hoc porrò dicendi genus maximè est vsitatum, & familiare his regionibus,quæ Terræ promissionis terminos attingunt,quibus Deus, vt in aliis plerumque,dicendi stylum accommodauit. De quibus sic Hieronymus l.3.Commẽt. in Matthæum: *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere: vt quod per simplex præceptum teneri ab audientibus non potest, per similitudinem,exemplaque teneatur.* In Testamento Nouo occurrunt plurimæ, in Veteri non paucæ, qualis est illa c.14. Thecuanæ fœminæ in causa Absalomis,& Ionathan,Iud.c.9. Parabola aperta est, nec difficilis accommodatio. Tantùm videndum, an aliquid in hac parabola sit à consuetudine alienum;nam parabolæ ab eo sumuntur plerumque, quod vsu venire solet. Et in hac parabola necessariò dicendum,cùm Dauidi fuerit non vt parabola proposita,sed vt historia vera; alioquin non tam in illum esset stomachatus, qui suis peperciisset ouibus, & alienam ad hospitale conuiuium occidisset.

In Palæstina, ac tota Syria familiares parabolæ.

Vers. 3. *Pauper autem nihil habebat omninò præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius,simul de pane illius comedens,*&c.] Hanc parabolam mox historiæ accommodabimus;nunc vmbram ipsam, & quasi historiæ corticem explicemus. Solent animalia quædam natura mitia, atque domestica, aut arte curata in deliciis haberi, quæ si eiusmodi sunt, vt varios domino ludos, & delicias afferant, magno habentur in amore,& pretio. Quales sunt canes Melitenses, auiculæ loquaces, & vocales; & alia verè ludicra otiosorum, & delicatorum hominum oblectamenta. Inter hæc sunt alia honesta magis,quæque virorum sanctorum disciplina seuera non respuit,quales sunt cicurati cerui, oues, & agni, qui ad mensam veniunt, neque minùs sunt familiares,ac domestici, quàm serui, ac filij; quales fuere ceruus Cypariissi,de quo Ouidius lib. 10. Metam.& ceruus, de quo Virgilius lib. 7. Æneidos:

Ceruus erat forma præstanti,& cornibus ingens
Tyrrhidæ pueri,quem matris ab vbere raptum
Nutribant,Tyrrhusque pater,cui Regia parent
Armenta,& lati custodia credita campi.
Assuetum imperiis sõror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebátque ferum,puróque in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili, &c.

Sic autem à Marone ex hominum consuetudine finguntur illius cerui domini tulisse grauiter occisum esse domesticum ceruum,vt ideò bellum agreste dicatur excitatum, & in eo cecidisse non pauci. Hinc colligi potest, quàm iustè dolere debuerit vir ille, de cuius sinu erepta est,& iugulata ouis

ouis, & quàm grauiter, ac iustè Dauid in illum indignatus fuerit, qui occisa oue illius dominum, & penè parentem dolore non iniusto tam grauiter affecerit.

4. Vers. 5. *Viuit Dominus, quia filius mortis est vir, qui fecit hoc.*] Perculit statim Regis animum sceleris improbitas, & ex offenso animo erupit statim quasi vibratum è nube fulmen, horribile iudiciũ, quod confirmauit Dauid addito iuramento, torsitque vehementiùs, quemadmodùm ab amento telum violentius adigitur. *Filius mortis* ex Hebræorum idiomate ille dicitur, qui dignus est morte; quod declarauit hoc loco Dauid, & vt illam vir ille inclemens, & auarus subiret, pro Regia potestate decreuit: neque enim quid sentiret tantùm, sed etiam quid faciendum esse decerneret, illo dicendi genere significauit.

5. Vers. 7. *Tu es ille vir.*] Postquàm in adumbratum illum virum hostilem spiritum imbibit Dauid, & seuerum mortis iudicium fulminauit, accommodauit Natham inductam parabolam, & Regem ipsum sui iudicij gladio iugulauit. Ouis, quam homo ille barbarus, & rusticus de sinu abstulit, fuit Bethsabee, quam de sinu; id est, de legitimo Vriæ thalamo abduxit Dauid. Quam Vrias emerat nuptiali more; sicut Dauid ipse cum sui capitis periculo centum Palæstinorum præputiis emit Saulis filiam: & Iacob septem annis duræ seruitutis emit sponsam Rachel. Quomodò ab sponsis emerentur sponsæ, diximus in nostris Cõmentariis ad c.2. Oseæ, & in cap.1. Cant. ad illud, *Vineam meam non custodiui.* Neque fortasse paruo stetit Vriæ Bethsabee coniugium propter eximiam illam venustatem, qua primùm oculos, deinde animum cepit Dauidis.

6. Hæc autem *dormire* dicitur *in mariti sinu*; quia id proprium est sponsæ in nuptialibus sacris, vt diximus Cant.2. ad illud: *Læua eius sub capite meo:* vsque adeò vt *cubans in sinu* proprietas sit sponsæ, & illius epitheton; hoc enim modo sponsa describitur Micheæ c.7. v. 5. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Deuteron. 13. v.6. *Vxor, quæ est in sinu tuo.* & cap.28. v.54. *vxori, quæ cubat in sinu tuo.* Eccl.c.4. v.1. vxor vocatur *mulier sinus viri sui.*

Vxores in virorum sinu dormire dicuntur.

7. *Ego vnxi te in Regem super Israel,* &c.] Vt augeat criminis grauitatem, beneficia Dei nomine commemorat Nathan, quibus Deus Dauidem cumulatissimè complexus est. Quemadmodùm Samuel cùm Saulis vellet inobedientiam exaggerare, in memoriam reuocauit, quàm multiplex à Deo beneficium acceperit. Sed hîc speciatim illorum meminit, quæ Dauidem maximè arcere debuerunt à peccando. Primùm, quia constitutus est Rex, cuius id est proprium, vt legum sit, & æquitatis custos, & vindex, non euersor, & proditor; cuius peccatum aliis ad peccandum & ianuam aperit, & ingerit, atque alit audaciam. Deinde, quia si minùs vellet se ab eo temperare, quo rapit animalis natura, & propagandæ sobolis appetitus, satis illi vxorum datum est, vbi amatoriam sitim ad satietatem expleret. Quare non necesse fuit, vt ex virorum sinu vxores abduceret alienas.

Beneficia accepta augent criminis grauitatem.

8. Vers. 8. *Dedi tibi domum Domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo.*] *Domus* significare potest Regiam potestatem, quam à Saule Dominus transtulit ad Dauidem. Sed hîc, vt est communis fermè sententia, traditum esse dicitur Dauidi quicquid ad familiam priùs pertinebat Saulis, seruos puta, ancillas, & vxores, & quicquid in ea familia opũ, atque ornamentorum fuit; maximè ex quo Isboseth filius Saulis regnum appetiit, quod Deus à parente sustulerat; propter quod priuari iure optimo potuit omnibus bonis, quæ illi ex paterna hæreditate prouenire potuerunt. An verò vxores acceperit quæ fuere Saulis, incertum est. Quidam affirmant, & in his Hebræi, qui dicũt ex vxoribus Saulis duxisse Dauidem Michol, Æglam, & Respham. Quod optimè q.3. confutat Abulensis. Sed dicendum, datum; id est, permissum à Deo fuisse Dauidi, vt vxores iam tamen viduas Saulis coniugali sibi nexu copularet; quas tamen etsi per legem, & religionem liceret socias habere thalami, non tamen fecit. Accusatur tamen, quia cùm haberet plurimas, quas salua religione cognoscere potuerit maritali consuetudine; ad eam, quam tangere nullo modo fas erat, animum adiecit. Dare autem in sinu, vt paulò antè dicebamus, idem est, ac tradere in legitimum rei coniugalis vsum. Hoc verò est habere numerosum gregem, ex quo sibi, quam vellet ex multis, ouem eligeret, & ab illis abstinuisse omnibus, & illam abstulisse, quam habebat vnicam, & vnicè dilectam homo pauper.

9. *Et si parua sunt ista, adiiciam tibi multò maiora.*] Hæc, opinor, dicuntur, quæ promissa Dauidi fuerant, neque tamen impleta; qualia sunt in ipsius domo stabile futurum esse regnum, ex suo genere nasciturum Messiam, quæ aliis, quæ consecutus iam fuerat Dauid, augustiora multò sunt, quæque ingenuis animis necessitatem quandam videbantur allatura, ne vnquam nisi de diuina voluntate præstanda, & de referenda gratia cogitarent.

10. Hospes peregrinus, cui comedendam obtulit alienam ouem, fuit libido, & pruriens appetitus intemperantis concupiscentiæ, qui insaturabilis est, neque vnquam dicit: sufficit; vt de fœminarum luxuria dicitur Prouerb.30. v.16. Est autem affectus ille immoderatus, & præceps peregrinus ab eo, qui sacro est inunctus oleo, & rei præpositus publicæ, & cui tot sunt à Domino beneficia collata; qui domi secum Arcam habet Domini, quæ potiùs *Dei domus* vocari poterat, à qua omnis abesse turpitudo debuit, & opus omne à sanctitate peregrinum. Huic itaque hospiti, qui à Diabolo legatus est, & ab eo mandata perfert planè mortifera, ouem offert alienam, qui appetitum illum impurum satiare studet veneris vsu furtiuo, & à lege, atque pudore naturali prohibito.

Libido à viro sacro, & à persona, quæ est in magistratu peregrina.

11. Vers. 9. *Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?*] Violauit Dauid verbum Domini, quia contra Domini præceptum post adulterium homicidium admisit. Ita communiter. Ego hoc verbum Domini illud esse opinor, de quo paulò anteà; nempè stabile futurum Regale solium in Dauidis familia, & Regem Regum Christum è Dauidica stirpe nasciturum. Quod verbum ille videtur contemnere, & habere vile, qui quod benefactori videt esse gratum, non præstat, neque quicquam habet pensi, quid ille aut velit, aut oderit, dummodò peregrino hospiti; id est, diabolo, aut suæ sibi libidini satisfaciat. Adde, quòd si promissio illa de Messia cõditionata fuit, quales aliæ multę factæ Dauidi (vt illa, de qua suprà c.7. à v.10.) si peccatis se tam grauibus, & turpibus implicuit, & tantum impedimentum opposuit peccando, ille promissionem videtur contempsisse, quasi nihili faciat, quod irrita fuerit, aut vana promissio.

Peccator Dei promissa contemnit.

12. *Vt faceres malum in conspectu meo.*] Augetur ex

In templo, aut domi Dei peccare, quàm grauis iniuria.

loco flagitij turpitudo, cùm peccatum prius animo conceperit in ea domo, vbi Arca erat Domini;& si quod aliud in terris,illud erat præcipuum habitaculum Dei. De hoc ignominiæ genere variæ à Prophetis querelæ sunt in populum, qui nõ est verecundatus talia in Templo admittere flagitia in conspectu Dei, qualia in hominum conspectu non auderet.Mitto alia, quæ infinitis penè locis occursant;illud dico Isaiæ 57.v. 8. *Iuxta me discooperuisti,& suscepisti adulterium.* Vide quæ nos in eum locum pluribus. Admisit itaque Dauid adulterium: sanè adulter ipse adulterium admisit in conspectu Domini, & peregrinum hostem, nempè diabolum,in diuini sacrarij societatem admisit, & quasi Deum fecit contubernalem. Id puto Dauid dolebat, iterabatque sæpè, cùm dicebat Psal.50.*Malum coram te feci.* Repetebat nempè verbum Dei, quod antè per Propheram audierat.

Isai.57.

13. Vers. 10. *Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.*] Non semel à nobis obseruatum est,*æternum,sempiternum*, & similia significare aliquando,non quod nullo clauditur fine, sed quod diuturnum est. Quare si quod malum diu in alicuius familia inueterauit, illud ex Hebraici sermonis proprietate, & Scripturæ vsu æternum appellatur. Bacchatus est gladius in domo Dauid, quia statim occisus fuit puer ex adulterio conceptus; non longè pòst Ammon Absalomis imperio; & Absalom ipse à Ioab, qui bellum mouit contra patrem, & illius domum stricto ferro hostiliter inuasit. Deindè Adonias à Salomone:& omnes denique, vno, aut altero excepto, à vicinis hostibus bello tentati sunt, & vario conflictu vexati, atque attriti vehementer.

14. *Eo quod despexeris me,& tuleris vxorem Uriæ Hethæi, vt esset vxor tua.*] Despectus dicitur Deus, tũ propter illa, quæ dicebamus nuper; tum quia vxorem duxit illius, quem eam ob causam fraudulenter occidit. Sed cur ideò despectus? Quia illam traduxit in eam domum, in quam non multò anteà Arcam traduxerat. Et licèt in illius coniugio nullum videretur interceſſiſſe peccatum,quia iam erat à coniuge viduata Bethsabee, neque lex ab altero connubio repellebat;tamen aliquid erat quod in eo connubio etiam legitimo Dominus probabat minùs,imò &apertè condemnabat. Neque enim,vt est communis Interpretum sensus, à suo scelere resipuerat Dauid, neque priorem cogitationem,aut impuræ voluptatis studium abiecerat. Quare licèt post illud tempus non accederet ad alienam;non tamen alienus erat ab affectu priori; neque tam sobolis legitimæ, quàm venereæ voluptatis gratia, assiduam habebat consuetudinem; idque in domo, quam Dauid habebat penè cum Domino communem.Licèt autem non esset adulterinus ille congressus, affectus tamen ille venereus non lõgè aberat ab adulterino,quia eodem modo cùm posset, non incommodè consuetudinem haberet cum aliena, quam toto illo tempore habuit cum legitima,ac sua.

15. Theodoretus q.25.& Procopius hoc matrimonium, seu matrimonialem vsum damnari dicunt à Deo potiùs,quàm priorem, qui fuit adulterinus;quia hic ab eo affectu primùm erupit,qui præceps est, & mentem euertit;ille magis iam pacatus,& liber probare videtur,& continuare,quæ cæcus,amensque susceperat. *Tacitè*, inquit Theodoretus,*significat oratio, quòd Deus magis succensuit ob matrimonium,quàm ob prius admissum adulterium. Nam illud quidem erat vehementissimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat;hoc autem habet etiam assensum rationis, quam post iniquam cædem oportebat lamentari,ac lugere, non nefario assentiri matrimonio.* Eadem fermè Procopius.

Vers. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua.*]Durum est ab aliis vulnus, aut ignominiam subire; at ab illis pati, qui tibi sunt necessitudine,aut sanguine coniuncti,multò durius:quia ab illis iniuriam sustines,à quibus expectabas gratiam, aut officium naturæ, aut liberalitati debitum. Sic sanè significabat Dauid Psal.54. v.15. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi,sustinuissem vtique*,&c.*Tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus,qui simul mecum dulces capiebas cibos*,&c. Notum est illud Cæsaris, qui cùm in coniuratorum manus incidisset, grauissimo illi dolori fuit, quod inter illos filium quoque in suam cædem conspirasse vidit; & quasi reliqua omnia toleranda duceret, hanc vnam vocem expressit dolor, *καὶ σὺ τέκνον: tu quoque fili.* Hic autem, qui contra parentis caput impias armauit manus Absalom fuit, de quo posteà satis multa, quæ breui statim sermone comprehenduntur.

16.

Grauior iniuria, quæ fit à domesticis.

Et tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.] Non violauit Absalom paternum thalamum in oculis Dauid;id est,ipso vidente Dauide, quia,vt constat ex c.16. iam ipse Dauid excesserat è Ierusalem,reliquerátque,vt custodiret domum, decem concubinas, cum quibus Absalom toto spectãte populo concubuit. Dicitur autem Absalom ante paternos oculos cum illa concubinarũ multitudine congressus, quia non quæsiuit tenebras, quas actus ille nefarius requirebat; sed ita flagitium illud aggressus est apertè, vt nemo non aspexerit.Et cùm diu Regem dedecus illud latere non potuerit,perinde censeri debuit, atque si illo spectante, atque dolente, thorus esset violatus à filio. Ita Abulensis q.9. Dionysius. Proximus dicitur Absalom, quia nemo magis cum Dauide coniunctus,quàm ab illo genitus; & fortasse illo nemo charior. Quod satis probauit in filij morte tam grauis in parente dolor, & planctus toties tam molliter, & amanter expressus. Concubuit autem Absalom,non cum vxoribus illis, quarum audiuimus nomina c.3.sed cum concubinis, quas accepisse dicitur c. 5. quas ideò Dauid restitutus in regnum, priorémque fortunam arctè cõclusit, neque illas ampliùs,sicut anteà, cognouit, vt habes c.20.v.3.

17.

Vers. 12. *In oculis solis huius.*] Hic dicendi modus aliquid indicat aut nimiùm iustum, & in quo inueniri nihil potest, quod non probat hominum sensus: nam qui hæc faciunt, amant lucem; quia nihil habent, propter quod aliorum oculos,& iudicia formident. Aut certè mores indicat nimis impudentes, aut fatuos, qui palam faciunt,quod neque in latebris fieri sine pudore potest.Quales sunt meretrices,quæ publicè quæstum profitentur turpem,& venalem pudorem in fornice prostituunt.Quod si eò progrediatur impudentia,vt nihil opponatur aliorum oculis,non murus,non porta,non denique velum, aut tegumentum aliquod, quando sic apertè nudant corpus,& libidini vacant, neque tantùm ex illo nefario concubitu voluptatem captant,sed etiam aliorum oculis exhibere studeant; illi opus illud execrandum in oculis solis, aut spectante sole facere dicuntur. Illa enim videre sol existimatur, quæ luce collustrat, aut quæ ibi exercentur,vnde sol ab homine videri solet. Quare quæ nocte fiunt, aut in latebris, aut obiecto velo, illa à sole

18.

In conspectu solis fieri dicuntur, quæ nullo celantur modo.

videri

videri negantur, quia eò ſolares radij non irrumpunt.

19. *In oculis* igitur *ſolis* opus exercuit Abſalò, quod in tenebris, & longè intra mortuos cogitari pudori illi eſſe, & horrori debuiſſet. Nam eo conſilio paternum temerauit cubile, vt populus videret iuxta conſilium Achitophelis, & illius, contra Dauid conculcatum iam, & deſpectum à filio inflammaretur ſtudium c. 16. v. 21. *Et ait Achitophel ad Abſalom; Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum, vt cùm audierit omnis Iſrael, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Et ſtatim additur: *Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael. In ſolario,* inquit; id eſt, in loco aperto, vbi neque paries, neque velum arcerent inuerecundos oculos ab inuerecundo, & mille nominibus execrando ſpectaculo. Neque mihi dubium eſt, in eodem ſolario Dauidis violatas eſſe concubinas, in quo primùm Dauid alienam vxorem concupiuit; nã *ex ſolario* dicitur vidiſſe mulierem, cùm ſe ipſam domi ſuæ lauaret.

Idem locus flagitij, atque ſupplicij conſcius.

20. Verſ. 13. *Peccaui Domino.*]Ad hunc vſque articulum excors videtur fuiſſe, & ſine mente Dauid: quia voluptas illa venerea, cui ſe ſub id tempus intemperanter immerſerat, ſanum illi ſenſum, & mentem eripuerat. Cùm autem illi & lux oculis, & ſanitas animo reſtituta eſt, ſtatim agnouit animi ſui planè horribilem ſpeciem, quæ illum eueſtigiò clamare coëgit: *Peccaui Domino.* In quibus verbis veram pœnitentiam agnoſcunt Patres, & Interpretes, quia verba illa non fuerunt vacui, & ſine mente ſoni, ſed magni cuiuſdam doloris, & pœnitentis animi illuſtre documentum. Illud, *peccaui*, peccati indicat cognitionem, & pondus, cui affinis eſt dolor: ſed quia dolor iſte multiplex eſſe poteſt, ille indicatur, dum ſubditur *Domino*, qui verus eſt, quique à Deo veniam obtinet peccatorum.

Verus dolor de peccatis.

21. Eſt enim dolor, qui humana tantùm ſpectat cõmoda; & ex eo naſcitur, quia aut homo ſuis fruſtratur votis, aut priuatur commodis, quæ cupit, & venatur humana neceſſitas. Quia videlicet homini peccatori aut bonum nomen, aut patriam, & dignitatem, aut humanas opes eripit lex, quæ pœnam irrogat peccato. Talis fuit dolor, quem ex peccato concepit Saul, cùm dixit, c. 15. v. 30. l. 1. *Peccaui.* Cur verò doleret, ſtatim explicuit, dum ait ad Samuelem: *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael.* Timere enim tantùm videbatur, ne vilis haberetur in populo, & è regno excideret: & hic dolor prorſus eſt inutilis. Simili afficiebatur dolore Antiochus, l. 1. Mach. c. 6. v. 12. qui dolebat memor malorum, quæ fecerat in Ieruſalem; dolebat tamen, quia ideò putabat inflictum ſibi morbum, & mortem inſtare. Alius eſt dolor aliquantò nobilior, imperfectus tamen, & ab affectu natus illiberali, & ſeruili, qui aut pœnas metuit, aut bona deſiderat æterna; & ideò malè afficit hominem, quia hæc amittit, & illas ſibi ſubeundas eſſe videt. Cùm in his, qui peccauerunt, ſimiles ſint voces, & externa ſigna; quia tamen nõ ſimilis fuit dolendi cauſa, effectus fuere longè diſſimiles. Vide Auguſtinum l. 22. contra Fauſtum cap. 67.

Dolor imperfectus, & inutilis.

Dolor imperfectus vtilis tamen.

22. Alius eſt ingenuus dolor, qui in peccato diuinam offenſionem, & iniuriam videt, & ideò mœret, quia illius videt contemptam eſſe legem, & offenſum animum, quem amat ſuper omnia, & à quo tam largis eſt cumulatus beneficiis. Id verò in illo datiuo *Domino* ſignificatur, quem eſſe offenſum, atque contemptum tanti facit, vt reliqua omnia tam ſui ipſius, quàm Vriæ detrimenta non ſentiat. Quod iterùm dixit, Pſal. 50. huc, vt opinor, ſpectans: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Quod meo iudicio verum eſt; neque alia expoſitio mihi videtur eſſe commodior tam in hunc locum, quàm in Pſal. 50. ad eadem propè verba; iuxta illam Regulam, quam in noſtris Commentariis ſuper Ezechielem adduximus ad illud c. 20. *Dedi eis præcepta non bona.* Diximus enim ex vſu Scripturæ negari aliquid eſſe, quod alterius comparatione exiſtimatur exiguum. Quomodò Samaria, & Sodoma, licet magnis ſe flagitiis implicuiſſent, comparatione Iuda iuſtæ vocantur, Ezech. cap. 16. *Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* In hunc ego ſenſum explicabam illud Lucæ cap. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem*, &c. Quia tantus eſſe debet erga Deum amor, vt eius comparatione quicumque alius amor odium vocari poſſit. Quod explicuit Matth. cap. 10. v. 37. qui eandem Chriſti ſententiam verbis propriis, & non figuratis expreſſit: *Qui amat patrem, & matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Sic ergo cùm Dauid peccaſſet in Vriam, cuius violauit thorum; in Bethſabee, quam ad grauem adulterij culpam, & infamiam induxit; in populum, cui plurimùm exemplo malo nocuiſſe potuit: peccaſſe tamen ſe dicit Domino, quia comparatione offenſionis diuinæ, offenſiones aliæ nullæ exiſtimantur. Et ideò Pſal. 50. qui hoc ipſo tempore compoſitus fuit, vt ex illius præfixa inſcriptione conſtat, non ſolùm Domino peccaſſe ſe dicit, ſed ſoli Domino: *Tibi*, inquit, *ſoli peccaui.* Itaque nõ dolet Dauid, quòd peccatũ ſuum in omnium cognitionem veniat, quòd compreſſus aliquandiu ex vlcere putri fœtor erumpat; ſuumque nomen graui apud omnes laboret infamia; quòd moriturus filius ex adulterio conceptus; quòd vxores in conſpectu ſolis opprimantur à laſciuo filio; quòd ab illius domo non ſit gladius receſſurus in æternum. Hæc, inquam, non curat Dauid, quia multò acerbiùs diuinæ offenſionis aculeis exulceratur animus. Hæc Theodoretus, & Baſilius in Pſal. 50. Audi Baſilium, dum exponit illud: *Tibi ſoli peccaui. Cum multis, ac magnis donis tuis ſim potitus, contraria tamen rependi. Non enim hoc dicit, quòd in Uriam non deliquerit: deliquit quidem & in illum, & in vxorem eius; verùm maxima hæc præuaricatio aduerſus Deum præcipuè fuerat commiſſa, qui ipſum elegerat, & Regem conſtituerat.* Eodem fermè modo Theodoretus.

Regvla. Aliquando negatur eſſe quod alterius comparatione cenſetur exiguum.

Ezech. 16.

Luc. 14.

23.

24. Huius verò doloris maxima dedit documenta Dauid. Primùm in Pſal. 50. qui eodem tempore compoſitus fuit, quo peccati fuit accuſatus à Nathan, in quo tot ſunt grauiſſimi doloris indicia, quot ſunt in illo verba. Addit autem hiſtoria Scholaſtica, cùm primùm Dauid ab ore Nathan diuinam reprehenſionem audiuit, deſcendiſſe de throno, ſediſſe in terra, neque erubuiſſe in omniũ conſpectu confiteri peccatum. Aliud argumentum addit Chryſoſtomus tom. 1. homil. 2. in Pſal. 50. dum dicit, nulla excuſatione Dauidem eleuaſſe culpam, neque durè tuliſſe reprehenſionem, ſed quaſi vnus eſſet ex ordine plebeio caput demiſſum, & regiam ceruicem ſubieciſſe: *Ille*, inquit, *velociter rediens ad conſcientiam tanquam fidelis & idoneus ſeruus culpam ſimpliciter confitetur, & dicit: Peccaui Domino. Vides & in dolore ingenuitatẽ animi?*

Veræ pœnitentiæ ſigna.

Nec dixit ad eum: O ille tu, cur non consideras fragilitatem humanam? Cur non temetipsum carnalem intelligis? Aut nescis me in culmine constitutum esse regali? Cur mihi audacter impegisti crimen? Sed quid dicit? Peccaui Domino. De pœnitentia Dauidis multa dicuntur à Patribus, quæ à nobis hoc loco, ne longiores simus, omitti posse videntur, cùm illa apud suos auctores videri possint facilè. Vide Ambrosium in Apologia pro Dauid, Augustinum in Ps. 50. & ibidem Chrysostomum.

25. *Cur Dauid dixerit se soli Deo peccasse.* Hæc expositio mihi omnium placet maximè; aliæ sunt variæ tam in hunc locum, quàm in illum Psal. 50. *Tibi soli peccaui:* qui aut idem est, aut ab eo non admodùm diuersus. Chrysostomus in Ps. 50. Ambrosius epist. 7. lib. 2. ideò à Dauide dictum esse putant, *Tibi soli peccaui*; quia Deus solus ipsius potest punire peccatum, & quia solus ipse nouit, & quia nullam in caput suum superiorem videbat esse potentiam. Quis enim tutò Regum improbare consilia poterit, aut factum condemnare? Hoc vnius Dei opus est, qui neminem metuit, qui quos in regum sustulit, eosdem, cùm libuerit, è regno deiicit. De hoc Iob c. 34. v. 18. *Qui dicit Regi, apostata: qui vocat duces impios.*

26. Aliam Augustinus explicationem addidit Augustino dignam, q. 55. in Deut. tom. 4. quam, licèt non putem esse literalem, quia tamen maximè est ad mores, libenter adducam. Ait enim ideò dictũ esse à Dauide hoc loco, & Psal. 50. vni Domino se peccauisse; & Ierem. cap. 14. v. 7. *Tibi peccauimus*; quia cùm noxium sit omnibus peccatum, soli tamen Deo quodammodò videtur esse vtile, quia in eo peccato delendo, Dei ostenditur tum misericordia, atque patientia, tum etiam potentia, quam ad opus illud infinitam esse oportet. Sic autem ille post alia multa in hoc argumento præclaro: *Hoc agitur, vt Deus ignoscendo glorificetur; quia magna est eius misericordia super confitentes sibi, & redeuntes ad se qui dicit se nolle mortem peccatoris, sed tantùm vt cõuertatur, & viuat. Hinc & ipse Dauid non solùm in Psalmo, verum etiam cùm Deus eum argueret per Prophetam, non sine spe propitiationis Domini respondit: Peccaui Domino.* Et adducit vulnerati exemplum, qui se medici manibus curandum subiicit. Ille enim tunc maximam medico conciliat gloriam, cùm morbum illi, seu vulnus subiicit, cui solus ille afferre potest sanitatẽ, cùm aliis ad morbum illum desperatum facultas omnis atque potentia desit. Quare si quisquam ex casu foret ita collisus, vt non nisi abvno adhiberi posset vtilis medicina, rectè illi ægrotus diceret; tibi soli cecidi; tum quia solus potes a morte vendicare; tum quia tibi vni gloriã augebit casus, qui mihi tam fuit pernicios. Hoc modo magnam alicuius sapientiam, seu fortitudinem significare solemus. Sic, cùm casus accidit à natura occultus, & admirabilis, aptè aliquis diceret; hic tibi ô Plato, seu Aristoteles, casus accidit, quem explores, & doceas: si quod anceps, & implexũ ænygma; hoc te, ô Oedipe, postulat: si monstrum horribile; hoc tibi, ô Hercules, monstrum natum est, quia præter te nemo illud extinguet. Hoc dixisse videtur alio loco Dauid Ps. 40. v. 5. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Quasi dicat, animam meam habeo à peccato sauciam; sana obsecro illam, quia tibi vni tanti vulneris medicina reseruata est.

Peccatum nostrũ Dei misericordiam, & patientiam ostendit, atque ideò gloriæ quodãmodo diuinæ seruit.

27. *Deo gloriosum est ignoscere.* Quòd autem præter Deum nemo possit tollere peccatum, certum est; quòd autem peccatum delere, & illi ignoscere, à quo offensus sit, magnam Deo præbeat materiam ad gloriam, multa probãt. Numer. 14. v. 17. cùm dixisset Moyses: *Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut iurasti dicens, Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitates, & scelera*, &c. quasi hoc esset gloria Dei; respondit Deus ipse statim, v. 20. *Dimisi iuxta verbum tuum, viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* In hunc sensum accipiunt nonnulli illud ad Roman. 3. v. 23. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* In quibus sunt Ambrosius, & Anselmus, & Glossa. Sic autem ibi Anselmus: *Deus magis, magisque glorificatur tribuendo beneficia gratiæ suæ per remissionem delictorum.* Quòd si peccata delere, & delictis ignoscere Dei gloria est, sanè vbi plura fuerint, & grauiora peccata, maior tunc erit Dei gloria, cùm illa deleuerit. Sicut maior est medici gloria, cùm maiorem depulit morbum; & robusti hominis, cùm fortiorem deiecit aduersarium, aut horribilius monstrum ferro confecit. Erat sanè in Dauide, si humanas consideres vires, desperata salus. Quis enim auderet adhibere medicinam, quæ salutaris esset tumenti, & adhuc crudo vulneri (hæc enim sola est salutaris, quæ facit dolorem) cùm morbus esset in Rege, cuius obsistere votis, aut turbare gaudia, digna crucis censetur audacia, & omninò illiberalis reprehensio? Mittebatur à Deo Nathan Propheta, & tamen non est ausus condẽnare Dauidem, donec longa vsus insinuatione, & artificio, eò adegit Regem sui iudicij prorsus ignarum, vt suo se iudicio condemnaret, suo gladio conficeret. Illum tamẽ sanauit optimus medicus, cùm deiecit è solio, abiecit in terram, & oblitus Regij tumoris, quem medicæ horrent manus, clamauit longè à seipso mutatus: *Peccaui Domino.* Ac si dicat, adeò peccaui grauiter, vt in meo peccato, quasi in grauissimo morbo depellendo, Dei possit commendari clementia, & illius gloria singularis agnosci.

28. *Principum curare peccata opus dificile.*

Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.] Citò est Dauid consecutus, quod optabat, obtinuit veniam, restituta est illi salus, imò reuocata vita, quam amiserat. Vbi Vulgatus *transtulit*, Hebraicè est העביר *he ebir*; id est, *transire fecit a te*; id est, fecit ne subires peccatum; id est, peccati pœnam, quã in te ipso subire debuisti. Debuerat Dauid vitam Vriæ, cuius vitæ insidiatus est, & Ammonitarum tandem ferro sustulit. Hoc supplicium Deus remouit à Dauide, postquàm illi expuncto peccato, durioris, atque æternæ mortis veniam concessit. Minatus fuerat Deus mortem domui Dauidis; mortem, inquam, à ferro siue alieno, siue domestico, quod in ea domo grassaturum dicebatur in sempiternum. Quod dicendi genus non vni, aut alteri; sed ex ea domo plurimis portendebat exitium; neque ipsum, vt opinor, eximebat Dauidem, nisi, quod nunc fecit, à peccato resipiscceret. Atque ideò cùm dixisset Nathan peccatum ab illo fuisse translatum, statim illius explicationem adhibuit, dixitque; *non morieris.* Quasi diceret, moriturus quidem eras, inimico ferro in domo tua liberè bacchante; sed tu pœnitendo illius obtudisti aciẽ, & à tuo iugulo maturè repulisti. Hæc mihi explicatio facilis est, & optimè, vt mox explicabimus, cũ his, quæ succedũt proximè, cõsentiens. Ita cẽset Abulẽsis, q. 12. & Lyra. Caietanus de morte etiã accipit corporali, alio tamen modo. Non quasi propter peccatum moriturus fuisset Dauid, sed quia id timebat, ne sibi accideret. Illius igitur timori respondet Deus, dicitque propter hoc peccatum non esse corporalem illi mortem subeundam, quam timebat. 29.

De hac Dauidis pœnitentia multa Patres, quam hominibus propositam esse dicunt, tum vt discãt, qualis 30.

Ad Rom. 3.

qualis esse debeat pœnitentia, cui à Deo salus, & venia promissa est: tum etiã, ne desperent, si quãdo viderint se graui peccatorum sarcina grauari. Vide Ambrosium in Apologia Dauidis, cap. 2. & 4. Augustinum l. 22. c. 67. contra Faustum. Quid spectare bebeat pœnitens verus, iam anteà diximus; nempe vt vnum Deum intueatur offensum, & de illius iniuria, atque offensione doleat. Et cùm sibiipsi, & proximo peccauerit, illam præcipuam habeat dolendi materiam, quòd Domino peccauerit. Veræ porrò pœnitentiæ optima Augustinus suprà contra Faustum c. 66. argumenta proponit, dum Dauidis præclara commemorat, commendátque facinora, quòd homunculo ignouerit, quem facilè opprimere potuerit, cùm conuitiis lacesseret indignissimis, & Dei in illa verborum, lapidumque appetitione, non hominis manum, & linguam agnosceret; cùm filium, à quo tunc expetebatur ad mortem, & spectante populo per sũmam ignominiam in regia domo, atque cubili, violatas sciebat suas concubinas, & seruatum vellet, & illius vitam suis commendaret vehementer & extinctum lugeret. Alia suprà signa ostendimus ex Chrysostomo. Sed illud addo ex eodem in eadem hom. 2. nunquam peccatum illud excidisse ex memoria, sed semper fuisse ob oculos obuersatũ, & non vni Domino, & eius Prophetæ Nathan voluisse apertè confiteri, sed etiam fecisse, vt omnibus esset quàm notissimum: *Non solùm*; inquit, *post pœnitentiam palàm edicit vulnera sua, sed & in posterum vniuersæ nationi eadem manifestat, & Psalmum scripsit, vt non remissiores post pœnitentiam efficiantur homines, & vt sciant quantam fabulã concupiscentiæ habeat tragœdia.* Idem Eucherius in hunc locum: *Vulnus*, inquit, *apparuit, & sanitas rediit. Sed non fuit his Propheta contentus: Nam post correctionem, post pœnitentiam, post peccatorum absolutionem, Psalmum ob causam scripsit; ita vt etiam posteræ generationi fiat illius passio medicina: & illius naufragium sit aliis portus: & quibus ille vulneratus est, & emendauit, alij in iisdem incidentes ipsa possint vti medicina, & emendatione sanari.* Psalmus verò, quem sui sceleris æternum esse voluit testem, atque præconem, quinquagesimus fuit. In quo v. 5. dicit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper:* Id est, coram me, seu in conspectu meo, ita vt quocumque me cõuertero, in oculos meos semper incurrat. Hæc est multorum, & in his Augustini sententia ad versum proximè citatum.

Vera pœnitentiæ signa.

31. *Confessio, & manifestatio peccati pœnitentiæ signum.*

32. *Subitus pœnitẽtiæ fructus.*

Hæc dicta fuerint quoad pœnitentiæ formam, & exemplum, quod pœnitentibus pœnitentium maximus, aut cum maximis edidit. In cuius pœnitentia, Deique circa illum paratissima venia, multa videmus, quæ peccatorum desperantes animos ad spem excitent sperandæ salutis. Vixdum ex animo, & seriò animi sui sensum, & dolorem exprompserat Dauid, dixeratque duo illa potentissima verba: *Peccaui Domino*; cùm ab eo translatum dicitur peccatum, neque illi subeundam esse mortem (cùm tamen multis causa fuerit mortis, qui simul cum Vria Ammonitarum gladio ceciderunt) & tandem licèt non omninò mutatæ, temperatæ tamen fuerint minæ per Prophetam intortæ. Notat autem Chrysostomus hom. 2. in Psal. 50. quàm diuersa sint Dei, hominumque iudicia, quàm hæc seuera, quàm illa mitia. Sic autem ibi Deus ad Dauidem: *Tu quidem dixisti reum gladio interimi; ego autem dico, non morieris.* Dixit Dauid, cùm vmbram quandam videret hominis, qui neque adulterium commiserat, neque quemquam occiderat fraudulento consilio: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Conuictus fuerat Dauid adulterij, & cædis non vnius Vriæ, sed multorum etiam, quos Ammonitæ gladio peremerunt; & tamen audit post duo verba, *non morieris.* Ad extremum, ne multus sim, addo, quæ de pœnitentia Dauidis, & illius exemplo quanta debeat oriri spes veniæ in peccatoris animo, dicit Chrysostomus hom. 77. ad Populum: *Ambulemus vigilantes, & expergefacti; velsi paulùm quis dormitauerit, illicò prostratus est. Non enim sumus Dauide solertiores, qui cùm parumper neglexisset, in ipsum præcipitatus est peccati barathrum, sed citò surrexit. Ne tantùm itaque quòd peccauit, aspicias, verùm etiam quòd peccatum abstersit. Propter hoc enim historiam illam descripsit, non vt lapsum consideres, sed vt surgentem admireris: vt discas, cùm ceciderit, quomodò surgere conueniat. Sicut enim medici difficillimas eligentes ægritudines describunt, talisque curationis viam voluminibus docent, vt in maioribus exercitati minora facilè transigant: ita scilicet & Deus in medium peccatorum maxima produxit, vt in paruis offendentes, per illa facilem horum correctionem inueniant: si enim illa sanitatem acceperunt, multò magis & minora. Videamus igitur, qualiter & infirmatus est, qualiter & illicò surrexit.* Eadem Eucherius in hunc locum: *Culpam*, inquit, *simpliciter confitetur, & dicit; Peccaui Domino: & Propheta respondit; Et Dominus transtulit peccatum tuum; velox confessio, velocior medicina; facto peccauit, verbo pœnituit.* Augustinus hom. 41. *Dauid grauiter increpatus post comminationes Dei terribiles exclamauit dicens; Peccaui: & mox audiuit: Dominus abstulit peccatum tuum. Tantum valent tres syllabæ, tres syllabæ sunt, Peccaui; sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cælum.*

33. *Peccatori quid spem veniæ excitare debeat.*

Vers. 14. *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.*] Hæc optimè conueniũt cum explicatione, quam suprà magis probabamus. Moriturus erat Dauid, quod fortasse illi Nathan inter alias obiecerat minas; licèt expressè in historia sacra non habeamus (neque enim quæ dicuntur, aut fiunt, narrantur omnia) sed concessa vita fuit, qua se priuatum iri formidabat; ita tamen, vt pro suo infantis caput suppositurus, qui parentis loco morbo subito percussus interiit, ne populus, cui iam erat notum Dauidis adulteriũ, æquitatem in Domino requireret, qui tantum scelus abire pateretur impunè; sublato verò communi filio, de vtroque parente, & communi adulterio supplicium sumptum est. Neque enim minùs Bethsabee, quàm Dauidi recèns nati pueri accidit molestus interitus. Quare Dauid, qui se, adhuc laborante filio, grauiter afflixerat, consolatus dicitur Bethsabee, quæ magnum ex filij morte dolorem acceperat.

34.

Sed quid est, quòd Dauid fecisse dicitur blasphemare inimicos Dei? Quidam hos inimicos esse putant Ammonitas, qui cùm superiores essent in eo bello, in quo cum aliis cecidit Vrias, Hebræorum Deum infirmum esse dicebant, & qui populum suæ creditum fidei seruare nõ potuerit. Ita Abulensis, Dionysius, & Caietanus. Aut certè Gentiles omnes, qui Dauidis peccatum cognoscere potuerunt (neque enim Regum peccata aut celari possunt, aut angustis finibus contineri.) Hi enim aut ignarum, aut certè non satis prouidum Deum existimare possent, qui tam iniustum, ingratum, atque crudelẽ Regẽ illi præposuisset populo,

35. *Quam diuersa Dei, hominúmque iudicia circa peccata.*

Sicut Dauidis, Prælatorũ peccata blasphemari faciũt nomen Dei.

quem sibi ex omnibus vnum elegisset. Quod etiam probabile putant Abulensis, & Hugo. Sed placet magis, quod putant Abulensis, & Lyra, intelligi nempe in inimicis Dei illos, qui minùs piè afficiuntur in Deum, quacunque illi ex religione sint, siue alieni, & idololatræ, siue Hebræi; nam & hi etiam, qua sunt ingenij facilitate, modò illa improbant, quæ probauerant antè; & quæ horrebant priùs, momento temporis eadem amplectuntur, & colunt: denique in has, & illas religiones incredibili volubilitate labuntur. Hi ergo, cum viderent quid à Dauide fuisset admissum, neque ignorarent electum à Domino in Regem Israel, aut sumpserũt occasionem, aut sumere potuerũt, qui Dei erant inimici; id est, qui parùm religiosè, ac piè de Deo cogitabant, vt in Deo futurorum euẽtuum, & ingenij humani nulla esset cognitio, aut minùs esset de rerum humanarum prudenti, atque æqua administratione sollicitus. Videbant in Saule leuius esse peccatum, sic saltem existimare poterant, cùm nihil de Pythonissa consulta didicissent; illum tamen à Deo è regno pulsum esse nouerant, & eius loco suffectum esse Dauidem, quem etiam audierant esse iuxta cor Dei, & omnes voluntates eius esse facturum. Quare suspicari poterant id voluisse Deum, quod vir ille diuinæ voluntati concors cum tanta bonorum offensione patrauisset: probare videlicet adulterium, homicidium, & quæ proximè obiecta fuerant à Nathan.

36. Hæc Dionysius ideò non probat, quia quo tẽpore populus blasphemasse dicitur, & impiè de Deo aut meditatus, aut locutus, nondum in hominum vulgus eruperat adulterij fœtor, aut homicidij barbara crudelitas. Sed hæc ratio infirma est, quia ex linguarum omnium consuetudine ille aliquid dicitur fecisse, qui, vt illud fieret, causã aliis vt facerent, & materiam dedit. Quod verius est, cùm reuera id, quod factum esse dicitur, talem habuit exitum, qualis præuidebatur. Quare frequenter audimus, cùm quis in vitæ, aut honoris periculum coniectus est ab alio, dicere ad alium, de cuius iniuria, aut imprudentia queritur: *Tu me occidisti, tu nomen meum, & vitam obscurasti.* Sic etiam hoc loco materiam populo dedit satis amplam Dauid, vt in Deum impio baccharentur sermone, illúmque ignarum, iniustum, aut infidelem vocarent.

REGVLA *Id dicitur aliquis fecisse, quod vt fieret, causam dedit.*

37. Sed credo, reuerà ante hanc Prophetæ reprehensionem male de Dauide, & impiè de Deo locutum esse populum, aut etiam alios, qui alienæ se religioni deuouerant. Quia ante hunc etiam articulum compertum esse arbitror; quid Dauid contra Vriam, & eius domum destinasset animo, & opere complesset. Quod tamen ignorabat ipse Dauid, quia aula non tam habet viros, qui vera Principibus dicant, & si quid ab illis peccatum est, liberè obiiciant, ac reprehendant, quàm adulatores, qui gratiam captãt, & dum cõmendant illa, in quibus apparet nihil, quod pietatem, imò & pudorem oleat, alunt in illis ad omne vitiorum genus impudentem audaciam, & in mediis flammis otiosos esse iubent, & securos. Quis dubitet, illos per quos in Regiam accersiit Bethsabee, ignorasse, quid esset in votis Dauidi? Quis non videbat, cùm interfecto Vria, vxorem duxit Bethsabee, intumuisse illius ventrem à concepto fœtu? Et eo tẽpore natum infantem, quo quiuis cognosceret, nõ potuisse generari legitimè? Neque negaret Dauid, quicquid in vtero gereret Bethsabee, esse suũ; sanè apertè confessus est, cùm puero ægrotante iejunauit, & fleuit. Neque exiguam coniecturã præbere potuit, cùm nuptias acceleraret, & absoluto luctu, septemdiali nempè spatio, in Regiam traduxerit. Quod etsi nihil ea de re præscriptum sit à lege, pudicæ tamen fœminę non faciunt; neque viri, in quibus aliqua est pudoris, atque honestatis ratio.

Peccatum Dauidis nõ occultum.

Quod verò ad cædem pertinet Vriæ, nõ desũt 38.
coniecturæ, quæ suspicionem moueant. Primùm, non ignorabat Ioab; cui id à Rege mandatũ est, vt eo loco exponeret Vriam, vnde mortem effugere nõ posset. Neque ipse adeò fuit fidei, aut secreti tenax, vt non alicui suũ, Dauidisque consilium, & datũ sibi imperium à Rege prodiderit. Cùm enim viri prudentes in Ioab solertiam, & consilium desiderarent, cùm eò misissẽt milites, vnde videbatur maius imminere periculum; neque in illos, qui Vriam in ipso inimicorum congressu deseruerãt, animaduerteret; credibile est, quò suum nomen à populi reprehensione vendicaret, aperuisse aliis regium mandatum, ex cuius præscripto res gesta fuit; imò & regias ostendisse literas, quò suæ fidem excusationi faceret.

Filius, qui natus est tibi, morte morietur.] Quomodò filij corporali morte parentum suorum peccata luant, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem ad illud c. 18. v. 4. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Sed si ex huius infantuli fratribus coniectare licet, clementer cum hoc puero actum est, cùm illi in ea ætate, in qua neque doli, neque peccati capax erat, erepta vita est. Quid enim de illo meliora speraremus, quàm de incestuoso Ammon; quàm de impio Absalom, qui manus armauit contra fratrem, quem incautum, & seductum oppressit; qui in parentis cædem conspirauit; qui paternum temerauit lectum; qui execrabile tradidit omni posteritati nomen suum? Aut postremò, quàm de Salomone fratre, qui in extrema senectute, non solùm sapientiam, sed etiam mentem amisisse visus est, quando sese alienæ religionis amoribus, & sacris implicuit; & cùm in primis annis religiosè vixisset, ad extremum tamen, vt habes Eccl. 47. *inclinauit fœmora sua mulieribus, & dedit maculam in gloria sua?* Hæc porrò, aut his similia, de hoc puero, cùm iam virilis accessisset, & liberior ætas, maiori etiam ratione timeri poterat, cùm alij ex legitimo, hic verò natus esset ex adulterino congressu. Porrò quanto in periculo sit illorum salus, qui in magnis familiis orti sunt, vbi vita solutior, mala aulicorum exempla, deliciarum abundantia, quæ vires frangit, & vitiorum omnium alimenta, & lenocinia præbet, & mores omnium ignominiosè corrumpit; quis non videt? Imò quis non queritur, & plorat? Qua de re nos pluribus l. 2. c. 8. ad illud: *Sed declinauerunt post auaritiam.*

39. *Actum bene cũ filio Dauidis, cùm infantulus mortuus est.*

Plerisque filiorum Dauidis mors mala.

40. *Filiorum Principum misera conditio.*

Vers. 16. *Deprecatusque est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio.*] Sicut vitam sibi à Domino impetrauit Dauid hac vna voce: *Peccaui Domino*; quam amissurus videbatur, vt pœnas daret Vriæ cædis; sic etiam putabat impetrare se posse vitam infanti recens nato, quam Deus illi per Prophetam negauerat. Atque ideò orationi se dedit feruentissimæ, cui addidit illa, quæ apud Deum nouerat esse potentissima ad extorquendam ab offenso, & indignato pectore misericordiam. Quare abiecit se in terram, secessit in locum separatum à turba, aulicoque strepitu, abstinuit à cibis, & adhibuit illa, quæ ad expugnandum diuinum pectus pondus videbantur habitura maximum. Neque mirum,

41.

rum, si pro paruulo tam laboret sedulò, tam se constanter,& obstinatò maceret,& excruciet,cùm pro filij vita certet, quam pro suis peccatis videt in discrimen adduci.

42. Vers. 17. *Venerunt autem seniores domus eius,cogentes eum,vt surgeret de terra.*] Qui auctoritate, & gratia,adde etiam & ætate plus apud Regem.poterant,cùm viderent tam longam Regem, ac duram vexationem assumere,illum adeunt, rogantque,imò & cogunt,vt de terra exurgat, & sordes illas abiiciat,in quibus iacet, luctu se, & lachrymis assiduè conficiens;ac tandem vt anteà solitus cibum secum sumat in Regia mensa,quamRegio, vt opinor, more luculenter instruxerant. Ex quo loco facilè quiuis intelliget,seniores,&qui in aulicis, bellicisque negotiis præcipuas obibant partes,simul cum Rege cibos sumere.Sicut tempore Saulis factum legimus l. 1.c.22. vbi in Regio triclinio certæ constituuntur Principum sedes, v. 25.Idem omninò significari videtur verbis, quæ proximè succedunt,vbi Rex dicitur noluisse surgere,neque cum aliis simul capere cibum.

Viri principes cum rege simul cibum sumũt.

43. Vers. 18. *Accidit autem die septima,vt moreretur infans.*] Dubium est, an septimus ille dies fuerit ab ortu pueri, ita vt tantùm septem vixerit dies; vel ab eo die, quo lethali puer percussus est vulnere.Quidam à die ortus numerant, & inde coniectant damnatum esse puerum, quia ante octauum vitæ diem circuncidi non poterat. Alij à morbo pueri; & his illud obiicitur incommodi, quòd durum videtur potuisse Dauidem totum illud septemdiale spatium ieiunum transigere. Sed quamcumque in partem accipias,non videtur esse difficile negotium.Nam vt demus,vrgente necessitatis;id est,mortis articulo,non licere circumcisionis tempus anteuertere; quod nõnulli negant, & in his Magister 4.d.1.c.*Si verò quæritur*: at Circuncisio non erat medium ad salutem necessariũ, sed sufficiebat parentum fides, & ex ea facta pueri nondùm circuncisi, & iam periclitantis oblatio. Qua de re vide Gabrielem Vazquez in 3. p. S. Thomæ disp.163.c.2.& 1.2.disp.148.c.3.

44. Altera pars nihilò plus habet negotij: neque enim litera nos fateri cogit,totos septem dies Dauidem habuisse ieiunum.Neque enim dicitur Dauid inchoasse ieiunium,quãdo percussus est puer, sed potiùs indicat ieiunare cæpisse,& humi cubare,quando pueri cæpit desperari salus;quod accidere potuit vno aut altero ante obitum die.Quòd si dicamus,septem dies habuisse lugubres, & totum illud spatium ieiunasse; neque hoc videtur durum, aut insolitum: neque enim ita ieiunium illud peractum est à Rege, vt nihil toto illo tempore gustauerit.Ieiunauit enimHebræorum more, abstinendo videlicet à cibis lautis, & ab aliis mẽsarum munditiis, & illa adhibendo ad austeram, & lugubrem mensam,quæ status ille miser,& sordidus exigebat.Neque enim bene cum cinere, ac puluere,cum oratione,& luctu conueniunt lauti, ac delicati cibi,vnguenta,& coronæ,& si quid est aliud,quod molles delicias fouet,& geniales exhilarat mensas.Ieiunauit sanè Daniel in mœrore, sicut modò Dauid;neque alio modo ieiunasse arbitror,quàm Dauid,Dan.10.v.2. *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus:panem desiderabilem non comedi,& caro, & vinum non introierunt in os meum; sed neque vnguento vnctus sum.* Abstinuit Daniel à vino, & carnibus, abstinuit ab vnguẽtis; comedit quidẽ panem,non tamẽ desiderabilem;id est,delicatũ,sed aridum,insulsum,parcũ;qualem Deus in casu nõ dissimili Ezechieli præscripsit,c.4.v.9.Sic

Quale Hebræorum ieiunium.

etiã Dauid,vt ipse indicat non obscurè Psal. 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam,& potum meũ cum fletu miscebã.*Quo loco quidam hypallagẽ agnoscunt;quasi dicat Dauid,comedisse se panem sic insipidum,vt ex cinere potiùs,quàm ex frumẽtacea farina subactus videretur. Quod neque lotus,aut vnctus fuerit,constat ex v.20.*Surrexit ergo Dauid de terra,& lotus,vnctusque est.* Quòd vestem sumpserit cilicinam,ex eo liquet,quia statim subditur:*Cùmque mutasset vestem*,&c.Cùm autem non ab omni cibo abstinuerit Dauid, sed à Regio, & splendido,qualem & ipse sumebat anteà,& cõuiuis suis porrigebat,satis intelligitur,quomodò septem dies Hebræorum, & lugentium more ieiunando tolerare potuerit. Neque id obscurè sumitur ex hoc eodem loco.Seniores enim non cogũt vt comedat;nam comedat lugubrem, & austerum panem,sedens super cinerem, & indutus veste cilicina,& sordida;sed vt è terra surgat,& cum ipsis vt anteà,cibos capiat, quales regiam munditiem, & maiestatem decẽt.Quod ipse renuit:*Cogentes eũ vt surgeret de terra,qui noluit, nec comedit cũ eis cibũ.* Reliqua ad v.24.Interprete non egent.Illud nõ omittã,quod putat Theodoretus q.26. obiisse puerum ex adulterio conceptum, opus esse non tam ab odio natum, quàm à Dei beneuolentia singulari.Puer enim ille viuus, & aliorum oculis identidem occursans,testis esset assiduus paternæ libidinis,& crudelitatis execrandæ.Addo ego clemẽter etiam actum esse cum puero,qui si in firmiorẽ ætatem adolescceret inter regias delicias, nihilò esset fratribus melior; & ideò misericorditer raptum esse ante tempus, *ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*, Sap. 4.v.11.

Actum bene cum puero mortuo, & cum Dauide, quia sublatus est testis peccati, & puer ereptus aterna damnationis periculo.

Vers. 20. *Lotus, vnctusque est;cumque mutasset vestem,ingressus est domum Domini.*] Apparet ex his optimi,atque religiosi Principis pietas,& cum diuina voluntate consensio. Hactenùs ieiunans in sacco, atque squallore iacuerat, quia id gratum Deo fore existimabat, cuius minæ absolutæ fuissent,an conditionatæ,nondum agnouerat. Atque ideò orare voluit,& se affligere, quia id expectare Dominum suspicari poterat,vt frangeret,aut temperaret minas. Ast vbi cognouit,quid Deo in pueruli causa placuisset, excepit illius iudiciũ, quàm potuit in eo rerũ articulo,iucundissimè,Quare lauit se,atque vnxit,quod faciunt, qui læti esse student,& lauti, quique aliquid vident sibi cõtigisse pro votis. Mutauit vestes, sumpsitque illas, quæ festum animum,& regiã amplitudinẽ decebant.Et ingressus est Tabernaculũ, vbi tunc erat Arca ex castris Ioab,vt reor,in suũ locum, re iam feliciter acta,restituta,vt adoraret Deũ,illúmque rerum omniũ agnosceret, prædicarétque auctorẽ, & Dominũ.Neque questus est,quòd sustulisset filiũ; sed gratias egit,quòd sibi & peccati veniã,& vitã,quã Vriæ debebat,concessisset. Id puto Dauidẽ egisse in Tabernaculo;& ideò vestẽ sumpsisse genialẽ,& splẽdidã,vt significaret,nihil sibi cõtigisse triste;& statim petiisse,sibi vt sterneretur mẽsa,& cibis instrueretur haud dubiè solitis. Quæ omnia animũ indicãt & piũ,quia ad sacrariũ priùs,quàm ad mẽsã ingreditur;& lætũ,quia cũ filius domi mortuus iaceret,de cibo cogitat,illũque vltrò afferri sibi iubet. In *pane* porrò, quẽ sibi afferri iussit,iuxta Hebræorum idioma, omnis intelligitur cibus. De quo nos plura alibi.

45.

Vers. 21. *Dixerunt autem ei serui sui, quis est sermo*, &c.] Mirati sunt Dauidis serui tantam in regio animo mutationem, cùm lugentẽ viderent,& 46.

ieiunũ cùm adhuc in viuis esset infantulus;nunc autem illo mortuo cibum poscat,& sumat, & vestem induat splendentem, & regiam. Quod cùm familiariùs essent sciscitati, respondit Rex, non antè sibi exploratum esse, quid Deo in pueruli causa placuisset; atque ideò sumpsisse lugentis, atque precantis habitum, si fortè placaret sibi Deum, quem offensum sciebat, & ab illo lachrymis ægrotantis pueri vitam impetraret. Cùm autem iam Deus extincto puero, quid sibi placuisset, satis ostenderit, non putabat ampliùs cum Domino certandum esse ieiunio,ac precibus; sed in eo lætandum,quod Deus in suum,ac filioli caput decreuisset.

47. Vers. 24. *Et consolatus est Dauid Bethsabee.*] Multis, iustissimisque de causis mœrere poterat Bethsabee;quia rea apud omnes violatæ fidei cõiugalis: neque enim saltem post reprehensionem Nathan ignorabat populus, quam illa cum Rege consuetudinem habuisset. Quia puer mortuus, qui futurus videbatur fidelis animorum nexus. Quia timebat, ne sicut peccati Dauidem pœnituerat, sic etiam pœniteret initi connubij, & ipsam,vtpotè illius incendij facem dato libello repudij pelleret domo.Illam igitur consolatur Dauid,ac iubet,bono esse animo, neque de sua fide quicquam aduersum suspicari. Quare vt facto orationi,ac promissioni suæ faceret fidem,ad illam sicut priùs ingreditur, ex qua suscepit filium, cui nomen *Salomonis* imposuit. Quod factum probauit Deus, & quia natum ex illo concubitu dilexit, iussit Nathan Prophetæ, vt illum *amabilem Domino* vocaret.

48. *Duo nomina à Deo Salomoni imposita.* Duo nomina habuit filius, quem secundo loco Dauidi peperit Bethsabee;vtrumque verò nomen impositum est à Deo.Appellatus est *Salomon*, qui *pacificum* sonat, in quo nomine Deus consignari voluit pacem, quæ Salomonis regnum cõsecuta est; & ob id natum iam ex legitima consuetudine filium *Salomonem* nuncupari iussit. Ita docuit Dauid l.1.Paral. c.22.v.9. *Factus est sermo Domini ad me dicens,*&c.*Filius,qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. Faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Israel omnibus diebus eius.*

49. REGVLA. *Nomina multa imposita, quæ tamen vix audita in Scriptura.* Alterum item nomen illi Deus imposuit, quo significauit,quàm Deo futurus esset amabilis.Atque ideò per Nathan illi nomen impositum ידידיה *Iedideiah*:id est,*dilectus*,vel *amabilis Deo.* Sed si hoc etiam fuit Salomonis nomen, cur hoc tantùm loco in Salomone nomen istud audimus? Hoc idem de multis aliis dici posset, qui cùm nomen accepissent à Deo,aut nunquam,aut perquàm rarò illud in sacris literis auditur. Quoties Iacob, dum viueret, *Israelis* de se nomen audiuit; cùm tamen Genes.32.v.28. dixerit Dominus: *Nequaquàm Iacob appellabitur nomen tuum,sed Israel?* Multa habuit Christus nomina, & non ab alio imposita,quàm à Deo; vix tamen illorum in Scriptura tota aliquod occurrit. Isaiæ cap.7. vocatur *Emanuel*:& c.9. *Admirabilis,Consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi,princeps pacis.* At horum nominum in Scriptura sacra vbi locus?

50. REGVLA. *Sicut, nomen, idem est,quod res, sic, nominor, idẽ est quod,*sum. Pro his, aliisque huiusmodi nominibus, quorum in Sacris literis non est exiguus numerus, obseruandum est; sicut *nomen* idem interdum est, quod ille,cuius est nomen;vnde *nomen Dei*, idem est non rarò,quod *Deus*; *nomen meum*, idem quod *ego*: sic etiam *nominari*,seu *vocari*, idem est, quod *esse*. Hinc lucem accipiunt plurima Scripturæ sacræ loca, in quibus aliquid dicitur hoc, vel illo modo vocari; aut hoc, vel illud habere nomen, quia tale est.Vnde Isaiæ cap.62. dicitur de Ierusalem: *Non vocaberis vltra Derelicta, & terra tua non vocabitur amplius Desolata, sed vocaberis Voluntas mea in ea.*Id est,nõ eris desolata,&derelicta;sed in te fiet voluntas mea. Et c.9. Christus vocatur *cõsiliarius, Admirabilis*;id est,*erit Cõsiliarius.*Et Ezech. c.48. in fine:*Nomen ciuitatis Dominus ibidem*:id est, *Dominus erit in ea ciuitate.* Sic etiam Salomoni futurum dicitur esse nomen *Iedideiah*: quia ille *Deo erit amabilis*; quod sanè res ipsa docuit, quando tot illum Deus modis ornauit. Isai. 62. Ezech.48.

Hîc nobis breuiter dicendum, cur cùm ante Salomonem natus fuerit paruulus iste, quem ex vtero penè Deus ad tumulum transtulit, Prou.c. 4.v.3.se Salomon *Vnigenitum* vocat: *Nam & ego*, inquit, *vnigenitus fui coram matre mea.* Rationem huius Hieronymus reddidit in illum locum,quæ refertur Extrau.de verborum significat.cap.*Nam & ego.* Sic autem ibi Hieronymus. *Quare Vnigenitum se nominat, quem fratrem vterinum Scriptura præcessisse testatur? Nisi quia ille mox natus sine nomine quasi nunquam esset, de vita decessit.* Sed est longè difficilius,quia lib. 1. Paral. c.3. v.5. quatuor filij nati dicuntur ex Bethsabee, haud dubiè Dauide parente, quorum postremus ponitur Salomon. Hîc Hebræi somniant suo more, dicúntque, tres priores filios esse quidem Bethsabee,sed ex Vriæ satu,sed adoptatos à Dauid. Quod ex eo falsitatis arguitur,quia Lucæ c.3.inter progenitores Christi ponitur Nathan filius Dauid; qui si filius fuisset Vriæ,ex Vria potiùs, quàm ex Dauide diceretur Christus originem duxisse.Sed cur dicitur Salomon *Vnigenitus*? Sanè,quia patri, matrique dilectus;quod ipse docuit Prou.4. c.v.3. *Nam & ego filius fui patris mei tenellus,& vnigenitus coram matre mea.* Vbi,quod est in Scriptura sacra frequentissimum,nota similitudinis subauditur, in hunc sensum;fui patri meo, & matri quasi Vnigenitus; id est,non minùs illis charus,atque si forem vnicus. Notum autem est in Scriptura,*vnigenitum*, & *vnicum*,pro maximè dilectis vsurpari;quia vbi plures filij sunt,amor in multos distrahitur,& fit leuior; vbi vnus est,in illum totum amoris pondus collectum incumbit. Vide quæ nos pluribus ad illud Cant.6.*Una est columba mea.* §1. *Salomõ cur dicitur* Vnigenitus, *cũ alios habuerit fratres.* REGVLA. *Cui vita breuis, censetur non natus.* Vnigenitus, *pro charissimo.*

Vers. 26. *Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath.*] §2. Longum hyperbaton, quod interiectum est, obscuram reddit, & implexam historiam; quæ sic, opinor, erit expedita magis, si duo hîc tempora distinguamus,& quid in illis seorsum factum fuerit,seorsum item consideremus.Certum est,& obseruatum sæpiùs à Patribus, & à me non semel, non semper eo ordine ab auctoribus Canonicis illa narrari,quò gesta sunt, sed pro rerum opportunitate variè.Quare frequens est in Scriptura illa figura,quæ Prolepsis dicitur, seu Anticipatio, per quam aliqua à sacris scriptoribus narrantur ante suum tempus.Quod tunc plerúmque fieri solet,quando interrupto filo, historia fieret obscurior.Deducto autem ad finẽ,seu ad notum aliquẽ & illustrem locum narrationis filo,ad id,quod omissum videbatur,recurrit historia.Exempla sunt plurima;aliquot nos adduximus tract.1.de prædicatione S.Iacobi in Hispania,c.10.quem Cõmentariis Actuum Apostolorum attexuimus. Constat Herodẽ obiisse anno tertio Claudij,ex Iosepho l. 19.Ant.c.7.Eius autẽ mors narratur à Luca Actorũ c.12.postquã liberatus est Petrus à carcere; id est,duobus fermè annis antequã moreretur, quia nullum REGVLA. *Prolepsis in Scriptura frequens.*

nullũ narrationi tẽpus erat magis opportunũ.Ex huius regulæ seu ignoratione, seu incogitantia quidam argumentum sumpserunt, vt persuaderent aliis, Iacobum Zebedæi filium non potuisse in Hispania prædicasse, quia Cornelium anno octauo ab Ascensione Domini conuersum esse putant.Nos autem ex hac regula,loco illo citato conuersum fuisse Cornelium diximus eodem, quo Paulus, & Eunuchus Candacis Reginæ anno;id est,altero anno ab Ascẽsione Domini;quod etiam,eo anno Christi,tradit Chronicon Alexandrinum; quod Eunuchi conuersionem cum Cornelij conuersione coniungit. Qua de re nos ibi pluribus.

63. Ego igitur sic arbitror, totam illam historiam de Nathan, de pœnitentia Dauidis, de ortu, ac morte infantuli ex adulterio concepti, & ortu Salomonis,accidisse multò postquàm capta fuit à Dauide Rabbath, & de Ammonitis sumptum barbarum, & immane supplicium. Quare, quicquid est à principio capitis ad versum vsque 26. interiectum est per hyperbatõ in alienum locum; & ideò,quidquid ab eo versu ad finem vsque capitis reliquum est,cum extrema præcedentis capitis parte coniungi debet;ita vt post Vriæ cædem, de qua in fine capitis 11. statuenda sit vrbis expugnatio,de qua in huius capitis extrema parte.Reliqua perinde habenda, ac si aliena prorsus forent ab Ammonitarum vrbe vel obsessa, vel capta.

54. Hoc autem multæ suadent, grauésque coniecturæ.Prima,quia inter obsidionem Rabbath, & extremum tempus, quod habes in hyperbato, menses intercessere viginti, aut eo etiam plus. Iam enim Ioab obsederat Rabbath, quando Dauid captus est amore Bethsabee, & fortasse non parùm temporis ab obsidione transierat; posteà conceptus est,& natus filius ex adulterio, & datum aliquid temporis Dauidis pœnitentiæ:deinde conceptus,& natus Salomon.Quis autem credat, tantum temporis in ea obsidione fuisse consumptum?Accedit, quòd obsidionis tempore Arca Dei erat in castris Ioab,vt dixit Vrias c.11.v.11. *Arca Dei,& Israel, & Iuda habitant in papilionibus*, &c.At quo tempore mortuus est infantulus, iam videbatur in suam sedem; id est, in arcem, domúmque Dauidis fuisse restituta. Hoc videtur intelligi posse ex illo v. 20. vbi Dauid ingressus esse dicitur in domum Domini,atque ibi adorasse.Suadet hoc valde, quia transacto hyperbato, seu longa parenthesi, additur statim illa particula, quæ subiici post parenthesim assolet, quæque aliter omninò videretur otiosa. Sic enim cap.26. *Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon.* Sed est apud me grauissima ratio, quæque 55. me omninò cogit ita existimare. Neque enim adducet me quisquam,vt credam,à Dauide de Ammonitis tam dirum,& ad illud vsque tempus forsitan inauditum sumptum esse supplicium, nisi cùm cæcus esset propter peccatum, maximè luxuriæ, quæ omnem ab homine non solùm pudorem, & humanitatem, sed etiam consilium, & mentem expectorat.Quare Dauid peccator, suæque libidini intemperanter indulgens, alius erat à Dauide,dum de Deo potiùs,atque frequentiùs, quàm de captanda voluptate cogitaret. Res est nota, & à multis iampridem obseruata, luxuriosos plerúmque esse crudeles,& quò magis fuerint dediti libidini, eò etiam magis esse inhumanos. Neque id mirum, cùm libido omnem vim amoris exhauriat, quem in rem contulit turpiter, & intemperanter amatam. Eo ergo tempore, quando totus in libidinem proiectus se ipsum retexuerat, & in horribile monstrum efformarat, multa fecit,quæ ante illud tempus,& posteà iam sibi restitutus damnaret.Ille, qui toties Sauli pepercit, qui iniurias suas vlcisci noluit, & illas, quia ipse aliter non putabat personæ publicæ, & æquitatis vindici satisfieri posse, Salomoni filio puniendas tradidit; idem cùm intemperanti se tradidit voluptati,Vriam occidit, & multos cum illo sine vllo operæpretio, ac causa perire passus est. Idem populum Ammonitarum *multis in locis serrauit,& circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum.* Quæ sanè non faceret, postquàm ad vocem Nathan peccatum agnouit suum,& post duas voculas audiuit translatum esse peccatum, & mortis supplicium ab eius capite depulsum.Et quidem multò leuius peccatum admiserant Ammonitæ, quàm Dauid; illi enim tantùm legatorum abscíderant vestes, & barbam raserant & caput; hic vxorem abstulerat,virum occiderat,quo nemo erat in exercitu melior, & de re Israëlitica optimè cum primis meritum; & plures occiderat ex suis, ne vnus mortem effugeret.Peccarant ex Ammonitis in legatos pauci;& ille plurimos ex omnibus ciuitatibus durum illud tormenti genus subire coëgit. Faceret hæc Dauid post defletam culpam, post veniam obtentam?Sanè,vt reor,nemo id sibi persuaderet. Aliquid simile fecisse dicitur Gedeon, Iudic.cap.8.v.16. verùm neque ita crudeliter,neque in ita multos.

Vers. 26. *Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath.*] 56.
In fine præcedentis capitis, cui, vt diximus, id quod nobis modò venit in manus, coniungendum est, admonuerat Dauid Ioab,vt obsidionem vrgeret,neque studium remitteret,aut desponderet animum, quando varij sunt bellorum euentus, & inclinationes subitæ. Igitur vt mandatis obsequeretur Ioab, quæ data essent à Rege, pugnabat acriter contra Ammonitarum ciuitatem Regiam.Cúmque illius iam propè appareret exitium, cùm neque hostibus essent ad resistendum vires,& audacia; neque Hebræis deesset ad inuadendum facultas, & alacritas, ne Dauidi, cui ab euertendis,capiendisque ciuitatibus aliis immortalis aduenerat gloria, hæc deesset ad illustre nomen non leuis accessio,illum admonet,vt nouum secum afferat delectum, & ipse præsens adsit, vt suo auspicio,& imperio res tota videatur transacta. Quo loco fidelem se ostendit Ioab,& Regiæ dignitatis studiosum, qui abire à se voluit tantam gloriam, ne Regi suo aliorsum excideret. Addit Iosephus lib.7.Ant. cap.7. ad quem statum vrbs esset redacta, cùm à Ioab literæ venerunt ad Dauidem: ait enim,intercluso commeatu obsessos laborare fame, & præcisis tubis,& canalibus, per quos aquæ in ciuitatem influebant, omnia commoda ad vitam necessaria deficere. Ita vt aquis aliò detortis,vnus tantùm in vrbe supereſſet puteus, à quo obsessorum spes tota penderet; cúmque aqua ibi esset angusta, sic dispensabatur parcè,vt sitim non expleret. Vnde hoc sumpserit Iosephus, non video; forsan ea erat Iudæorum traditio.Nisi dicamus,id ex eo coniectasse,aut diuinasse Iosephum, quia Ioab scripsit capiendam esse ciuitatem aquarum; quasi dicat ciuitatem, quæ aquarum abundabat iugi scaturigine, eò esse redactam, vt explere non possit obsessorum sitim.

Dauidi expugnatæ ciuitatis gloria à Ioab relinquitur.

Dauid dum peccator, crudelis fuit.

Luxuriosi plerumque crudeles.

Vers.30. *Et tulit diadema Regis eorum de capite* 57.
eius

eius pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput eius.] Fecit Dauid, quod visum est Ioab, & collectas ex reliquo populo copias in aciem produxit, & cùm ad extremum ciuitatem inuaderet, tandem cepit, & cum ea spolia opima, quæ secum asportauit Ierusalem. In his erat corona pretiosissimis instructa gemmis, qua Rex Ammonitarum vtebatur, quam ereptam è Regio capite, ad suum transtulit, cuius pondus erat non minus talento. Vbi hoc loco Vulgatus legit, *Regis eorum*, lib. 1. Paralip. cap. 2. idem legit, *Melchon*, quod nomen est idoli. Quare non videtur diadema fuisse Regis Ammonitarum, sed Ammonitarum idoli; id quod nonnulli putant. Sed dicendum est, vtroque loco coronam esse Regis; nam idem est vtrobique Hebraicum nomen: & sanè Melchon, siue Malchan, quod est in Hebraico, idem valet, quod *Regis eorum*; noster autem Interpres modò nomen ipsum peregrinum relinquit, modò illius tradit significationem. Ita putat Abulensis q. 29. & probat, quia filij Israël Deut. 7. prohibebantur ex argento, & auro idolorum ad suos vsus quicquam conflare. *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes quicquam ex eis.* Sed quodnam sit illud *pondus*, obscurum est. Hebraicè est ככר *kicar*; quæ vox communiter *talentum* redditur. Quòd si illius præcisè pondus consideres; id est, molem quandam æris rudem, & nullo charactere percussam, centum pendit libras, atque ideò communiter existimatur esse quod Hispanicè *Quintal*: & ita Hispanica translatio conuertit. Neque de hoc dubitant viri docti, quod non difficile colligunt ex lib. Exodi cap. 38. v. 25. Sed vt antiqua pondera minus æquauit pondus certa nota consignatum (vt apparet in *asse*, & *libra*, quæ procul absunt ab antiquo pondere; tantum tamen habent valoris, quantum olim habuit pondus illud maius; & nomẽ ideò retinet antiquum, & dicitur *as*, vel *libra*, cùm tamen neque vnciam vnam pendant) sic etiam *talentum* dicitur, quod propter incussum characterem tantum valet in minori pondere, quantum in maiori habuit superiori æuo talentum rude. Quare corona aurea, quam suo sibi capiti imposuit Dauid, talentare dicitur habere pondus; non quod centum pendat minas, quod legitimum erat talenti pondus; sed quia tanti erat pretij, quanti olim habuit talenti pondus.

58. *Talentum quod pondus.*

Minora pondera certo signata charactere, pretio maiora aquant ex rudi metallo.

59. REGVLA. *Mutata rerum specie antiquus retinetur dicendi modus.*

At dices illud *pondo auri talentum*, pondus potiùs significare, quàm valorem, aut pretium. Respondeo, si vim vocis, & proprietatem expendas, ita esse dicendum; verùm vsus obtinuit, vt mutata rerum specie, antiquus tamen retineatur dicendi modus. Exempla sunt plurima, & in hac ipsa materiâ non pauca. Modò non pendimus, sed numeramus argentum, signatum vtique: at iuxta antiquum loquendi modum dicimus, *pende mihi argentum*; id est, solue. Neque alienum est à vulgari dicendi modo dicere, hoc vas, hæc imago pendit mille argenteos; id est, valet, quia iuxta morem antiquum mille argentei essent pro vase, seu imagine pendendi. Sic ergo corona aurea pretiosissimis exculta gemmis dicitur *pendere talentum*; vel, quod idem est, *habere pondo auri talentum*, quia talenti vnius aurei valorem habuit, & pretium.

60. Quòd autem talentum non habeat posteriori sæculo centum minarum pondus, vel vnus hic locus, quem habemus præ manibus, abundè docet. Quis enim credat centum minarum coronam potuisse ab Ammonitarum Rege, & deinde à Dauide in capite gestari? Et Apocal. cap. 16. v. 21. grãdo talentari magnitudine cecidisse dicitur. Hanc porrò quis vnquam aut vidit, aut cogitauit tantum habere potuisse ponderis? Alia occurrunt plurima in Salomonis templo, sacráque supellectili, quæ talentorum aut pretio, aut pondere æstimamus, quæ sanè aliquid haberent prodigio simile, & supra humanam fidem, si ad antiqui talenti legitimum pondus expendamus.

Vers. 31. *Populum quoque eius adducens serrauit.*] Factum hoc planè barbarum est, & eius, qui omnem humanitatem exuit, & ferinos imbibit mores, & spiritus. Quod tantum facit verisimile peccati natura, quæ homines ferino ingenio facit quamsimillimos. Et ideò putabamus suprà, quod nunc etiam putamus, hæc à Dauide eo suscepta fuisse tempore, in quo nondum à peccato resipuerat; id est, antequàm à Nathan admonitus peccatum agnosceret, & pœnitendo detergeret. Hoc verò supplicium vsque adeò horribile superioribus sæculis visum est, etiam apud Gentes, vt nunquam fuerit neque contra magnorum scelerum reos auditum. Aulus Gellius lib. 20. cap. 1. ait, in decem tabulis hoc irrogatum esse supplicium debitoribus, qui soluendo non essent, vt secarẽtur in plures partes, & inter plures creditores distraherẽtur; sicut modò cùm quis satis facultatis non habet, vt pluribus satis soluat, illius pecunia in omnes distribuitur. Sed nunquam lex illa fuit executioni mandata. Sic enim apud Gellium Sextus Cæcilius suprà: *Dissectum esse antiquitùs neminem legi, neque audiui.* Aliis tamen posterioribus sæculis (tantum valet malum Principum exemplum) tam apud profanos, quàm apud scriptores sacros exempla occurrunt non pauca, quorum aliqua adduximus in nostris Commentariis super Isaiam, Prolegomeno de genere mortis Isaiæ, vbi ex multorum Patrum sententia diximus, à Manasse serra fuisse dissectum. Et in Commentariis super Amos, ad illud cap. 1. v. 13. *Eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad.*

61. *Serra homines diuidere multis sæculis inauditũ.*

Et circumegit super eos ferrata carpenta.] Crudele hoc quoque supplicium, & fortassè sine exemplo edidit Dauid; licèt aliquid non admodùm dissimile videamus factum à Gedeone, Iudic. cap. 8. v. 16. *Tulit*, inquit, *seniores ciuitatis, & spinas deserti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Sochoth.* Quomodò ferratis rotis, seu plaustris terantur fruges, diximus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 25. *Triturabitur Moab*: & cap. 41. ad illud: *Posui te quasi plaustrũ triturãs nouũ, habens rostra serrantia.* Eo ergo modo egit Dauid plaustra serrantia, seu horrentes tribulos silice, aut acuta cuspide, quo modo agricola tribulos immittit in fruges, quas in area triturare solet, quas comminũit, & diuidit, & penè redigit in puluerem.

62. *Triturare homines durum supplicium.*

Diuisitque cultris.] Hebraicè est. במגורית *bemigzeroth*: quod Septuaginta vertunt σιδήρεια, quod nomen *asciam* significat. Chaldæus *fecures* vertit. Sanè nomen illud ad multa patet; significat enim instrumentum, quod secat, & diuidit; atque ideò in serram etiam conuenire potuit. Hieronymus *cultros* reddidit, quia hoc ad secandum instrumẽtum est maximè familiare. Translatio Hispanica conuertit; *en los lagares de el fierro*. Vnde id sumpserit, non video. Fortassè illam vocem *prælum* significare credidit: & sanè vox illa adeò latè patet, vt ad prælum quoque accommodari possit. Et quidem trapetum, aut mola, quæ oliuas terit, atque comminuit, Punico vocabulo, quod ab Hebraico traxit

63.

traxit originem, *almacar* appellatur, quod modico flexu differt ab Hebraico.

64. *Et traduxit in typo laterum.*] Septuaginta, vt est in Complutensi; *Et circumegit eos per aciem.* Chaldæus, *per vicos.* Plerique alij *per fornacem*, vt habẽt communiter Septuaginta. Vulgatus *in typo* transtulit. Hebraicè est מלבן *malben*; in nõnullis autem locis מלכן *malken.* Priori modo sine dubio legit Hieronymus, & complures alij, qui hîc aliquid vident, quod ad lateres pertinet. Quidam putant per acutos lateres, aut per laterum aceruos raptatos esse Ammonitas, & sic lento, & crudeli tractu fuisse laceratos, atque dissectos. Alij in loco strato lateribus; id est, in area, quæ lateribus ex arte dispositis æquari solet, passos esse aut dentatas carpentorum rotas, aut acutos tribularum silices. Ego id probo, quod pluribus placuit, *typum* nempe *laterum* esse fornacem, in quo durantur, & coquuntur lateres. Dicitur autem *typus*, non vt quidam putant, quia ibi formantur lateres; nam reuerà non formantur in clibano; sed qui extra illum erant formati, & tantùm crudi lateres, intrà coquuntur, & ab igne duritiem, & firmitatem accipiunt. Potiùs ego dicerem, quia *typus* dolorem significat, aut vulnus, quod dolorẽ incutit, à verbo τύπτω, quod idem valet, quod *percutio*, ac *verbero*: quasi dicat, talem accepisse plagam, aut talem dolorem subiisse Ammonitarum populum, qualem subiissent lateres, qui coquuntur in clibano, si modò vitam, & sensum habuissent. Sed neque hæc mihi explicatio placet, quia illa *typi* significatio rarior. Placet multò magis, atque omninò, si in typo similitudo intelligatur, & exemplar. Quasi dicas, Ammonitas coniectos fuisse in fornacem, quemadmodùm in illum coniiciuntur lateres, & ad illorum exemplar; & talia ibi fuisse passos, qualia ibidem patiuntur lateres; neque magis in eorũ dolore doluisse Dauidem, aut maiorem habuisse curam, quàm haberet figulus, qui formatos è luto lateres in fornacem immittit. Postquàm autem Dauid Ammonitarum vrbes peragrauit, & vbique locorum acerbitatis illius exempla reliquit, reuersus est in Ierusalem, vbi admonitus à Nathan, de peccato doluit; & illa aut egit, aut subiit, quæ hoc ipso toto capite ad v. 26. legimus.

Typus laterum quid.

65. Antequàm ex hoc capite, quod Dauidis peccatum, & pœnitentiam continet, emigremus, exploremus oportet, expendamúsque, an à Dauide in hoc planè barbaro sumendo supplicio peccatum sit. Abulensis negat q. 30. & causas adducit, quæ ante Dauidis peccatum, aut certè post eius pœnitentiam, minùs essent infirmæ. Sed illa est omnium grauissima; quia Scriptura sacra, si hîc aliquod intercessisset scelus, non diceret lib. 3. Reg. cap. 15. *Eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ.* Sed nos, qui peracta hæc dicimus, quo tempore Dauid in fermento erat, & in medio peccatorum æstu, alius à se ipso, quique libentiùs suis affectibus quantumcúmque immoderatè profusis, quàm Dei voluntati seruiebat, meritò existimamus grauissimum in hac suppliciorum acerbitate Dauidem admisisse peccatum. Sed peccasse ais Ammonitas contra ius Gentium, quod Legatorum immunitati consulit, & cùm grauis fuerit Legatorum iniuria, quid mirum, si grauis quoque fuerit scelerum pœna? Sit ita sanè, luerint tam immane supplicium & Rex, qui iniuriam intulit, & qui illi tam ignominiosum, & in commune bonum tam pernicioſum dedere consilium. Sed quid alij plurimi commeruere, quos in eiusdem pœnæ societatem compulit, qui neque tanti sceleris fuere cõscij, neque probauere factum, imò illud fortasse vehementer execrati sunt? Sanè hoc modo in omnes Ammonitarum ciuitates sæuisse dicitur, in quibus nemo dubitat fuisse plurimos, in quibus fuerat nihil, quod tam immani supplicio puniri debuerit. *Sic*, inquit, *fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon.* Oportuisse dices, vt aliquod ad posteros extaret exemplum expiati sceleris tam seuero supplicio; vt sanctum habeatur vbique, & ab iniuria tutum Legatorum nomen. Sanè si scelerati plectantur; sed quod in tanta multitudine scelus in legatos? Certè multò posteris pernicioſius fuit extare in Israele, atque adeò in rerum natura tantæ crudelitatis exemplum, ex quo addita est audacia aliis fortasse plurimis, vt illud supplicij genus, & typum non horrerent, imò Regium putarent esse facinus, cùm à Rege susceptum, & intentum viderent. Neque fortasse Azael, qui lib. 4. Reg. cap. 8. dissecuisse dicitur prægnantes, illud facinus immane tentasset, nisi in Dauide prius habuisset exemplar. Sanè Ammonitæ iidem, qui nunc à Dauide malè vexati sunt, vt constat Amos cap. 1. dissecuerunt Galaaditides fœminas; quod fieri posse, à Dauide præeunte didicerant. Hoc quidẽ grauius fuit, & humano generi perniciosũ magis, quàm violatæ legationis scelus esse impunitum. De hoc supplicio pluribus agimus in nostris Commentariis in cap. 1. Amos ad illud, *eò quod triturauerit in plaustris ferreis Galaad.*

66. *Pessimum Regum exempli, valde pernicioſum.*

Illud difficilius, quòd hoc inter Dauidis scelera non numeratur; imò potiùs excluditur, dum tantùm peccasse dicitur in Vriæ facto. Huic obiectioni, quæ sanè facilis non est, respondeti potest, alia etiam peccata admisisse Dauidem, extra factum Vriæ. Nam numerauit populum, propter quod grauem Israeli toti cladem inuexit, infrà cap. 24. & in hoc ipso tempore causa fuit, vt multi, quorum saluti consulere debuerat, cum Vria caderent. Neque est improbabile toto illo tempore, quo in peccato vixit, quod exiguum non fuit, ab interpellata Bethsabee de adulterio, vsque ad reprehensionem Nathan, alia multa peccasse, quæ tamen Scriptura sacra non commemorat; quia eo acciderunt tempore, quo è peccato aduersùs Vriam nondum emersérat: atque ideò hoc etiam appellari potuit *Vriæ sermo*; quia spatium illud totum sermo sibi vendicauit Vriæ; & peccatum illud nondum dimissum in alia plura languentem Regis animum præcipitauit. Sic ergo cùm hoc peccatum, vt suprà dicebamus, in tempus illud incurreret, in quo propter Vriæ sermonem cæcus adhuc erat, & præceps Dauidis animus, in eo sermone comprehendi potuit. Neque sine causa, opinor, dictum est, non peccatum Vriæ, sed Vriæ sermo; id est, historia Vriæ, quia ad illum sermonem, seu historiam pertinet, quidquid contra religionem, & legem sub illud tempus admissum est à Rege. Cur in peccatis Dauid suprà non memoretur populus numeratus, cùm ab illo censu peccatum non abfuerit, diximus suprà lib. 1. cap. 25. vbi etiam diximus, cur aliud graue peccatum non numeretur, quod iuxta multorum sententiam admisit Dauid, dum statuerat Nabalem de Carmelo, & omnem illius familiam, dum priuatas vlciscitur iniurias, extinguere.

67.

IN CAP. XIII. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

AMABAT Amnon Ithamar sororem suam, Absalomis germanam, sicque illam impotenter deperibat, vt grauem morbum ex illius amore contraxerit. Quod agnouit Sẽmaa illius familiaris, & cognatus, acuti ingenij vir, qui viam aperuit, quæ omninò videbatur obstructa, ad sordidum illud, & execrabile facinus. Astu igitur rem aggreditur, & incautam, simplicemque sororem, reluctantem omninò, & lachrymantem opprimit, quam deinde exosam magis, quàm antè dilectam repellit cum fastidio. Cognouit rem totam germanus frater Absalom, & licet in dolore graui consolatus sororem, conceptum odium in fratrem tacitus compressit, donec exacto biennio, rei iampridem destinatæ aduenit opportuna maturitas. Cùm enim tonderentur ipsius oues, quo tempore dies aguntur læti, & amicis ad festiuum illum opus inuitatis instruitur geniale conuiuium, fratres suos quasi officij, & beneuolentiæ gratia, accersit Absalom, sed Amnonem præcipuè, cuius causa sumptuosas illas epulas parauerat. Edixerat autem Absalom seruis suis, vt cùm ipse signum ederet, de quo inter ipsos antè conuenerat, Amnonem temulentum opprimerent; quod ipsi, vt imperatum fuerat, præstiterunt audacter. Incessit omnes, filios præsertim Regis, ex subito casu perturbatio, ac metus; quare conscensis mulis celeri se fuga ad patrem corripiunt: rumor tamen priùs Regem turbauerat, qui filios omnes occisos ab Absalome dispersérat: Quare illos scissa veste, & in terra prostratus pro mortuis lugebat: donec tandem tum à Semmaa, tum etiam à filiis multò magis, qui statim cum ingenti trepidatione, ac luctu ad patrem accesserunt, rem totam, vt gesta fuerat, edoctus est. Absalom verò ad Regem Gessur maternum auum, quo parentis iram declinaret, profectus est, apud quem triennali spatio commoratus est.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1. FActum est autem post hæc, vt Absalom filij Dauid sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius Dauid,

2. Et deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cùm esset virgo, difficile ei videbatur vt quippiam inhonestè ageret cum ea.

3. Erat autem Amnon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valde.

4. Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? B cur non indicas mihi? Dixítque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo.

5. Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, & langorem simula: cúmque venerit pater tuus vt visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum, vt comedam de manu eius.

6. Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit: cúmque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, A obsecro, Thamar soror mea, vt faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & cibum capiam de manu eius.

7. Misit ergo Dauid ad Thamar domũ, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.

8. Venítque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem iacebat: quæ tollens farinam commiscuit: & liquefaciens in oculis eius coxit sorbitiunculas.

9. Tollénsque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere: dixítque Amnõ: Eiicite vniuersos à me. Cúmque eiecissent omnes,

10. Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclaue, vt vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem suum in conclaue.

11. Cúmque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum soror mea.

12. Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stultitiam hanc.

13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quasi vnus de insipienti

pientibus in Israël, quin potiùs loquere ad regem,& non negabit me tibi.

14. Noluit autem acquiescere precibus eius,sed prævalens viribus oppressit eam,& cubauit cum ea.

15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis : ita vt maius esset odium , quo oderat eam , amore quo antè dilexerat. Dixítque ei Amnon : Surge , & vade.

16. Quæ respondit ei : Maius est hoc malum,quod nũc agis aduersum me,quàm quod antè fecisti, expellens me. Et noluit audire eam:

17. Sed vocato puero , qui ministrabat ei,dixit:Eiice hanc à me foras, & claude ostium post eam.

18. Quæ induta erat talari tunica:huiuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus vtebantur. Eiecit itaque eam minister illius foras:clausítque fores post eam.

19. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica , impositísque manibus super caput suum , ibat ingrediens , & clamans.

20.Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum?sed nunc soror tace , frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui.

21. Cùm autem audisset rex Dauid verba hæc, contristatus est valde , & noluit contristare spiritum Amnon filij sui,quoniam diligebat eum , quia primogenitus erat ei.

22. Porrò non est locutus Absalom ad Amnõ,nec malum,nec bonũ:oderat enim Absalom Amnon , eo quòd violasset Thamar,sororem suam.

23. Factum est autem post tempus biennij , vt tonderentur oues Absalom in Baalhasor , quæ est iuxta Ephraim : & vocauit Absalom omnes filios regis.

24. Venítque ad regem,& ait ad eum: Ecce tondentur oues serui tui : veniat,oro, rex cum seruis suis ad seruum suum.

25. Dixítque rex ad Absalom:Noli fili mi,noli rogare vt veniamus omnes , & grauemus te.Cùm autem cogeret eum, & noluisset ire,benedixit ei.

26. Et ait Absalom : Si non vis venire, veniat, obsecro , nobiscum saltem Amnon frater meus.Dixítque ad eum rex : Non est necesse vt vadat tecum.

27. Coëgit itaque Absalom eum, & dimisit cùm eo Amnon & vniuersos filios regis. Fecerátque Absalom conuiuium quasi conuiuium regis.

28. Præceperat autem Absalom pueris suis,dicens:Obseruate cùm temulẽtus fuerit Amnon vino, & dixero vobis:Percutite eum,& interficite:nolite timere : ego enim sum qui præcipio vobis:roboramini,&estote viri fortes.

29. Fecerunt ergo pueri Absalom aduersum Amnon , sicut præceperat eis Absalom. Surgentésque omnes filij regis ascenderunt singuli mulas suas , & fugerunt.

30. Cúmque adhuc pergerent in itinere,fama peruenit ad Dauid, dicens:Percussit Absalom omnes filios regis , & non remansit ex eis saltem vnus.

31. Surrexit itaque rex , & scidit vestimenta sua:& cecidit super terram,& omnes serui illius,qui assistebant ei , sciderunt vestimenta sua.

32. Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris Dauid , dixit : Ne æstimet Dominus meus rex , quòd omnes pueri filij regis occisi sint : Amnon solus mortuus est , quoniam in ore Absalom erat positus ex die qua oppressit Thamar sororem eius.

33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud , dicens: Omnes filij regis occisi sunt:quoniam Amnon solus mortuus est.

34. Fugit autem Absalom:& eleuauit puer speculator oculos suos, & aspexit : & ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis.

35.Dixit autem Ionadab ad regem : Ecce filij regis adsunt : iuxta verbum serui tui sic factum est.

36. Gúmque cessasset loqui,apparuerũt & filij regis:& intrantes leuauerunt vocem suam,& fleuerunt:sed & rex & omnes serui eius fleuerunt ploratu magno nimis.

37. Porrò Absalom fugiens , abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo Dauid filium suum cunctis diebus.

38.Absalom autem cùm fugisset,&venisset in Gessur,fuit ibi tribus annis.

39. Cessauítque rex Dauid persequi Absalom,eo quòd consolatus esset super Amnon interitu.

IN

IN CAP. XIII. LIB. II. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. *Factum est autem post hæc.*]

1. POST mortem videlicet pueri, & Salomonem natum (nam Ammonitarum clades,& supplicium ante illud tempus, vt diximus,acciderat)vt re ipsa experiretur Dauid minaci vaticinio Nathan quantum inesset ponderis, accidit, vt Amnon primogenitus Dauid Thamar Absalomis sororem deperiret; qui amor incæstuosus,& ardens magnum in Dauidis familia excitauit incendium. Quomodò autem suo voto sit potitus, remque priuatam, & publicam turbauerit Amnon, multarúmque seditionum semina sparserit,audiamus.

2. Vers.2. *Et deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret.*]Nulla sunt vincula,nulla cognatio,aut pudor,nulla fides, atque religio, quæ non transgrediatur,& rumpat inhonestus amor, qui neque nouit parere frænis,neque naturæ, aut altioris potentiæ legibus coërceri.Multa legimus in fabulis,multa in historiis antiquis, quæ existimantur veræ, quæ hoc, quod habemus in manibus,tam audax,quàm incæstuosum facinus facit verisimilia. Erat filius Regis, quem non decebat quicquam tentare,imò neque cogitare non ingenuum; & Regis filia, eademque soror,quam vel curiosis oculis spectare non licebat.Sed vicit pudorem libido, timorem audacia,rationem amentia, & Regij sanguinis communionem improbitas. Sic enim Amnon amauit sororem Thamar, vt deperiret illam; id est, à seipso videretur alienus,& in se mortuus,quia in illa viuebat:ea enim amoris vis est, vt in suo moriatur corpore, & in alieno viuat, qui verè amat. Quare qui Deum amat,in Deo viuit,& vnus quodammodò spiritus fit cum eo; qui amor felix est,& nobilis, qui nos quodammodò diuinos esse facit: ille alter, qui humanam amat venustatem, planè infortunatus, & vilis, qui cordis sui inæstimabile pondus ad res inclinat, quæ neque acquiri possunt sine molestia,neque sine pudore,atque infamia possideri. Ille porrò amor sic affecit infelicem illum adolescentem,vt non solùm animo,sed etiam corpori ægritudinem pareret. Quòd autem amor, si vehemens est,languorem corporibus inducat, & testantur antiqua monumẽta,& ipsa docet quotidiana experiẽtia,vtà medicis nõ semel audiuimus. Sanè Antiochus Seleuci filius, vt auctor est Valerius lib.5.c.7.& Appianus in Syriacis,in morbũ incidit natum ex Stratonices nouercæ amore vehementi,quem ingenuo quodam pudore aperire non audebat. Talem vim, & morbum,licèt in materia longè dissimili, patiebatur Sponsa, dum Cant. cap. 2. ex amore dicebat languorem esse contractum. Vide quæ nos ad hunc Canticorum locum.Vide item Gregorium libro 4. Moral.cap. 3.& lib.3. Dialog.cap.30. De quo morbo amoris multa Abulensis in hoc caput q.19.

Amoris turpis tyrannica potentia.

Morbus ex amore.

3. Vers.3. *Erat autem Amnon amicus nomine Ionadab.*]Hinc iam se prodit causa illius mali,quæ tot in Israele tragædias excitauit. Habebat Amnon amicum,& vsu sibi,& generis communione coniunctum,nomine Ionadab; hic in Amnonis facie contemplabatur maciem, quæ magis in dies singulos attenuabat adolescentem, neque tantæ mutationis causam agnoscebat, quia pudor illi aperiendi morbi facultatem abstulerat, qui prudens erat valde,sed ea prudentia, quæ non est secundùm Deum, quæque potiùs debet appellari calliditas. Sapiens hoc loco dicitur Ionadab, ait Theodoretus q. 29. non ea sapientia, quæ virtus est;sed illa,quæ astuta meditatur consilia, quæque in rebus non tam honestatem,quàm voluptatem, aut vtilitatem intuetur.Quo sensu Gen.3.serpens dicitur *sapientissimus omnium bestiarum, quæ sunt super terram.* Neque hîc Scriptura sacra *sapiens* vocat *consilium*, sed *ingenium Ionadab*; neque enim quisquam in eo consilio prudentiam inueniet,sed calliditatem impudentissimam. Hic igitur scisciatus morbi causam,didicit amari ab illo sororem Thamar,cum qua habere coniunctionem,& consuetudinem, quam lex permittit,& pudor,desperabat,quia neque vllus se ad tantum facinus aperiebat aditus,cùm Thamar virgo esset, & clausa, vt ferebat eo tempore virginalis pudor; neque sibi putabat impunitum fore,si tantum facinus vnquam esset aggressus. Cui Ionadab callidè magis, quàm prudenter, & sanctè consilium dedit sanè pernicioſum, in quo plus esset calliditatis,& audaciæ,quàm prudentiæ. Monet enim,vt morbum simulet,alium nempe, quàm quem ex amore patiebatur; & cùm ad inuisendum ægrotum filium pater amans accederet, ab illo rogaret, vt soror Thamar sibi assideret ægrotanti, & cibos pararet morbo,quem tunc patiebatur,opportunos.Quod vt cogitabat Ionadab, ita annuente Rege factum est.Venit enim Thamar,& præparauit cibos,quos laboranti fratri magis existimabat idoneos. Quã occasionem non putauit Amnon esse prætermittendam; quare dimissis aliis, qui laboranti aderant,illam de stupro audacter interpellat, & reluctantem cogit ignominiam illam, & ludibrium subire. Hæc omnia aperta sunt, neque aliquid occurrit, quod illustrari oporteat commentationis luce.

4. Vers.13. *Quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi.*] Libido, si paulò sit ardentior,& merus grauis, ac subitus, omnem interdum prudentiam, imò & mentem expectorat. Cupiebat Thamar ex illo cum Amnone congressu immunis redire ab incestu, quem sibi à potentiori, atque audaci fratre, imò ab infensissimo hoste metuebat. Quare aut verè,& seriò, quia non putabat inter fratres, maximè si germani non essent, prohiberi connubia; siue simulatè, vt spe oblata coniugij stultum, & impurum fratris sui conatum eluderet; illi legitimum offert congressum, modò id parenti non esset ingratum, dummodò expectaret legitimi connubij sociale fœdus. Fortasse Thamar ignorabat, vtpotè puella,& matre quoque nata gentili, inter fratrem, sororémque, maximè si non fuerint omninò germani; id est, patrimi,ac matrimi,legitima posse contrahi connubia:& hac cogitatione decepta; aut quia ea simulatione decipere, aut retardare voluit fratris intemperantiam, ita coniunctionem veneream,

&

& damnatam respuit, vt tamen annuente patre honestum, legitimumque coniugium, & perpetuã vitæ societatem promittat. Quod autem ita cogitarit Thamar, mirandum non est; quia, vt dixi, nata fuerat matre Gentili, ex ea regione, in qua in huiusmodi connubiis, quæ inter fratres contrahuntur, nihil putabatur esse non legitimum. Aut certè, quia illa promissione sedari posse credidit in fratre iuuenilem ardorẽ, quia putabat fratrem in illa insania neque cogitare posse, vt sæpè fit, quid ratio, quid lex, aut etiam quid natura præscribit.

6. Multa hîc suo more fabulãtur Hebræi, dicúntque optimè inter Thamar, & Amnon intercedere potuisse coniugium; quia Thamar tunc susceperit Dauid ex Maacha filia Regis Gessur, cùm adhuc esset Gentilis; atque ideò licet filia esset Dauid, & soror Amnon secundùm carnem; non tamen secundùm legem: ex qua oriri potuit illa cognatio, quæ nullo modo legitimi tori societatem admitteret. Sed est planè falsum hoc Rab. Kimhi inane commentum; nisi etiã dicamus, Absalomem non esse Dauidis filium, qui eo tẽpore natus est, quando mater illius Maacha videri potuit esse Gẽtilis, nempè in Hebron, vt habes lib. 1. Paralip. c. 3. v. 2. Thamar autem multò post in Ierusalem, ibid. v. 9. quando de matris religione nemo dubitare poterat. Multò minùs habet probabilitatis, quod docet Rab. Salomon; vt tradit, & videtur non improbare Lyra: dicit enim, neque secundùm carnem cognatos esse Amnon, & Thamar, quia grauidam duxit Maacham Dauid ex priori viro, ex quo nata fuit Thamar. Quod planè incredibile est; neque enim Dauid vxorem eripuisset alteri viro nisi repudiatam, saltem à priori viro grauidam accipere non potuit, cùm ab eius nuptiis ad ortũ Thamar multi interessissent anni. Habuit enim illam vxorem, cùm esset in Hebron, vbi Absalom natus est; & Thamar nata fuit in Ierusalem, vt videtur certum ex lib. 1. Paralip. cap. 3. v. 9. Has Hebræorum cogitationes refellit Abulensis q. 4. neque plus habent probabilitatis alia, quæ in hanc sententiam adducunt Hebræi. Mihi illud magis probatur, quod adduxi priùs, nempe verba illa dixisse Thamar, quia quid lex, & natura præscriberet, ignorabat; aut quia sic eludere voluit, aut retardare prurientis insaniam. Quod etiam putat Abulensis q. 4.

7. Vers. 14. *Noluit autem acquiescere precibus eius, sed prævalens viribus oppressit eam.*] Sanè libido præceps est, & cæca, neq; ratione ducitur, sed impetu quodam, & furore rapitur. Flectere potuissent adolescentis animum sororis preces, & ad quandã modestiam, & æquitatem adducere; sed mens aberat, & furor potiùs, & libido dominabatur, quàm æquitas, quàm consilium, & ratio. Quare oblitus pudoris, & honestatis, vi rem gerit, nõ ratione, quæ vbi libido dominatur, nullum habet locum; quare irruit in misellam, quæ longè erat viribus inferior, atque ideò illam violenter oppressit.

8. Vers. 15. *Et exosam eã habuit Amnon odio magno nimis.*] Sicut ira furor est breuis, vt Satyricus dixit; sic etiam interdùm malè, & turpiter conciliatus amor, cui si alius se difficilem præbet, in odium sæpè plusquàm nouercale conuertitur. Sic videmus ex amore nimio, & familiari consuetudine immortales nasci inimicitias; præsertim si illas turpitudo aliqua, aut indecora ratio malè conciliauit. Exemplorum apud profanos plus satis. Vna nobis Semiramis nõ vnum nobis reliquit exemplum, quæ amatores suos, & in his filium, quibus

Immoderatus, & turpis amor sæpe mutatur in odium.

assueuerat multò, quàm pudicam, & honestam deceret, intemperãtius, mutato animo, quod contingit sæpè, cùm immoderatus dominatur non tam amor, quàm furor, omnes interfecit. Cur tam breui, ac facilè ardens ille amor in odium illud inflammatum euaserit, variæ afferuntur causæ. Hebræi dicunt, obluctatam esse Thamar insultanti, atque prurienti fratri, & in ipsa lucta, & nixu in genitali membro læsum fuisse grauiter Amnon, ita vt necesse fuerit illud medicinæ gratia prorsùs abscindi. Sed alii nugantur, vt alibi sæpè. Alij dicunt, verba Thamar in fratrem iecisse contumelioſa. Appellarat priùs v. 12. & 13. *stultum*, & *insanum*; deinde cùm his verbis nihil promouisset, iactasse in illum multò grauiora conuitia, quibus irritatus grauiùs in illam posteà, quàm fuerat priùs amanter, animatum fuisse. Illa verior ratio, amorem malè conciliatum non esse diuturnum, & ex breui voluptate, & amore, quæ non peperit virtus, aut honesta ratio, implacabiles oriri inimicitias, & dolores æternos. Aristoteles sect. 4. Problem. q. 11. ostendit, hoc odium ex amore esse frequentissimum, dum quærit: *Cur adolescentuli cùm primùm concumbere incipiunt, quibuscum fuerint congressi, eas re peracta odio habeant?* Rationem ipse affert, tu apud illum lege, si lubet.

9. *Cur Thamar tam grauiter tulit se fuisse eiectam à fratre.*

Vers. 16. *Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quàm quod antè feceris.*] Tulit grauiter, vt par erat, Thamar vim sibi illatam à fratre, sed cur grauiùs tulerit ab illo fuisse contumeliosè reiectam, non facile explicatu est. Fortassè crediderat puella nimiùm simplex licitum esse cum fratre connubium; quia nihil audierat, cogitarátque cõtrarium, & esse alicubi vsitatum forsitan acceperat à matre Gentili. Cùm verò se nunc repulsam à fratre ignominiosè videret, sic secum pauida ratiocinabatur, alios, qui de fratris amore aliquid essent odorati, & nunc viderẽt è fratris domo turpiter expulsam, aliquid in ipsa deprehensum à fratre, propter quod horreret nuptias, quas priùs expetierat. Hoc autem instar esse mortis illa meditabatur; tũ quia turpissimum erat virgini oblatum esse vitium; tum quia violato virginis pudore graue proponebatur à lege supplicium. Quare si fieri posse existimabat, vt se salua religione, ac cõsuetudine, frater sororem consortem haberet legitimi thori, non sine causa ex hac repulsa, quàm ex illa audacia maiorem virgo cepisset dolorem: quia vt effugeret pœnam à lege præscriptam, vita illi in tenebris ignominiosa, & tristis traducenda fuit. Deinde quia violatio occulta fuit, expulsio manifesta; ex illa exigua, ex hac non leuis oriebatur infamia.

10. Vers. 18. *Quæ induta erat talari tunica: huiusce modi enim filiæ Regis virgines vtebantur.*] Hæc verba satis conuincunt illam sententiam falsitatis, quæ negat, Thamar filiam esse Dauidis, & potiùs ab alio viro satam, cui Maacha illius vxor priùs assueuisset. Neque enim, si filia non fuisset Regis, tunicam illam gestaret, quæ Regiis tantùm virginibus debebatur. Sed cur hoc loco Scriptura meminit talaris tunicæ, quæ virginum è Regia stirpe notum erat insigne? Sanè vt illustrior esset ignominia, quam subiit Thamar à fratris sui seruulo extra domum eiecta, quam ex familiari veste Regiam esse virginem ignoraret nemo; & quia incomitata, & lugens egrediebatur, facilè quiuis de illa indignũ aliquid, & alienum à Regio nomine suspicari posset, propter quod à fratre, seu ab alio parẽte conscio, aut etiã iubẽte, duriùs esset accepta.

11. Vbi Vulgatus, *talaris tunica*, Hebraicè פַּסִּים *passim*;

quæ vox, vt aliis locis vertit noſter Interpres, aliquid ſignificat polymitum varium, opere pictum Phrygio, atque plumario; qualis fuiſſe dicitur tunica, quam filio ſuo Ioſepho texuit Iacob. Geneſ. 37.v.3, quæ Hebraicè dicitur פַּסִּים; & Vulgatus reddidit *polymitam tunicam*. Vtrumque fuiſſe puto in puella Regia Thamar, reliquiſque virginibus è Regio ſemine; veſtem nempe fuiſſe ad talos vſque demiſſam, eandémque verſicolorem, & variis intextam floribus, atque arborum fructibus. Sanè vocem פַּסִּים Septuaginta in editione Complutenſi vertunt ἀσραγαλωτὸν, quomodò etiam legit Theodoretus, & annuit Ioſephus; quæ vox aliquid indicat, quod talos attingit, aut quod ad talos vſque deſcendit. Sed eodem Thodoreto teſte, Aquila vertit Καρποτὸν: ſicut etiam nunc habet Septuaginta codex à Syxto correctus. Quæ vox verſicolorem eſſe veſtem indicat, & plumario opere variam, vt exponit ipſe Theodoretus, quaſi in eo varij arborum flores, & fructus ſint intertexti.

Quales veſtes filiæ Regum geſtare ſolitæ.

A

B

12. Et ex hoc loco intelligi poteſt id, quod ego in Commentariis ſuper Cantica coniectabam, veſtē ſponſæ eſſe variis coloribus, & argumentis excultam; nempè liliis: nam ſæpè in Canticis nuptiales veſtes diſtinctæ dicuntur liliis; & liliorum nomen frequens in epithalamiis. Imò Pſalmus 44. qui totus epithalamicus eſt, præfixum habet liliorum nomen. Cùm verò ſponſa geniali blandimento dicatur *Regina*, aut *filia Principis*, vt ex Canticis conſtat, & Pſal. 44. & nos pluribus in Commentariis ſuper Cantica proleg. 3. n. 16. ideò Sponſa, quæ aut *Regina*, aut *Principis filia* ſalutatur, veſtem affert excultam floribus, qualem ſine dubio ferunt Regum filiæ, & qualem nunc dicitur habuiſſe Thamar.

C

13. Verſ. 19. *Quæ aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens, & clamans.*] In dolore graui cinere aſpergi, atque fœdari caput, & veſtes diſcindi, res eſt nota, & eius rei in Scriptura ſacra exēplorum abundè. Aliqua nos adduximus ad illud Ezech. c. 27. *Superiacient puluerem capitibus ſuis, & puluere conſpergentur.* Et ad illud Thren. 2. *Conſperſerunt cinere capita ſua.* Vtrumque in dolore coniunctum legimus. Iob cap. 2. vbi ſic de amicis Iob: *Exclamantes plorauerunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum.* Et Amalecita, qui ſuprà c. 1. nunciauit mortem Saulis, veſtes ſuas conſcidiſſe dicitur, & caput aſperſiſſe cinere. De ſciſſis veſtibus vide plura in noſtris Commentariis in Ieremiam c. 36. ad illud v. 24. *Neque ſciderunt veſtimēta ſua.* Illud de manibus ſuper caput impoſitis obſcurius. Sed eſſe etiā Hebræis vſitatum in dolore, ex eo fit veriſimile, quia tunc etiam caput operiūt, vt diximus in Ieremiā, ad illud c. 14. v. 3. *Confuſi ſunt, & afflicti, operuerunt capita ſua.* Quare qui alio modo non poteſt, operit ſaltem manibus, quo ſigno oſtendit ſe aut graue aliquod ſubiiſſe incommodum, aut paſſum aliquid, cuius ipſum pudere debeat. Quod credo naturale eſſe ſignum; nam & qui ætate ſunt tenella, & rudi, quique à natura potiùs, quàm à conſilio, & ratione ducuntur, quādo dolent, & lugent, manus geſtare ſolēt ſupra caput; quod non ſemel obſeruauimus. Sanè Hiſpanus cū aduerſum aliquid oſtēdere vult, hoc fermè modo in ſpeciem prouerbiali ſignificare ſolet: *Voluio con las manos en la cabeça.* Hoc in confuſione propter rem infeliciter geſtam minatur Ieremias Iudeæ c. 2. v. 34. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas!*

D

14. *In dolore caput operitur aut veſte, aut manibus.*

Ierem. c. 2.

Et ab Ægypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur. Nā & ab iſta egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum. Scindi porrò in dolore veſtes, & caput puluere turpari, etiam inter profanos vſitatū eſt; vt ex locis Ieremiæ, & Ezechielis ſuprà retulimus. Vtrumque ex veterum conſuetudine coniunxit in Rege Latino Virgilius li. 10. Æneid. dum illum in vxoris fato mœrentem inducit.

----*It ſciſſa veſte Latinus*
Coniugis attonitus fatis, vrbiſque ruina,
Caniciem immundo perfuſam puluere turpans.

Verſ. 20. *Dixit autem ei Abſalom frater ſuus, nunquid Amnon frater tuus concubuit tecū?*] Occurrit ſæpe ex hoc loco nobis Abſalom, cuius nomen niſi Latino more varias habeat terminationes, neceſſe multa dicātur obſcurius. Quare ſicut feci hactenus ſæpe, hoc nomen Latinorum more inflectā. Sed Lectore priùs admonito, in hoc nomine literam vltimam eſſe *M*, non *N*, vt multi ſcribūt, ſed omnino male: vt autem in recto Abſalom *M* habet in fine, ſic eriam habeat in obliquis neceſſe eſt. Quare *Abſalomem* dico, nō *Abſalonem*; ſicut alij, qui aliter inflectunt, *Abſalomum* ſcribunt, nō *Abſalonum*, in quibus eſt Ioſephus. Vidit Abſalom ſororem ſuam pudibundam, & mœſtam, & infortunium ſuum eiulatu muliebri deplorantem; quid tamen eſſet à fratre paſſa, non aperiebat, vel quia pudore impediebatur ingenuo, vel quia futurum exiſtimabat inutile. Sed rē eſt odoratus frater Abſalom, qui ex ſuo ingenio, & natura ad libidinem prona, quam non facilè ab omni coërcebat intēperantia, coniecturā capiebat, vt de fratris ſui ingenio iudicaret. Sic enim frequenter vſu venit, vt talia de aliis ſuſpicemur, qualia nos patimur; fur alios exiſtimat furta meditari; ambitioſus, & auarus ad honores alios, & diuitias aſpirare putant. Denique vitia noſtra, etiamſi nullum appareat ſignum, aliis tamen affingimus, & omninò alios ex noſtris fingimus moribus. Sanè vt in natura ſimile ſimilia gignit, ſic in moribus, mali mores malos in aliis mores ſuſpicantur, & quodāmodò fingūt. Erat Abſalom minùs pudori, aut famæ ſeruiens, vt docuit paulò pòſt, cùm ſpectante ſole, & Iſraele toto, paternum torum impudentiſſimè violauit; quod niſi libidinis eſſet profuſæ, & profligati pudoris, nunquam aut cogitaſſet, aut ſuadentibus aliis admiſiſſet ad animū. Ex ſe ipſo iudicauit, qualis ab Amnone ſorori ſuæ accidiſſet iniuria; neque enim ille, qua erat impudentia, occaſionem illam perire paſſus eſſet. Nihilominùs compreſſit tunc furorem, quem in fratrem conceperat, quod in tempus magis opportunum reſeruabat, & conſolatus eſt ſororem, & iuſſit, ne quicquam quereretur de Amnonis iniuria, aut in illū aliquid moliretur mali, ſed meminiſſet illum eſſe fratrem, neque fieri poſſe, vt illius incæſtus non etiā familiā totam, domúmque paternam, aliqua turpitudine reſpergeret. Quare continuit ſe Thamar in fraterna domo, ſuámque iniuriam aſſiduis lachrymis, & tacito dolore concoquebat. Neque quicquam eſt Abſalom ea de re locutus cum Amnone, ſed ita ſe gerebat homo callidus, quaſi nihil ipſi compertum foret de violata ſororis pudicitia. Cúmque Dauidi grauiùs accidiſſet audaciſſimum illud filij facinus, nihil tamen illi duriùs locutus eſt, quia Amnonem, vtpotè primogenitum, diligebat; neque voluit illi obiecta flagitij turpitudine, dolorem, ſeu pudorem afferre. Hanc rationem habemus à textu; ſed fortaſsè illa quoque ratio fuit, licèt illam Scriptura ſacra ſileat:

15. *Abſalom, Abſalomis, non Abſalonis.*

Tales alios fingimus, quales nos ſumus.

Quia

Non facile in aliis reprehendimus vitiũ, quod in nobis est.

Quia cũ Dauid in eodẽ genere grauissimè peccasset, verecũdatus est exprobrare filio flagitiũ illud, cuius habebat conscium animum, quodque videbat in caput suum retorqueri posse. Vt enim vitæ innocentia audaciam parit, sic sceleris conscientia omnem adimit ad reprehendendum libertatem. An verò peccauerit Dauid, cùm penes illum summa esset potestas, dum impunitam abire patitur audaciam, cui à lege seuerissimum est decretum iudicium, disputat pluribus Abulensis à q. 8. vsque ad q. 12. Quam ego disputationem omitto, quia id facere posse videor saluo Interpretis officio, ac nomine.

16. Antequàm ad alteram capitis partem descendo, in qua agitur de Amnonis interitu, & de vindicta constupratæ virginis incæsto concubitu, libuit adducere, quod scribit Chrysostomus lib. 3. de prouidentia, tomo 5. vbi cùm varia Dauidis incommoda, & patientis animi documenta traderet, hoc, & quod ex eo secutum est, primo loco, aut in primis adhibuit: *Sufficere*, inquit, *ista poterant, Dauidis vitam inter eos numerare, qui semper in luctu, & miseriis vixerunt. Nunc verò talia postmodùm secuta sunt, vt nec olim tristia pati capisse videantur. Quippè fabulas omnes, omnemque tragœdiam vicerunt Regis huius clades, adeò illi monstrosa, & inuicem sibi succedentia domui suæ contigerunt, cùm clades cladibus succedere semper pergerent. Considera, quæso. Adamauit sororem Thamar Amnon frater, amatam vi oppressit, oppressam odiuit, eamque violationem, nefariumque concubitum prior ipse patefecit, alicui ex seruis mandans, vt inuitam pelleret domo, ac per plateam emitteret clamantem, ploratúque, & lamentis omnia complentem.* Deinde alia persequitur, quæ diu tanti Regis exercuere patientiam.

Dauid quã multa grauia pertulerit.

17. Vers. 23. *Factum est autem post tempus biennij, vt tonderentur oues Absalom.*] Expectauit Absalom biennium, dum sese offerret opportunitas, in qua vlcisci posset audaciam fratris, & consolari sororis ex ablata virginitate mœrorem. Illam autem obtulit tondendi gregis ex pastoritia disciplina tempus, in quo fieri solent cognatorum, amicorúmque conuentus, & dies sumi geniales, & læti. Illam igitur opportunitatem captauit Absalom, vt Amnonem fratrem extra ciuitatem, patrisque conspectum extraheret in solum aliquem locum, vbi consilium cædis, quod diu secum agitabat, expleret. Quomodò dies tonsionis Hebræis lætus esset, & conuiuiis celeber, diximus cap. 25. in principio, vbi de Nabal simili conuiuio, atque lætitia pluribus.

18. Vers. 25. *Cùm autem cogeret eum, & noluisset ire, benedixit ei.*] Inuitauit ad conuiuium, quod Regia munificentia parauerat, primo loco Regem, non quia illum interesse vellet; neque enim suis consiliis satis esset opportunus hospes; sed quia omnem volebat sceleris à se iam animo destinati suspicionem depellere: maximè cùm sciret Regem non facilè persuasum iri, vt illud admitteret inuitantis officium. Respondit itaque Rex, nolle se filij sui rationibus esse grauem, neque placere sibi, vt conuiuarum multitudo largos illi sumptus afferret. Cùm autem instaret filius, neque adducere parentem posset, vt conuiuium obiret, id tandem obtinuit, vt ab illo veniam impetraret, & benedictionem, quam obsequentes, & benè morati filij plurimi faciunt. Quid sit *benedicere*, obscurum non est: si à Deo fuerit benedictio, omne genus abundantiæ, & felicitatis importat; si à superiori mortali, qualis Sacerdos, aut Pater est, votum indicat, aut deprecationem, quæ à Deo bonum aliquod optat, & precatur, quod illi, cuius causa laborat, opportunum est. Qualis fuit illa benedictio, quam Isaac Iacob primùm, deinde Esau filiis suis impertitus est. Hac, credo, Iob filios suos prosequebatur, cùm diebus singulis in orbem familiare, & eucharisticum iniere symposium; qui cùm sciret in conuiuiis periclitari modestiam, & quæ bonis officiunt moribus, habere plerumque locum, *sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.* Quod pietatis officium à pietate est, neque plurimùm à benedictione differt.

Benedictio quid.

Vers. 27. *Dimisit cum eo Amnon, & vniuersos filios Regis.*] Cùm inuitato Rege ad commune conuiuium, omnem doli, atque insidiarum suspitionem abstulisset Absalom, rogauit à Rege, vt saltem Amnonem conuiuium inire pateretur, si reliquos filios, quorum non erat exiguus numerus, interesse nollet. Pater cùm aliquid ex eo conuiuio aduersum præsagiret principiò, tandem permisit, vt alij cum Amnone ex genere Regio genialibus epulis accumberent, eo, vt ego interpretor, consilio, ne Absalom aliis præsentibus quicquam contra Amnonem hostile moliretur. 19.

Vers. 28. *Obseruate, cùm temulentus fuerit Amnon.*] Temulentia, & ebrietas in Scriptura sacra non semper significat vitium illud intemperantiæ, quo à vino largè, & immoderatè hausto, mens hominis turbatur, & excidit, sed abundantiam, quæ hominem exhilarat, minúsque idoneum reddit rebus administrandis. Hanc ebrietatem passi sunt viri sancti, quibus integra mens fuit inter pocula, quibus se ad hilaritatem, & satietatem expleuerunt; non tamen illis mens est emota, aut exturbata ratio; sed tantùm minùs ad iudicandum idonea. Sic filij Iacob simul cum Ioseph fratre inebriati dicuntur, Genes. 43. in fine: *Biberuntque, & inebriati sunt cum eo.* Sic Simon Machab. lib. 1. capite 16. vers. 16. Inebriatus occubuit. Sanè si hoc ebrietatis genus, quo homo hilarior fit, non tamen sui impos, peccatum esset, non inuitaret sanctus Sponsus sodales suos, item sanctos ad pocula, quibus inebriarentur. Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Neque Architriclinus aliquid indecorum, & turpe significauit, cùm dixit, Ioan. capite 2. vers. 10. *Omnis homo bonum vinum primum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.* Augustinus in illud Genes. 43. *Biberunt, & inebriati sunt cum eo.* q. 144. ait: *Hoc inebriandi verbum & pro saturitate solere poni in Scripturis, qui diligenter aduerterit, multis in locis adinueniet. Vnde est illud Psalm. 64. Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti ditare eam: eò quòd in laude benedictionis hoc positum est, & donum Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem saturitatem significare. Nam ita inebriari, vt inebriantur ebriosi, neque ipsi terræ vtile est, quia maiori, quàm satietati sufficit, humore corrumpitur, sicut vita ebriosorum, qui non satietate se replent, sed mergunt diluuio.* Est ergo illa temulentia, seu ebrietas, de qua loquitur Absalom, hilaritas quædam, quæ est à vino, quæ soluit quidem hominem à curis, & auocat à rebus gerendis, sicut facit interdùm saturitas à cibo; non tamen mentem cõmouet, & insanire facit. Talis erat Balthasar, cui Scriptura sacra, Dan. capite 5. v. 2. temulentiam tribuit; relinquit tamen prudentiam, vt timeat, quid noni portendant literæ in pariete descriptæ; & quomodò se ab eo metu liberare posset. 20.

Ebrietas quid in Scriptura.

Ebrietas quæ turpis.

Non aliam temulentiam Absalom expectari iussit à seruis in Amnone fratre ; quam sine dubio expectarunt Absalomis serui, quæ maior non videtur fuisse illa,quam alij Dauidis filij passi sunt, qui tamen senserunt, gemuerúntque inopinatum Amnonis interitum ; & ne aliquid ipsi simile subirent,ascenderunt mulas, & se quàm ocyssimè è conuiuio , & Absalomis domo ad paternam domum,& parentis amplexum subduxerunt.

29. Vers. 29. *Fecerunt ergo pueri Absalom aduersus Amnon,sicut præceperat eis.*] Ademerat antè seruis suis metum Absalom , sui tantùm nominis obiecta maiestate,turóque in omnem euentum patrocinio;quæ res animos fecit seruis plus satis obsequentibus , vt in Regis filium manus iniicerent armatas. Coniectat hoc loco,neque meo iudicio malè,Dionysius, seruos illos, qui tantum facinus aggressi fuerunt , fuisse Gentiles ex Gessur , vbi Absalomis auus eo tempore regnabat. Neque enim aliter videbantur ausuri in Regium iuuenem impetum illum insedioſum facere ; neque Absalomi, qui omnia tuta pollicebatur , tam essent libenter obsecuti , nisi Regium nomen tam ex paterno , quàm ex materno genere illis obiecisset,quorum illud conciliabat patrem,hoc contra patrem indignatum , securum , & facile promittebat effugium.

30. *Surgentesque alij filij Regis,ascenderunt singuli mulas suas.*] Timere poterant non sine causa alij Regij pueri,cùm illorum principem , vtpotè primogenitum , inter epulas incautum interfectum viderent. Quare omnes conscendunt mulas,& se quamprimùm in fugam dant. Præuerterunt autem illorum cursum alij , quibus nullam moram afferre potuit mularum præparatio , quia pedites se ab insidioso furore subduxerunt , quique cùm non totam tragædiam expectassent , putarunt cum Amnone alios quoque de Regia stirpe pueros cecidisse. Et hoc ipsum Dauidi parenti , & his , qui in aula cum ipso morabantur , annunciant. Quæ res magnoperè turbauit animum Regis , & aliorum , qui Regi aderant ; qui omnes Regis exemplum secuti , cuius dolorem pium ipsi quoque dolebant , conscciderunt vestimenta sua,& sese in terram lugentium more coniecerunt.

33. Vers. 32. *Respondens autem Ionadab.*] Hic fuit ille Amnonis amicus,qui viam ostendit, quomodò incautam virginem attraheret , & suam in illa libidinem expleret , dignus , qui multò magis, quã Amnon gladiũ exciperet in infideli pectore vindicẽ violati pudoris.Qui consolatus est Regẽ, dixítque vnum Amnonem sublatum esse ferro; alios autem filios Regis nihil esse passos,à quibus Absalom nullam accepisset iniuriam,neque haberet , cur in illos quicquam moliretur hostile ; vnum autem Amnonem ab eo appetitum esse ferro , à quo semper animo alienissimo fuit , ex quo sororem ab illius petulantia compressam esse nouerat. Hæc Ionadab,qui si quid haberet pudoris, aut mentis , nunquam illius facti, cuius ipse auctor,& suasor extiterat,meminisset;maximè apud Regem,qui,vt verisimile est,illius incendij facem non ignorabat. Sed sanè verum est illud , impudentem esse oportere eum , qui semel transierit verecundiæ fines.

34. Vers.34. *Fugit autem Absalom.*]En quod homicidæ serui in Absalome hortatore,ac principe potuerunt habere perfugium, quando ipse præsidiũ petit à fuga?Fugerunt autem cum illo, vt ipsa sceleris natura suadet , homicidæ serui;neque enim, A securi esse poterãt in Dauidis regno,cuius filium inter pocula incautum occiderant , quique non longè aberat ab eo loco,vbi patrata cædes. Tunc verò speculator,qui de more in edito loco perpetuas agebat excubias,prospexit magnã hominum, & præcipiti gradu effusam multitudinem (vnde constat,quàm lætum, & frequens esset illud conuiuium,quàm dies ille genialis, quem tãta hominum multitudo celebrarat.) Venerunt autem inter hos pueri Regij anhelato cursu , exanimati metu,& fratris sui subitum, & crudele fatum deplorantes ; quorum eiulatus tam in Rege , quàm in aulicis viris,& expressérunt lacrymas,& vlulatus excitarunt.

Porrò Absalom fugiens abiit ad Ptolomai.]Maacha 25.
Absalomis mater, filia erat huius Ptolomai. De
B qua multa Hebræi;sed,credo , suo more sine vlla graui coniectura. Dicunt enim captam esse hanc Regis alieni ab Israëlitico genere filiam à Dauide,& iuxta legem traditam , Deuter.cap.21.v.12, rasisse cæsariem,resecuisse vngues , & exuisse vestes,& illa præstitisse omnia,quæ lex ab illa requirit,quæ viri Israëlitæ nuptias inire vult. Ad auum igitur profectus fuit Absalõ,apud quem non omninò,vt verisimile est,triennium totum sine metu consumpsit; quia in parente Dauid signa videbat non obscura offensi,& durum aliquid meditantis animi.Quod ex eo,quod proximè succedit,fit verisimile,vbi dicitur cessasse Dauid persequi filium fratricidam,

Vers.39. *Cessauitque Rex Dauid persequi Absa-* 26.
C *lom.*]Non difficile fuisset Dauidi Regi, quantum- *Non facilè aliquis in alio peccatũ punit, cuius ipse conscius est.*
cúmque cõtra niteretur Rex alius Ptolomai, Absalomẽ capere,deque illo,quas luberet, pœnas de fratricidio sumere;sed satis videtur habuisse animum ostendere plenum indignationis , & ad filij vota,seu postulata difficilem.Sed cùm nosset Rex prudẽs,quid ipse paulò antè sceleris admisisset,& suspicaretur luere se pro tanta in peccando libertate,atque intemperantia supplicium , continuit sese,&ne videretur probare,quod esset à filio crudeliter,& fraudulenter admissum, externo aliquo signo alienati animi quotidianũ specimen edebat. Norat in se peccatum, quod in Amnone damnauerat;atque ideò,vt diximus,illud in Amnone neque supplicio plectere , neque grauiore verbo reprehendere ausus est;sceleris quippè conscientia timidos reddit animos alioqui cõstantes,& audaces.Norat item in se peccatum Absalomis,cùm ipse quoque per fraudem virum , quem inebriare antè voluerat,occidisset.Quare neque hũc eo conatu,quo debuerat,persecutus est;quia si quis erat ardor , quem excitabat furor , illum peccati non dissimilis timida conscientia restinguebat.

Eo quod consolatus esset super Amnon interitu.]Cõ- 27.
solari hoc loco idem est, quod dolorem esse sedatum,& furorem deferbuisse , qui priùs Regem ad sumendum supplicium incitabat. Affectus autem ille mitior, aut incitatus minùs , ex eo prouenit, quia aut Rex culpam Amnonis considerarat attentiùs , dignúmque putabat simili , aut grauiori pœna;aut certè quia tẽpus emollit,& mitigat dura;& ipsa consuetudo facit, vt quæ priùs acerba, nunc iniucũda minùs videantur.Sanè vt ex principio subsequentis capitis liquet,animi iam pacati signa dedit aliis non obscura.

Hebræi aliter hunc locum interpretantur;illud 28.
enim *persequi* significare putant beneuolẽtiã magis,quàm offensionem. Aiunt enim voluisse Dauidem exire sæpè ad filium,vt vltrò illum sibi conciliaret : non tamen ausum esse illum ad se reducere,

reducere,ne quoties ſuis occurſaret oculis, toties fraternæ cædis memoriam renouaret. Ita Hieronymus in Traditionibus Hebraicis.

Ad extremũ libet,quod in hunc locũ Agelomus tradit morale documentum,attexere.Lapſus fuerat Amnon conſtuprata ſorore in immane peccatum,cuius fortaſsè cauſa fuit intemperantia,& luxus, dum plus ſatis ſplendidis menſis, & frequentibus poculis indulget. Neque tamen aliquid grauius eſt paſſus, cùm tamen leue non fuerit,quod virgini attulit detrimentum. Abſtinere A debuit ab immoderatis cibis,& plenis poculis, in quibus eſt luxuria, vt docet Apoſtolus, & experientia ipſa quotidiana didicit Comicus, qui ex eo quod frequenter viderat, dixit, *ſine Cerere, & Baccho friget Venus.* Quia tamen ad vinum, & temulentiam rediit,ibi vitam amiſit temulentus,& licèt nondum luxurioſus,quia aliò fortaſsè mentem auerterat,ad luxuriam tamen aptè diſpoſitus, æſtuanti à vino, & à cibis ſtomacho diſtento. Amauit periculum, & in eo vtique malè ſanus interiit.

Fugienda occaſio,quæ priùs ruinæ cauſa fuit.

IN CAP. XIV. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

IOAB Abſalomem cum patre conciliare ſtudet,cuius rei gratia ex agro Thecuano fœminam prudentem euocat,quæ ſimulata hiſtoria,ſeu inducta parabola, placaret patrem; & ab illo exprimeret, vt reuocatum fratricidam filium ad antiquum locum,& gratiam admitteret; quod tandem impetrat. Neque latuit Regem conſilium illud ortum à Ioab, cuius ille ſolers ingenium,acutúmque cognouerat. Gratias agit Regi Ioab,quòd interceſſio illa tantum apud ipſum ponderis habuerit. Eveſtigiò Ioab accerſit Abſalomem à Geſſur; Neque tamen licet reſtitutus ſibi, ac domui, parentis conſpectum ſubire permittitur. Erat autem Abſalomi ad miraculum vſque ſpecioſa forma, & Cæſaries vſque adeò venuſta, vt magno impendio ſibi Iſraelitides puellæ compararent. Ferebat porrò grauiter Abſalom abeſſe tandiu à parentis aſpectu: biennium enim exactum fuerat, poſtquàm in patriam venerat,neque tamen tandiu parentem viderat. Quare idipſum obtinere & cupit,& ſperat,agente Ioab. Illum igitur aduocat ſemel,atque iterùm, qui cùm vltrò nollet, vi cogitur vel inuitus venire. Incendit enim ſegetes Ioab iam maturas falci, quas habebat ſuo fundo vicinas. Cúmque ea de re apud Abſalomem eſſet conqueſtus, iſque ideò rem illam diceret eſſe tentatam, vt ſæpiùs vocatum,& cunctantem accerſeret, orat, vt cum Rege diligenter agat,ſibi vt liceat in eius conſpectum aliquando venire, quod tandem impetrat, & à parente oſculo lætus excipitur.

CAPVT DECIMVMQVARTVM. B

1. INtelligens autem Ioab filius Saruiæ, quòd cor regis verſum eſſet ad Abſalom,

2. Miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem:dixítque ad eam:Lugere te ſimula,& induere veſte lugubri,& ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum:

3. Et ingredieris ad regem, & loqueris ad eum ſermones huiuſcemodi. Poſuit autem Ioab verba in ore eius.

4. Itaque cùm ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo ſuper terram,& adorauit, & dixit: Serua me rex.

5. Et ait ad eam rex: Quid cauſæ habes? Quæ reſpondit: Heu, mulier vidua ego ſum: mortuus eſt enim vir meus.

6. Et ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati ſunt aduerſum ſe in agro, nullúſque erat qui eos prohibere poſſet: & percuſſit alter alterum, & interfecit eum.

7. Et ecce conſurgens vniuerſa cognatio aduerſum ancillam tuam,dicit: Trade eum qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum pro anima fratris ſui, quem interfecit, & deleamus heredem: & quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram.

9. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.

8. Dixítque mulier Thecuitis ad regem: In me,domine mi rex,ſit iniquitas,& in domum patris mei:rex autem & thronus eius ſit innocens.

10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltrà non addet vt tangat te.

11. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram.

12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad Dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere.

13. Dixítque mulier: Quare cogitasti huiusce modi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?

14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est.

15. Nunc igitur veni, vt loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ.

16. Et audiuit rex, vt liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me, & filium meum, simul.

17. Dicat ergo ancilla tua vt fiat verbũ domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum.

18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo. Dixítque ei mulier: Loquere domine mi rex.

19. Et ait rex: Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his, quæ locutus est dominus meus rex: seruus enim tuus Ioab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

20. Vt verterem figuram sermonis huius seruus tuus Ioab præcepit istud: tu autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram.

21. Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Absalom.

22. Cadénsque Ioab super faciem suam in terram, adorauit & benedixit regi: & dixit Ioab: Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiã in oculis tuis, domine mi rex: feci sti enim sermonem serui tui.

23. Surrexit ergo Ioab & abiit in Gessur: & adduxit Absalom in Ierusalem.

24. Dixit autem rex: Reuertatur in domum suam, & faciem meam nõ videat. Reuersus est itaque Absalõ in domum suam, & faciem regis non vidit.

25. Porrò sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.

26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.

27. Nati sunt autem Absalom filij tres: & filia vna nomine Thamar, elegantis formæ.

28. Mansítque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem regis non vidit.

29. Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eũ ad regẽ: qui noluit venire ad eum. Cúmque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum,

30. Dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habẽtem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni. Et venientes serui Ioab, sciss is vestibus suis, dixerunt: Succenderunt serui Absalom partem agri igni.

31. Surrexítque Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succẽderunt serui tui segetem meam igni?

32. Et respondit Absalom ad Ioab: Misi ad te obsecrans vt venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo vt videam faciem regis: quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

33. Ingressus itaque Ioab ad regem, nunciauit ei omnia: vocatúsque est Absalom, & intrauit ad regem, & adorauit super faciem terræ coram eo: osculatúsque est rex Absalom.

IN CAP. XIV. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers.1. *Intelligens autem Ioab filius Saruiæ,quòd cor Regis versum esset ad Absalom.*]

1. VIDETVR Ioab toto tempore, quo extorris à patria vixit apud auum Absaló, de illius restitutione, & reuocanda gratia fuisse sollicitus. Quare in eam curam intentus omnem captabat occasionem, quæ illi ad Regis leniendum animum aditum aperiret. Cùm ergo non dubiis coniecturis didicisset,minùs quàm antè malè Dauidem animatum in filium; quia vt in fine superioris capitis dictum est, *consolatus erat super Amnonis interitu*:Illud enim est, *cor Regis versum ad Absalom*;consilium iniit,quo patriæ, patrique extorrem, & quasi alienatum adolescentem restitueret.

2. Vers. 2. *Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem.*] Hebræi teste Hieronymo,hanc viduam Thecuanam, auiam esse putant Prophetæ Amos: neque vllam aliam habent coniecturam,vt ita sẽtiant, nisi quia vnum tantùm virum Thecuanum ex Scriptura agnoscunt Amos, quasi ex patriæ communitate generis etiam communitas inferri possit. Quid si neque Amos Thecuanus fuit? tantùm enim habemus ex Scriptura, fuisse ex pastoralibus Thecuæ;id est,in desertis Thecuæ armenta pauisse. At in illis locis alij, qui Thecuani non essent, suas habuerunt caulas, & armenta pauerunt. In quibus fortasse fuit Dauid, qui non procul ab illa solitudine vixit,dum paterno gregi pastoritiam operam nauaret. Nihil igitur habemus aliud, quàm à Ioab adductam esse mulierem sapientẽ, quæ optimè posset inducta parabola Regem iam sua sponte inclinatum eò adducere, vt filium placatior,& propitius admitteret; quod & tentauit sapienter, & feliciter consecuta est. Tradunt etiam Hebræi hanc fœminam Thecuanam verè fuisse viduam,verè duos habuisse filios, verè rixatos in agro, verè ab altero alterum occisum: quare nihil à fœmina commentum, sed tantùm historiam veram ad Absalomis casum applicatam. Ita Hebræi,sed non maiori fide, quàm superiora. Cum Hebræis sentiunt aliqui ex nostris,

3. Angelomus,Rabanus.

Thecuana fœmina parabolam induxit, non fœminam.

Mihi probabilius est, rem totam confictam à Ioab,& eius suasu,atque instructu Dauidi propositam à Thecuana fœmina. Id enim planè valet, quod statim dicitur, & posteà v.19. vbi fœmina dicit omnia verba hæc in ipsius ore posita à Ioab, & ab eodem illius sermonis figuram esse conuersam.Ita putat Abulensis q.11. Tota historia aperta est,& illius applicatio non difficilis;atque ideò non multò nobis in illius explicatione laborandum est.

4. Vers. 4. *Serua me Rex.*] Familiaris, & quasi legitima formula, qua ab aliquo aut ius nostrum obtinere volumus, aut id certè oramus, quod vitæ nostræ,aut rationibus valde necessarium est.Sic l.4.Reg.c.6.v.26.dixit mulier, quasi ius suum obtinere vellet à fœmina alia,quæ debitum negabat ad Regem legum, atque iustitiæ vindicem: *Salua me Domine mi Rex.* Et quasi hæc esset familiaris forma, 1. Par.16. v.35. monet Dauid, vt omnes confiteantur Domino, & dicant solemnem illam in orando formam:*Dicite,salua nos Deus.*Hinc frequens in Hebræorum orationibus *Osanna*, quod

Serua me,vsitata in precationibus forma.

Osãna quid.

idem est atque *salua, obsecro.* Quare illud *serua*, quod supplex adhibuit Thecuana mulier, non fuit propria huius fœminæ vox, sed omnibus cõmunis,qui ad potentiorum misericordiam supplices accedunt.

Vers. 7. *Trade eum,qui percussit fratrem suum,vt occidamus eum.*] Num. c.35.v.18. *Propinquus occisi homicidam interficiet,statim vt apprehenderit eum, interficietur.*Et statim v.21.*Percussor homicidij reus erit: cognatus occisi statim vt inuenerit eum, iugulabit.* Fingit itaque mulier filium suum occisum à fratre,& cognatos iuxta legem nuper allatam conari, ne fraternus sanguis maneret inultus;atque ideò ardenti studio ad supplicium expetere capitale fratricidam. Quid ea lege Deus cautum esse voluerit, aut lex illa iubeat, aut permittat, vel impunè tantùm possit, aut etiam extra culpam quispiam cognatum sanguinem vlcisci, non est huius loci explicare pluribus. Placet,quod docet Caietanus, hîc à Deo,iudicibus,legumque custodibus præcepta tradi, quando lege in homicidam agere debeant,& quando homicidæ ignoscere, aut illũ iudicio persequi legitimo non liceat. Vbi definit, posse quidem cognati sanguinis vltorem impunè alteri mortem afferre, non tamen sine culpa:sicut alia sunt plurima, quæ ad pacificam eorum administrationem multa permittunt, quæ tamen non probant leges. Plura vide apud Abulensem in caput proximè citatum ex Numeris. 5.

Et deleamus hæredem.]Probabile facit commentum suum Thecuana mulier: posset enim aliquis hærere hîc, & quærere, quidnam commodi cogitare potuerint cognati,qui tam sunt auidi vlciscendi sanguinis à fratre profusi. Id nunc mulier illa sapiens inducit; dixerat enim consultò duos tantùm sibi fuisse filios, & se esse viduam; quare cùm filiorum alter esset occisus,neque à viro,vtpotè iam mortuo, vlla esset prætereà speranda soboles,consequens erat, vt altero etiam sublato, paternæ possessionis omninò tolleretur hæres;atque ideò ne ad alienos hæreditas cognata defluere t, ipsi cognati ius à lege habuerunt certum, vt vacuam illam possessionem adirent. Hanc itaque rationem indicat Thecuana mulier illis verbis: *Et deleamus hæredem.* Quasi dicerent, vt tollamus impedimentum,quod nobis ad paterna bona aditum occludit. 6.

Et quærunt extinguere scintillam meam.]Sicut lucerna pro successione ponitur, quia vt illa lucere facit,& apparere ea,quæ alioqui laterent in tenebris:sic etiam filij,qui sunt naturales quædam parentum effigies,præsentes esse faciunt,atque conspicuos parentes,quorum corpora terra tegit, & quorum manes longè absunt à cætu, habitationéque mortalium. De filiis,in quibus parentum viuit nomen,atque memoria, est illud Eccl.30. v.4. *Mortuus est pater eius,& quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.*Simile aliquid audimus à profanis,qui in filiis agnoscunt,quasi in plantarum germine stirpis naturam,parentum mores,& ingenium.Sic autem de Troianis pueris Virgilius l.5.Æneidos. 7.

Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ

Fertur equis.
Excipiunt plausu pauidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ, veterúmque agnoscunt ora parentum.

8. In lucerna illa exprimuntur, quæ pulcra sunt, & lucida, quæque hominum aliquo modo pariunt aut æternam, aut diuturnam memoriam, qualis est honor, res præclarè gestæ, & soboles; quæ de se non semel audiuit Dauid, dum illi aut regnum, aut nomen immortale promittitur. Vt 3. Reg. 11. v. 36. ibid. 15. v. 4. 4. Reg. 8. v. 19. Psal. 131. v. 17. *Ibi producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.* Quare Dauidi regnum, gloria, posteritas lucerna fuit; quia hæc omnia Dauidis memoriam ab obliuione vendicant. Notum est illud tritum, quo prouerbiali specie significantur animantes illæ, quæ successione propagantur, vita ex aliis in alias transfusa: hæ enim dicuntur posteris lampadem tradere, in qua ipsæ, licèt iam interierint, splendeant, & viuant. Sic Lucretius.

Cur filij vocati lucerna.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Sic Plato l. 6. de legibus ait, oportere ciues operam dare generandæ proli, vt vitam, quam ipsi à maioribus accepere, posteris tradant, quasi lampada ardentem, in qua ipsi luceant.

9. Hæc igitur fœmina, vt suam ostendat tenuitatem, filium suum, qui reliquus erat, scintillam appellat, non lucernam, aut lampada, quia in illa aliquid pertenue est, & obscurum, quod facilè extingui potest, in illo tamen filio qualicunque suã esse dicit vitam, atque fortunam: quare qui illum de medio sustulerit, eripit ipsi fortunam, splendorem, & vitam.

10. *Vt non superſit viro meo nomen.*] Argumentum sumit à pietate, quæ mortuis debetur, quibus aliquid detrahere alienum semper iudicatum est ab omni humanitate; quorum memoriam ipsi etiam barbari conseruatam volunt. Conseruatur autem mortuorum memoria, & nomen, non tam in monumentis publicis, ac statuis, quàm in posterorum virtute. Quare qui alicuius vult posteritatem extinguere, ille idem id agit, vt ex hominum memoria parentum etiam nomen eradat.

11. Vers. 9. *In me, Domine mi Rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: Rex autem, & thronus eius sit innocens.*] Eodem modo incepit orationem non minùs sapiens Abigail ad Dauid l. 1. Reg. c. 25. v. 24. Duo videtur his verbis sibi velle Thecuana mulier. Primum, vt si quis esset scrupulus in Rege, si à mortis liberet periculo illum, quem quasi legum custos potiùs videbatur damnaturus (cùm illum, vtpote fratricidam, capitalis supplicij reum esse constaret) illum eximat scrupulum: & si quid in eo peccatum sit, illud totum in caput suum deriuet. Est autem vsitatum, vt ab his, quibus benè cupimus, omne arceamus, deprecemúrque incommodum, & si quid mali timeri posse videtur, illud nostro imprecemur capiti; qua dicendi, siue beneuolentiæ forma, liberum alium reddidisse videmur ab omni metu. Sic Rebecca Gen. c. 27. cùm Iacob, si matris obsequeretur monitis, timeret, ne pro benedictione maledictionem exprimeret à patre, illa his verbis bono esse iubet animo, & à timore libero. *In me sit, ait, ista maledictio, fili mi, tantùm audi vocem meam.* Sic profani sæpè. Tibullus l. 1. eleg. 2.

Ab his, quibus bene cupimus, malũ in nostrum caput detorquemus.

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo,

Idem penè Ouidius in ep. Acontij.

Inque caput nostrum domina periuria, quæso,
Eueniant: pœna tuta sit illa mea.

Alterum est, quia, vt statim videbimus, à Rege sibi mulier cauere vult, interposita iurisiurandi religione, ne quid à cognatis accidat aduersi: sed quia in iuramento cõcipiendo aliquid solet contigere non æquum, quod in iurantis capite expiari solet, id totum in se recipit illa mulier, optatque, vt tam Rex ipse, quàm regni sedes, innocens, & innoxius habeatur. 12.

Vers. 11. *Recordetur Rex Domini Dei sui.*] *Recordari Dei* hoc loco idem videtur esse, quod iurare; quod Dauid ipse docuit, qui statim obsecutus Thecuitidis precibus, iusiurandum adhibuit, dum dixit: *Viuit Dominus, quia non cadet de capillis*, &c. In hunc sensum accepit Hieronymus, & alij cum illo non pauci, illud Amos c. 6. v. 12. *Non recorderis nominis Dei.* id est, ne iures per Deum; & idem habetur in tradit. Hebr. Cur autem hoc iuramentum à Rege extortũ esse voluerit, statim explicat. Sed fortasse id agit his verbis Thecuitis, vt Dei exemplo discat Rex ignoscere aliis, qui sæpè minas temperat, & dum ardentiùs videtur indignatus, misericordiæ recordatur. Et huic cogitationi attemperatè dixit statim v. 14. *Nec vult Deus perire animos, sed retractat*, &c. 13.

Recordari nominis Dei, idem quod iurare.

Vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciſcendum.] Magna cautio adhibenda est, vbi multi sunt, à quibus obtendi metus, aut periculum cõparari potest, quia si hic cesset, aut dormiat, alij excubias agunt, & animo sunt ad omnem opportunitatem intento. Fieri posset, vt aliquis Regis imperio retardetur ab alterius cæde, & innumeri alij, quibus id à lege putatur esse concessũ, vt illatas persequantur iniurias, & sanguinem velint expiare cognatæ familiæ. Huic incommodo occurrit sapiens illa mulier, dum extorquere studet à Rege iuramentum, quo non ab vno, aut altero è cognatorum stirpe, sed ab omnibus prorsus filij sui salutem, & vitam seruatam esse & iubeat, & curet. Id enim valet illud: *Vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciſcendum:* id est, ne vno cõpresso excitetur alter; imò quod non rarò contingit, vt de Lernea hydra fabulantur poëtæ, pro vno amputato capite septem repullulent. 14.

Non cadet de capillis filij tui super terram.] Fecit Dauid, quod optabat, petebatque Thecuana vidua, & omninò promisit nullum illius filium à cognatorum studio capturum esse detrimentum. Quod eo dicendi modo significauit, quo exprimi solet aut maxima securitas, aut salus integerrima. Specie etenim prouerbiali, quod leuissimum, ac minimum est, capilli, aut pili significatur vocabulo. Sic Dan. c. 3. v. 94. *Capillus capitis eorum non esset aduſtus:* & l. 1. Reg. c. 14. v. *Viuit Dominus, si ceciderit capillus capitis eius in terram.* Vbi eadem propè verba vides. Vide quæ nos in nostris Commentariis ad vtrumque locum. 15.

Capillus pro re tenui.

Vers. 12. *Loquatur ancilla tua ad dominum meum Regem verbum.*] Quia iam propiùs accedit ad causam; neque qualis ad Regium animum accessura sit oratio, cognouit, facultatem à Rege loquendi petit. Qua à Rege non difficili exorata, confictam historiam ad veram causam, & historiam accommodat. 16.

Quare cogitaſti huiuſmodi rem contra populum Dei? &c.] Hîc non agebatur, vt apparet, vnius Absalomis causa, sed totius populi, in quo magnæ timeri poterant, & cruentæ turbæ, si Rex in eius caput aliquid decerneret, aut meditaretur hostile; cùm multi in eo fratricidio socios se, & adiutores Absalomi præbuerint. A quo periculo, si res ageretur summo 17.

ſummo iure, liberi non erant, qui illum patrato ſcelere fugitiuum exceperant, reque, & conſilio aut antè iuuerant, aut adiuturi eſſent, ſi Rex vellet vlteriùs perſequi fraternæ cædis iniuriam. Denique, ſicut paulò pòſt euidentiùs apparuit, multorum ad ſe ſtudia, atque animos, qua erat morum ſuauitate, allexerat Abſalom, qui illius cauſa arma libenter ſumerent, ſicut fecere poſteà in cauſa, quæ nullam habere videbatur honeſtatis ſpeciem. Neque Amnonis cauſa, quam eo tempore compertam eſſe oportuit, cùm clamaret Thamar, & eam fraternæ cædis excuſationem adduceret Abſalom, vt minùs crudele, ac turpe videretur ſuſceptum eſſe conſilium. Quare peccaret Dauid non ſolùm contra fratricidam filium, ſed etiam contra populum totum, cùm ſcintillam ſpargeret in aridam illam ſyluam, quæ magnum excitaret incendium, quod non niſi multorum ſanguine extingui poſſe videbatur. Neque minor Amnonis erat impudentia, quàm Abſalomis audacia; neque benè de Rege ſentirent plurimi de populo, ſi ita obſtinatò, & grauiter perſequeretur violatæ ſororis tantam iniuriam, cùm id fecerit frater iuſto dolore permotus, quod omiſſum à patre populus queri poſſet. Quocirca non cum Abſalome, ſed cum toto populo videbatur ſumendum eſſe certamen. Hoc eſſe reor ſapientis fœminæ primum argumentum. Abulenſis q. 13. aliter exponit; ait enim, peccare Regem, dum nõ reducit populum, quia cùm tam ille, quàm qui illius partes fouent, ſint apud Gentiles, apud Regem videlicet Geſſur Abſalomis auum, & ibi ex Gentilicis moribus aliquid poſſint contrahere Gentilicum; peccat in illos Rex, dum illorum mores, & religionem peregrinis moribus contaminari aut iubet, aut permittit.

18. Verſ. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram.*] Secundum argumentum, quod duobus modis explicari poterit; altero, ſi ad Amnonem, altero, ſi ad Abſalomem referatur. Si ad Abſalomem, hunc habet ſenſum: non eſſe, cur tam diu, ac tanta contentione perſequatur adoleſcentem, cùm ſatis illum ipſius naturæ perſequatur infirmitas: vt quid enim illi mortem inferre cupiat, cui nunquam abeſt moriendi neceſſitas, imò neque mors, quandoquidem noſtrum viuere, longum quoddam, & familiare mori eſt? Vt enim aqua in decliui loco ſemper labitur, donec ſe marinis fluctibus infundat; ſic etiam ad mortem properat, & cum morte conuiuit, aut etiam commoritur vita mortalium. Huc inclinat Vatablus. Si ad Amnonem referas, quod potiùs reor, & eſt magis communis ſententia, alius eſt ſenſus; nempe quodcúmque vindictæ ſtudium, aut modum nullo modo Amnoni iam mortuo futurum eſſe ſalutarem, cùm ad vitam vlla humana ſolertia, aut contentione reuocari non poſſit. Ideò ſimilitudinem adduxit aquæ, quæ reuocari non poteſt eò, vnde defluxit. *Quaſi aquæ*, inquit, *dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Cùm autem aliquid fieri non poſſe ſignificare volumus, hoc fermè modo exprimere ſolemus. Ouidius lib. 1. de Triſtibus eleg. 7.

Vita hominum, quaſi aqua decurrens.

In caput alta ſuum labentur ab æquore retrò
Flumina, conuerſis ſolque recurret equis.

Et idem in epiſtola Oenones.

Cùm Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.

Quæ ſimilitudo frequens eſt, cùm argumentum ſumitur ab impoſſibili.

19. *Nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitùs pereat, qui abiectus eſt.*] Tertium argumentum, quod ſanè grauiſſimum eſt, ex Dei natura ſumitur, quæ ad ignoſcendum prona eſt. Qui minas reuocat, & animum paternum ſumit in illum, in quem ſpiritus antè biberat hoſtiles, cùm illum peccati pœnituiſſe cernit. Qua de re nos plura in noſtris Commentariis ſuper Ieremiam ad c. 18. v. 7. & ſuper Ezech. c. 18. v. 21. Qui tam longè eſt, vt mortem velit peccatorum, vt certa quædam velit aſyla deſignari, ciuitatéſque refugij in Iſrael. Cuius in ſe nuper exemplum viderat ipſe Dauid, cui poſt adulterium, & cædem, quibus graue erat à lege ſupplicium conſtitutum, ignouit tamen, cùm duas protulit voculas in teſtimonium pœnitentis animi.

Verſ. 15. *Nunc igitur veni, vt loquar ad Dominũ meum Regem verbum hoc.*] Aperit nunc Thecuana mulier, quid hac ſimilitudine, ſeu parabola velit obtinere à Rege; nempè vt ignoſcat fratricidæ filio, liberetque à metu, & redire ſinat in Ieruſalẽ. Multi in hac parabola multa deſiderant; quia non omninò æquat Abſalomis hiſtoriam. De quibus ego neque laboro, neque cuiquam cum aliquo operæ pretio laborandum puto. Neque enim opportunum eſſet commentum, quod induxit Thecuitis, ſi omninò foret ſimile hiſtoriæ veræ: facilè enim Rex, qui neque tardus erat, neque inſipiens, odoraretur, quò ſpectaret ſimulatum illud artificium, & ſe contra illud maturè communiret. Tantùm igitur voluit obtinere veniam filio ſuo, quod in ſua petitione videbat eſſe maximè difficile; nempè abſoluere illum, quem lex, & conſuetudo damnauerat, vt inde colligeret abſolui potuiſſe Abſalomem, qui idem admiſiſſet ſcelus. Quare cùm id eſſet conſecuta, quòd cætera eſſent omninò diuerſa, nihil habebat penſi. 20.

Præſente populo.] Non ſolùm iureiurando voluit Thecuitis obligare Regem, vt promiſſa cõpleret, quod apud pios, & honeſtos viros grauiſſimum eſt vinculum; ſed etiam illius iuramenti teſtes adeſſe voluit multos è populo, vt ſi minùs religione cogeretur Rex iurata præſtare, at hominum ſaltem aſpectum, quos obligatæ fidei conſcios habuerat, vereretur. Atque ideò admonente Ioab, occaſionem captauit Thecuitis, in qua cum Rege multi eſſent è populo; aut ipſa, atque Ioab callidè illos eo articulo ad Regium conſpectum teſtes adhibuit. 21.

Et dixit: ancilla tua loquar ad Regem, &c.] Hoc etiam ſapienter, & callidè Thecuitis. Repetit enim quid ipſa orauerit, quid à Rege promiſſum, vt illud Rex ipſe recognoſceret, & à teſtium memoria non excideret, quo deinceps magis vrgeret Regem ſuo conuictum iuramento, & populi obſtrepente publico teſtimonio. 22.

Verſ. 16. *Qui volebant de hæreditate Dei delere me, & filium meum ſimul.*] Delere de hæreditate, aut eſt à paterna poſſeſſione depelli filium, & cum eo matrem, quæ ratione filij, & cum ipſo filio paternis bonis fruebatur, qui ſi à cognatis occideretur, ad cognatos tota illa parentis hæreditas abibat. Et hoc potiùs. Tunc autem hæreditas dicitur Dei, quia à Deo per Ioſue ſic eſt diſtributa, vt ad filium ſuum longa ſucceſſione peruenerit. Quæ rurſùs iuxta Dei præſcriptum, mortuo filio, ne ad externos diſtraheretur hæreditas, ad cognatos, & familiæ proximos peruentura erat. Aut certè hæreditas Dei eſt terra promiſſionis, & Iſraelis domus: ex qua deleretur filius, ſi ille ſine prole diſcederet & ipſa, ſi ab hoc filio ſuperſtite foret orbata, quia non poneretur in cenſu, aut libro generationis 23.

filiorum

filiorum Israel, cùm ex illorum neutro superesset soboles, quæ eousque propagatam generationis seriem, vlteriùs extenderet.

14. Vers. 17. *Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum Domini mei sicut sacrificium.*]Duas ego hîc explicationes odoror; alteram, vt fœmina dicat celebraturam se Dauidis in promisso præstando religiosam fidem,ita vt Regis verbum sanctum sit,vtpotè sanctè cõfirmatum, sicut esse solet sacrificium; & Regem ipsum esse sicut Angelum Dei, qui de hominum verbis, aut cogitatione non laborat, neque ab illis maledictionem, aut benedictionem aut quærit, aut curat; sed tantùm quid religio, aut diuina voluntas exigat,exquirit.

25. *Res iurata quasi sacrificium.* Alia expositio est,vt fœmina hortetur Regem, vt non aliter promissa consideret, quàm si res esset consecrata Deo, quia verbum illius ab interposita iurisiurandi sanctitate sacrum est, sicut sacrificium oblatum Deo. Quia verò præsenti populo promissam filio vitam iuramento firmauerat; qui populus laudaturus videbatur Regis in præstanda promissione constantiam, & reprehensurus, si minùs iuratam fidem constanter impleret: ideò dicit,Regem esse sicut Angelum Dei,qui nec hominum benedictione, nec maledictione mouetur;id est, qui neque humanam laudem, neque vituperationem intuetur; sed id tantùm spectat, quod Deo futurum esse gratum existimat. Quia verò admonere aliquem religionis, & officij,superioris est potestatis,aut certè eius,qui cum altero habet familiarem vsum, quorum nihil habebat in Regem Thecuana mulier;ideò,quod antè fecerat, quando sermonem exorsa est, facultatem postulat loquendi, dum ait: *Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum Domini mei sicut sacrificium.*

26. Vers. 19. *Nunquid manus Ioab tecum est?*] Admiratus Rex acutum mulieris artificium supra muliebrem captum, suspicatus est, à Ioab, quem callidissimum esse nouerat,ortum esse consilium; idque, an verum sit, percunctatur à fœmina, quæ apertè confitetur omnia,& Regis laudat prudentiam, quam nullum licèt occultum, & mille tectum inuolucris artificium latet.Illud autem, *neque ad dexteram,neque ad sinistram*, Hebræorum idioma est,quod significat sic aliquid destinatò, ac certò scopum attigisse, vt in neutram partem deerrauerit. Quasi diceret, *rem ipsam attigisti.* Qui dicendi modus familiaris est;cùm enim rectum aliquid significamus,aut directum,ab eo sinistrum, & dextrum remouemus;quia sicut rami,qui ad sinistram, vel dextram explicantur, à trunco recedunt,qui tantùm in arbore rectus est;sic qui à recta via aliorsum deflectit siue ad dexteram, siue sinistram, nunquam attingit terminum, ad quem tanquam ad scopum destinabat animum. Prou.4. v.27. *Ne declines ad dexteram,neque ad sinistram.*Et in Deut.sæpiùs audimus à lege neque ad dexterã, neque ad sinistram esse declinandum, sed recta in illam attentione,& cursu esse progrediendum.

27. Vers. 20. *Vt verterem figuram sermonis huius.*] *vertere figuram* non propriam, & rectam, sed impropriam, & figuratam indicat dicendi formam. Et ideò modus ille orationis figuratæ Græcè dicitur *Parabola, seu allegoria quid.* τρόπος, qui *versionem* sonat, aut *conuersionem orationis.*Est autem parabola, seu allegoria tropus, qui in vocibus compositis inuenitur.

28. *Angelo similis esse dicitur, qui in aliqua re excellit.* *Sapiens est sicut habet sapientiam Angelus Dei.*] Hyperbole est Hebræis familiaris in nomine *Angeli.* Cùm enim aliquem siue à sapientia, siue à venustate commendare volunt, aut Angelum, aut Angelo similem appellare solent. Sic Ezechiel c. 28.v.14.Regem Tyri,quem ab specie, & splendore laudat,Angelum appellat:*Tu Cherub extentus,& protegens.* Sic Achis ad Dauid l.1. c.29.v.9. *Bonus es tu in oculis meis sicut Angelus Dei.* & Act.c. 6. v. 15.de Stephano: *Viderunt faciem eius tanquam faciẽ Angeli.* Et suprà v.17. *Sicut enim Angelus Dei,sic est Dominus meus Rex.*Infrà c.19.v.27.hoc idem audiuit de se Dauid à Miphiboseth.

Vers. 24. *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.*]Prudenter se hoc loco gessit Dauid;sic enim voluit Ioab, & populi votis satisfacere,vt tamen non videretur iustitiæ, & humanitatis immemor: cõcessit enim Ioab Absalomis reditum in Ierusalem,& securitatem à metu; negauit tamen aspectum sui, vt ostenderet nullo sibi modo probari scelus, quod in fratrem Amnonem admisisset:aut etiam timebat, ne cùm Absalomis faciem videret, subiret animum primogeniti cædes; & quotidianum inde dolorem hauriret, cùm obductum vulnus refricatum sæpiùs recrudesceret. Quod sanè supplicium instar Absalomi mortis fuit, qui quasi à Regio sanguine alienus videbatur, dum ad Regis aspectum,& consuetudinem accessus non pateret. Sanè viri ingenui, ac nobiles vsque adeò ferunt grauiter à domo arceri, patrisque conspectu, vt dolorem ex illa ignominia susceptum morte putauerint esse redimendum. Eiecit domo Manlius Torquatus Silanum filiũ,& à suo conspectu abire iussit. Ille autem, vt refert Valerius Max.l.8.c.8.*Tam tristi patris sententia perculsus lucem vlteriùs intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumpsit.* Vide plura ad illud l.3. c. 1.*Vade in domum tuam.* 29.

Vers. 25. *Porrò sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel.*] Paucis verbis miram explicat historicus sacer Absalomis pulchritudinem. Primùm,præponit omnibus, quotquot in Israele toto forma fuerunt eleganti; deinde addit, in toto corpore nihil esse, quod intuentium oculis non placeret. *A vestigio,*inquit, *pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.* Plura sanè non dixit in suis Canticis Salomon,dum Sponsã laudat à pulchritudine c.4.6.& 7.& Sponsum c.5.Neque dum profani aliquorum in suis siue historiis,siue fabulosis commentis pulchritudinem laudant longa, ac luxuriante descriptione,id assecuti sunt, quod breui,ac simplici narratione complexus est de Absalome noster historicus.Multi sunt in hoc genere profani, præsertim Poëtæ, sed nihil ad pauca verba, quibus Absalomis pulchritudo describitur. 30. *Absalomis mira species.*

Sed cur, dicet aliquis, hoc loco de Absalomis pulchritudine mentio? Sanè non abs re.Primùm, quia hinc elucet Dauidis virtus,& æquitatis amor atque iustitia, qui tamdiu videre noluerit filium, cui tantus esset à natura decor, quem etiam cum magna voluptate,ac studio spectabant alieni. Deinde,quia paulò pòst scribitur,quomodò multi se ad Absalomem adiunxerint,illique contra parentem optimum suam operam non grauatè præstiterint;Regemque, viuente patre, incredibili conspiratione conclamauerint. Ad quod plurimum sine dubio forma contulit,quam stulta hominum multitudo admirari solet, & illum imperio iudicare dignum, cuius formæ plus videtur indulsisse natura. 31. *Pulchritudinis vis magna,ad concitandos animos.*

Sanè forma prima hominis commendatio est, quam in Principe amant populares;quæ fecit, vt Saulem præponi sibi voluerit Israel. Et vt tradit Strabo l.15.Regem illum ex omnibus eligunt Æthiopes, 32.

In eligendo Rege spectãda forma solita.

thiopes,quem vident esse pulcherrimum. Imò id antiquissimis temporibus spectari solitum docuit Lucretius l.5.

Condere coperunt tum vrbes,arcemque locare,
Præsidium Reges ipsi sibi,profugiumque,
Et pecudes,& agros diuisere,atque dedere
Pro facie cuiusque,& viribus,ingeniisque:
Nam facies multùm valuit.

Optimè ergo hîc Absalomis grata, atque hilaris forma describitur, vt magis verisimilis videatur populi cum Absalome contra Dauidem Regem coniuratio. Aut certè, quia tota Absalomis historia proponenda fuit; non videbatur hæc pars de illius pulcritudine prætermittenda; neque alibi fortassè locus opportunus magis.

33. *Absalomis capilli quales.*

Vers. 26. *Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tõdebatur,quia grauabat eum cæsaries.)*] De tota corporis conformatione, ac venustate satis suprà oratione breui dictum est: nũc seorsim agit de cæsarie,quia quodammodò aliquid est alienum ab homine, certè quod ad illum pertinet minùs,cùm aliquid sit excretum, & quasi fastiditum à natura. Sed quia hæc, quæ minùs seruiunt naturæ sustentandæ, plurimùm interdum ad eius ornamentum, & pulchritudinem faciunt, de capillis, qui eiusmodi sunt, aliquid obseruat singulare,& quale nihil in historiis etiam fabulosis audimus. Alebat Absalom comam, & quia elegantiæ erat studiosus, admodùm illam inuitus opere tonsorio deponebat;non quia prolixam magis nõ gestaret libenter, sed quia illius pondus, atque molestiam sustinere non poterat. Quare semel illam quotannis præbebat tonsori resecandam.

34.

Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.]Capillos hosce flauos esse, ac rutilos, nemo credo dubitat,quia si nigri essent coloris,non tanto pretio à puellis Solymitanis emerentur,quę capillos amant, qui auri referunt similitudinem, & omni artificio,& magno dolore, ac cura, & cũ valetudinis nonnunquam detrimento rutilant. Erat quidem aliis nationibus in viris parùm virilis,& honesta flaua cæsaries, vt de Romanis dixit Propertius lib.2.eleg.18.

Turpis Romano Belgicus ore color.

Et Horatius in Arte poëtica.

Spectandum nigris oculis,nigroque capillo.

Et idem l.Ode 32.

Et Lycum nigris oculis, nigroque crine decorum.

Quod etiam inter Hebræos arbitror fuisse laudatum, illudque magis commendari, quod magis videretur esse virile. Quare cùm Spõsus commendatur ab illis ornamentis, quæ viros decent, capillus illi niger asciscitur,Cant.5.*Comæ eius sicut elatæ palmarum;nigræ sicut coruus.*

35. *Capillorum cura etiam in viris.*

Sed quia non omnia,quæ virilem animum, & masculam virtutem indicant, ad venustatem faciunt,quæ aliquid sonat delicatum,& molle;hinc fit,vt qui elegantes magis,quàm strenui, ac fortes videri volunt, huiusmodi delicias non horreant, & secum tunc putent actum esse feliciter,cùm capillos nacti sunt flauos,quos etiam muliebrem in modum intorquent, & vibrant, imò & aliquo lenocinio nitentes reddunt; & vt dixit quidam ex profanis:

Electro similes faciunt,auróque capillos.

Sic fecerant sub hæc tempora adolescentes comptuli, quos secum in suis deliciis, & maiestate adducebat Salomon, si quando in agros animi gratia cum Regio instructu progrediebatur. Aureis enim ramentis, & tenuissimo puluere aspergebant capillos, vt aurei viderentur, & solaribus radiis non dissimiles.Sic Iosephus l.8.Ant. cap.7. *Equis optimis*, inquit, *Salomonis insidebant equites, flos iuuentutis procera statura, prolixo capillitio conspicui. Ad hæc ramentis auri capillos quotidie spargebant, vt ad solarium radiorum contactum fulgor è capitibus eorum reflecteretur.* Quod etiam fecisse dicuntur quidam Principes contra nomen,& munus,quod obibant,qui cum militare profiterentur institutũ, muliebrem tamen elegantiam, & delicias captabant. In his fuit Imperator Commodus, vt in illius vita Lampridius;& Lucius Verus, vt in Ælio Vero Spartianus,& Gallienus, vt in eius vita tradit Tribellius Pollio.Quod in vsu fuisse olim his, qui pulchri videri vellent, docuit Anacreon Ode 27.vbi ex eo,quod erat vsu frequens, iubet pictori,vt Bathillum pulchrum, & mollem adolescentem hoc modo suo penicillo efformet; nempe vt illi cæsariem affingat flauentem in summa, in intima verò parte nigricantem.

36.

Huiusmodi comas habuit Absalom flauas,non ab aliquo artis lenocinio, sed à natura; quæ sic erant splendentes,& aureæ,vt magno impendio emerentur à Solymitanis puellis, vt vterentur pro suis:quod fieri sæpè solitum antiquo æuo legimus, & nostro quotidiè fieri dolemus. Cum ergo singulis annis crines tonderet Absalom,aderant confestim,qui formosi capitis exuuias emerent, penderentque libenter ducentos siclos, ex moneta proba,& pondere legitimo,ac publico; siue pondus esset Sanctuarij,cui nullum poterat inesse vitium;siue pondus Regium, aut publicum, quod rerum momenta explorabat exactiùs. Aut certè hoc dicendi modo significatur cæsariem illam publicè venalem prostare,& ad publicum pondus adduci solitam, velut merces communes, quæ mercatores expectant,& illum sequũtur, qui plus attulerit pretij.Non est autem verisimile, Absalomem Regium puerum illum instituisse quæstum, & suos capillos prostituisse venales;sicut alij ouinum solent,seu caprinum vellus: nisi fortè id spectauit, vt suam aliis pulchritudinem ambitiosiùs venditaret, cùm resectos crines tãti fieri doceret, vt impenso pretio emerentur ab aliis. Quo modo emuntur gemmæ,& ornamenta alia,quę quærunt & amant ad delicias, & luxum elegantes puellæ. Porrò de hac cæsarie plura dicuntur à Rabbinis, & Interpretibus, quam de coma Berenices commenti sunt siue Poëtæ,siue Astronomi.Hebræi,vt docet Hieronymus in tradit. Hebr. dicunt,singulis mensibus tonderi solitam Absalomis comam. Iosephus octauo quoque mense.Alij tantum inesse ponderis dicunt, quantum ducenti habent sicli;neque hîc de pretio agi putant, sed de pondere.Sed est omninò prodigiosum,& ridiculum,tantum existimare ponderis inesse hominis capillis, anniuersaria tonsione, quantum non haberent duo ouium,aut caprarum vellera.

37.

Vers. 27. *Nati sunt autem Absalom filij tres,& filia vna nomine Thamar.*]Verisimile est; illos filios, qui nati hoc loco dicuntur Absalomi, aut paulò pòst fuisse mortuos; quod putat Theodoretus q. 35.aut adeò debiles,& stolidos fuisse,vt pro mortuis haberi potuerint,tanquam inutiles rebus administrandis, de quibus nihil sperari poterat homine dignum. Ideò enim Absalom sub hoc tempus filiorum loco tumulum excitauit,quia vt ipse dixit,*filium non habebat*,infrà c.18.v.18.*Filiam autẽ appellauit Thamar.*An verò nomen illud datum illi fuerit ab initio,vel certè posteà, cùm prodi cæpit egregia forma, ita vt non tam nomen illius fuerit,quàm cognomentum à formæ venustate, incertum

certum est. Hoc posterius mihi videtur non difficile; quia in sacris literis fuisse puto id vsitatum, sicut etiam in historia profana, vt fœminæ ab egregia specie cognomentum assumant. Sic *Ester* cognomẽtum sumpsit à pulchritudine; atque ideò c.2. appellata dicitur *Edessa*; nempè à populo, qui illius admirabatur speciem. הדסה : *hadasah* enim idem valet, quod *myrtus*, quæ planta speciosissima quasi diceretur *myrtea*, quod cognomentum Veneri datum est à poëtis. Susanna Dan.c.13. speciosissima fuit & ideò, *Susanna* dicta, quę vox Hebraicè *lilium* sonat: & ideò in nostris Commentariis in Danielem, *Susannam* non nomen, sed cognomẽ illius honestissimæ fœminæ putabamus. Sic etiam arbitror *Thamar* aliud habuisse nomen, & propter eximiam pulchritudinem appellatam esse *palmam*; id enim Hebraicè valet *Thamar*. Quod etiam fortasse cognomentum fuit illius Thamar, quam violauit, & incæsto concubitu constuprauit Amnon. Certum est autem, hanc Thamar aliud habuisse nomen, vt constat ex Par. l.1. c.13. v.20. nempè quod impositum est ab Absalome, illud videlicet, quod habuit Maacha filia Regis Gessur Absalomis mater, quam vxorem duxit Roboam Salomonis filius, ex qua suscepit Abiam, ex quo Regia soboles propagata est: *Amauit autem Roboã Maacha filiam Absalom super omnes vxores eius, & concubinas.* Proximè autem dictum fuerat Abiam ex illa fuisse susceptum.

Thamar nõ nomen, sed cognomen duarum fœminarum.

Vers.28. *Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciẽ Regis non vidit.*] Quę supersunt, eiusmodi sunt, vt Interpretis luce nõ indigeant: tantũ enim significatur, quomodò duobus annis fuerit Absalõ in Ierusalem, neq; tamen ad Regium conspectũ vllum habuerit accessum. Quẽ per Ioab à patre cõsecutus est, non tamen priùs, quã reluctãtẽ primùm, & deinde, combustis messibus ad se ægrè admodùm ascitum permouit, vt per quem in patriam fuerat ab exilio reuocatus, per eundem in gratiam patris, & consuetudinem veniret. 39.

IN CAP. XV. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

COMPARAT Absalom currus, & equites, & omnem instructum militarem, & contra patrem hostile aliquid occultè molitur. Vt autem voti, seu consilij sui compos euadat, populum qui frequens veniebat in Ierusalem, blanditiis captat, atque promissis, & parentem suum quasi ignauum, & Regij muneris oblitum in inuidiam trahit. Annus agebatur quadragesimus, ex quo primùm Dauid Rex fuerat à Samuele designatus, cùm Absalom religionis, ac voti simulatione à parente impetrat, sibi vt liceat in Hebron secedere. Annuit Dauid, quid eo secessu meditaretur, ignarus. Ex eo loco accersit in Hebron per legatos ex Israele toto illos, quos variis antè captarat illecebris, & plures alios, quibus & aliorum oratio, & nouitatis studium in noui Regis desiderium perpulerant. Inter hos etiam fuit Achitophel Gilonites, vir inter alios omnes facilè consilio princeps. Denique in singulos dies fiebat noua, & frequens coniuratorum accessio. Quod cùm renunciatum esset Dauidi, statim censuit excedendum ex vrbe, quod fecerunt cum ipso è ciuibus complures, relictis ad custodiam domus decem concubinis. Egressus est autem pedes Dauid, quem etiam alij pedites sequebantur, & in his Ethai Gethæus, quem cùm eo labore leuare cuperet Dauid, ipse tamen abesse noluit, sed eadem cum Rege subire discrimina: erat autem spectaculum planè miserabile, videre virorum fortium non tam pugnantium, quàm lugentium exercitum. Jussit autem Dauid Sacerdotibus qui secum Arcam, quasi viæ tutelarem, & comitem ad ipsum attulerant, vt in suum referrent locum, ibique quid rerum fieret, obseruarent attentè, & ad se quamprimùm referendum curarent. Adfuit inter alios Chusai Arachites, vir prudens, cuius fidele, opportunumque consilium sapè fuerat expertus, quem iussit in vrbem redire, & se in Absalomis amicitiam offerre, vt Achitophelis, quem esse in eadem cum Absalome coniuratione nouerat, consilia dissolueret: & docet quomodo & rerum status, & belli consilia ad se perferri possint.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

1. IGitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum.

2. Et manè consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israel ego sum seruus tuus:

3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni & iusti. Sed non est qui te audiat constitutus à rege; dicebatque Absalom:

4. Qui

4. Quis me constituat iudicem super terram vt ad me veniant omnes qui habent negotium,& iustè iudicem?

5. Sed & cùm accederet ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum.

6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium,vt audiretur à rege, & solicitabat corda virorum Israel.

7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino in Hebron.

8. Vouens enim vouit seruus tuus,cùm esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino.

9. Dixítque ei rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit,& abiit in Hebron.

10. Misit autem Absalom exploratores in vniuersis tribus Israel, dicens: Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnauit Absalom in Hebron.

11. Porrò cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde,& causam penitus ignorantes.

12. Accersiuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cúmque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populúsque concurrens augebatur cum Absalõ.

13. Venit igitur nuncius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom.

14. Et ait Dauid seruis suis,qui erant cũ eo in Ierusalem: Surgite: fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos,& impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.

15. Dixerúntque serui regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur serui tui.

16. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.

17. Egressúsque rex & omnis Israel pedibus suis,sterit procul à domo:

18. Et vniuersi serui eius ambulabãt iuxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi,pugnatores validi, sexcenti viri,qui secuti eum fuerant de Geth pedites præcedebant regem.

19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum rege,quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo.

20. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscũ egredi? ego autem vadam quò iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem,quia ostendisti gratiam & fidem.

21. Et respondit Ethai regi, dicens: Viuit Dominus, & viuit dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex,siue in morte, siue in vita,ibi erit seruus tuus.

22. Et ait Dauid Ethai: Veni, & transi. Et transiuit Ethai Gethæus, & omnes viri qui cum eo erant, & reliqua multitudo.

23. Omnésque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat: rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, & cũctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.

24. Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & deposuerunt arcam Dei:& ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate.

25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam,& tabernaculum suum.

26. Si autem dixerit mihi: Non places: præstò sum,faciat quod bonum est corã se.

27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Ionathas filius Abiathar,duo filij vestri sint vobiscum.

28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi.

29. Reportauerunt ergo Sadoc & Abiathar arcam Dei in Ierusalem: & manserunt ibi.

30. Porrò Dauid ascendebat cliuum Oliuarum,scandens & flens,nudis pedibus incedens,& operto capite:sed omnis populus,qui erat cum eo,operto capite ascendebat plorans.

31. Nunciatum est autem Dauid, quòd & Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixítque Dauid: Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel.

32. Cúmque ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum,ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.

33. Et dixit ei Dauid: Si veneris mecum, eris mihi oneri.

34. Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: Seruus tuus sum,rex: sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus,dissipabis consilium Achitophel.

35. Habes autem tecum Sadoc & Abiathar sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Sadoc & Abiathar ſacerdotibus.

36. Sunt autem cum eis duo filij eorum, Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar: & mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.

37. Veniente ergo Chuſai amico Dauid in ciuitatem, Abſalom quoque ingreſſus eſt Ieruſalem.

IN CAPVT XV. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Verſ. 1. *Igitur poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent ei.*]

1. SANE verum eſt, quod de ſerpente dixit Seneca epiſt. 42. qui venenum nunquam deponit, etiam cùm torpet frigore, & in cauernis abditus nemini noxius eſt; neque enim tunc venenum euomuit, aut animus nocendi defuit, ad quod malus illum genius inſtimulabat; defuit tamen facultas, quam tunc tandem oſtendit, cùm affulgente vere prodire licuit è latibulis, & innatum à natura virus effundere. *Multorum*, inquit, *quia imbecillia ſunt, latent vitia, non minùs auſura, cùm illis vires ſuæ placuerint, quàm illa, quæ iam feliciter aperuit, inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tutò ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore: non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria peſſimis audeat, fortunæ fauore deficitur. Eadē velle eos* 2. *cognoſces, ea poſſe quantùm poſſunt.* Continuit Abſalō diu venenum, quod malus illi genius, & natura deliciis fracta mollioribus indiderat, quia exul, & inops, & multis odioſus, maximè parenti, qui multorum, & omnium penè ad ſe voluntates allexerat, nihil adire poterat, quod ſucceſſum haberet, nihil quod futurum putaret impunitum. At vbi ex exilio rediit in patriam, & Dauidis faciem tutus aſpexit, & quaſi ſerpens è latibulo renouatus egreſſus cœpit ſenſim venenum euomere, quod celaret diu; & iam depoſita ſenecta nitidus omnibus minatur omnia, & contra parentem ipſum, & Regem, quem tam benignum, & mitem fuerat expertus, conſilium init ipſis etiam barbaris & feris inauditum, & prorſus execrandum. Cuius imaginem in Pyrrho lib. 2. Æneid. expreſſit Maro.

Veſtibulum ante ipſum, primóque in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruſcus ahena.
Qualis vbi in lucem coluber mala gramina paſtus
Frigida ſub terra, tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis nouus exuuiis, nitidúſque iuuenta
Lubrica conuoluit ſublato pectore terga,
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

3. Hæc eſt viua Abſalomis effigies, qui priùs in hyeme; id eſt, in aduerſa fortuna delituerat: at vbi cœlum intepuit, & aura afflauit mitior, atque clementior, depoſuit ſenectam; id eſt, habitum ſordidum, qualis exulem, damnatúmque capitis reum decebat; & ſplendorem quæſiuit, qualem Regij sāguinis præclara conditio deſiderabat. Quare currus inſtruxit, quibus tota vrbe concurſaret, & extra illam aut Regiam, aut Regiæ proximam maieſtatem oſtenderet. Elegit equites, qui illi adeſsēt & operam præſtarent familiarem, & aſſiduam, tum ad ſecuritatem, ſi quis contra ipſum motus excitaretur; tum vt aliis Regij ſanguinis ſplendorem obiiceret. Denique non iam quaſi priuatus, ſed quaſi ſupra reliquos aliquid haberet dignitatis, & iuris, Regium voluit habere ſatellitium. Quare ſpeciem quandam præſetulit Imperatoris, & Ducis, cùm cohortem ſecum habere voluit, qui illius præcederent ingreſſum, & viam munirent, atque expedirent, & omnium explorarent, & arcerent inſidias. Et vt ſcabrum, atque horridum ſerpentem alium iudicamus, cùm torpet, atque ſqualleт in hyeme; atque cùm ſub vernum tempus ſplendeſcit, & nitet: ſic alius apparebat Abſalom, noua iam affulgente, & arridente fortuna, quàm cùm odioſus patri, ac bonis, vitam agebat extorrem, & inuiſam. Incedebat enim ſplendens, & hilaris inter illuſtres, & elegantes equites, ſicut ſerpens poſt hyemale frigus inter virentes herbas, & vernales delicias ſe conuoluit, & reptat. Quod etiam, ne ab eadem ſimilitudine recedamus, cecinit Papinius lib. 4. Thebaid. vbi ſic de Tydeo:

—Ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad ſpiramina ſolis,
Erigitur liber ſenio, & ſqualentibus annis
Exutus, lætíſque minax interuiret herbis.

Hanc porrò maieſtatem ſibi quæſiuit Abſalom, vt aliis videretur neque pauper, neque ignobilis, neque indignus regno, quod captabat. Eodem conſilio Adonias frater, cùm idem regnum paternum ambiret, vt habemus lib. 3. cap. 1. v. 5. qui cùm regnum ſibi iam præſumpſiſſet animo, idem quod Abſalom, vt populum ſibi conciliaret, conſilium inuenit. Dixit enim: *Ego regnabo, fecítque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* Quod licèt ſignum non eſſet occupati, aut affectati regni; via tamen ad regnum eo artificio aliquo modo muniebatur.

Verſ. 2. *Et manè conſurgens Abſalom ſtabat iuxta introitum portæ*, &c.] Oſtenditur iam artificium, quo in apertam erumpens audaciam Abſalom, conciliare ſibi populum, & à parente abalienare moliebatur. Multo enim mane, vt videretur ad cōmunes cauſas, & publicum ciuitatis commodum inuigilare, egrediebatur ad ciuitatis portas, vbi frequentes erant populorum conuentus, & publicæ diſceptabantur cauſæ. Ibi quaſi opportunum elegit locum ad inſidias inſtruendas, & patri, & populo, qui promiſſis, & ſimulatis officiis magis, quàm oporteret, ſolet eſſe credulus. Qui priùs, vbi quemlibet, qui cauſam haberet ad Regem, ſiue ad magiſtratum, & miniſterium forenſe, amicè ſalutaſſet, laudabat cauſam à iuſtitia; nihil tamen æquum ſperandum dicebat; cùm nemo eſſet, qui rationes curaret publicas, aut ſupplices audiret, & iudicia eſſent omninò corrupta; cùm non iam religio, & æquitas, ſed largitio, & priuata commoditas dominaretur in foro. Quare concludebat, nō priùs in ſuam ſibi ſedem iuſtitiam redituram, quàm ipſe populi moderaretur habenas, & legū eſſet, & æquitatis vindex. Addebat ad hæc & arctū 4.

ample

Serpenti animus nocendi non abeſt, ſed facultas.

Abſalō aliquam regiā ſpeciem oſtendit.

amplexum,& oſculum plus ſatis molliter impreſſum. Sic autem populum ad rerum nouarum ſtudium inſtigabat.

5. Verſ. 7. *Poſt quadraginta autem annos dixit Abſalom ad Regem Dauid: Vadam,& reddam vota mea.*] Cùm iam per aliquot dies hominum animos, & ſtudium exploraſſet, ſperarétque tempus cogitationibus ſuis immaturum non eſſe, rem aggreditur religionis ſpeciem conſilio ſcelerato prætendens. Votum ſimulat emiſſum,quo tempore apud auum longum traxit exilium,nempè oblatas Deo victimas in Hebron, ſi quando in patris gratiam, & aſpectum redire contingeret. Facilè autem fuit hominem religioſum,& pium, religionis, ac pietatis ſpecie decipere. Quare obtinuit quod volebat, & Hebronem profectus conuentus agit, & coniurationem in parentem adornat.

6. Hoc verò factum eſſe dicitur *poſt quadraginta annos*: ſed eſt valdè obſcurum, vndénam horum annorum ducendum ſit principium. Quidam legendum eſſe putant non *quadraginta*, ſed *quatuor*; quæ lectio videtur ſuperioribus ſæculis fuiſſe non infrequens,vt dicunt hìc Caietanus, & Abulẽſis; quod tenent codices Gothici, & quos habuere Lyra, Petrus Comeſtor, Dionyſius,& Hugo. Sed iam eò communiter feruntur omnes, vt *quadraginta* cum Vulgatis codicibus legant, quos nunc habemus à Sixto correctos. Neque Hebræi aliter explicari poſſunt,cùm habeant ארבעים *arbaim*, quod ſine dubio non *quatuor*, ſed *quadraginta* valet. Sanè ſi *quatuor* haberemus, non eſſet obſcurum coniectare, quódnam eſſet huius numeri exordium, nempè à reſtituto in vrbem Abſalome, aut ex quo ad Regiam conſuetudinem, & faciem admiſſus eſt. Sed quia hæc lectio iam eſt ab approbatis codicibus reiecta, & ab omnibus penè Interpretibus exploſa, *quadraginta annorum* initium exploremus neceſſe eſt.

7. Quidam ab eo tempore ſumunt exordium, quo Sacerdotes occiſi ſunt à Saule; in quo facto aliquid à Dauide peccatum fuit, cùm ſacerdotem, vno, & altero mendacio deceperit. Quare cùm hæc Abſalomis coniuratio Dauidis peccata caſtiget,& expiet, cùm ibi aliquod peccatum Dauidis intercedat, optimè videtur ex eo loco *quadraginta annorum* ſumi poſſe principium. Quaſi dicas, *quadraginta annos* illius peccati vindictam fuiſſe dilatam. Ita Hebræi, vt in eorum Traditionibus refert Hieronymus,& Interpretum plerique, Auctor hiſtoriæ Scholaſticæ,Angelomus, Lyra,Dionyſius, Hugo, & Gloſſa. Quæ opinio licèt propter patronorum auctoritatem, & numerum explodenda non ſit; tamen eo laborat incommodo, quia hæc Dauidis vexatio ab Abſalome filio adulterij, & cædis Vriæ ſupplicium fuit, non Sacerdotum exitij,cuius in Dauide aut nulla, aut nõ niſi leuiſſima culpa fuit. Quòd verò pœnas nunc luat Dauid propter adulterium,& adiunctam cædem,conſtat ex c.12. v.11. vbi hoc ſupplicium inflictum iri dicitur propter Vriæ irrogatam iniuriam. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis*, &c. Scio contra hæc adduci aliqua à Dionyſio,& Lyra,quæ tamen eiuſmodi non ſunt, vt huius obiectionis vim admodùm infirment.Plures alias explicationes adducit Caietanus;qui tamen in illarum nulla prorsùs acquieſcit; atque ideò diſputationem illam hoc modo concludit:*Eligе, prudens lector,inter ambigua,quod magis videbitur.*

8. Mihi id placet, quod ex Hebræis tenent Rab. Salomon, & Rab. Dauid, qui aliquando ſapiunt, cùm non rarò deſipiant, quos ſequitur Abulenſis q.13. Emanuel Sa,& Ioannes Mariana; licèt in aliquo illi inter ſe diſſentiant;quod tamẽ aut nihil omninò,aut parùm refert. Quidã enim hunc annorum numerum ordiuntur ab vnctione Dauidis in Regem per Samuelem; alij ab eo tempore, quo mutata eſt in Iſraele adminiſtrationis forma, & pro Iudicibus, qui præfuere priùs,ſuffecti ſunt Reges;quod eodem penè tempore contigit. Quod facilè probat temporum ratio,ſi ſtatuamus, quod ſuprà c.13.lib.1.latè probatum eſt,Saulẽ duos tantùm annos regnaſſe.Quo ita conſtituto,facile erit hunc annorum numerum, & illorum exordium deprehendere.

9. Et primùm obſeruo, vſitatum eſſe tam apud ſacros,quàm apud profanos,ab aliqua re maximè nota rationem,ac ſeriem temporum metiri; quale fuit Diluuium, quod ſub Noë vniuerſum mundum inundauit; Troianum bellum; vrbs Romana condita, & ſimilia. Cùm autem Reipublicæ mutatio,ſi magna fuerit,ab omnibus notari ſoleat,fit vt ab ea numerentur anni. Quod probat Auguſti Imperium, quod nouam adminiſtrationis formã induxit, à quo Æra Cæſaris appellata fuit, à qua apud Hiſpanos per multa ſæcula ratio temporum digeſta eſt. Cùm autem Arabes Hiſpaniam ingreſſi,nouam formam, & ſtatum in illam prouinciam inuexerunt; ab illorum ingreſſu numerati ſunt anni,& Arabum nomine notati,qui Arabum dicuntur anni, quorum in antiquis monumentis apud Hiſpanos frequens memoria: de quibus noſter Mariana in opuſculis ſatis diligenter, & latè. Sanè quia Græci Syriam occuparunt, ab illorum imperio numerantur anni,tum alibi,tum in libris Machabæorum; vbi hiſtoria annos intuetur Græcorum,ſeu Seleucidarum, qui iidem ſunt, vt nos pluribus in noſtris Commentariis in Danielem ad cap.8.n.65. Quanta verò facta mutatio fuerit, ſublatis Iudicibus, & Regio nomine in Rẽpublicam Iſraelis inducto,ſatis indicauit Samuel lib.1. cap.8. vbi legem ſcripſit regni, & quàm durum futurum eſſet pondus, quod è Regio dominatu ſubiturus eſſet populus, prædixit.

10. Quòd ſi ab hac mutatione ad hoc vſque tempus *quadraginta* deprehendantur *anni*, res nobis erit abſque dubio ſatis expedita. Aſſumo duos annos ex regno Saulis,totidem ex regno Dauidis antequam Abſalom naſceretur in Hebron, aut potiùs tres, quia tertius natus eſſe traditur lib.2. cap.3. Adde nunc annos Abſalomis,qui ſupra triginta eſſe videntur, cùm duos filios ſuſcepiſſe dicatur ante hoc tempus,c.14.v.27.& cùm regnum ambiret,& ad ſe plurimos ſua auctoritate pellexerit,credibile eſt,ætate fuiſſe regno adminiſtrando matura.Ex his ſumma conficitur *annorum quadraginta*. Adde, quòd ex vſu Scripturæ imperfectorum numerorum, ſiue perfectos excedant, ſiue à perfectis deficiant, dummodò multi non ſint,haberi ratio non ſolet. Quare etiamſi anni fuerint triginta octo,vocari poſſunt *quadraginta*,quia parum ab illo perfecto numero deficiunt.Id verò vſitatum eſſe in Scriptura, docet Auguſtinus lib.15. de ciuitate cap. 24. vbi Noë quingentorum annorum fuiſſe dicitur, cùm tamen annos tunc haberet non plures quadringentis octoginta. *Intelligendum eſt*, inquit, *hoc Deum dixiſſe, cùm circa finem quingentorum annorum eſſet Noe; id eſt, quadringentos octuaginta annos ageret. Quos more ſuo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque ſignificans.* Idem docuit Eucherius lib.1. Commen-

tar. in Geneſ. cap. 37. Ex his ſoluitur id, quod in hanc noſtram cogitationem obiicitur, tres annos exiguum ſpatium videri, vt Dauid tot feciſſe videatur, quot feciſſe legitur, poſtquàm occiſo filio in regnum reſtitutus eſt. Primùm, quia triennale ſpatium exiguum non eſt, vt multò etiam plura peragi non potuerint. Deinde quia iuxta regulam proximè adductam, fortaſsè poſt hoc tempus plus annis quinque vitam produxit.

11. Sed dices adhuc, ſub extrema vitæ tempora Dauidem ſeptuagenarium ſic fuiſſe à ſenectute debilem, vt cùm operiretur veſtibus, non potuerit calefieri: aſt hoc tempore egreſſus fuit pedes, & illa ſubiit, quæ nullus niſi robuſto corpore aut poſſet, aut auderet: imò & arma ſumpſit contra Palæſtinos, vbi vitæ periculum adiit, quod non effugiſſet, niſi maturè ſubueniſſet Abiſai, c. 21. v. 16. His ego reſpondeo, quinquennali, aut etiam triennali ſpatio magnam fieri mutationem in ætate iam deflexa, vt quotidiè in nobis ipſis experimur: neque, vt ſuo dicemus loco, ſpatium illud longum fuit, quod pedibus confecit Dauid. Quod autem c. 21. pugnando defecerit, argumento eſt, in ſenili corpore exhauſtas eſſe vires. Quare hæc ſententia nihil habet, quod vehementer vrgeat in oppoſitum.

12. Quòd ſi hanc annorum ſummam à prima Dauidis vnctione deducas, non videtur habere aliquid admodùm diſtortum: cùm enim Rex hic magno apud omnes in honore fuerit, dies ille, quo à Samuele ſolenni, atque legitima ceremonia deſignatus eſt, obſeruatus fuit, vt apparet. Sanè in natali Seruatoris noſtri die, ab vnctione Dauidis in Regem tanquam à re maximè nota, ac celebri, anni numerantur, qui ad Chriſtum natum interceſſere. Vbi cùm alia tempora, & ſæculorum illuſtriſſima ſigna præceſſiſſent in Kalendario, vt mundi Creatio, vniuerſale Diluuium, Abrahæ natiuitas, egreſſus Iſraelis de Ægypto; tandem dicitur *ab vnctione Dauid in Regem anno milleſimo trigeſimo ſecundo* natum eſſe Chriſtum.

Dies, in qua primùm vnctus eſt Dauid, notata ab Hebræis.

13. Verſ. 10. *Miſit autem Abſalom exploratores in vniuerſas tribus Iſrael, dicens: Statim vt audieritis clãgorem buccinæ.*] Antequam exploratores hoſce in varias regni partes dimiſiſſet Abſalom, iam rem totam callidis conſiliis, & fallaci blandimento, eò deduxerat, vt animos haberet obſequentes, & ad quidlibet audendũ temerariè proiectos. Quod ſanè mirãdum eſt, neque fortaſsè in omni memoria exemplum ſimile, quod valdè Chryſoſtomus exagitat, & amplificat tom. 1. homil. de Abſalome patrem perſequẽte. Quòd ſi cauſam inquiras, non facilè inuenies. Chryſoſtomus duas oſtendit, alteram in Abſalome ad audendum illud immane facinus, alteram in populis ſcelerato filio contra optimum patrem, & Regem optimè de re communi meritum, tam facilè obſequentibus. In filio quidem, quia in illum pater indulgentior fuit, quã fraternæ cædis grauitas poſtulabat; in animis enim parùm ingenuis peccatorum impunitas parit audaciam, & fauor plerúmque indebitus arrogantiam. Quare nulla in re pater magis filium offendit, & lædit, quàm cum illius mores improbos impunitos abire ſinit. Sic autem ibi Chryſoſtomus: *Offendit Dauid filium, quia fratris in illum noluit vlciſci parricidium. Semper enim ſcelera, dum non reſecantur, increſcunt, & in argumentum facinorum prohibetur, quoties ſecura impunitate peccatur. Dum enim in Abſalom fratris occiſi facinus non vindicatur, in parricidium patris reciduum facinus iteratur.* Hoc eſt cum filio ludere, & illum lactare, quem poſteà pater ſuæ ſenectutis vexatorem patitur. De quo Eccleſ. cap. 30. v. 9. *Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te.*

Populus cur tanto ſtudio adhæſit Abſalomi.

Aliam in populo cauſam deprehendit Chryſoſtomus, nempè amentiam, quam facilè patitur ſtulta multitudo, quæ non tam ratione ducitur, quàm aut ſua, aut aliena libidine. Illi autem mẽtem excuſſit Abſalom, tum regia nobilitate, quam ſolus ex omnibus Dauidis filiis habuit à genere materno; tum à ſingulari pulchritudine, quæ blãda eſt animorum conciliatrix. Deinde promiſſis, quæ nunquam, licèt regnum, ad quod aſpirabat, obtineret, impleturus eſſet. Quod autem futuræ fuerint promiſſiones illæ prorsùs inanes, quicumque foret rerum euentus, docet ille loquendi modus, quo popularium animi ab Abſalome ſollicitati dicuntur. Vbi enim v. 6. legimus: *Et ſollicitabat corda virorum*; Hebraicè eſt, ויגנב *Vaieganab*: id eſt, *furabatur*, id eſt, eripiebat fruſtra; quod enim ſine pretio, callidè, & latenter ſumimus, id *furari* dicimur, quantumuis alius illud, quod furtum eſſe ignorat, præſens intueatur. Hoc itaque modo cor furatus Abſalom; id eſt, excordem reddidit, & amentem populum, qui cæcus ferebatur ad mortem, neque futuros rerum euentus conſiderabat. Audi Chryſoſtomum ſuprà: *Vnius patricidæ furor tot millia inſanire compellit. Vnius dementia dementes efficit multos.* Alia ſeſe mihi cauſa huius tantæ, tamque infidæ mutationis offert. Quia florentem ætate, & forma Abſalomem viderat populus, qui ſemper nouitatis ſtudioſus eſt, & vetera faſtidit, & odit: & cùm illum regnaturũ ſperaret, cùm eſſet natu tertius, & vno tantùm gradu fratrum maximo minor, maluit Abſalomi placere, qui diu regnaturus videbatur, quàm Dauidi; qui cùm ad ætatem iam grauem, & penè extremam progreſſus eſſet, non videbatur diu regnum habiturus. Accidit autem populo id, quod vſque adeò frequens eſt, vt in prouerbium abierit, vt *orientem adoraret ſolem, occidentem contemneret.* Vide prouerbium: *Plures adorant ſolem orientem, quam occidentem.*

14.

Dicite: Regnauit Abſalom in Hebron.] Hoc Abſalomi iam antè conuenerat cum illis, quibus cor, vt diximus, & mentem fallacibus promiſſis, & quaſi meretriciis illecebris ademerat, vt cum primùm clangorem acciperent tubarum, conclamarent omnes, & dicerent; Abſalomem in Hebrone Regem eſſe creatum. Qualis autem futura eſſet acclamatio populi, coniectare licet ex cap. 10. v. 25. vbi cùm Saul Rex eſſet à Samuele creatus, clamauit populus: *Viuat Rex.* Et lib. 3. Reg. cap. 1. v. 25. cùm eadem, quæ nunc Abſalom, tentaſſet Adonias, clamauit populus ab illo eam ob rem ad victimas, & conuiuium vocatus, *Viuat Rex Adonias.* Et v. 39. deſignato Salomone Rege: *Viuat Rex Salomon.* Sic puto clamaſſe populum: *Viuat Rex Abſalom*; imò addidiſſet aliquod conuitium, ſeu imprecationem in Dauidem. Quod fieri aſſolet in ſeditioſa, & tumultuante turba, hunc in modum: *Pereat Rex adulter, & homicida, ſenex delirus, regni faſtidium*, & ſimilia, quæ ſtultæ, & excordatæ multitudini in buccam priùs & linguam, quàm in mentem veniunt.

15.

16.

Verſ. 11. *Porrò cum Abſalom ierunt ducenti viri de Ieruſalem vocati euntes ſimpliciter.*] Quærit hîc Abulenſis q. 16. quare adducere ſecum ducentos

ducentos hosce viros voluerit Absalom, cùm neque complices essent, neque conscij scelerati consilij. Sed fideles serui parentis Dauid, qui simpliciter, & tantæ fraudis insci abducti potiùs à callido, & veteratore hoste, quàm ab amico, atque fideli domino deducti impedire potiùs poterant, quàm promouere scelerata consilia. Respondet Abulensis, voluisse Absalomem detractis his ducentis, viris, qui videbantur strenui, infirmare exercitum parentis, vt cùm primùm irrumperet in vrbem, pater minus haberet virium, quod subitæ irruptioni imparatus opponeret. Fortasse aliud spectauit callidus adolescens, nempè, vt ascitis secum viris, de quorum fide dubitabat nemo, omnem ipse coniurationis, & doli suspicionem adimeret.

17. Vers. 12. *Accersiuit quoque Absalom Achitophel.*] Norat Absalom, quàm esset in deliberando prudens Achitophel, cuius consilio pater in rebus quibusque dubiis vtebatur; quare illum sibi anteà vt apparet, tum promissis largiter, tum etiam oblatis officiis obligarat. Illum igitur ad se domo euocat, ex cuius societate illud præter alia videtur consecutus, vt omnes, qui illius prudentiam, & consilium nouerant, sibi persuaderent, nihil in re tanta susceptum esse temerè: neque vbi tanti viri interfuisset, aut potiùs præfuisset intelligentia, de felici rerum euentu fore desperandum. Sed sanè, in aliis prudens fuerit; hîc tamen illi videtur defuisse prudentia, sanúmque consilium, cùm res tentauit, quas neque recta ratio, neque fides, imò quas neque vtilitas, aut pudor admitteret. Sunt qui hîc putent, illum non publicam causam spectasse, sed priuatas iniurias persequi voluisse. Bethsabee enim, cuius pudori illusit Dauid, neptis erat Achitophel, filia Eliam, vt constat c. 11. v. 4. Eliam autem filius erat Achitophel, c. 23. v. 34. Hæc res non solùm fecit, vt huius conspirationis conscius esset & socius; sed etiam, vt aliqui putant, auctor, & princeps. Vide Abulensem q. 18.

Achitophel cur secutus Absalomẽ.

18. *Cúmque immolaret victimas, facta est coniuratio valida.*] Videtur Absalom multos consumpsisse dies in victimarum immolatione, vt honesta prætexeretur species improbo consilio: nemo enim accusaret populum, quòd interesset victimis, quòd religionem coleret, quòd Regis filio inter sacrificandum benè precaretur. Deinde, vt interim per emissarios suos multitudinem sibi conciliaret. Quod quidem illi accidit ex voto; nam dum rei sacrificali daretur opera, magni ex Israele toto concursus hominum fiebant in Hebron, qui augebant quotidie Absalomis vires.

19. Vers. 13. *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom.*] Ignorabat Dauid, vt apparet, quid rerum fieret in Hebron, & quinam motus essent in Israel, donec nuncius venit, qui audiuit Absalomem conclamatum esse Regem, & magnas vndique in ipsius caput copias armari; idque non simulatè, vt Absalomis votis blandirentur, sed ex toto corde; ex quo prudens Rex etiam inferre posset conuentus illos hominum etiam ab ipsius dignitate, ac commodis animos habere prorsùs alienos.

20. Vers. 14. *Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite fugiamus.*] Mirum est, quòd Rex bellator, neque omninò ab auxilio militari desertus; & in ciuitate adeò à natura munita, vt putaretur à cęcis, & claudis posse defendi; deinde ab ipso Rege egregiè ad repugnandum instructa, & ad illam magnitudinem, & formam erecta, vt appellaretur *ciuitas Dauid*, (sic enim vocari cæpit, quæ priùs dicebatur *arx Sion*) desperarit in illa arce resistere se posse filij conatibus; atque ideò statuerit, quamprimùm esse abeundum ex vrbe, & in desertis locis quærendum esse perfugium. Sed pius Rex, qui nunquam victus fuerat à mortali manu, nunquam se in fugam dedisset, si cum hoste mortali futurum esset certamen. At videbat cum Deo sibi fore pugnandum, cuius vltricem virgam in Absalomis manu considerabat. Audierat enim à Nathan c. 12. v. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*, &c. Quare diuinæ voluntati non putabat esse repugnandum, sed illa arma esse capienda, quæ magis diuinam potentiam, quã humanam obtunderent. Quare pœnitentis hominis potiùs, quàm strenui ducis speciem assumit; de qua suis locis posteà. Fugit itaque Rex pius, & prudens, non tam Absalomis, quàm diuinam iram; cui si restitisset, neque Deum habuisset placatum, & mitem, neque tam facilem, atque illustrem habuisset de tam copioso exercitu victoriam. Quare si rectè rem totam expendas, timor iste non fuit, sed solers prudentissimi ducis stratagema, quo diuinum sibi comparauit auspicium, & vires. Timebat præterea optimus Princeps, & ciuitatis amans ne quid ab hoste infesto, siue obsidente, siue iam sui consilij, ac desiderij compote, ciuitas pateretur atque ideò maluit ipse fugam subire, quàm ciuitatem exponere periculo. Qua de re vide Abulensem q. 20. 21. 22.

Timebat Dauid, non tam filium, quàm Deũ.

Et impellat super nos ruinam.] Hæc locutio figurata est, neque alius est sensus, quàm impellendos esse muros ab ariete, seu ab alia murali machina, ita vt alios opprimat; non impellitur ruina, sed murus, ex cuius impulsu ruina sequitur. Quomodò dicimus *molere farinam*, quia grana moluntur, ex quibus fit farina; & *nudum spoliare*, quia vestitus ita spoliatur, vt relinquatur nudus. Qua de re diximus suprà c. 10. ad illud: *Et præcidit vestes eorum medias.* 21.

Vers. 16. *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis.*] In domo Dauidis non solùm seruos intelligo, turbámque palatinam, & aulicam; sed etiam filios, & vxores, quibus cùm insuetus esset labor ille, nihilominùs pedibus arduã illam, difficilemque viam ingressi sunt. Sed nihil fuit difficile aut seruis, aut domesticis, quantumuis forent educati, atque instituti molliter, cùm Regem haberent præcedentem; cùm tamen ea iã esset ætate, vt non procul abesset à septuagenario. Quæ ratio grauissima est, vt quiuis etiam supra naturam vires assumat, ne deficiat in eo, quod à Rege, & domino susceptum esse videt. Non putabat Vrias licere sibi molliter dormire in lectulo strato genialiter, cùm dux Ioab interea in humo cubaret nuda. Vide quæ nos in eum locum diximus. Sed licèt omnes egressi essent pedibus, credo tamen non longè ab egressu, qui infirmis essent viribus, vectos esse iumentis, quæ aut ipsi inuenerunt, aut certè ab aliis oblata sunt in via. Sanè Siba cap. 16. pro domesticis Regis asinos obtulit. Quantùm Regũ, aut ducum exempla valeãt, vt alij in cursu etiã difficili non langueſcant, docuit Catonis exemplum, de quo Lucanus, cuius verba statim referã. n. 37. quæ sanè sunt notatu nõ indigna. 22.

Principum exemplum ad ferendos labores potentissimũ.

Et dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.] Quemadmodùm multi sunt relicti Hierosolymis, quibuscum Absalomi nihil erat negotij, qui se post Dauidis exitum vltrò Absalomi, cui repugnare non poterant, tradiderunt; sic etiam Dauid ad custodiendam domum decem 23.

decem reliquit concubinas, quia fore non putabat, vt quisquam illis irrogaret iniuriam, quas ipsa naturæ imbecillitas contra barbarorum etiam impetum tuetur. Neque arbitrabatur expedire, vt Regia domus aliorum esset præda; & satis in fœminis existimabat esse præsidij, quas Regia consuetudo nobilitabat; & domus ipsius Regiæ maiestas arcere posse videbatur auaras, & violentas manus. Alioqui quodnam esset in fœminarum imbecillo sexu tantum robur, & audacia, quæ armatis hostibus aut vires frangerent, aut terrorem obiicerent?

24. Vers. 18. *Legiones Cerethi, & Pheleti,*] Quinam hi fuerint, satis à nobis explicatum est suprà cap. 8. v. 18. & lib. 1. c. 30. v. 14. vbi diximus prætorianam esse cohortem, cui Regij corporis tutela credita est.

25. *Et omnes Gethæi pugnatores validi sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth.*] Hi sexcenti viri fuisse à quibusdam existimantur viri Gethæi; id est, nati in Geth vrbe Palæstinorum, qui cum Ethai item Gethæo indè transfugerunt ad Dauidem, & illius religionem amplexi, illi se socios, & fideles ministros præbuerunt; quorum dux, & princeps erat Ethai, quem nonnulli filium esse credunt Regis Achis. Ita fermè Theodoretus quæst. 29. & histor. Sch. Et in his nonnulli addunt cum Dauide fuisse, quo tempore, dum Saulem fugeret, fuit in Geth, & posteà diutiùs in Siceleg; & ipsi fidelem, & constantem operam nauasse, cùm vicinas inuaderet ciuitates, & prædas indè continenter aueheret. Quam cogitationem multis confutat Abulensis quæst. 26. 27. 28. Illum adi; neque enim lubet in re neque dubia, neque admodùm necessaria, longam operam ponere. Illud dico, Ethai non multò antè veniisse Hierosolymam, & relicta patria, imò & auita religione, adhæsisse Dauidi. Id enim probat illud, quod statim additur: *Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi.* Adduxit autem secum eiusdem religionis, atque animi aliquos siue familiares, siue domesticos, qui statim illius appellantur fratres; qui secuti suum siue ducem, siue dominum egressi sunt ex vrbe, & Regem peditem pedites ipsi prosecuti sunt.

26. De sexcentis viris, qui Gethæi vocantur, dicendum est, fuisse propriè Israelitas, qui fuerunt cum Dauide toto tempore, quo à patria, suorúmque consuetudine profugus, incertis errauit sedibus: nã fuisse à principio cum Dauide textus ipse docet, dum ait: *Qui secuti eum fuerant de Geth*; id est, de ciuitate ipsa Regia, in qua regnauit Achis; seu de Siceleg, vbi diu Dauid cum sexcentis illis viris, eorúmque familiis commoratus est. Dicuntur porrò fuisse in Geth, licèt breui tempore in ea ciuitate tanquam hospites, & peregrini cõsederint, quia Siceleg ad illam Satrapiam pertinebat, cuius caput est Geth. Sic Toletanum dicimus illum etiam, qui nunquam Toletum vidit, si tamen in oppido vixit in vrbis Toletanæ ditionem contributo. Neque nouum est, vt aliqui nomen ab eo loco sumpserint, in quo aliquandiu commorati sunt, licèt neque ibi sint orti, neque inde genus, aut familiam deriuent, vt pluribus ostendimus suprà c. 6. vbi rationes adduximus, cur Obed Edom vocaretur *Gethæus*, cùm tamen esset Leuita, longè nimirùm à Gethæorum sanguine.

27. Vers. 19. *Dixit autem Rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? Reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es.*] De hoc Ethai nuper diximus, quod coniectabamus esse verisimile, neque aliud putamus esse necessarium. Tantùm hîc commemorare libet, quod de Dauidis modestia, atque clementia cum admiratione scribit Theodoretus q. 30. *Iure*, inquit, *est admiranda Dauidis lenitas, & mansuetudo, quem cùm persequeretur, & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam, non fratricidam, sed Regem. Et cùm multo egeret auxilio, curam gessit salutis proselyti. Reuertere, inquit, & auerte fratres tuos tecum, & Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem. Sed quantò maiorem eius curam Rex gerebat, tantò ille in eum maiorem ostendebat benevolentiam. Hæc autem scripta sunt ad nostram doctrinam; vt discamus, quòd non oportet in rebus quidem secundis versari cum amicis; sin autem in res aduersas inciderint, eos deserere.* Mira Dauidis mansuetudo.

Vers. 22. *Veni, & transi.*] Constiterat, vt appareret, Rex ad torrentem Cedron, expectans ibi, quos sibi in eo rerum articulo vsui futuros arbitrabatur, quos iubebat torrentem traiicere, & solitudinem versùs iter instituere. Cæteros autem redire iubebat in ciuitatem, ne aut impedimento sibi forent, aut magnum ipsi laborem in ea profectione subirent. Quam ob causam, vt vidimus, redire iubebat Ethai in vrbem, vt vitam haberet non molestam in bello, sed quietam, & securam in otio. Sed cùm ille durum existimaret amicum in eo periculo deserere, & mallet à vita, quàm ab amici latere diuelli, iussit, vt transiret Cedronem; sicut etiam fecerunt alij, quos secum Rex auxiliares, & socios esse voluit. 28.

Vers. 23. *Rex quoque transgrediebatur.*] Hæc verba indicant, postremum omnium Regem traiecisse Cedronem. In quo Lyra clementiam Regis, & in suos beneuolentiam meditatur. Vltimus ingreditur, vt si hostis irruat, in ipsum primùm, imò fortasse solum, impetum faciat. Sciebat enim suũ caput ab Absalome peti, quia ille solus obstabat, quominùs ipse regnum obtineret. Atque ideò expedire iudicabat, vt vnus moreretur homo, ne totus periret populus. Videbat præterea propter se ortam tempestatem, neque fas esse, vt illa infelici naufragio innocentes obrueret; quare in suũ caput tumentes fluctus allidi cupiebat, quos aut frangeret, si Deus ipsius causam benignus aspiceret; aut certè demergeretur, si aliter Deo visum esset. Quare dixisse tunc verisimile est, quod in statu non admodùm diuerso dixit infra cap. 24. v. 17. cum sua causa in populo ingens ab vltore Angelo ederetur clades. *Ego sum, qui peccaui, & ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.* Dixit aliquid simile quidam ex profanis, licèt spiritu longè dissimili. 29. Dauid, vt suos seruet periculo se exponit.

Propter me mota est, propter me desinat ira:
Simque ego sæuitiæ causa, modusque tuæ.

Vers. 24. *Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo portantes arcam fœderis Dei: & deposuerunt arcam Dei.*] Noluerunt Sacerdotes, qui benignum sæpè Regem, & sui ordinis amantẽ experti fuerant, deesse Regi, quo tempore ipsius periclitabatur & regnũ, & vita; sed cùm vniuerso Leuitarũ ordine secuti sunt illũ; quoq; maius illius fortunæ præsidiũ accederet, Arcã secũ adduxere, quæ amicis animũ, & vires, hostibus autẽ terrorem, & desperationẽ iniiceret. Cùm autẽ ventũ esset ad locũ, vbi substitit agmẽ, ad ripã videlicet torrentis deposita est ex Leuitarũ humeris Arca, vt ad illã, qui cũ Rege discessuri essent, cõuolarẽt. Quod fortasse eo cõsilio factũ est à Sacerdotibus, vt Arcæ religio, atq; maiestas multos euocaret ex vrbe, qui fortasse in illa manere maluissẽt, quã dubiã belli fortunã experiri. Quòd autẽ in graui aliquo casũ deduci potuerit Arca Dei in castra, sicut olim antequàm 30.

quã haberet domiciliũ ſtabile,ſæpè vidimus in his libris Regum.lib.1.c.4. adducta eſt de Silo contra Philiſtæos. Et cap. 14. iterùm tempore Saul; & paulò ante hoc tempus, cùm bellum illatum fuit Ammonitis ſuprà cap.11.Cùm autem bellum hoc eſſet grauiſſimum,& cauſa Regis videretur in anguſtum adducta,viſum eſt Sacerdotibus, quorum illud erat de re tanta iudicium, Arcam proferre, quæ & Regiæ cauſæ æquitatem oſtenderet,& bellatorum confirmaret animos.

31. *Et aſcendit Abiathar,donec expletus eſſet omnis populus,qui egreſſus fuerat de ciuitate.*] Locus hic ad duas ſententias trahi non incommodè poteſt. Altera eſt,vt cùm Sadoc, & Abiathar Arcam adduxerint,ſtatuerintque prope torrentem Cedron, in loco,vt eſt veriſimile,ſublimi,reuerſus fuerit Abiathar in vrbem,vt eos,qui reliqui fuerant, ſi qui viderentur vtilem aliquam operam nauaturi Regi,ex vrbe ſua auctoritate extruderet. Atque ideò dicitur *aſcendiſſe*,& conſequenter *ſtetiſſe*, quandiu egreſſi ſunt: tunc enim ipſe quoque egreſſus eſt, quia quid ampliùs ageret ibi,nil habebat. Et hoc mihi placebat maximè; neque hinc longè abit Abulenſis, qui ait,aſcendiſſe Abiathar in excelſum aliquem locum, vt inde ſpectaret, quinam tranſmitterent torrentem;& ibi conſtitiſſe, donec nullus manſit citra torrentis alueum. Alij dicunt aſcendiſſe Abiathar ad locum, vbi locata Arca fuerat,vt ibi Deum pro Dauide conſuleret; quod feçit, donec ad vlteriorem torrentis ripam euaſerunt omnes.Et addunt nihil Deum ad interrogata reſpondiſſe;& eam ob cauſam addunt, Arcam in ſuam ſedem à Dauide iuſſam eſſe reduci. Ita putant Interpretum plerique; quod fortaſsè verum; ſed multa ſupplet, & fingit iſta ſententia. Ita tenent Abulenſis,Caietanus,Dionyſius,Angelomus,& Lyra.

32. Verſ. 25. *Et dixit Rex ad Sadoc, reporta arcam Dei in vrbem.*] Non puto Dei Arcam, iubente,aut conſcio Rege, eductam è tabernaculo, ſed id factum potiùs,ipſo neſciente,ſacerdotum conſilio, qui eo modo conſultum etiam eſſe voluerunt Regiæ ſaluti. Quod non admiſit Dauid, ne quid tale pateretur Arca, quale olim à Philiſtæis; aut quia non putabat decere maieſtatem tantam per ſolitudinem circumferri, ſicut anteà, cùm nondum in terra promiſſionis conſediſſet; neque videri eſſe ex dignitate diuini ſubſellij, ſi videretur fugere,cum tamen nihil videretur ab hoſte Iſraëlita in illam indecorum eſſe metuendum.Hac autem ratione id voluit Rex Sacerdoti ſummo perſuadere; quia ſi res talem haberet exitum,qualem multorum vota poſtulabant, ipſe rediret confeſtim in vrbem, vbi in ſuo tabernaculo ſicut anteà Arcam illam adoraret, & coleret. Sin Deus de ſe, ac regno aliter ſtatuiſſet, non recuſare ſe, imò libenti animo ſubiturum, quicquid Domino, cui repugnare nullo modo liceret,collibuiſſet.

33. Verſ. 28. *Ecce ego abſcondar in campeſtribus deſerti,donec veniat ſermo à vobis indicans mihi.*] Iuſſit Dauid ſacerdotibus, vt redirent in vrbem, & Arcam in ſuo ſibi ſacrario reponerent,à qua ipſi pro ſuo munere in tanta præſertim rerum turbatione abeſſe non poterant. Iuſſit prætereà vt ſecum habeant duos filios Achimaas, & Ionatham, per quos edoceant, qualis ſit ab hoſtibus Hieroſolymæ ſtatus, quid deſignent animo, quò tandem ſpectent illorum conſilia.Interim tamen dum aliquid certum ab illis accipiat, habiturum ſe in campeſtri ſolitudine latebras, vbi ſe ab inimicorum oculis,& fraudibus abducat. Hæc obſcura non ſunt.

Verſ.30. *Porrò Dauid aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens,& flens,nudis pedibus incedens, & operto capite.*] Ex his conſtat, non tam cum Abſalome filio, aut mortali manu, quàm cum Deo pugnare voluiſſe Dauidem, quando non arma illa induit, quibus glorioſas antè victorias obtinuerat, ſed quæ contra humanam potentiam nullum habent tegumentum,& robur;ſed potiùs vires frangunt, & corpus nudum inimicorum telis perforandum exponunt.Sed hæc,quæ homines non curant, aut metuunt, imò potiùs contemnunt, & irrident, contra Deum potentiſſima ſunt; nempè lachrymæ,nudipedalia veſtigia;in loco maximè cliuoſo, atque arduo, qui ſilice horret, neque calcari poteſt ſine ſanguine. 34. *Priùs cum Deo pugnãdum oratione,& lacrymis,quã armis eũ hoſte.*

Et operto capite.] Nudum Hebræos habuiſſe caput, docuimus multis in noſtris Commentariis ſuper Acta ad cap.19. num.7.vbi etiam docuimus Hebræos ſolitos in luctu caput operire. Cuius rei exempla in Scriptura ſacra obuia. Ierem. cap.14. *Luxit Iudæa, & clamor Ieruſalem aſcendit*, &c. *Confuſi ſunt, & afflicti, operuerunt capita ſua.*] Et ſtatim: *Quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua.* Et quod modò fecit Dauid, fecit iterùm cap. 19. cùm audiuit extinctum Abſalomem.*Porrò Rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna,fili mi Abſalom.*Quod eſſe vſitatum Hebræis in primis ſuæ Reipublicæ cunabulis,indicat Chaldæus;nam vbi Vulgatus Exod. 14. v. 8. legit: *At illi egreſſi erant in manu excelſa*; Chaldæus habet: *capite diſcooperto.* Ac ſi diceret, egreſſos non mœſtos, non vt non vt fugitiuos, ſed alacres,quaſi ab alienis excederent, & ad regiones proprias commigrarent. 35.

Multa Patres de Dauidis pœnitentia, de fuga, de iniuriarum talerantia, de dolore in ipſorum etiam inimicorum infortunio;quæ vera ſunt animi verè pœnitentis indicia;quæ quiſque facilè apud alios inueniet. Vnum ego pro multis Saluianum adducam,lib.2.de Prouidentia, vbi cùm eleganter expreſſiſſet immiſſum à Domino ſupplicium,quod pro adulterio priùs, & homicidio ſubierat; cùm ad hunc rerum articulum deſcenderet,alia addidit, quæ ipſe patientiſſimè, vt verè pœnitens,& libentiſſimè ſuſtulit. Sic autem ille: *Iam ſi addenda eſt & ipſius fugæ facies, quale illud fuit,cùm tantus, & ex tanti nominis cunctis Regibus altior,mundo maior,omnes admodùm ſuos cum pauciſſimis ſuis fugeret,in comparatione dudum ſui egeſtuoſus, in comparatione ſui ſolus, fugiens cum metu,cum dedecore,cum luctu,operto,inquit Scriptura,capite,& nudis pedibus incedens;ſuper iſtis prioris ſtatus à ſeipſo exulans,penè iam poſt ſe viuens,deiectus vſque in ſeruorum ſuorum:vel quod graue eſt,contumeliam; vel,quod grauius, miſericordiam:vt vel ſibi compateretur, vel maledicere publicè non vniueret.Ita Dei iudicio à ſe aliter effectus, vt ei,quem timuerat totus orbis,vnus in faciem inſultaret inimicus.*Hæc omnia æquo,imò & libenti animo tuliſſe, pœnitentiæ rarum, & admirabile documentum eſt. 36. *Exemplum animi verè pœnitentis.*

Illud hîc maximè obſeruandum,quantum momenti habeat in vtramque partem Principum exemplum,quod facile reddit,& honeſtum, quod alio tempore,ac loco turpe videretur, & durum. Quis vnquam, niſi qui omninò frontem perfricuit,antecedentem ad laborem, & pericula Principem proſecutus non eſt? Quis nauem aſcendere,imò & lintrem horruit, quam Princeps eſt ingreſſus?Quis fluuium pedibus,aut natatu traiice- 37. *Principum exemplum omnia reddũt expedita, quæ aliter ſunt ardua.*

re,cùm dux ipſe aut tranſuadando,aut tranando, aditum non tantùm aperuit, ſed etiam expediuit? Hoc modo, Lucano lib.9. teſte, Cato ad omnes labores,atque moleſtias,ad belli,locorúmque diſcrimina milites ſuos promptos reddebat, & alacres;nam pedes per ſalebroſa, atque ardua anhelatum moliebatur aſcenſum. Hoc exemplum pro imperio fuit, neque propoſito capitali ſupplicio ſtudioſiùs imperata præſtarent, quàm exemplo propoſito, quod edictorum multorum minacium inſtar habet. Sic autem Lucanus de Catone.

Ipſe manu ſua pila gerens præcedit anhali
Militis ora pedes:monſtrat tolerare labores;
Non iubet.

Hoc Dauidis exemplum fecit,vt non grauatè alij operto capite, & pedibus, hiſque fortaſsè nudis cliuum aſcenderent ſaxoſum, & aſperum, etiam qui molli eſſent aut ætate, aut ſexu; quales fuere Regiæ vxores, & filij, quibus vt Regis lachrymæ lachrymas excuſſere, ſic etiam pedum nuditas è pedibus calceamenta detraxit.

38. *Conſilia in bello armis potiora.*

Verſ.31. *Infatua,quæſo, Domine, conſilium Achitophel.*] Non videbatur Rex prudens, qui longo vſu didicerat,quàm eſſet ſagax, & prudens Achitophelis ingenium, quem iampridem à conſiliis habuerat;non,inquam, videbatur timuiſſe magis Abſalomis arma, quàm Architophelis explorata conſilia.Sciebat enim multitudinem,ſi conſilium abſit, ſibi ipſi eſſe nonnunquam impedimento non leui. Dixit enim optimè Plutarchus in Lycurgo,quod ſumpſit ex Pyndaro,*conſilia ſenum haſtas eſſe iuuenum.* Futilis enim eſſet haſtarum petitio; niſi illis ſenum prudentia addidiſſet amentum. Quare cùm audiiſſet Dauid in ea coniuratione Achitophelem eſſe principem, orat Dominum, vt illius conſilium, quod quaſi oraculum aliquod exiſtimabatur, infatuet; id eſt, faciat, vt videatur vanum, & inutile; aut, quod idem penè eſt, nullum habeat vtilem euentum.

39. Verſ.32. *Cúmque aſcenderet Dauid ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum.*] Statuerat Dauid,cùm primùm ad montis faſtigium euaderet,adorare Dominum,vt illum ſibi propicium redderet,& ſe,ſuáque omnia illius voluntati permitteret. Nam in excelſis montibus, antequàm erectum eſſet Templum, excitatas aras,& immolatas eſſe victimas à viris etiam ſanctiſſimis, non ſemel audimus.1.Reg.cap.9. de Samuele: *Hodie venit in ciuitatem; quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo.*Et 3.Reg.cap.3. *Populus immolabat in excelſis;non enim ædificatum erat templum in nomine Domini.*Plura nos in hanc ſententiam ad locum proximum ex libro 1.Regum.

Occurrit ei Chuſai Arachites ſciſſa veſte, & terra pleno capite.] Quomodò in luctu conſcindi veſtimenta ſoleant, & cinere, aut puluere conſpergi capita, dictum eſt lib.1. cap. 4. vbi qui nuncium attulit ad Heli de Arca in Philiſtinorum poteſtatem adducta, veniſſe dicitur,*ſciſſa veſte,& conſperſus puluere caput.* 40.

Verſ.33. *Si veneris mecum,eris mihi oneri.*] Hæc ad finem capitis aperta ſunt: neque aliud continent,quàm iubente Rege reuerſum eſſe in vrbem Chuſai,eo conſilio,vt diſſiparet conſilium Achitophel,quod feliciter præſtitit,& quicquid in vrbe fieret, quamprimùm per duorum Sacerdotum filios edoceret. Illud ad extremum habemus ex hoc capite,eodem die Chuſai, & Abſalomem ingreſſos in vrbem;illum ex monte Oliuarum,vnde remiſſus fuerat à Dauide;hunc ex Hebrone, quò conuenerunt coniurati. Ex quo etiam colligitur ſatis veriſimiliter, eodem etiam die deſertam à Dauide ciuitatem,& occupatam ab Abſalome:atque ideò prudenter factum à Dauide, cùm celerrima fuga Abſalomis præuertit aduentum. Et fortaſsè eodem temporis veſtigio egreſſa eſt ex Hebron hoſtilis acies,& ex vrbe Dauid. Tantum enim videtur Dauid poſuiſſe tempus in adornanda fuga,& conficiendo,quod eſt inter Hieroſolymam, & montis Oliuarum faſtigium; quantum Abſalom in eo quod Hieroſolymam ab Hebrone diſcludit. Diſtat autem Hebron à Hieroſolyma ſedecim milliaribus, quæ quinque leucas Hiſpanicas complent, quæ vno die facilé ab exercitu percurri potuerunt. 41.

IN CAP. XVI. LIB. II. REGVM

ARGVMENTVM.

CVM paululum Dauid progreſſus eſſet, occurrit illi Siba cum aliquo vitæ,laboris quæ ſubſidio,qui rogatus de domino ſuo Miphiboſeth; loquutus eſt parũ fideliter, & verè: perfidiæ illum, & ingratitudinis accuſans. Vnde id conſecutus, vt Regis beneficio omnia ſibi, quæ domini ſui fuerant, bona vindicaret, Cúmque ventum eſſet in Baburim egreſſus Semei de tribu Benjamin grauia in Dauidem, & ſocios maledicta iactabat.In quem, cùm conſilium cædis meditaretur Abiſai, illum Dauid ab illo animi ardore, ac ſceleris vindicta continuit, dicens, eo modo placato numine, meliores exitus rem habituram. Sub illud tempus ingreſſus eſt Abſalom in Ieruſalem, quem Regem ſuum Chuſai Arachites ſalutauit, quem principiò cùm minùs æquè accepiſſet Abſalom, quaſi alienum haberet animum, & in Dauidis cauſam eſſet magis affectus; tandem ſuarum eſſe partium perſuaſus, ſibi illum (ſicut anteà patri,) adeſſe voluit à conſiliis. Viſum eſt autem Achitophel ex vſu fore coniuratorum partibus, quo ſibi perſuaderent, ſi ſpectante populo ad parentis ingrederetur concubinas, & ea ratione paterno violato thala-

mo